
HIERONYMUS
ANDOVER-HARVARD
THEOLOGICAL LIBRARY

IOANNIS GERHARDI

LOCI THEOLOGICI

CUM PRO ADSTRUENDA VERITATE

TUM PRO DESTRUENDA QUORUMVIS CONTRADICENTIUM FALSITATE

PER THESES NERVOSE SOLIDE ET COPIOSE EXPLICATI.

OPUS PRAECLARISSIMUM

NOVEM TOMIS COMPREHENSUM

DENUO

JUXTA EDITIONEM PRINCIPEM ACCURATE TYPIS EXSCRIPTUM

ADJECTIS NOTIS IPSIUS GERHARDI POSTHUMIS A FILIO COLLECTIS

EDITIONIBUS ANN. 1657 ET 1776 COLLATIS

PAGINIS EDITIONIS COTTANAE IN MARGINE DILIGENTER NOTATIS

PRAEFATIONE

INDICIBUS GENERALIBUS POST G. H. MULLERUM ADAUCTIS

ADDITA DENIQUE

VITA IO. GERHARDI.

TOMUS NONUS.

LIPSIAE.
J. C. HINRICHS.
1875.

IOANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

LOCORUM THEOLOGICORUM

TOMUS NONUS

IN QUO CONTINENTUR HAEC CAPITA:

JO. FRIDERICI COTTAE

S. THEOL. D. ET IN ACAD. TUBING. PP.

PRAEFATIO

QUA

DE VITA ET FATIS ET SCRIPTIS

JOANNIS GERHARDI

DISSERITUR

DENUO IN LUCEM EDITA.

Quum *Locorum theologicorum* a b. Gerhardo olim editorum praestantia dudum innotuerit omnibus, qui doctrinae sanctiori suam addixerunt operam, vix opus esse arbitramur, ut rationes, quae ad libri hujus novam editionem nos praesertim impulerint, copiose hic exponamus. Id potius instituti nostri ratio exposcit, ut vitam, fata atque scripta auctoris, post fata quoque celeberrimi deque republica litteraria atque ecclesia cumprimis puriori immortaliter meriti, ea, qua fieri potest, brevitate enarremus.

Ut itaque a vita Jo. Gerhardi, quam paucis enarrare constituimus, dicendi faciamus initium, nascendi sortem nactus est Noster anno 1582. die 17. Octobris Quedlinburgi, celebri Superioris Saxoniae urbe, quam et postea semper amavit Noster, felicem sese praedicans, locum hunc, antiquitate ac celebritate paucis in Saxonia secundum, se nascentem sinu suo excepisse, in eo infantiam suam vagiisse, pueritiam lusisse, iuventutem educatam esse.

Patrem veneratus est Bartholomaeum Gerhardum, patricium et amplissimi senatorum Quedlinburgensium ordinis assessorem aerariique senatorii praefectum, cuius mortem praematuram anno 1598. acerbissime luxit. Matrem vero habuit Margaretham Berndesiam, virtutibus matronalibus maxime conspicuam, Jo. Berndesii, scabinatus Halberstadiensis assessoris, filiam, cui anno 1624. Quedlinburgi decedenti, intimo moerore compunctus, iusta solvit. Ex maioribus eius minime praetermittendus hic nobis est Andreas Gerhardus, avus paternus, Abbatissae Quedlinburgensis quondam consiliarius, vir ab eruditione, prudentia et pietate summopere commendabilis, cuius et filia, Gertruda, iam *Quenstadtiorum* gentem cum *Gerhardiana* felici connubio copulavit. Praeter nostrum autem Jo. Gerhardum nati hisce parentibus sunt filiolus adhuc unus, Andreas, anno 1580. filiae vero quinque; inter quas secunda, Dorothea, Ludolpho Quenstadtio, patricio Quedlinburgensi, nupta Jo. Andream Quenstadtium, magni nominis theologum, peperit. Frater Joannis nostri natu maior, Andreas Gerhardus, quamvis nondum quadraginta tres annos plenos natus humanis praemature nimis eriperetur rebus, tamen ad summum honorum culmen iam evaserat. Iurium

enim doctoris dignitate ornatus, variis iisque lautis muneribus fuit admotus atque properante fortuna cancellarius tandem Schwarzburgicus creatus est. Huic debemus egregias dissertationes *de testamentis*, itemque *Quaestiones illustres super institutiones imperiales*, quas nepos ex fratre, Jo. Andreas Gerhardus, Jenae anno 1659. recudi curavit.

Ut vero ad Jo. Gerhardum nostrum redeamus, is, in tenera adhuc aetate constitutus, in litterarum bonarumque artium seminaria ablegatus a parentibus, cumprimis M. Henrico Fabro, rectori scholae Quedlinburgensis, viro multis nominibus de re scholastica merito, formandus traditus est. Ipsemet Gerhardus noster in *Epistola dedicatoria exegeseos locorum theologicorum* refert, sedecim doctores numerari potuisse, qui huius Fabri institutioni magnam eruditionis suae partem sese acceptam ferre haud inviti fuerint confessi.

Haesit autem hisce in scholis ad annum usque 1598. laudabili prorsus exemplo. Neque enim ea fuit tarditas quaedam ingenii, quo plurimum valebat, quae ipsum hic detinuit; sed, quanti sit, fundamenta in studiis solide iecisse atque probe instructum esse linguarum notitia reliquisque adminiculis, priusquam ad academica studia appellamus animum, suo hocce exemplo, eoque prorsus egregio, commonstrare voluit. Atque hoc ipsum eum etiam permovit, ut mortuo suo Fabro lyceum Halberstadiense per semestre adhuc frequentaret, in quo rectorem dexterrimum, M. Paulum Dolschium, sua pertinaci industria profectibusque, quos in humanitatis studiis fecerat, luculentissimis in sui rapuit admirationem. Et sane de eruditione eius iuvenili abunde testatur exasciatum eius carmen latinum, quo *Historiam evangelicam* cecinit, et graecum praeterea, quo *Passionis* Jesu Christi *historiam* cum insigni eruditionis apparatu affectuque animi pientissimo adumbravit. Hisce speciminibus insimul iam tum temporis talem sese demonstravit, qui par aliquando futurus esset continuando immortali operi *Harmoniae Chemnitio-Lyserianae.*

Fata quaedam, cum quibus hac aetatis periodo conflictatus est Noster, hac occasione praeterire non possumus. Vix decimum quintum aetatis annum expleverat, quum in gravissimum incideret morbum, qui non tantum, cum diuturnus esset et per integrum anni spatium depelli plane haud posset, vires eius penitus exhausturus esse videbatur, sed et animum eius ita affligebat, ut scrupulis plenus et fere ab omni consolationis sensu vacuus esset. Ipse alicubi fatetur, se tristi hac rerum suarum conditione libellum precationum conscripsisse, suis lacrumis uberrime humectatum. Psalmum Davidis sextum eodem tempore sibi veluti proprium fecit eique hancce posuit inscriptionem: *Tentatio spiritualis de ira Dei propter peccata.* Fructus tamen aliquis, isque insignis, pro ecclesia nostra evangelica ex gravissimo hocce morbo enatus est. Quum enim Gerhardi nostri animus olim in medicinae studia praecipue propenderet, iam intus fuisse videtur commonefactus, ut potius doctrinae sanctioris studia ingrederetur. Votum idcirco nuncuparat, quo etiam sese, quamvis primum a sua mente depulsus, liberavit.

Anno hasce calamitates insequenti corripiebatur peste, quae luctuosis istis temporibus per Germaniam nostram valde multumque grassabatur. Verum, quae singularis plane supremi numinis fuit providentia, ex hac quoque morte evasit feliciter, quum duplicem casu fortuito *ἀλεξιφαρμάκου* sumsisset portionem.

Iactis rite fundamentis bene maturus iam erat Gerhardus noster ad subsellia academica. Proinde anno 1599. Vitembergam, matrem istam almam studiorum et foecundissimam, concessit. Curriculum philosophicum ingressus nullam earum partium, quae quidem tum temporis pro ratione istius aevi tradi solebant, negligendam sibi esse censuit. Audivit igitur ex ore Wolffgangi Franzii historiam, logicam vero atque ethicam ex ore Antonii Euonymi hausit. In rhetoricis Martino Helwigio praeceptore usus est, in mathematicis Erasmo Schmidio, in philosophia naturali Jo. Mehlfürero, in anthropologia Jacobo Coco. Privata insuper industria ex optimis, qui in Aristotelem commentati sunt, auctoribus ampla sibi fecit collectanea suosque in studiis philosophicis profectus plane eximios in disputationibus publicis commonstravit. Illud quoque notatu dignum est acerrimique iudicii praebet docu-

mentum, quod Gerhardus noster ex ipsis philosophiae scholasticae tenebris lucem quandam, illustrandis doctrinae sanctioris capitibus inservientem, elicuerit eandemque scriptis suis eruditissimis postmodum intulerit.

Postquam accuratiori philosophiae scholasticae cognitione mentem suam probe imbuisset Noster, voti, quod olim nuncupaverat, memor, mox anno 1600. ad studia theologica serio sese applicuit atque sub finem huius anni praelectiones publicas Leonhardi Hutteri, theologi prorsus eximii, nec non Salomonis Gesneri, qui caput 12. Danielis exponebat, sedulo frequentavit. Tanta quoque tum temporis proficiendi flagrabat cupiditate, ut in disputationibus theologicis tum argumenta, quibus veritates divinae fuerunt impugnatae, tum responsiones ad obiectiones datas peculiari volumine annotaverit.

Verum deturbatus iterum ab hocce instituto per biennii intervallum, suasore inprimis cognato suo Andrea Rauchbaro, procancellario Electoris Saxoniae, medicae artis studia amplexus est Noster; in quibus etiam brevi admodum temporis spatio tantos fecit profectus, ut ipse non solum propositiones medicas contra opponentes defendendas conscriberet, sed et integrum volumen de rationibus curandi omnis generis morbos ex antiquis pariter ac recentioribus medendae artis magistris congereret, quin practicum agere multo cum applausu ordiretur. Factum hinc est, ut postmodum, ubi muneri sacro fuit admotus, non lucri gratia, sed ex mera caritate ac misericordia, absque ullo praemio, multos sua arte solaretur eosdemque in vitam quasi reduceret.

Neque tamen, mortuo inprimis Rauchbaro, tenera Gerhardi nostri conscientia permisit, ut voti, quod quindecim annorum puer conceperat, exactam solutionem longius differret. Igitur sollicitationibus eius ut obsecundaret, Jenam cum filio Rauchbari natu maiore tanquam morum magister profectus, novo eoque pertinaci mentis fervore studia sacra, per aliquod tempus plane seposita, reassumsit, consilio prius Jo. Arndii, viri integerrimi, expetito, qua potissimum ratione in hocce studiorum genere felicissime progredi posset. Philologiam sacram atque studium biblicum cum ante omnia suasisset Arndius, omnem curam atque cogitationem eo contulit Gerhardus noster, ut linguas sanctas solide imbiberet, principia et regulas hermeneuticas ad amussim teneret easdemque ad sacras litteras rite prudenterque applicaret. Tantam vero ex hocce instituto et utilitatem et suavitatem percepit, ut postea alios quoque doctrinae sanctioris cultores, quos in museo suo aluit, in horum studiorum amores atque amplexus multis exhortationibus rapere fuerit annisus. Imprimis autem animum Salomonis Glassii, qui tum temporis studio sanctioris disciplinae in academia Jenensi incumbebat, hac occasione lucrifecit. Certe ipse Glassius in praefatione *Rhetoricae sacrae* praemissa, quantopere sit devinctus Gerhardo, ingenue fatetur. *Libri mei*, inquit, *te agnoscunt originem et fontem. Tuo enim hortatu factum, quidquid in philologia sacra per me studio qualicunque conscriptum et publicae luci expositum hactenus est.* Cum sacri autem codicis lectione, quam nunquam sine devotis ad Deum precibus instituit, antiquos coetus christiani doctores, quos *patres* vocant, itemque scholasticos coniunxit Gerhardus; in quorum tamen evolutione ita versatus est, ut nihil, nisi quod accuratiori iudicio subiecisset, suo approbaret calculo. Audivit quoque in cursu suo theologico, Jenae cumprimis, viros praestantissimos, Georgium Mylium, Ambrosium Reudenium ac Petrum Piscatorem, ex quorum institutione se plurimum profecisse, gratus agnovit.

Anno 1603. summos in philosophia honores, quibus iam dudum dignus erat, ab amplissimo philosophorum ordine modeste sibi expetiit. Quorum adeo non repulsam tulit, ut potius inter duodecim candidatos principem obtineret locum. Precibus deinceps quorundam studiosorum adductus tertio statim, postquam in gradum huncce promotus erat, die collegium logicum Aristotelicum instituit, cui mox politicum nec non metaphysicum, quale ante ipsum in academia Salana nemo praelegerat, adiunxit. Coepit quoque mense Novembris huius anni doctrinam sanctiorem intra suos parietes concessu superiorum profiteri. Nec tamen labores hosce utilissimos diu continuare licuit Gerhardo nostro. Exeunte enim hoc

anno valetudo eius adeo gravi morbo fuit infestata, ut ipse de ea recuperanda desperaret. Adornavit hac occasione testamentum aliquod, in quo plenam eandemque prorsus egregiam fidei suae confessionem exhibuit, qua ratione sibi iusta solvi velit, disposuit atque cum tenerrimo animi affectu caritatibus suis atque amicis valedixit*). Conscripsit quoque hoc ipso tempore precationem istam, suavissimum veluti pietatis odorem spirantem, quae inter meditationes eius sacras typis exscriptas sextum occupat locum hacque insignita est inscriptione: *Consolatio poenitentis ex passione Christi.*

Praeter omnem spem atque exspectationem cum primum convaluisset Gerhardus noster, theologorum Marpurgensium eius aetatis celebritas eum invitavit, ut anno 1604. cum Michaele Rauchbaro, discipulo suo, Marpurgum concederet, amplissimum theologiae campum summa cum animi contentione denuo emensurus. Interfuit igitur in hacce musarum sede praelectionibus Jo. Winckelmanni itemque Jo. Schollii, hebraeae linguae professoris. Imprimis autem a Balthasare Menzero, theologo eximio, qui universam theologiam tum temporis disputando pertractavit, nunquam sese avelli passus est. Sub huius quoque praesidio conscripta a se theoremata *de scripturae interpretatione* publice defendit insuperque Marpurgi itidem collegia philosophica multo cum applausu ipse instituit.

Menzerus, magni nominis theologus, cuius modo fecimus mentionem, adeo in deliciis habuit Gerhardum, ut itineris, quod anno 1605. valetudinis gratia susceperat, eum comitem sibi adiungere non dubitaret. Inviserunt igitur Giessam, Francofurtum, Darmstadium, Heidelbergam, Stuttgardiam, Tubingam, Argentinam, Spiram, Wormatiam aliasque insuper urbes et cum viris eruditissimis, Vietore, Giessensi, Pareo et Jano Grutero, Heidelbergensibus, Magiro et Bidembachio, Stuttgardianis, Hafenreffero, Gerlachio, Crusio, Lansio, Tubingensibus, Pappis itemque Obrechto, Argentinensibus, aliisque collocuti sunt. Tantum etiam amorem erga Tubingam nostram concepit Gerhardus, ut postmodum diu dubius haeserit, an non in hac universitate sedem suam figere vellet, donec providentia divina de ipsius sorte certi quidpiam statuisset.

Quum reduces facti essent ex itinere Menzerus et Gerhardus, turbulentus erat rerum Marpurgensium status, eo quod Mauritius, Hassiae Landgravius, sacra reformata in ecclesiam atque academiam Marpurgensem introducere aggrediebatur. Gerhardus igitur cum Rauchbaro suo ex hocce tumultu discessit atque Hemsendorffium, praedium Rauchbarianum, ad breve tempus sese contulit. Deposita hic privatae institutionis morumque praefecturae sparta, quam insigniter hactenus ornarat, de academica denuo vita, quippe omnium sibi iucundissima, cogitare coepit.

Aliis ergo omnibus posthabitis, deprecatus etiam rectoris scholae Quedlinburgensis sat lautum munus, in desideratissimae sibi academiae Jenensis sinum, solidioris doctrinae acquirendae studio penitus inflammatus, vel tandem rediit, cum brevem excursionem Magdeburgum, Brunsvigam, Guelpherbytum et Groningam antea fecisset. Jenae degens non tantum ipse Petri Piscatoris collegio privato theologico interfuit, sed et in magno auditorum coetu collegia cum philosophica, tum theologica habuit, mox propter communem applausum in ordinem adiunctorum facultatis philosophicae cooptatus; id quod factum est sub finem anni 1606. Ut vero spartam hanc legitime capesseret Gerhardus, dissertationem *de vero* conscripsit publiceque defendit; in qua sententiam Danielis Hoffmanni, theologi Helmstadiensis, cui in mentem venerat, philosophiam cum theologia pugnare, abrogandam propterea penitus et tollendam esse**), sub examen revocavit. Hancce disputationem anno

*) Hocce testamentum, lectu dignissimum, quod in bibliotheca Gothana diu latuerat, in lucem publicam protraxit atque *Vitae Gerhardi p. 29. seqq.* inseruit Erdmannus Rudolphus Fischerus. (Lipsiae 1727.)

**) Hoffmanno suffragati sunt Jo. Angelus Werdenhagenius, Jo. Müllerus aliique. Acriter tum in academia Helmstadiensi alibique hac super re fuit disputatum. Inter scripta vero, quibus usus philosophiae contra Hoffmannum eiusque sectatores fuit propugnatus, eminent Alberti Graveri liber *de unica veritate* et Jacobi Martini *Speculum rationis*, sermone germanico conscriptum.

insequenti alia *de necessitate et contingentia* est secuta, in academia Jenensi pariter publice defensa. Atque ab hoc inde tempore aliis quoque scriptis, quae suo loco recensebimus, manum admovit Gerhardus, quin et operum maiorum, quae nomini ipsius immortalitatem conciliarunt, primas veluti lineas duxit.

Anno 1606. commendatione Wolffgangi Heideri, logices atque ethices in academia Jenensi professoris, factum est, ut Gerhardo, habita coram Jo. Casimiro, Principe Coburgensi, eiusque aulicis concione, arduum munus superintendentis Heldburgensis offerretur. Equidem varias caussas sibi obstare putabat Noster, quominus oblatam sibi conditionem mox acciperet. Allegabat inter alia et hoc, consensum optimae matris sibi adhuc deesse, quae ipsum Quedlinburgi vivere exoptaret. Ast legati principis regerebant, huncce consensum facile impetrari posse, cum iustae dissuadendi caussae matri non suppetant. Scripsit quoque ipsemet serenissimus Casimirus litteras sua manu exaratas ad Abbatissam Quedlinburgensem, quae animum matris in vocationem hanc forsan non consensurae flectere anniteretur. Consensit tandem Gerhardus, gravissimis expugnatus rationibus, atque acceptis vocationis suae tabulis Jenam repetiit ibidemque, iussu celsissimi Principis sui, in candidatis theologiae nomen suum professus est. Superato tentamine, ut vocant, habitaque lectione, quam dicunt, cursoria publiceque defensa dissertatione inaugurali, *praecipuas de sacra coena controversias,* quae tum temporis in ecclesia agitabantur, complectente, cunctis suffragiis dignus fuit habitus, cui insignia doctoris theologi conferrentur. Hisce ornatus honoribus Heldburgum reversus est Noster ibidemque in novum suum munus solemniter fuit introductus. Licet vero labores cum ephoria Heldburgensi coniuncti per se sat ardui essent, ea tamen lege huic muneri fuit admotus, ut, quotiescunque gravior caussa in consistorio Coburgensi decidendà esset, Gerhardus arcesseretur insimulque singulis mensibus disputationes theologicas in gymnasio Coburgensi, tanquam eius professor ac inspector, institueret. His utriusque officii partibus ita assidue vacavit Noster, ut vel summa cum molestia, quandoque et valetudinis damno, iter suum per novem annos statis temporibus Coburgum emetiretur. Ceterum primus ipse fuit, qui operam suam disputationibus theologicis in gymnasio Coburgensi habitis consecravit.

Quae intra istud temporis spatium, quo Gerhardus superintendentis Heldburgensis munus obiit, illi memorabilia maxime acciderunt, ea paucis complectemur momentis. Versabatur Heldburgi tum temporis Christina, filia Wilhelmi IV. Landgravii Hassiae, coniux Jo. Ernesti, Ducis Saxoniae Isenacensis, princeps non pia duntaxat, sed et egregie docta. In huius praesentia non solum complures habuit orationes sacras in nonnulla sacrae scripturae oracula, a serenissima Principe praescripta; sed et commercium litterarium de praecipuis Evangelicos inter et Reformatos controversis capitibus cum illa instituit idque ad annum usque 1611. continuavit. Expetiit quoque sibi Princeps Christina, verae doctrinae cupidissima, a Gerhardo, ut librum quendam theologicum evulgaret hac adornatum methodo, ut scilicet primum omnes religionis christianae articulos, cuivis christiano ad sempiternam salutem scitu cognituque necessarios, in certa capita distributos, ordine consignaret; hos deinde solis sacrarum litterarum testimoniis, et quidem omnibus ac singulis, quae in veteris novique testamenti libris exstant, confirmaret; cuncta denique sacri codicis dicta, quae doctrinae puriori adversari viderentur, congereret dextreque explicaret et argumenta contraria e verbo divino solide confutaret, nulla tamen doctorum, sive veterum, sive recentiorum mentione facta. Huic desiderio satisfacturus Gerhardus manum quidem operi admovit atque unum alterumque articulum, nominatim de praedestinatione ac sacra eucharistia, hac lege concinnatum Christinae exhibuit. Verum integro operi absolvendo multae eaeque gravissimae obstiterunt occupationes. Praeter ordinarios enim labores, eosque sat graves, privatamque in elucubrandis libris, quos suo loco recensebimus, industriam, responsa quoque bene multa hoc et sequentibus temporibus ab ipso elaborata esse constat.

Quum Jo. Casimiro, Duci Saxoniae, eo tempore nonnulla itinera essent suscipienda

isque idoneo sacrorum administro et fido consiliario ecclesiastico opus sibi esse intelligeret, Gerhardum prae aliis dignum iudicavit, quem comitem sibi adiungeret. Ter itaque, nimirum anno 1609. 1612. et 1613. principem hunc Dresdam proficiscentem comitatus est. Cumque anno 1610. idem princeps gloriosissimae memoriae Coloniae Agrippinae colloquio de caussa Juliacensi cum aliis principibus interesset, Gerhardum suum denuo ad latus habuit. Anno 1612. Francofurtum ad Moenum cum eo profectus est, eligendi ac coronandi Imperatoris Matthiae solemnibus interfuturus. In omnibus hisce locis sermones sacros habuit Gerhardus atque viris clarissimis diversorum ordinum innotuit.

Anno 1613. visitationem ecclesiarum suarum Thuringicarum et Franconicarum generalem Gerhardo imperavit Casimirus; quod quidem negotium tam promte tantaque cum accuratione expediit, ut principem suum hac ratione plurimum sibi devinciret. Et sane ipsa acta huius visitationis, quae sua ipsius manu verbose scripsit Gerhardus, abunde testantur, ipsum nil quidquam in quavis paroecia omisisse, quod ad boni visitatoris officium pertinere arbitrabatur. Ut doctrinae purioris conservationem, absque morosiori tamen mentis affectu, curae imprimis cordique habebat; ita disciplinae ecclesiasticae emendandae maximum illum tenuit desiderium. Disciplinae enim ecclesiasticae nervos nimis laxatos atque luxatos esse, in litteris ad Jo. Saubertum graviter querebatur. Sub praetextu abusuum illud ipsum, quod ad conservandam disciplinam maxime utile erat et necessarium, per quandam oscitantiam abrogatum, vel saltim labefactatum esse pronuntiabat. Incassum tamen hic laboraturos esse omnes praedixit, nisi *maior Moysis et Aaronis voluntatum exsistat consensio.*

Heldburgi adhuc subsistens complures vocationis accepit epistolas, ut Dilherrus etiam, professor olim Jenensis, postea theologus Noricus, in laudatione funebri his sese verbis expresserit: *Nulla est (fere) in orbe Europaeo Protestantium academia, nulla celebrioris alicuius urbis ecclesia, quin hac Thuringiae lampade illustrari expetierit et praecipuum hoc Europae nomen liberali stipendio ad se vocarit.* Ita anno 1608. *Halam* vocatus est, ut Archiepiscopi Magdeburgensis ecclesiastes esset. Eodem anno *Hamburgum*, ut pastoris ibidem munus obiret. Anno 1609. praesulis *Vinariensis* dignitatem ei obtulit serenissima Princeps Dorothea Maria, Ducis Joannis vidua. Proceres autem evangelici locum in nova academia Pragensi eidem destinarunt suoque petito aliquoties postmodum institerunt. Anno 1610. professor theologiae in academia *Giessensi*, porro superintendens generalis *Cellensis*, vel et antistes *Islebiensis* ac synedrii sacri praeses constitui potuisset. Anno 1611. Superioris Austriae ordines evangelici illum *Lentii* superintendentis generalis et praesidis consistorii dignitate ornare voluerunt, Comes *Mansfeldensis* decani, *Quedlinburgenses* sacrorum antistitis honoribus. Anno 1606. *Moravienses* evangelici proceres illi officium ecclesiasticum primarium destinarunt, et cancellarius Meiningensis ephoriam *Schleusingensem.* Anno 1613. academia *Altorfina* et *Vitembergensis* prima vice illum suum esse cupiit. Anno 1614. ut *Helmstadii* professoris theologiae primarii munus susciperet, tertium invitatus est. Ut alias eiusmodi vocationes, quae maximam partem admodum lautae erant atque honorificae, haud memoremus. Licet vero Gerhardus academicis praecipue lubenti animo paruisset, tamen a Casimiro, principe suo, qui ex intimis visceribus eum deamabat, dimissionem impetrare haud potuit. Hoc duntaxat vel tandem obtinuit, ut spe aliquando *Jenam* redeundi, sibi carissimam, lactaretur.

Casimiro interea Gerhardus vel Heldburgi vivens, nimis adhuc a se remotus videbatur. Post varia igitur alia tentamina tandem anno 1615. id effecit, ut superintendentis generalis *Coburgensis* munia, perquam onerosa, sibi imponi pateretur. In quo officio licet valetudinem suam iam antea valde debilitatam esse sensisset, ita strenuum tamen sese praestitit, ut Casimirus ecclesias sub hocce moderamine egregie florere, cum intima animi voluptate animadverteret. Vel solam in rei fidem excitasse sufficiat *constitutionem ecclesiasticam*, quam Gerhardus, hortatu principis sui, adhuc anno 1615. concinnavit atque anno subsequenti in lucem publicam emisit, quem laborem etiam munifice remuneratus est Casimirus, Princeps

serenissimus. Recentissima huius *constitutionis ecclesiasticae* editio Coburgi anno 1713. prodiit, cui brevem expositionem de *ordinationibus ecclesiasticis* addidit Ernestus Salomon Cyprianus, theologus Gothanus, isque celeberrimus.

Ordinis ratio iam exposcit, ut de vocatione *Jenensi*, ad quam accipiendam ipse Gerhardus suam proclivitatem haud obscure prodidit, sigillatim nonnulla dicamus. Jam anno 1611. academia Jenensis valde institerat, ut Gerhardus professor sibi theologiæ concederetur. Neque tamen tum temporis voti sui compos fieri potuit, siquidem serenissimus Princeps Casimirus nullis adduci potuit rationibus, ut Gerhardum Jenam dimitteret. Verum quum quadriennio post Ambrosius Reudenius, facultatis theologicæ in academia Jenensi senior, rebus eximeretur humanis, atque Gerhardus, ut eiusdem locum suppleret, denuo solemniter vocaretur, ipseque insuper Elector Saxoniae Joannes Georgius I. die 18. Julii anni 1615. litteras hac de re ad Principem Jo. Casimirum daret; factum vel tandem est, ut Gerhardus, Electore Saxoniæ imprimis intercessore, dimissionem sui ad academiam Jenensem a Casimiro obtineret. Leges tamen ipsi serenissimus hicce Princeps quasdam praescripsit, vi quarum adhuc quodam modo suus permaneret; nimirum ut in posterum quoque consiliarium ecclesiasticum apud ipsum ageret, ut porro visitationibus, synodis aliisque deliberationibus, sicubi necessitas id exposceret, neque tamen suis sumtibus, interesset, itemque ut quotannis examinibus gymnasii Casimiriani assisteret atque ut denique peculiarem curam eorum gereret, qui suis et fratris Jo. Ernesti Isenacensis stipendiis in litteras Jenae incumberent. Pro quibus officiis illi annuum centum florenorum stipendium decrevit.

Atque ab hoc tempore nova iam vitae Gerhardi periodus orditur, quam inter exoptatissimas semper retulit atque de qua, quamvis videretur de altiori dignitatis gradu descendere, mirum in modum sibi gratulatus est. Tanto autem cum ardore sese statim praelectionibus suis theologicis applicuit, ut nihil plane eorum praetermitteret, quae egregios doctrinarum sanctarum consecraneos efformare possent. Nam praeter isagogicam locorum theologicorum explicationem, quam subinde instituit, singulis quoque annis quosdam duntaxat locos eosdemque praecipuos curatius sibi excutiendos sumsit. Contra omnis generis hostes, quibuscum ecclesiae purioris doctoribus certamen subeundum est, invictum in veritate tuenda defensorem egit. Imprimis contra Romanenses fortiter pugnavit eosdemque habitis hanc in rem collegiis solide confutavit. Et sane post Lutherum atque Chemnitium praestantior debellator ecclesiae romanae doctorum vix cogitari potest, qui arma ipsorum tam egregie retunderet eosque suis ipsorum gladiis iugularet. Praeterea contra Jo. Calvini asseclas auditores suos sollicite communire, suarum duxit esse partium. Descendit quoque in arenam cum Photinianis, idque haud infeliciter, omni quippe armorum genere abunde instructus. Disputatoriis collegiis multum statuit pretii inque iis discipulos suos diligentissime exercuit. Horas tamen exegeticas omnibus fere reliquis antetulit. Pauci sunt libri veteris novique testamenti, quos non in praelectionibus suis academicis nervosissime exposuerit. Explanationi *Epistolae ad Hebraeos*, sed non prima demum vice institutae, immortuus est. Adiunxit hisce omnibus reliquas quoque lectiones et collegia, quae a theologo consummato fideique pleno exspectari possunt. Quum anno 1636. Jena Cahlam, vicinum musis Salanis oppidulum, sese contulisset, ut morbos contagiosos Jenae grassantes effugeret, in hoc quasi exsilio commorantibus ibi secum studiosis sex priora capita *Apocalypseos* exposuit huiusque explicationem postea Jenam reversus continuavit. Cum collegis Joanne Maiore et Jo. Himmelio in maxima ac nunquam interrupta concordia vixit. Fasces academicos quater tenuit. Decani autem partibus crebrius magna cum dignitate defunctus est honoribusque doctoralibus ornavit non multos quidem, sed graves ac dignos viros, ex quibus Salomonem Glassium, theologum incomparabilem, Fridericum et Wilhelmum Lyseros, Andr. Keslerum, superintendentem Eisfeldensem, et Christianum Weberum, pastorem Halensem, nominasse sufficiat.

Ex eo quoque capite Gerhardus insigniter de academia Jenensi meritus est, quod sua opera suisque precibus effecit, ut dotibus non contemnendis augeretur. Quum enim baronatum *Rembda* et arcem *Apolda* duo feuda aperta esse intellexisset, serenissimorum Principum, Joannis Philippi et Wilhelmi, animum permovit, ut haec praedia cum omnibus pagis, reditibus ac proventibus annuis academiae Salanae iure hereditario possidenda traderentur. Ut gratum ideo animum academia erga Gerhardum, huius donationis ipsi factae proxenetam, testaretur, perpetuum eorum praediorum provisorem illum anno 1634. constituit. Persuasit quoque Gerhardus Joanni Casimiro, optimo principi, quem supra iam laudavimus, nec non reverendissimae atque illustrissimae Abbatissae Quedlinburgensi, Dorotheae Sophiae, ut academiae Jenensi legata valde munifica designarent. Et quis vel bona omnia, quae a Gerhardo nostro in hanc academiam profecta sunt, enumeret; vel quam sollicite mala et pericula, quae in bello tristissimo tricennali saepius imminebant, ab ea averruncare annisus sit, satis digne depraedicet? Audiamus tantum Jo. Michaelem Dilherrum, qui merita Gerhardi in academiam Jenensem collata hisce verbis edisserit: *Si quis imminebat interitus, vindex erat Gerhardus. Si quis timebatur ictus, scutum erat Gerhardus. Si qua ingruebat tempestas, tectum erat Gerhardus. Si quis irruebat imber, sol erat Gerhardus**).

Iam vero ubi de meritis Gerhardi nostri verba fecimus, haud praetermittendas esse censemus legationes, quas is academiae nomine diversis temporibus administravit. Anno 1633. a senatu academico *Vinariam* fuit ablegatus, nuptiis Alberti, Ducis Saxoniae, cum Dorothea, Friderici Guilelmi I. filia, academiae nomine interfuturus. Eodem anno ibidem exsequiis Gustavi Adolphi, Suecorum Regis, tanquam legatus universitatis interfuit. Anno subsequenti die 24. Mart., quo iusta funebria celsissimo Principi Joanni Casimiro, cui 27 annos omni fide inservierat Gerhardus, solverentur, rursus nomine publico ad ea peragenda missus est Noster Jenamque reversus optimo principi parentavit.

Ipsi etiam Principes eum ad legationes nonnullas ipsorum nomine administrandas idoneum iudicarunt. Ita a lineae Vinariensis Principibus anno 1627. missus est ad fratrem Joannem Fridericum, qui a Tillio ad Mindam captus Oldenslebii in custodia asservabatur, ut de certis quibusdam rebus cum illo colloqueretur. Eodem anno iussu Principis Wilhelmi Weidam Variscorum ad Electorem Saxoniae fuit ablegatus, a quo et perquam honorifice habitus, et torque aureo, ex quo effigies eius dependit, ornatus rediit. Ut alias eiusmodi legationes brevitatis studio haud memoremus.

Illud vero silentio praeterire haud possumus, varios theologorum conventus eo, quo Gerhardus floruit, aevo fuisse habitos, in quibus ipse praecipuas quasdam partes semper habuerat. Anno 1621. interfuit conventui *Jenensi*, in quo sigillatim de comprimendis conatibus Georgii Calixti et Cornelii Martini, professorum Helmstadiensium, qui in heterodoxiae suspicionem veniebant, nec non de continuanda *Harmonia Chemnitio-Lyseriana* cumprimis actum fuit. Anno 1624. in conventu *Lipsiensi* comparuit Noster, ubi controversia de statu exinanitionis Christi, inter theologos Tubingenses ac Giessenses agitata, sub examen vocata fuit. Anno 1628. alius *Lipsiae* celebratus est conventus, in quo praeter alios doctores theologos Gerhardus quoque praesto fuit. Inter multas alias deliberationes ecclesiae evangelicae salutem concernentes praecipua fuit illa, quam de controversia *Rathmanniana***)

---

*) In *Laudatione funebr. p. 102.*

**) Haec controversia ab Hermanno Rathmanno, verbi divini apud Gedanenses ministro, viro alias docto ac pio, excitata nomenque nacta est. Statuit is, *1) verbo divino non inesse vim quandam atque efficaciam homines illuminandi atque convertendi, sed illi duntaxat adesse seu coëxsistere; 2) mutationes salutares, quae opus conversionis constituerent, non omnes effici per verbum, sed nonnullas a Spiritu sancto immediate, ante operationem verbi, aut cum illa et iuxta illam, collateraliter; ita ut alii effectus a verbo, alii vero a Spiritu S. immediate dependerent; 3) vim istam divinam homines illuminandi atque convertendi adesse quidem verbo divino in usu, sed non ante te extra usum.* Hosce

susceperunt theologi, qui et eiusdem decisionem, auctoritate Electoris institutam, in peculiari scripto Lipsiae 1629. edito dederunt, ad quam plurimum contulit Gerhardus noster. Examinatae etiam fuerunt in hocce conventu *quaestiones Jesuiticae* Augustano ministerio propositae. Criminabantur nimirum societatis Jesu sacerdotes, inprimis Dillingenses, Protestantes confessionem Augustanam, anno 1530. Carolo V. exhibitam, vel deseruisse, vel vitiasse, hincque pacis religiosae anno 1555. sanctae iuribus ac privilegiis non amplius frui posse, qua et penitus sublata tranquillitati imperii Romano germanici optime consuli posset. Ab iniuriosis hisce accusationibus ut ecclesia Lutherana solide defenderetur, theologi Saxonici ab Electore Jo. Georgio scriptum apologeticum componere iussi sunt. Quod et nulla interposita mora praestiterunt, edito opere, cui *Defensionis pupillae evangelicae* nomen ad negotii gravitatem declarandam imposuerunt*). Auctor huius scripti publica auctoritate in lucem editi erat Matthias Hoë ab Hohenegg, adiutus tamen aliorum nostrorum doctorum, Polycarpi nempe Lyseri, Henrici Hoepfneri, Guilelmi Lyseri, Jo. Hülsemanni, ac cumprimis Gerhardi nostri consiliis scriptionibusque. Certe Gerhardum scriptum hocce apologeticum primum delineasse, elaboratumque seorsum ab Hoëo ante conventum reliquorum theologorum accepisse, ex epistolis quibusdam nondum editis ostendit Fischerus**), vir doctissimus. Vix dici autem potest, quantas turbas fecerint Loiolitae, cum vindiciae hae in lucem publicam exiissent. Ediderunt mox plurimos libellos inficeto plerumque et ludicro stilo exaratos, quibus malam exornare caussam pergebant. Quare Elector Saxoniae anno 1630. ad diem 11. Aprilis denuo Lipsiam evocavit theologos Saxonicos, directoris partibus Matthiae Hoë datis. Huc itaque et Gerhardus noster se dicto die contulit atque conventui isti interfuit, in quo tum de aliis rebus ad ecclesiae evangelicae salutem spectantibus, tum et de nova imprimis apologia pupillae evangelicae Forero cumprimis ac Dillingensibus opponenda deliberatio fuit instituta. Convenit vero inter theologos, qui hic aderant, ut Matthias Hoë, quem supra iam laudavimus, scriptionis laborem in se susciperet, Gerhardus autem praecipua responsionis fundamenta litteris consignata eidem suppeditaret, prout pluribus observat Fischerus, modo nobis laudatus***). Atque sic vel tandem enata est *Iterata fundamentalis defensio pupillae* †), una voce a theologis Saxonicis, qui Lipsiae convenerant, approbata atque iussu Electoris Saxoniae in lucem publicam edita.

---

errores ita tueri ac defendere conatus est Rathmannus, ut subinde ad b. Lutherum aliosque, qui idem sentirent, provocaret. Quum vero hac ratione multorum perturbaret animos, et controversia haec, quae ab initio privata duntaxat erat, in publicam deinceps erumperet inque omnibus fere academiis de hocce argumento disputaretur, consultum esse videbatur Jo. Georgio, Electori Saxoniae, si errores isti Rathmanniani scripto quodam publico solide profligarentur. Hinc iussu ipsius atque auctoritate oppositum fuit Rathmanno scriptum illud, quod supra innuimus et in fronte hanc gerit inscriptionem: *Der reinen, wahren evangelischen Kirchen und ungeänderten augspurgischen Confession zugethaner Theologen wiederholte richtige, gründliche und unwiderlegliche Lehre von der heiligen Schrift; oder dem heiligen geoffenbarten Worte Gottes, was dasselbe seiner Natur und Eigenschaft nach sey, und dass es die Kraft und Vermögen zu erleuchten, zu bekehren und seelig zu machen, wahrhaftig vor und in dem Gebrauch in und bey sich habe.*

*) Prodiit hicce liber Lipsiae anno 1628 hac insignitus inscriptione: *Nothwendige Vertheidigung des heiligen römischen Reichs evangelischer Churfürsten und Stände Augapfels, nemlich der wahren, reinen, ungeänderten, Kayser Carln dem fünften, höchstlöblicher Gedächtniss, anno 1530 übergebenen augspurgischen Confession und des auf dieselbe gerichteten höchstverpönten Religionsfriedens* etc.

**) In *Vita Jo. Gerhardi p. 130.*

***) *loc. excitato p. 131. 132.*

†) Inscriptio libri haec est: *Nochmalige, unvermeidentliche und gründliche Hauptvertheidigung des heiligen römischen Reichs evangelischer Churfürsten und Stände hochwerthesten Augapfels und theuren Kleinod, nemlich der wahren, reinen, unveränderten augspurgischen Confession und des darauf gerichteten hochverpönten Religionsfriedens, entgegengesezet allen denen giftigen, lermenbläserischen Scarteken und Lästerschriften, so bishero wider den chursächsischen evangelischen Augapfel von Mönchen und Jesuiten ausgeflogen* etc. Liber hic iussu Electoris Saxoniae conscriptus publicique iuris factus est Lipsiae anno 1630. fol. atque recusus annis 1631. 4. 1673. 4.

Iis, quae hactenus disseruimus, hoc quoque addi meretur, quod Gerhardus noster a Principibus in variis caussis, iisque subinde gravissimis, de consilio suo fuerit rogatus. Consultus certe fuit ab Electore Saxoniae Jo. Georgio I. in caussa maxime ardua eo tempore, quo ferale illud bellum inter Ferdinandum II. Imperatorem et Bohemos exardesceret. Consultus etiam fuit a Wilhelmo Duce Vinariensi in variis caussis variisque temporibus, cumprimis ubi deliberatum fuit, utrum pacificatio Pragensis a serenissimo Wilhelmo sit acceptanda? quam quidem celsissimo Principi omni ratione suasit Gerhardus noster. Consultus porro fuit a Jo. Philippo, Duce Altenburgensi, Ernesto, Duce Saxo-Gothano, cui spectatissima virtus Pii cognomen peperit, itemque a Georgio, Hassiae Landgravio, aliisque, qui et frequentes ad eum litteras dederunt et familiaria saepe cum eo habuerunt colloquia.

Quamvis ex tot Heldburgi adhuc datis repulsis tum academiae in Germania florentes, tum ecclesiae celebriores facile intelligere potuissent, Gerhardum Jenam sibi carissimam tandem translatum, inde nullo modo evocatum iri; tamen eximio Gerhardi desiderio captae experiri id voluerunt. Anno 1616. ad superintendentis in comitatu Schaumburgico et professoris in gymnasio Stadthagensi primarii dignitatem ei patuit aditus. Anno 1617. consilia in Borussia agitabantur de deferendo ei episcopatu Pomezaniensi. Annis 1620. et 1623. Lipsiensis academia, anno 1621. Argentoratensis, anno 1622. Rostochiensis, anno 1624. Upsaliensis, 1626. Marpurgensis, denuo Evangelicis restituta, et anno 1627. Vitembergensis Gerhardum suum esse voluerunt. Praeterea et Lubecenses et Halberstadienses et vel ipse Daniae Rex Fridericus II., qui Soranum gymnasium ornare volebat, eundem frustra sibi expetierunt. Neque mirum est, tantam apud omnes sui excitasse attentionem, qui fere totius Germaniae praeceptor celebratissimus exstitit. Dabimus hic brevem duntaxat catalogum eorum, qui in orbe litterario et christiano pariter inclaruerunt et vero praecipue a Gerhardo formati esse dici possunt. In iis vero est Michael Waltherus, ecclesiarum Lubecensium superintendens generalis, Salomon Glassius, dignissimus Gerhardi in cathedra Jenensi successor, praesulis Gothani munere postea ornatus, Jo. Georgius Dorscheus, theologus primum Argentoratensis, postea Rostochiensis, Jo. Conradus Danhauerus, theologus Argentoratensis, Petrus Haberkornius, Giessensis theologus, Petrus Winstrupius, Danus, archiepiscopus Lundensis in Scania et academiae Carolinae cancellarius, Jo. Musaeus, theologus Jenensis, Christianus Dreierus, Helmstadiensis theologus, Daniel Henrici, theologus Lipsiensis, Jo. Matth. Meyfartus, theologus Erfurdensis, Caspar Sagittarius, historiarum in academia Jenensi professor, Andr. Senertus, linguarum orientalium in academia Vitembergensi professor, Christianus Chemnitius, theologus Jenensis, Theodor. Hackspanius LL. OO. professor in universitate Altorfina, Fridericus et Wilhelmus Lyserus, et quot non alia celebria in orbe litterario nomina? Pauci profecto ea aetate floruerunt viri, praeclaris in ecclesiam evangelicam ac rempublicam litterariam meritis conspicui, de quibus Gerhardus noster illud Senecae ad *Lucilium* non potuerit iure usurpare: *Assero te mihi, meum opus es* *).

Dedimus hactenus brevem historiam vitae praeclarae Gerhardi nostri publicae, nunc breviorem vitae privatae dabimus. Vidimus theologum praestantissimum in cathedra academica sacros iuvenes formantem feliciter in viros Dei. Contemplati sumus non sine admiratione insignia eius in universam ecclesiam puriorem, in orbem litterarium, in academiam Jenensem, quin in ipsas summorum principum aulas merita, nulla unquam oblivione obscuranda. Nunc videamus eximium huncce theologum in propriis aedibus thalamisque suis domum quoque sibi constituentem.

Primam thori sociam anno 1608. adscivit Barbaram Neumeyeram, virginem pudi-

*) Seneca *epist.* 34.

cissimam, Jo. Georgii Neumeyeri et Elisabethae, quae Jacobum Schroederum, consulem Vinariensem, patrem habuerat, filiam. Mater vero, iam tum defuncto primo marito, iterum D. Jo. Stromero nupserat, et hoc quoque mortuo a D. Jo. Maiore in matrimonium cooptata est. Cum hac igitur Barbara Gerhardus noster die 29. Aprilis sponsalia et die 19. Septembris nuptias Vinariae celebravit, quarum solemnitatibus serenissimorum Principum Jo. Casimiri et Joannis Ernesti itemque illustrissimae Principis Vinariensis et reverendissimae Abbatissae Quedlinburgensis legati interfuerunt. Licet vero exoptatissimum esset hocce connubium, diuturnum tamen non fuit. Postquam enim haec Gerhardi coniux exeunte anno 1610. primo eoque difficillimo partu filiolum esset enixa, sub auspicium subsequentis anni rursus denatum; ipsa in morbum gravissimum implicita anno aetatis decimo septimo, coniugii vero tertio nondum completo, die 30. Maii anno 1611. vitam cum morte commutavit. Gerhardus noster, moestissimus iam factus viduus, et uxori desideratissimae, et unico, quem illa pepererat, filiolo Heldburgi in templo oppidano posuit monumentum, in quo ipsius quoque annus et dies emortualis inscribi aliquando posset, tanquam ingentis sui desiderii tesseram.

Ad altera vota non transiit nisi triennio elapso, quo Mariam Mattenbergiam, patris Jo. Mattenbergii, medicinae doctoris et consulis Gothani, matris vero Catharinae, ex *Pezoldiorum* gente oriundae, filiam, in thorum sibi adscivit. Nuptias celebravit in arce Heldburgensi anno 1614. Kalendis Martii. Ipse Joannes Casimirus cum Electoris Saxonici legato sponsum in templum deduxit atque per quadriduum nuptiarum solemnitates sua praesentia illustravit. Haec coniux, quam tenerrimo nec unquam interrupto dilexit amore, per tres et viginti annos illi fuit sociata totidemque annos ei superstes fuit, die demum 30. Martii anni 1660. rebus humanis exemta. Sobolem admodum numerosam ex hocce matrimonio vidit Gerhardus, ex decem tamen liberis sex tantum, quum in patriam coelestem intraret, reliquit impuberes.

Filiarum altera Elisabetha anno 1643. nupsit Simoni Trandorffio, pastori Cahlensi atque ephoriae Orlamundanae adiuncto; altera vero, natu minor, primum anno 1652. nacta est maritum Jo. Volckium, artis salutaris doctorem et practicum Gothanum, deinceps, hoc mortuo, 1658 Christian. Chemnitium, professorem et superintendentem Jenensem, tum temporis viduum.

Ex filiis natu maximus, Jo. Ernestus Gerhardus, magnam nominis nactus est celebritatem. Anno 1621. Jenae natus cum esset, mature litterarum bonarum praeceptoribus traditus est atque iam 1637. ad subsellia academica sese contulit. In litteratura orientali plurimum praestitit atque tum in aliis litterarum generibus, tum in hoc scripta edidit minime contemnenda. Confecto itinere litterario primum professor historiarum publicus in academia Jenensi fuit constitutus, deinde vero anno 1655. arduo professoris theologi muneri admotus. Tandem anno 1668. insigne sui desiderium relinquens rebus hisce humanis ereptus est. In matrimonio habuit Catharinam Elisabetham, viduam Schelhammeri, medicinae in academia Jenensi professoris, ex qua praeter duas filias totidem suscepit filios, quorum alter Jo. Fridericus tandem comiti Schwarzburgico ab aulae et consistorii consiliis fuit; alter vero Jo. Ernestus professionem theologicam Giessensem exornavit. Uterque multis meritis inclutus magnamque famam consecutus est.

Secundus Gerhardi nostri filius, Joannes Gerhardus, natus Jenae anno 1625 cum in omni eruditionis genere iam egregie esset versatus, ita ut cum eruditissimis istius aetatis viris frequens ipsi intercederet commercium litterarium, in optimo aetatis flore praematura morte abreptus est Jenae anno 1647.

Tertius eiusdem filius, Jo. Fridericus Gerhardus, Jenae anno 1631. in lucem editus, in academia patria litteris operam dedit. Anno 1664. doctoris theologi dignitatem

eidem contulit ipsius frater Jo. Ernestus, brabeutes. Diu in academia Jenensi versatus, praeter alia scripta, *Speculum religionis pontificiae* edidit. Tandem Eisenbergensium antistes evasit atque anno 1667. praepropera morte obiit.

Superest quartus Nostri filius isque natu minimus, Joannes Andreas Gerhardus, qui lucem hanc adspexerat anno 1634. Is summis in iure honoribus Jenae impetratis, 1661. et sequentibus annis varia per Galliam, Angliam, Germaniam, immo et Hungariam instituit itinera atque redux factus consiliarius aulicus primum Principis Anhaltini, Servestae sedem habentis; deinceps vero Altenburgi aulae et regiminis consiliarius constitutus est, ubi et anno 1681. die 11. Septembris mortalitatem explevit.

Multa quoque alia de stirpe Gerhardiana dici hic possent commemoratione haud indigna; sed instituti nostri id prohibet brevitas.

Pergimus itaque ad reliqua Gerhardi nostri fata, tam prospera, quam adversa.

Meretur sane Gerhardus fortunatis accenseri viris, si consideremus, eum non tantum numerosam habuisse prolem, sed et facultates suas, non turpi lucro ac sordida avaritia, sed ampla coniugum dote, Principum munificentia aliisque rationibus longe honestissimis, plurimum adauxisse adeoque et comparandae bibliothecae non exquisitae duntaxat, sed et numerosae omnino parem fuisse. In tanta insuper apud summos imperii principes gratia fuit, ut et familiaria saepe cum eo colloquia instituerent et frequentes ad eum litteras exararent singularis clementiae significatione plenissimas. Quin tanta apud omnes valuit auctoritate, ut, cum saepissime sententia eius rogaretur, quosnam varii generis officiis praeficiendos esse existimaret, ista nunquam non oraculi instar haberetur.

Verum rebus hisce secundis sese quaedam, ut in humana hac rerum conditione fieri assolet, adversitates immiscuerunt. Cum multis praesertim corporis infirmitatibus, quas pertinacibus suis laboribus atque molestis etiam itineribus non tam contraxerat sibi, quam auxerat, saepius conflictatus est Noster. Accessere ad haec tristissima illa belli tricennalis tempora, in quibus non tantum ii, qui in castris Imperatoris militabant, sed et milites Suecici eum per insidias capere in animum induxerunt. Quod ad milites caesareanos attinet, iis vel eapropter Gerhardus in magno fuit odio, quod is crassos romanae ecclesiae errores solide confutaverat. Sueci vero illi eam maxime ob rationem erant infensi, quod elegiam eucharisticam pro pace Pragensi, Suecis tantopere exosa, adornaverat. Quum vero vitae Gerhardi nocere haud potuerint hostes, in bona ipsius varia intulerunt mala. Ita Sueci anno 1636. ex praedio Gerhardiano Roslaviensi omnia pecora abegerunt, bona diripuerunt, duo eius horrea frugibus plena ut et armentorum stabula in cineres redegerunt. Supervenerunt imperatorii milites, qui irruptione in urbem Jenam facta Gerhardi pretiosam supellectilem fere omnem, e vasis aureis atque argenteis constantem, depraedati sunt. Per duplex hocce damnum quinquies mille aureorum iacturam se fecisse, ipse confirmavit Gerhardus. Neque tamen ideo fractus est eius animus: ad aliquos enim amicos cum scriberet, verba Hiobi sibi propria fecit, quae leguntur *cap. I. vers. 21.* et aliquando exporrecta fronte Joanni Maiori dixit: *Me vero damnum datum minime angit et sollicitum habet; largiori enim iam pecunia, quam antea unquam, fortunante divino numine affluo.*

Sub hisce vero calamitatibus publicis, quae magis Gerhardi animum, quam privatae affligebant, vir hic immortalis memoriae, cuius insimul labores indefessi sensim sensimque exhauserant vires, ad suae vitae finem properavit. Praesagiens animus ipsi, ad Glassium amicum suum scribenti, sex mensibus antequam in morbum implicaretur, haec verba in calamum dictarat: *Metae videor mihi proximus;* quae verba quum legisset Glassius, a lacrumis sibi temperare haud potuit.

Anno 1637. mense Maio primum febrem ardentem sibi imminere sensit, quam vero celeri adhibita medicina hac vice feliciter depulit. Mense vero Augusto recursavit omne

malum atque mox ita invaluit, ut intra quinque dierum spatium, penitus confectus viribus, die 17. Augusti animam piam et Christi sanguine perpurgatam efflaret. Quam fidei plenus suas caritates divinae commendarit providentiae; quanta cum animi contritione peccatorum suorum ediderit confessionem; quanta animi teneritudine optimis suis collegis, Jo. Maiori et Jo. Himmelio, ideo ad se arcessitis valedixerit; quam sollicite, raro admodum exemplo, de sufficiendo in suum locum theologo idoneo disposuerit, id quidem omne verbis vix exprimi potest.

Ut tandem de funere beati viri aliquid subiungamus, notamus paucis, factum illud esse die vigesimo Augusti, atque exanime corpus templo S. Michaelis Jenae fuisse illatum. Quantum ex obitu tanti theologi dolorem ceperit cuncta academia Salana, vix opus esse arbitramur, ut copiose hic edisseramus. Programma exsequiale omnia complectitur, dum ita desinit: *Concurrite, concurrite cives academici! fundamina academiae concussa sunt! Adeste! lugete! funebri Gerhardi capulo humeros vestros supponite! exsequias catervatim, catervatim honorate! funus maioris theologi Jena non vidit, an visura? lugete, plangite omnes boni!*

Ceterum Gerhardus, ut eundem ex vero descripsit amicus quidam, *statura erat commendabilis; vultus habitu gravis, sed tamen liberalis, eloquio iucundus; gestibus inaffectatus. Quam excellenti ingenio, festivo etiam inter amicos, quam acri iudicio, quam stupenda memoria valuerit, quam concatenato labore atque industria omnia negotia tractaverit, quam accuratus in maximis et in minimis fuerit; de eo quidem scripta, res gestae, vitae eius rationes omnes uberrime testantur. Quod habitum illius moralem attinet, pius fuit supremique numinis reverens; beneficus, liberalis, misericors, humanus, mansuetus, socialis, concors, gratus, sobrius, αὐτάρκης, patiens, constans. Nulli fere theologorum obtigit, quod ipsi, ut ab obtrectationibus adeo tutus esset atque ut a dissentientibus ipsis tantis laudibus efferretur. Orthodoxiae ita fuit studiosus, ut nec vehementius in adversarios inveheretur, et vero, si vel verbulum scripserat, quod in sinistram trahi explicationem inaudiret, lubenti atque sedato animo omitteret cumque aliis phrasibus commutaret.*

Possemus hoc loco copiose recensere varia elogia, quae viri doctissimi iure meritoque tribuerunt Gerhardo nostro, si praefationis limites id paterentur. Dabimus tamen ex multis unum duntaxat alterumque. Salomon Glassius, dignus Gerhardo successor, eum nominavit *principem theologorum, lumen et universitatis Jenensis, et totius christiani orbis, columnam fortem firmamque in domo Domini, sidus illud in regno coelorum praelustre, heroëm illum in debellandis devincendisque tot haereticorum phalangibus animosissimum, exemplar illud evidens eminensque pietatis omnis et veri divini cultus, speculum illud purum tersumque quarumcunque virtutum viros Dei decentium; carum illud Deo praepotenti pectus, delicias illas mentium Jesu addictarum* *) etc. Glassio adiungimus Matthiam Hoë ab Hohenegg, magni pariter nominis theologum, qui Gerhardum in suis ad ipsum epistolis non aliter appellare solitus est, quam *archi-theologum meritissimum et dignissimum: theologorum antesignanum: lumen et columen christianae reipublicae: theologorum antecessorem: theologorum phosphorum: oculum theologorum.* Quin et multi alii gravissimorum in ecclesia nostra virorum asserere non dubitarunt, tres palmam omnibus theologis praeripuisse, scilicet Lutherum, Chemnitium atque Gerhardum. Ex ipsis ecclesiae romanae doctoribus Jacobus Benignus Bossuetus, episcopus quondam Meldensis, eundem ex ore Lutheranorum appellavit *le troisième homme de la Reforme après Luther et Chemnice* **), et Ludov. Ellies du Pin, celeberrimus iste doctor Sorbonnicus, eidem post Melanthonem inter Lutheranos primas detulit***). Ut alia virorum praestantissimorum in Gerhardum nostrum

---

*) Vid. Glassium, in *Anniversaria b. Gerhardi memoria, p. 69 seqq.*

**) Vid. eius *Histoire des variations des églises protestantes, tom. II. p. 455.*

***) Dans la bibliothèque *des auteurs ecclesiast. du 17. siècle, tom. II.*

elogia, veluti Jo. Valentini Andreae, Samuelis Benedicti Carpzovii, Augusti Buchneri, Viti Ludovici a Seckendorff, itemque theologorum reformatorum, Hoornbeckii, Riveti, Jo. Ludovici Fabricii, Petri Juriaei aliorumque in rerum praesentia haud memoremus.

Non defuerunt tamen, ne quid dissimulemus, homines quidam malevoli ac calumniatores, qui in optimum virum, verae sanaeque doctrinae tenacissimum, virus suum evomere eundemque collusionis cum Weigelianis et fratribus Roseae crucis insimulare inque ἑτεροδοξίας suspicionem adducere neutiquam dubitarunt. Quam suspicionem quamvis scripta eius omnia ab ipso satis superque removerent, caussas tamen sat graves se habere credidit vir innocentissimus, quam ob rem sycophantis sequens carmen lectu dignissimum opponeret:

Qui studium hoc aevo pietatis gnaviter urget
Et sophies partem tractat utramque sacrae;
Ille Rosae crucius et Weigelianus habetur,
Et nota turpis ei scribitur haereseos.
De me non verita est virosa calumnia id ipsum
Spargere et his nugis conciliare fidem.
O coecas hominum mentes! o pectora coeca!
O sine iudicio debile iudicium!
Discite quaeso prius, quis vere Weigelianus?
Quisve Rosae crucius? discite quaeso prius.
Dispellunt radii solares nubila coeli,
Lux veri e falsis clarior emicuit.

Nec hoc silentio praetermittendum hic est, Gerhardum nostrum nonnullos nactum esse adversarios, ex Romanensibus quidem Gisbertum Lappium, qui Albertum Pighium, ex scriptis contra b. Lutherum editis satis notum, contra Gerhardum defendere annisus est; et Philippum Caroli, qui olim Altdorfi bonas litteras docuit, sed deserta professione sua ad Romanensium sacra transiit atque *Triumphum antiquae fidei* luci publicae exposuit; ex coetus vero reformati doctoribus Marcum Fridericum Wendelinum, theologum haud incelebrem, qui *Collegio* Gerhardi *Anti-Wendeliano* opposuit *Exercitationes theologicas vindices pro theologia christiana,* excusas Casellis a. 1652., recusas 1669. in 4.

Verum haec quidem scripta, si fortassis Wendelini exercitationes modo excitatas, quas vero Christophorus Franckius, theologus quondam Kiloniensis, confutavit, excipias, adeo exigui pretii sunt, ut vix aliquam mereantur attentionem.

Id magis operae pretium esse arbitramur, ut de ipsius Gerhardi nostri libris in lucem publicam editis nonnulla hic dicamus. Sunt enim multiplici eruditione referti acerrimoque elaborati iudicio ac proinde lectu dignissimi. Tantus vero eorum est numerus, ut dicere liceat cum Augusto Buchnero:

Ipse autem tam multa stilo qui lecta regessit,
Scilicet esse unus bibliotheca potest.

Recensebimus autem primo loco maiora eius opera, de reliquis eius scriptis deinceps nonnulla dicturi.

Primum inter illa locum merito damus eiusdem *Locis theologicis*, quos Gerhardus, iuvenis 27 annorum, anno 1610. Heldburgi auspicatus est, cum sacrorum ibidem antistitis munere fungeretur. Continuavit vero arduum hocce opus Coburgi finemque tandem eidem imposuit Jenae a. 1621. dominica Reminiscere. Absolvitur illud 9 tomis, quos anno 1625. insecuta demum est *Exegesis* sive uberior explicatio articulorum in tomo 1. locorum concisius tractatorum. Variae huius operis habentur editiones; prima est Jenensis, forma quadri-

fariam partita, annis 1610.—1625. typis exscripta, cui hodienum suum constat pretium. Hanc excepit Genevensis, tribus constans voluminibus, quae anno 1639. in fol. lucem adspexit publicam. Secuta deinceps est tertia eaque auctior, cura *Jo. Ernesti Gerhardi*, Jo. filii, Francofurti et Hamburgi 1657 fol. itidem tribus voluminibus. Huic editioni accesserunt annotationes, quas b. auctor in ora exempli sui adscripserat, editor autem textui huius editionis inseruit; ita tamen, ut singulae asteriscis fuerint notatae. In votis equidem vir beatus habuit, ut hocce opus, quod eius quasi primum et praecipuum est, denuo perlustrare et perpolire posset; sed propter alia, quibus obrutus erat, negotia hoc ei non licuit. Omnes tamen, qui a partium studio sunt alieni, facile nobiscum fatebuntur, *eximium hocce esse Gerhardi opus longeque praestantissimum et quod omnibus eiusdem generis dubiam reddat palmam, in quo etiam diligentia stupenda, profunda et exquisita eruditio eluceat**).

Alterum Gerhardi opus, quod priori iure meritoque ad latus ponimus, hac insignitum est inscriptione: *Confessio catholica, in qua doctrina catholica et evangelica, quam ecclesiae Augustanae addictae profitentur, ex romano-catholicorum scriptorum suffragiis confirmatur.* Liber primus huius operis isque *generalis*, duabus constans partibus, prodiit Jenae exeunte anno 1633. in 4. Libri autem *secundi* seu *specialis* pars *prima* anno 1634. pars *secunda* anno 1636. et pars *tertia* denique seu ultima anno 1637. Deficientibus primae editionis exemplaribus, libri, separatim olim editi, iunctim fuerunt recusi Francofurti et Lipsiae, a. 1679. in fol. Atque haec posterior editio priore longe est praestantior, eo quod accessionibus quibusdam est adaucta atque indice peculiari instructa. Maximam sumtuum partem in novam hancce editionem fecit Fridericus I. Dux Saxoniae Gothanus, isque gloriosissimus, unde et eidem eiusque coniugi, Magdalenae Sibyllae, opus hocce nuncupavit Jo. Andreas Gerhardus, filius Gerhardi natu minimus. Christianus Chemnitius, eximius quondam academiae Jenensis theologus, *omnium Gerhardinorum laborum et librorum hunc esse optimum* iudicavit**); quin Gerhardum *ceteris suis in scriptis alios, hoc vero in opere se ipsum superasse*, pronuntiarunt Hieronymus Praetorius atque Jo. Henricus Feustkingius. Ut alia huius generis elogia, quae in scriptis nostrorum theologorum passim occurrunt, in rerum praesentia taceamus***). Ratio disputandi, quam Gerhardus hic adoptavit, eadem est, qua antiqui coetus christiani doctores, Justinus, Tertullianus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Arnobius aliique olim contra gentiles usi sunt, qui ex propria illorum doctrina atque hypothesibus argumenta, quibus religionis christianae veritas comprobatur, desumserunt. Eandem viam ante Gerhardum ingressus est ex nostris theologis Matthias Flacius Illyricus in *Catalogo testium veritatis*, et Andreas Osiander in *Papa non papa.* Quin ipse Gerhardus in *Bellarmino orthodoxiae teste*****) specimen istius methodi iam dederat; cuius exemplum deinceps secuti sunt Jo. Georgius Dorscheus†), Antonius

*) Utimur hic verbis b. Buddei, theologi iudiciosissimi, quae leguntur in eiusdem *Isagog. hist. theol. in theol. univers. p. 393.* Plura testimonia atque elogia qui legere voluerit, adeat Hulsemannum in *Meth. stud. theol. p. 299*, Jo. Benedictum Carpzovium *Theol. exeg. 2*, Jo. Fechtium in disput. *de studii biblici cum systematico coniunctione §. 14*, Jo. Guilelmum Zieroldum in *Einleitung zur gründlichen Kirchenhistorie, p. 396*, Jo. Henricum Hottingerum in *Bibliothecario*, quem vocat, *quadripartito, p. 402*, Jo. Fabricium in *Hist. bibliothecae part. 2. p. 175 seqq.*, Michaelem Lilienthalium in *Theologische Bibliothek tom 1. sect. 4. art. 8. p. 405 seqq.* et cumprimis Fischerum saepius iam laudatum in *Vita Gerhardi p. 393 seqq.*

**) Vid. *praefationem* novae editioni *Confessionis catholicae* praemissam.

***) Legi ea possunt apud Fischerum in *Vita Gerhardi p. 405 seqq.*

****) Tribus hoc opus partibus constat, quarum prima Jenae anno 1631. ultima anno 1633. ibidem lucem adspexit publicam.

†) In *Thoma Aquinate, exhibito confessore veritatis evangelicae* etc. Francofurti 1656. 4.

Reiserus*), Melchior Nicolai**), Paulus Colomesius***), Samuel Stryckius†), Jo. Christoph. Pfaffius††), theologus Tubingensis, Ernestus Salomon Cyprianus†††), theologus Gothanus, aliique, quos nominare supersedemus.

Tertium opus, quo Gerhardus theologiam cumprimis exegeticam egregie illustravit, est *Harmoniae evangelicae Chemnitio-Lyserianae continuatio.* Constat, Martinum Chemnitium, theologum incomparabilem atque ecclesiae Brunsvicensis quondam superintendentem, conscripsisse Harmoniam evangelicam, sed morte praeventum vix dimidiam eius partem absolvisse. Hinc Polycarpo Lysero, qui Chemnitio in munere sacro successit, nata est occasio, opus hocce eximium editis annis 1603. et 1608. aliquot adhuc libris amplificandi. Neque tamen laborem hunc ad finem perducere integrum viro optimo per fata licuit. Reservatum id erat Gerhardo nostro, qui iam anno 1617. *Commentarios in harmoniam historiae evangelicae de passione, crucifixione, morte et sepultura Christi* etc. itemque *in harmoniam historiae evangelicae de resurrectione et ascensione Christi salvatoris nostri* etc. Jenae luci publicae exposuit. Licet vero bini isti libri eadem methodo, quae in *Harmonia Chemnitio-Lyseriana* deprehenditur, essent concinnati summoque iure nomen continuationis huius harmoniae mererentur, Gerhardus tamen, qua erat modestia, titulum hunc adhibere noluit, ingenue professus, se neque ea ingenii praestantia, neque ea eruditionis copia instructum esse, ut tantorum virorum labores plane eximios eadem dexteritate eodemque filo ac stilo continuare possit*†). Tandem vero multorum magnorumque theologorum auctoritas commovit Gerhardum nostrum ad arduum hocce opus aggrediendum. Finitis itaque locorum theologicorum tomis, anno 1624. manum operi admovere coepit idque intra triennii circiter spatium absolvit feliciter. Constat vero haec Gerhardi continuatio, qua harmoniae evangelicae colophonem imposuit, tribus partibus, quarum prima anno 1626. secunda et tertia vero 1627. lucem adspexit publicam. Atque hac ratione triumvirorum praestantissimorum labores in historiam evangelicam insumti primum seorsim prodierunt, donec tandem opus integrum et Genevae anno 1628. et Roterodami anno 1646. fol. excuderetur. Hasce vero editiones insecuta deinceps est editio Hamburgensis, quae anno 1652. prodiit atque prioribus editionibus ceu plenior et accuratior praeferenda est. Recentissima denique editio ea est, quae Hamburgi anno 1704. fol. in tres distincta tomos necessariisque instructa indicibus typis fuit exscripta. Praeclare ut de integro opere, ita cumprimis de continuatione Gerhardi sensisse doctissimos magnaeque auctoritatis viros, ex elogiis, quae partim in novissimis operis huius editionibus, partim vero in Vita Gerhardi a Fischero concinnata leguntur, patet luculenter**†). Et

---

*) Is caussam Dorschei contra Thom. Leonhardi, scriptorem pontificium, strenue egit in *Vindiciis evangelico-thomisticis* etc. Ulm. 1667. 4.

**) In *Lutheranismo ante Lutherum,* Francofurti 1658. 4.

***) Huc pertinet eius *Rome protestante, ou temoignages de plusieurs catholiques Romains en faveur de la créance et de la pratique des protestants,* Londin. 1635. 8. Insertus postea fuit hicce liber eius *Operibus* a Fabricio Hamburgi 1709. editis, p. 731.

†) In *Praesidio religionis evangelicae ex iure canonico,* post mortem eius Francofurti 1722. edito.

††) Is dudum ante Stryckium *Dogmata protestantium ex iure canonico et conciliis deducta,* Tubingae 1712. 4. edidit, recusa ibidem 1722. 4. cum praefatione Christophori Matthiae Pfaffii, ubi et de auctoribus disserit, qui testes veritatis in ecclesia romana data opera recensuerunt.

†††) Pertinet huc praeter alia eius scripta cumprimis illud, quod primum *Hilariis evangelicis* adiunxit, brevi post autem seorsim edidit, hac insignitum inscriptione: *Ueberzeugende Belehrung vom Ursprung und Wachsthum des Papstthums* etc. Gothae 1719. Lipsiae 1720. 1726. Prodiit quoque Francofurti cum accessionibus quibusdam 1736. 8. et belgice Hag. Comit. 1731. 8.

*†) Vid. Gerhardi *Dedicationem commentario in hist. passionis* praemissam, sub finem.

**†) Testimoniis a Fischero adductis adiungimus unicum idque Friderici Adolphi Lampii, theologi reformati longe doctissimi, qui in *Commentario in Joannem tom. 1. p. 264.* opus Gerhardianum ita congestum esse scribit, *ut sigillatim in Joannis evangelium a cap. 11. ad finem usque commentarium luculentum, litteralem et theologicum doctrinaque varia refertum exhibeat. Eousque, ut eius commen-*

sane si componamus symbolas, quas triumviri isti prorsus egregii, Chemnitius, Lyserus et Gerhardus, ad opus hocce, quod vere aureum est, contulerunt, facile observabimus, Chemnitium in eo laborasse multum, Lyserum plus, Gerhardum plurimum, prout ex vero iudicavit Jacobus Fridericus Reimmannus*), vir doctissimus.

Recensitis maioribus Gerhardi nostri operibus de reliquis eius scriptis, iisque minoribus, quibus varias eruditionis theologicae partes illustravit, pauca dicemus. Ut vero ab iis, quae ad theologiam *exegeticam* spectant, dicendi capiamus initium, notamus paucis, Gerhardum praeter *Harmoniam evangelicam*, modo nobis laudatam, complura alia scripsisse, quae huic studio plurimum inserviant. Pertinet huc eiusdem *Tractatus de legitima scripturae sacrae interpretatione*, qui seorsim primum Jenae a. 1610. 4. prodiit, mox vero ab eo *tomo primo locorum theologicorum* totidem verbis insertus est. Cumprimis vero huc spectant eiusdem commentarii in varios sacrae scripturae libros post obitum b. auctoris demum editi. Inter hos principem locum tenet eius *Commentarius super Genesin, in quo textus declaratur, quaestiones dubiae solvuntur, observationes eruuntur et loca in speciem pugnantia conciliantur.* Est quidem hic foetus posthumus, ab ipso tamen b. auctore ad finem productus praestantissimisque commentariis iure meritoque annumerandus, editus Jenae a. 1637. et 1654. 4. Nec contemnendus est eiusdem *Commentarius super Deuteronomium*, quem b. auctoris filius Jo. Ernestus Jenae a. 1657. 4. luci publicae exposuit. Licet enim Gerhardus noster morte prohibitus eundem ad finem perducere haud potuerit, sed in *commate 8. capitis 27.* substiterit, luculentus tamen ille est atque eruditus utilissimisque refertus observationibus Prodierunt quoque Gerhardi nostri *Annotationes posthumae in psalmos quinque priores* itemque *in prophetas Amos et Jonam*, Jenae 1663 4. nec non eodem anno eiusdem *Annotationes posthumae in evangelium Matthaei*, quas Jo. Ernestus Gerhardus *analectis* adauxit. Fuerunt tamen viri quidam docti, qui hasce annotationes b. auctoris famae haud respondere iudicarunt. Exstant porro eiusdem *Aphorismi ex evangelista Joanne seu collegium aphoristicum Joanneum*, Jenae 1631 et 1633 4. nec non *Annotationes posthumae in acta apostolorum*, auctae *analectis* Jo. Ernesti Gerhardi, Jenae 1669 et 1674, quas deinceps recudi curavit Jo. Fechtius, theologus Rostochiensis, qui et Dan. Arcularii et Jo. Canuti Lenaei in eadem *Apostolorum acta* observationes adiecit atque Hamburgi evulgavit anno 1713. 4. Ipse tamen laudatissimus Fechtius in *praefatione*, quam huic libro praemisit, haud potuit, *nondum divitias in actorum libro repositas, sufficienti indagine* diffiteri *hic erutas esse et oculis expositas.* Prodierunt porro Gerhardi nostri *Annotationes posthumae in epistolam ad Romanos*, cum *analectis* Jo. Ern. Gerhardi, Jenae 1666 et 1676 4. itemque *Annotationes posthumae in epistolam ad Colossenses*, pariter cum Jo. Ernesti *analectis*, Jenae 1660. 4. nec non *Annotationes ad utramque Pauli ad Timotheum epistolam*, quas itidem Jo. Ernestus Gerhardus in publicum emisit, licet in epistola dedicatoria ingenue fassus sit, foetum hunc adhuc imperfectum esse. Magis sese commendat *Commentarius in Ebraeos*, Jenae 1641 et 1661 4. excusus, qui satis plene a b. auctore fuit elaboratus. Cumprimis vero *Commentarius super priorem ac posteriorem Petri epistolam* summo studio atque diligentia a b. viro fuit concinnatus ceterisque eius scriptis exegeticis posthumis palmam praeripit. Prodiit primum opera filii, Jo. Ern. Gerhardi, Jenae 1641 4. deinde ibidem 1660 ac tandem Hamburgi 1692 et 1709 cum praefatione Jo. Frid. Mayeri. Nec praetermittendae hic sunt Gerhardi nostri *Annotationes posthumae in epistolam Judae*, ut et *Annotationes in apocalypsin Joannis*, quas itidem filius Jo. Ernestus Gerhardus vulgavit. Adiungimus vel tandem *Glossam interlinearem Geneseos, prophetiae Danielis et apocalypseos Joannis*,

---

tarii plerisque aliis, qui in hanc evangelicae historiae partem scripserunt, utilitate aeque ac rerum copia anteponi mereantur.

*) In *Catalogo bibliothecae theologicae p. 285.*

insertam eximio operi biblico, quod *Ernestinum* itemque *Vinariense* alias appellari solet atque anno 1640. primum lucem adspexit publicam, deinceps vero plus simplici vice fuit recusum*). Atque haec sunt monumenta illa exegetica, quibus memoriam suam ad posteros propagavit Gerhardus. Licet vero illa hodie adhuc eruditis sint in pretio suaque se commendent utilitate, negandum tamen non est, *posteriores ipsius in hac sacrae eruditionis parte labores, quoad diligentiam, iudicium, perfectionem, anteriores non exiguo intervallo post se relinquere, nonnullos etiam affectos tantum esse et forte in privatos usus tumultuarie chartae illitos, quos, si vixisset, ut sub ipsius nomine publici iuris fierent, nunquam fuisset permissurus,* prout recte iudicavit Jo. Fechtius**), magni nominis theologus.

Iam et de iis Gerhardi libris, qui theologiam cumprimis *dogmaticam* seu *theticam* tractant, aliquid dicendum nobis est. Praeter *locos* eius *theologicos,* de quibus supra copiose disseruimus, conscripsit quoque Gerhardus noster *Disputationes isagogicas, in quibus ea, quae in tomis, primo atque eius exegesi, et secundo locorum theologicorum uberius sunt exposita, in compendium rediguntur, quae vero praetermissa, complentur.* Prodierunt hae disputationes Jenae anno 1634. 4. atque ibidem denuo editae sunt anno 1645. et 1673. 4. In censum etiam hic veniunt eiusdem *Aphorismi succincti et selecti, in 23 capitibus totius theologiae nucleum continentes,* Jenae 1611 8. editi, atque ibidem, ut et Wittebergae subinde recusi, qui disputationes illas theologicas, quas b. auctor in gymnasio Coburgensi seorsim olim habuit***), complectuntur. Edidit porro vir laudatissimus librum sermone germanico exaratum, cui index: *Ausführliche schriftmässige Erklärung der beyden Artikel von der heiligen Taufe und von dem heiligen Abendmal etc.* Exiit ille in lucem Jenae 1610 4. et rursus Stutgardiae 1662 4. (et denique Berolini 1868 4.) atque inter scripta argumento huic illustrando inservientia principem locum tuetur. Talem vero in eo concinnando servavit ordinem, ut puriorem de baptismo et s. coena doctrinam e solis sacrae scripturae libris haustam proposuerit eaque codicis sacri loca, quae eidem adversari videri poterant, dilucide explicaverit, nulla dissentientium facta mentione. Exhibet proinde hocce scriptum specimen quoddam istius libri theologici, cuius elaborationem ipsi Heldburgi adhuc versanti demandaverat serenissima Saxoniae Princeps Christina†). Huic libro alium adiungimus eundemque catecheticum, hac insignitum inscriptione: *Frommer Hertzen geistliches Kleinod, d. i. Vier unterschiedene Tractaetlein, deren das erste begreift eine Erklaerung des Catechismi durch auserlesene Sprüche: das andere geistliche Gespraeche Gottes und einer glaeubigen Seele: das dritte Trostsprüche und Trostgründe in allerhand Noth: das vierdte die Litaney erklaeret.* Scriptus est hicce libellus plane egregius iussu Principis Vinariensis Guilelmi, qui et eundem suis sumtibus typis exscribendum curavit et Gerhardo nostro donum 35 ducatorum, honorarii loco, gratiosissime contulit††). Prodiit primum Luneburgi anno 1634. ac deinceps annis 1638. 1648. 1650. et 1715. 12. fuit recusus.

---

*) Haec biblia, quae inter *glossata* praecipuum tenent locum, vocari alias solent *Ernestina,* eo quod auspiciis summi principis, Ernesti *Pii,* Ducis Saxoniae, in lucem prodierunt. Vitam optimi huius principis egregie descripsit Elias Martinus Eyringius, editam Lipsiae anno 1704. 8. *Vinariensia* autem dicuntur ab oppido et sede Principum, qui Ernesto proxima cognatione erant coniuncti. Auctores, qui hunc vel illum sacrae scripturae librum in bibliis hisce Vinariensibus illustrarunt, recenset laudatissimus Eyringius *loc. citat. cap. 16.* Praecipuae vero in toto hocce opere recognoscendo atque corrigendo Gerhardi nostri fuerunt partes, cui laborum socii atque adiutores dati sunt Joannes Maior, Jo. Himmelius et Jo. Michael Dilherrus. Conferenda, quae hac de re diligenter disserit Fischerus, saepius iam nobis laudatus, in *Vita Gerhardi p. 434 seqq.*

**) Vid. eius *praefationem,* quam *commentariis* Gerhardi, Arcularii atque Lenaei super *Acta apostolica* praemisit.

***) Vid. quae supra pag. VII. hanc in rem diximus.

†) Diximus hac de re supra *pag. VII.*

††) Vid. Fischerum *loco excitato p. 400.*

Pergimus ad scripta Gerhardi *polemica*, inter quae *Confessio* eius *catholica*, supra nobis laudata, primum praecipuumque locum tenet. Eximio huic operi adiungi merentur disputationes eius polemicae, quas separatim primum ventilatas in certa postea volumina congessit atque sub variis titulis in lucem publicam emisit. Pertinet huc eiusdem *Bellarminus orthodoxiae testis*, cuius supra iam fecimus mentionem. Pertinent huc porro eiusdem *Disputationes synopticae, in quibus dogmata papalia, iuxta seriem a Rob. Bellarmino observatam, succincte expenduntur*, Jenae 1620 8. Quin et huc commode refertur *Phosphori consideratio*, h. e *tredecim disputationes theologicae, libello pontificio sub titulo Phosphori ad claram divinae veritatis lucem perducentis non ita pridem vernacula lingua edito oppositae* *), Jenae 1629 8. Ad controversias vero, quae nobis cum reformatae ecclesiae doctoribus intercedunt, spectat *Disputationum theologicarum, in quibus dogmata Calvinianorum iuxta seriem Marci Friderici Wendelini expenduntur, τεσσαρadέκας* etc. Jenae 1638 4. Quae quidem collectio quatuordecim dissertationes non ab ipso Gerhardo, ad eius tamen ductum a iuvenibus, qui respondentium munere functi sunt, conscriptas complectitur **). Agmen scriptorum polemicorum tandem claudat *Tractatus theologicus, in quo praecipua chiliasmi fundamenta solide destruuntur pariterque de Gog et Magog, item de universali Judaeorum conversione uberius disseritur.* Oppositum est hocce scriptum Henrico Gebhardo, cancellario tum temporis Rutheno-Gerano, qui varios libellos chiliasticos ediderat, ac post obitum demum auctoris ab eiusdem filio, Jo. Ernesto Gerhardo, luci publicae fuit expositum Jenae anno 1647. 4.

Ordo nos iam deducit ad ea Gerhardi scripta, quae ad excitandam alendamque pietatem sunt comparata. Ad hancce classem pertinent eiusdem *Meditationes sacrae, ad veram pietatem excitandam et interioris hominis profectum promovendum accommodatae.* Huncce exiguae molis libellum, omnium scriptorum theologicorum primum, evulgavit Gerhardus Jenae anno 1606. Quam egregie eiusdem lectio ad veram pietatem vitaeque sanctitatem lectores non tantum informet, sed et veluti trahat, experti sunt omnes, qui eundem debita cum attentione perlegerunt. Unde et omnes omnino viri pie docti eundem lectu dignissimum iudicarunt, prout ex testimoniis a Fischero adductis luculenter patet ***). Quin et saepissime typis exscriptae sunt hae meditationes inque varias Europae linguas, germanicam cumprimis, gallicam, anglicanam, polonicam, suecicam, belgicam aliasque translatae †). Nec praetermittendum hic est *Exercitium pietatis quotidianum quadripartitum, peccatorum confessiones, gratiarum actiones, precationes et observationes complectens*, quod Coburgi 1612 latino et germanico sermone primum prodiit saepiusque deinceps fuit recusum. Adiungimus eidem aliud, cuius index est: *Schola pietatis, das ist, christliche und heilsame Unterrichtung, was für Ursachen einen jeden wahren Christen zur Gottseligkeit bewegen sollen* etc. Scopus b. auctoris in hocce libro fuit, resistere grassanti hominum securitati atque impietati falsaeque de fide operibus vacua opinioni, nec non abusui evangelii, seque ipsum atque alios, studiosam cumprimis iuventutem, ad indefessum pietatis studium excitare. Totum opus quinque absolvitur libris. qui singuli annis 1622. et 1623. separatim Jenae lucem adspexerunt publicam, in 12. Deinde vero coniunctim uno volumine comprehensi evulgati sunt iteratis vicibus, partim Jenae, partim vero Norimbergae. Nec defuerunt ex nostris theologis, qui praeclare de hocce scripto senserunt, ex quibus vel solum b. Spenerum ††) hic commemorasse sufficiat. Praetermittimus Gerhardi nostri *Hodegum evangelicum* ad scholam

*) Vid. de hocce libro eundem Fischerum *loco citato p. 409 seqq.* et *p. 477 seqq.*

**) Hisce dissertationibus opposuit Wendelinus *Exercitationes theologicas vindices* etc. ut supra p. XVI. observavimus.

***) Vid. eius *Vitam Gerhardi p. 443 seqq.*

†) Vid. Fischerum *loco citato p. 444 seqq.*

††) Vid. *Consilia* eius *theologica latina p. 522.*

pietatis, iussu serenissimi Saxoniae Ducis Wilhelmi concinnatum, eiusdemque scripta *homiletica*, diligenter enumerata a Fischero *) saepius iam nobis laudato. Ex iis enim, quae modo diximus, satis intelligitur, Gerhardum cum systematica, in qua nemini secundus erat, theologiam, quam vocant, asceticam serio coniunxisse.

Ex reliquis Gerhardi scriptis duos duntaxat hic commemorabimus libellos, quorum alter rationem atque ordinem addiscendae theologiae praescribit, alter vero scriptorum ecclesiasticorum notitiae comparandae inservit.

Prior libellus ex publicis eius praelectionibus in academia Jenensi anno 1617. habitis enatus est titulumque *Methodi studii theologici* gerit. Prodiit primum Jenae a. 1620. 8. atque recusus fuit anno 1622. itemque 1654. Tribus hicce liber constat partibus; quarum prima *requisita* studii theologici *generalia* edisserit; altera *προπαιδείαν* studio theologico praemittendam exponit; tertia denique ipsum istius studii cursum dirigit, quem ad quinquennium revocat. Postremae, quam modo indicavimus, editioni praefixit Jo. Ernestus Gerhardus, filius, praefationem, in qua ostenditur, quinam b. parentis sui libri singulis spatii academici annis a doctrinae sanctioris cultoribus sint legendi. Multis theologorum nostrorum plurimum sese approbavit hicce libellus, ex quibus viros doctissimos Matthiam Hoë ab Hohenegg **), Abrahamum Calovium ***), Jo. Franciscum Buddeum †) atque Jo. Georgium Walchium ††) hic nominasse sufficiat. Et sane doctrina, prudentia, perspicuitate atque ordine sese plurimum commendat haec methodus a Gerhardo praescripta multaque suppeditat consilia theologiae cultoribus oppido salutaria, licet talem rerum apparatum, qui in recentioribus huius generis scriptis deprehenditur, haud praeferat eosque auctores, ex quibus proficere licet, subinde commendet, qui nostra hac aetate, praestantioribus scriptoribus abundante, vix amplius in censum veniunt.

Alter Gerhardi libellus, qui hic commemorari meretur, ad accuratam patrum scriptorumque ab iis confectorum notitiam comparandam viam pandit hacque insignitus est inscriptione: *Patrologia, sive de primitivae ecclesiae christianae doctorum vita ac lucubrationibus opusculum posthumum. Accesserunt de scholasticis ac historiae ecclesiasticae scriptoribus, tum aliis quoque recentioribus nonnullis iudicia varia etc.* Hocce Gerhardi nostri opusculum cura filii eius Jo. Ernesti Gerhardi anno 1653. primum prodiit in 8. deinceps aliquoties recusum. Ordo, quem b. auctor in eo servavit, ita est comparatus, ut in eo nihil iure desiderari queat. Consistit nimirum in eo, ut cuiusvis ecclesiae doctoris vitam, scripta laudesque tradat et maculas. Imperfectam tamen esse hancce tractationem inque privatos usus, collectaneorum ritu, a b. viro ex Bellarmino, Riveto et Coco adornatam, neutiquam vero eum in finem, ut aliquando luci publicae exponeretur, dudum iam monuerunt viri eruditi. Ipse quoque editor huius opusculi, Jo. Ernestus Gerhardus, in praefatione profitetur, *se amicorum persuasione et metu, ne ab aliquo alio fide non bona in lucem proferretur*, illud prelo tradidisse. Quae si rite expendantur, facile patebit, Jo. Andream Bosium, virum doctissimum, recte monuisse, *non satis caussae habuisse Labbeum, cur toties Gerhardum plagii incusaret tamque acerbo sale, quoties illius meminit, optimum virum perfricaret* †††). Profecto longe alia facie in lucem publicam prodiisset hicce libellus, si viro beato ultimam huic labori imponere manum licuisset. Auctiorem quidem atque emendatiorem hunc librum altera editione

---

*) *loco excitato p. 456 seqq.*

**) In *Litteris ad Gerhardum datis* apud Fischerum *p. 384.*

***) In *Isagog. theol. libr. 2. p. 10.*

†) In *Isagog. ad theol. univers. p. 7.*

††) In *Biblioth. theol. select. tom. 1 p. 5.*

†††) Vid. laudatissimi Bosii *Introductionem in notitiam scriptorum ecclesiasticorum cap. 3.* §. *32. p. 90.* edit. cel. Walchii. Add. Jacobi Friderici Reimmanni *Catalogum bibliothecae theologicae systematico-criticum p. 124.*

daturum se filius promiserat, observante Fischero*), sed morte praematura impeditus conata exsequi haud potuit. Supplere quoque huncce Gerhardi laborem voluit Jo. Gottfridus Olearius in *Abaco patrologico*, Jenae 1673 typis exscripto. Quum vero et hic liber magna adhuc laboraret imperfectione, novam eius editionem eandemque multis accessionibus adauctam adornavit auctoris filius, Jo. Gottlieb Olearius, antistes Arnstadiensis, quae sub titulo: *Bibliotheca scriptorum ecclesiasticorum*, Jenae 1711 4. cum praefatione Jo. Francisci Buddei, lucem adspexit publicam.

Scriptis Gerhardi accensendae quoque sunt eiusdem *Disputationes theologicae*, diversis temporibus editae. Sunt ex iis, quas separatim primum excusas in certa deinceps volumina congessit. Sunt vero aliae, quae hodienum seorsim prostant certisque disputationum voluminibus nunquam fuerunt insertae. Quae ad priorem classem pertinent, sunt sequentes: *I) Decas disputationum theologicarum, in quibus gloria Dei per corruptelas pontificias, calvinianas et photinianas labefactari ostenditur.* Jenae 1618 4. II) *Hexadecas disputationum theologicarum, in quibus studium verae et sincerae pietatis per pontificias, calvinianas et photinianas doctrinae coelestis corruptelas labefactari ostenditur.* Jenae 1622 4. III) *Disputationum theologicarum a Jo. Gerhardo in academia Jenensi conscriptarum et publice habitarum, pars I et II.* Jenae 1625 8. IV) *Disputationes synopticae*, supra *p. XXI* iam recensitae. V) *Εἰκὰς disputationum theologicarum, in quibus dogmata papalia iuxta seriem Bellarmini ἐπιτομικῶς expenduntur.* Jenae 1629 4. VI) *Disputationum theologicarum in academia Jenensi conscriptarum et publice habitarum partes tres, quarum duae priores antehac seorsim lucem adspexere, tertia vero iam nunc demum accessit.* Jenae 1655 4. Duae priores partes eas complectuntur dissertationes, quas vir beatus ipse, dum adhuc in vivis esset, collegit atque evulgavit, nosque supra *numero III* indicavimus; tertia vero continet viginti disputationes Bellarmino oppositas *numero V* a nobis commemoratas. VII) *Tredecim disputationes libello pontif. sub tit.* Phosphori *edito oppositae*, quarum supra *pag. XXI* iam fecimus mentionem. VIII) *Bellarminus ὀρθοδοξίας testis*, supra *pag. XVII.* a nobis laudatus. IX) *Disputationes isagogicae* et X) *Disputationes Anti-Wendelianae*, quas itidem supra iam recensuimus. Reliquarum dissertationum separatim etiamnum exstantium syllabum dedit Fischerus**), nec instituti nostri brevitas permittit, ut eundem cum lectoribus nostris hic communicemus.

Praetermittimus quoque *orationes* a Gerhardo nostro habitas typisque exscriptas, itemque *praefationes*, quibus aliorum libros ornavit, codicesque manu ipsius scriptos, qui in bibliotheca Gothana asservantur, de quibus omnibus copiose disseruit Fischerus***). Praetermittimus denique dissertationes eius *philosophicas*, ex quibus nonnullas supra iam laudavimus†). Hoc tantum paucis hic notamus, Gerhardum nostrum in peculiari tractatu *de fraudibus pseudo-chymicorum* egisse††) magnamque eiusdem manibus iniuriam intulisse Arnoldum, qui ex libro quodam perperam Gerhardo nostro adscripto comprobare annisus est, eundem partibus Rosae crucianorum fuisse addictum sibique revera persuasisse, lapidem philosophorum non esse fictam et commentitiam fabulam†††).

---

*) In *Vita Gerhardi p. 473.*

**) In *Vita Gerhardi p. 481.*

***) *loco citato p. 483 seqq.*

†) Vid. supra *p. VI. seqq.* Add. Fischerum *loco excitato p. 380 seqq.*

††) Testatur hoc ipsemet Gerhardus noster *tom. 6. locorum theologicorum loco de magistratu* §. *428.*

†††) Vid. Godofredi Arnoldi *Unpartheyische Kirchen- und Ketzer-Historie*, *tom. 2. libr. 17. cap. 18.* §. *23. p. 253* edit. in fol. quae Scaphusiae 1741 lucem adspexit publicam. Provocat ibidem Arnoldus inter alia ad *Exercitationes* Gerhardi *in Gebri*, *chymici Arabici*, *libros summae perfectionis*, in quibus de metallis eorumque mutatione ac perfectione, de lapide quoque philosophorum agatur, itemque *analysin* eius super Lullii *partem practicam*, qui libri Tubingae coniunctim prodierint. Verum turpiter hic errat Arnoldus aliumque cognominem cum b. Gerhardo Jenensi confundit, quem ab eo accurate distinguendum esse, condocet Jo. Mollerus in *Homonymoscopia cap. 7.* §. *47. p. 677.* Nimi-

Ceterum librorum, quos Gerhardus noster conscripsit, multitudo non obstitit, quominus is frequens cum summis suae aetatis doctissimisque viris institueret litterarum commercium. Insignem profecto virorum eruditorum, cum quibus Noster per litteras collocutus est, catalogum exhibet Fischerus*), quem saepius iam laudavimus. Quin amplius decies mille epistolas ad viros principes doctosque exarasse beatum parentem suum, testis est eiusdem filius, Jo. Ernestus Gerhardus**).

Atque haec sunt praecipua momenta ad vitam et fata et scripta theologi celeberrimi, Joannis Gerhardi, spectantia, ex optimis documentis decerpta, quae praefaminis loco hic indicare voluimus.

---

rum is, qui *exercitationes in Gebrum* modo allegatas edidit, fuit Jo. Gerhardus, Stuttgardianus, artis salutaris doctor eiusdemque in academia Tubingensi professor, atque archiater Würtembergicus, anno 1657. fatis functus. Scripta eius chymica recensuit Petr. Borellus in *Bibliotheca chemica p. 98.* Martinus Lipenius in *Bibliotheca medica f. 249* atque Fischerus in *Vita Gerhardi p. 330.* Conferri quoque meretur *Programma ejus funebre* Tubingae 1658 editum.

*) In *Vita Gerhardi p. 498–501.*

**) In *Epistola dedicatoria commentorii* parentis *super Genesin.* Nonnullas Gerhardi nostri epistolas eiusdem *vitae p. 502 seqq.* subiunxit Fischerus.

TRACTATUS TERTIUS
DE EXTREMO JUDICIO.

I.

ctum ostoli- m br. 27.

Statutum est homini semel mori, post hoc autem judicium, Hebr. 9, v. 27. Tria in hoc dicto apostolico nobis proponuntur: 1. *judicii extremi certo secuturi infallibilitas.* Ἀπόκειται proprie significat *repositum est* Luc. 19, v. 20. Col. 1, v. 5. 2. Tim. 4, v. 8. Hoc loco usurpatur pro *statutum*, *definitum*, *constitutum est*, divino scilicet consilio ac judicio, quae enim divinitus sunt statuta, ea in thesauris divinorum consiliorum ac judiciorum sunt reposita. Deut. 32, v. 34: *Nonne reconditum sive absconditum est*, hebr. כָּמֻס, *apud me*, *sigillatum in thesauris meis? mea est ultio et retributio.* Jerem. 50, v. 25: *Aperuit Dominus thesaurum suum et protulit vasa indignationis suae.* Quemadmodum igitur justo Dei peccata punientis judicio ac *voluntate consequente* sive judiciaria post lapsum protoplastorum *statutum est homini semel mori*, Psalm. 90, v. 3. Sir. 1, v. 14. c. 17, v. 1, unde mors vocatur *διαθήκη ᾅδου* Sir. 14, v. 12 et 17; ita quoque respectu voluntatis consequentis, justitiae ac veritatis divinae post mortem statutum sive repositum est homini *judicium*, quo respicit verbum *θησαυρίζειν* apud apostolum Rom. 2, v. 5: *Secundum duritiem tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram*, id est paulatim coacervas divinam iram, sicut thesaurus quotidiana exigui lucelli accessione cumulatur, ac irae nomine *μετωνυμικῶς* intelligitur *poena* peccatis debita, quae *in die irae et revelationis justi judicii Dei*, id est in die novissimo et in extremo judicio plene in impios effundetur. 2. *Judicii extremi universalitas.* Sicut *omnibus* omnino hominibus post lapsum mors est communis, 2. Sam. 14, v. 14. Psalm. 89, v. 49. Sir. 8, v. 8. c. 25, v. 32. Rom. 5, v. 12, unde τὸ mori a Spiritu sancto sic describitur, quod sit *ingredi viam universae carnis* Jos. 23. v. 14. 1 Reg. 2, v. 2; ita quoque post mortem omnes manet extremum judicium. 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi.* Quam late patet mors, tam late etiam patet judicium mortem secuturum, quinimo ad judicium etiam adducentur illi, qui peculiari Dei privilegio a morte fuere liberi, unde Christus *vivorum et mortuorum judex* vocatur Act. 10, v. 42. 1. Petr. 4, v. 5. 3. *Judicii ordo ac successionis qualitas.* Statutum est homini semel mori, *μετὰ δὲ τοῦτο, post hoc autem judicium*, id est, post mortem et resurrectionem ex XIX. 106.
morte succedet judicium. Quamvis enim non solum in hac vita Deus judicia sua exerceat bonos defendendo ac praemiis afficiendo, malos autem coërcendo et supplicia eis inferendo, sed etiam in morte cujusvis hominis anima Dei judicio ab angelis praesentetur ac pro ratione status antegressi vel in coelum evehatur, vel ad infernum detrudatur; tamen judicium illud est duntaxat *inchoatum*, *partiale ac particulare*, sed in die novissimo demum sequetur judicium *completum*, *totale ac universale*, in quo omnes homines in corpore et anima judicabuntur ac perfectam, plenam et consummatam operum suorum retributionem percipient.

Commendatio doctrinae de extremo Judicio.

2. Postquam igitur de *morte et resurrectione* in praecedentibus actum fuit, convenienti ordine sequitur articulus de *extremo judicio*, quippe quod resurrectionem immediate secuturum et conflagrationem mundi antecessurum esse verisimilibus argumentis suo loco demonstravimus. Grata vero nobis debet esse doctrina de extremo judicio ob easdem causas, propter quas articulum de resurrectione mortuorum nobis commendatiorem reddi superius diximus, 1. quia ipsa quoque est *mysterium natura ignotum*, *in solo autem verbo revelatum.* Quamvis enim gentiles quasi per obscuram nebulam ac transennam de extremo judicio aliquid viderint, vel quia justitiam divinam tale judicium requirere prudenter collegerunt, vel quia ex dictamine honestorum et turpium menti humanae divinitus insito et ex propriae conscientiae testimonio convicti sunt, bonis tandem bene, malis vero male futurum, vel quod verisimilius, quia fama doctrinae in ecclesia sonantis ad ipsorum aures pervenit; tamen cognitio illa est non tantum imperfecta, quia *Christum* ominum *judicem* constitutum

penitus ignorarunt, Actor. 17, v. 31, *normam iudicii* ex parte duntaxat cognoverunt, *objectum judicii* videlicet homines ex morte resuscitatos judicandos esse tam in corporib s, quam in animabus suis ex naturae lumine videre non potuerunt, sed etiam multis fabularum et errorum additamentis contaminata, ut testatum reddunt fabulae de Minoë, Rhadamantho et Aeaco, quos apud inferos judices collocarunt etc. 2. Quia est *omnis vivificae consolationis in quibusvis huius vitae periculis et adversis fundamentum*, unde apostolus in carcere et vinculis pia meditatione *τῆς δικαιοκρισίας τοῦ θεοῦ* sese solatur, 2. Tim. 4, v. 7: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi;* v. 8. *in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex;* ac Thessalonicenses ad eandem deducit 2. Thessal. 1, v. 6: *Siquidem justum est apud Deum retribuere tribulationem illis, qui tribulant vos*, v. 7. *et vobis, qui tribulationem sustinetis, requiem in revelatione Domini Iesu de coelo.* 3. Quia est *efficacissimum pietatis incentivum.* Qui enim vere credit et serio expendit, quod *omne opus Deus adducturus sit in judicium super omne occultum, sive bonum sive malum* Eccl. 12, v. 14; quod *de omni verbo otioso ratio reddenda sit in die judicii* Matth. 12, v. 36; quod *Dominus ad judicium veniens illuminaturus sit abscondita tenebrarum et manifestaturus consilia cordium* 1 Cor. 4, v. 5, is vitam et actiones omnes ad pietatem componet et in vero Dei timore *ἀκριβῶς* ambulabit, Eph. 5, v. 15. Eo nos remittunt apostoli, Paulus Act. 17, v. 30: *Deus annuntiat omnibus ubique hominibus, ut poe-*
XIX. 107. *nitentiam agant*, v. 31. *eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem terrarum in justitia per virum, in quo statuit*, et Petrus 2. epistol. 3, v. 11: *Cum haec omnia* (in die judicii) *dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus* v. 12. *exspectantes et properantes in adventum diei Dei* etc. quin et ipse Christus Luc. 21, v. 34: *Attendite vobis ipsis, ne corda vestra graventur crapula et ebrietate et curis huius vitae, et superveniat in vos dies illa repentina;* v. 35. *tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem terrae.* v. 36. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni reddamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare coram Filio hominis* (universorum judice). 4. Quia est proprium ecclesiae *κειμήλιον*, ut patet ex illis, quae circa primam rationem paulo superius sunt allata, August. serm. 34. de verb. apost. non longe a princ.: *Scriptura nobis commendat, futurum esse judicium Dei, quod post resurrectionem complebitur mortuorum. Hoc est, quod praecipue Christianos a gentili errore secernit, quia illi hanc tantummodo vitam esse credunt et ideo sine Deo esse et diversis peccatis atque criminibus non metuunt inquinari. Nos vero ita in hac vita conversemur, ut ad aliam nos praeparemus, in qua et bonis bona et malis mala retribuentur.*

CAPUT I.

De *ΟΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙΑ.*

3. Ordiemur explicationem hujus novissimi juxta *'Ονο*
methodum hactenus a nobis observatam ab *ὀνοματο-* *λογί*
λογίᾳ, quae *ἐτυμολογίαν, ὁμωνυμίαν* ac *συνωνυμίαν* *1. Ἐτ*
complectitur. 1. *'Ετυμολογία. Judicium* dictum cen- *λογί*
sent a *dicendo jure*, quia judicis partes sunt secundum legis et juris praescriptum dicere sententiam. *Extremum* judicium vocatur respectu *priorum* ac *particularium* istorum judiciorum, quae in hac vita et in morte hominis Deus exercet. Hieronymus quidem libr. 2. adv. Jovian. scribit: *Non est in praesenti retributio sed in futuro, unde et dies judicii in consummatione promittitur, quia nunc non est judicium, sine causa enim appellatur dies extrema judicii, si modo judicat Deus.* At non potest simpliciter et absolute negari. Deum etiam in hac vita judicare, cum et Scriptura et experientia id testatum reddat. Duplex enim est Dei judicium, quod *respectu hominum* exercet. Prius est *particulare, antecedens, partiale, temporale et occultum*, quod in hac vita vel in morte cujusque hominis exercet, idque tum *pios*, tum *impios* concernit, sed diversimode. Pios enim contra Satanam et ipsius organa defendit, in peccatum prolapsos paterne castigat ac tandem ex omnibus periculis et adversis liberat, animabus eorum ad se in coelum receptis; impios vero in ira sua punit, molitionibus eorum obsistit ac ipsorum animas ex corporis domicilio egressas in infernum detrudit. Posterius est *universale, finale, totale, consummatum, aeternum ac manifestum*, quod in die demum novissimo post corporum resuscitationem in publico universi orbis conspectu instituetur, quod proprie *extremi judicii* nomine intelligitur. Augustin. lib. 20. de civit. Dei cap. 1: *Ideo cum diem judicii dicimus, addimus ultimum vel novissimum, quia et*
nunc judicat et ab initio humani generis judicavit, XIX. 1
imo etiam quando angelis peccantibus non pepercit, procul dubio judicavit. (Quidam *triplex* judicium divinum statuunt: *generale* ob peccatum primorum parentum Rom. 5. v. 16; *particulare* in hac vita et morte; *universale et finale* in die novissimo secuturum. Sed res eodem recidit, quia extremum et finale illud judicium, de quo hoc loco agimus, ab utroque priorum judiciorum distinguitur, et generalis illius judicii, cui propter protoplastorum lapsum totum genus humanum est obnoxium, quaedam manifestatio et executio non immerito censetur. Johan. Chassanio lib. 3. locor. comm. c. 21. *quadruplex* Dei judicium statuit, unum *ex natura*, quo per eam legem, quae natura in animis hominum insculpta est, de bene ac male factis judicat; alterum *ex lege*, quo de bonis et malis operibus ac de pravis cogitationibus et cupiditatibus per decalogum judicat; tertium *ex evangelio*, quo de fide et incredulitate hominum judicium exercet; quartum esse dicit illud *ultimum*, quo illi, qui vel sola naturae luce praediti sunt, vel qui

legi obnoxii sunt, aut evangelio non credunt, condemnabuntur; qui vero Christum per fidem amplexati fuerint ac bona fecerint, regni coelestis hereditatem obtinebunt. Sed si distincta judicii norma efficit distincta judiciorum genera, ultimum judicium, quod diversorum objectorum respectu ex lege et evangelio instituetur, duplex etiam erat statuendum. Adde quod inter legem naturalem et moralem in decalogo propositam non sit reale aliquod discrimen.) Post extremum illud judicium nullum aliud instituendum est vel exspectandum, quia definitiva eius sententia tum pro piis tum contra impios lata statim exsecutioni mandabitur, neque unquam in omnem aeternitatem retractabitur.

2. *Ὁμωνυμία.* 4. 2. *Ὁμωνυμία.* hebr. שָׁפַט ac דִּין, *κρίνειν*, *judicare*, et מִשְׁפָּט ac דִּין, *κρίσις*, *judicium*, variis modis in Scripturis accipiuntur. Tribuuntur enim judicandi partes 1. *Deo creatori*, *αὐτοκρατορικῷ* ac summo omnium judici, qui hoc nomine *Elohim* vocatur; 2. *creaturis rationalibus* ad judicandi subsellia, divino tamen tribunali inferiora evectis. *Deo* assignatur judicium tum *communiter*, quando omnes tres personae Deitatis judicare dicuntur, cum judicium sit opus ad extra, ac proinde indivisum, sive omnibus tribus personis commune, tum peculiariter *Patri*, *Filio et Spiritui sancto*. Creaturae rationales, quibus judicium tribuitur, sunt *angeli* tum *boni* tum *mali*; et *homines* tum *publici*, id est in publico officio *ecclesiastico* vel *politico* constituti; tum *privati*, omnibus enim ac singulis aliquod judicium tribuitur. Deus judicat tum *in hac*, tum *in futura* vita sive in die novissimo, qui hujus vitae erit clausula, futurae autem exordium. In hac vita judicat Deus, tum in *regno potentiae*, tum in *regno gratiae* sive in ecclesia. In regno potentiae judicat tum *immediate* per totius universi gubernationem, tum *mediate* per magistratus institutionem ac conservationem. In *regno gratiae* sive in ecclesia judicat tum *in genere* per verbum legis omnes arguendo et causam cuiusque cognoscendo; tum *in specie* pios defendendo, praemiis afficiendo et aberrantes per paternam castigationem in viam reducendo, *impios* vero coërcendo et poenis temporalibus aeternarum
XIX. 109. praeludiis affligendo. *Septem* igitur potissimum modis Deus in hac vita judicat; 1. *causam cujusque cognoscendo.* Gen. 16, v. 5: *Judicet Dominus inter me et te.* Gen. 31, v. 49: *Speculetur Dominus inter me et te*, v. 53: *Judicet inter nos.* Exod. 5. v. 21: *Videat Dominus et judicet.* Dei enim judicium non proficiscitur ex coeco impetu affectuum, sed causam cujusque accurate prius cognoscit et examinat, antequam judicet. 2. *Pios defendendo*, ex malis eripiendo et praemiis eos afficiendo. Gen. 30, v. 6: *Judicavit Deus me et audivit vocem meam*, id est causam meam egit, opprobrium a me abstulit et praemiis me ornavit. 1. Sam. 25, v. 39: *Dominus judicavit judicium opprobrii mei de manu Nabal et custodivit servum suum a malo.* Psalm 54, v. 3: *Salvum me fac, Deus, in fortitudine tua judica me*, id est assere causam meam contra hostes. Dei enim judicium non est *ἄεργον* et otiosum, sed quorum causam cognoscit, illis etiam pro causae qualitate praemia vel poenas distribuit. 3. *Eosdem ex infirmitate peccantes paterne castigando.* 1. Cor. 11, v. 32: *Cum judicamur, a Domino corripimur.* 1 Petr. 4, v. 17: *Judicium incipit a domo Domini.* 4. *Impios in ira puniendo* et vindictam de illis sumendo. Gen. 15, v. 14: *Gentem, cui servient, ego judicabo*, id est gravissimis plagis in eos animadvertam. 2. Paralip. 20, v. 12: *Deus noster nonne judicabis eos?* Apocal. 6, v. 10: *Usque quo, Domine, non judicas et vendicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant super terram?* 5. *Totum hoc universum gubernando et singulis ejus partibus convenientia munia distribuendo.* Gen. 18, v. 25: *Qui judicas universam terram, an non facies judicium?* Psalm. 94, v. 2: *Exaltare qui judicas terram.* Psalm. 96, v. 13: *Judicabit orbem terrarum in aequitate et populos in veritate.* 6. *Per verbum legis homines arguendo.* Gen. 6, v. 3: *Non judicabit* sive contendet *spiritus meus cum homine perpetuo.* Esa. 2, v. 3: *De Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem*, v. 4. *et judicabit inter gentes et arguet populos multos.* 7. *Magistratus instituendo* ac per eos judicium politicum exercendo. 2. Paralip. 19, v. 6: *Non homini judicatis sed Domino, qui est vobiscum in judicio.* Psalm. 82, v. 1: *Deus stat in congregatione Dei*, *in medio Elohim sive judicum ipse judicat.* In futura vita sive in die novissimo judicabit Deus per Christum omnes homines pios et impios: illos vitae aeternae heredes pronuntiando, hos vero aeternis suppliciis adjudicando. Quot modis angeli et homines judicare dicantur, alibi exponitur, hic enim de *divino* duntaxat judicio nobis sermo est.

5. Ex his facile intelligitur, quot modis judicium accipiatur, quando Deo tribuitur. Accipitur enim 1. *γενικῶς* pro totius universi gubernatione et administratione. Joh. 5, v. 22: *Pater omne judicium dedit Filio*, quod sic exponitur Joh. 3, v 35: *Dedit omnia in manus ejus.* Joh. 17, v. 2: *Dedit ei potestatem omnis carnis.* Huc pertinet, quod *judicia Dei* Psalm. 36, v. 7. dicuntur *abyssus multa*, quod Rom. 11, v. 33. sic exponitur: *Inscrutabilia sunt judicia ejus et impervestigabiles viae ejus;* quodque *judicia* ac *viae Domini*, Jer. 5, v. 4, ut synonyma conjunguntur. 2. *εἰδικῶς* pro ecclesiae collectione et gubernatione, in qua Deus Pater per Filium manifestat evangelium, instituit et conservat ministerium verbi, confert Spiritum sanctum, vivificat spiritualiter mortuos, defendit pios, coërcet impios sicque regnum, id est ecclesiam Filio colligit, Es. 42,
v. 1. Matth. 12, v. 18: *Ecce servus meus*, *quem* XIX. 110.
elegi etc. *judicium gentibus annuntiabit*, id est rectam divini cultus rationem per praedicationem verbi gentibus patefaciet, poenitentiam et remissionem peccatorum illis annuntiabit. Quidam exponunt de *evangelio*, quod arguit ac damnat omnem mundi justitiam et solius Christi justitiam commendat et offert. 3. *διδακτικῶς*, pro divinis mandatis ac prae-

ceptis, quae passim vocantur *judicia Domini* Psalm. 19, v. 9. Psalm. 119, v. 13 etc., vel quia Deus illis manifestat, quid agendum ac omittendum judicet, ac si essent pronuntiatae quaedam sententiae judicis judicantis, vel quia in eis tantum justa et recta continentur, vel quia sunt decreta, quibus perfecte obedientes justificat, vocantur enim *δικαιώματα* non *κρίσεις*. 4. *δικαστικῶς* pro causae cognitione, contentione praemiorum ac poenarum distributione et justa in delinquentes animadversione. Jerem. 25, v. 31. *judicium esse Domino cum gentibus*, id est Dominus habet litem cum gentibus. Joh. 5, v. 30: *Sicut audio, ita judico, et judicium meum justum est*, id est causam accurate cognosco, antequam judicem. 1. Petr. 4, v. 17: *Judicium*, id est castigatio, *incipit a domo Domini.* Vicina est huic classi significatio, quae accipitur pro instrumentis poenae Ezech. 14, v. 21: *Si quatuor judicia mea mala misero, gladium, famem, bestiam malam et pestilentiam;* pro memorabilibus exemplis irae divinae, Psalm. 48, v. 12: *Exsultabunt filiae tuae propter judicia tua;* pro causa damnationis Joh. 3, v. 19: *Hoc est judicium, quod lux venit in mundum et homines magis dilexerunt tenebras quam lucem. Judicium et justitia* in Scripturis saepe conjunguntur ac duplici potissimum sensu accipiuntur, 1. *politice ac civiliter*, ut *judicium* significet alteram judicii partem, qua rei et nocentes puniuntur, *justitia* vero innocentum absolutionem eorumque a malis defensionem; vel judicium significet discretionem ac dijudicationem, justitia vero rei judicatae exsecutionem. 2. *Ecclesiastice ac spiritualiter*, ut judicium significet praedicationem legis, qua jubemur Deum timere, a malo declinare et mandata Dei observare; justitia vero praedicationem evangelii, quae docet confidere Dei misericordiae in Christo nobis promissae et oblatae. Confer Flacium in clavi Scripturae in voce Judicare.

6. Hujus loci propria est observatio illa, quod nomen *judicii* de processu judiciali in die novissimo olim instituendo usurpatum duplici modo accipiatur: 1. generaliter pro *judicio discretionis ac discussionis*, cujus objectum erunt omnes omnino homines Rom. 14, v. 10: *Omnes sistemur ante tribunal Christi.* 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, Matth. 25, v. 31: *cum venerit Filius hominis in majestate sua et omnes angeli cum eo, sedebit super sedem majestatis suae*, v. 32. *et congregabuntur ante eum omnes gentes et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis.* 2. Specialiter, et quidem dupliciter: 1. pro *judicio approbationis* 1. Cor. 4, v. 4: *Qui me judicat, Dominus est*, hoc modo soli pii judicabuntur, id est praemio afficientur; 2. pro *judicio redargutionis ac condemnationis*, ut *κρίνειν* sit idem quod *κατακρίνειν*, *condemnare ac perdere*, et *κρῖμα* sit idem quod *κατάκριμα* sive *condemnatio*, in qua judicii significatione negantur pii in judicium venturi ac solis impiis illud paratum esse asseritur.
XIX. 111. Joh. 3, v. 18: *Qui credit in Filium non judicatur.* Joh. 5, v. 24: *Qui verbum meum audit et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam.* v. 29. *Qui bona egerunt, procedent in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Joh. 12, v. 48: *Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui judicet eum, sermo, quem locutus sum, judicabit eum in novissimo die.* Irenaeus lib. 5, adv. haeres. c. 22, p. 351: *Qui credit, non judicatur*, id est *non separatur a Deo, adunitus enim est per fidem Deo; qui autem non credit, jam judicatus est, quia separavit semetipsum a Deo voluntaria sententia.* August. l. 20 de civ. Dei c. 5: *Ecce hic dixit, fideles suos in judicium non venire. Quomodo ergo per judicium separabuntur boni a malis et ad dextram ejus stabunt, nisi quia hoc loco judicium pro damnatione posuit? In tale quippe judicium non venient, qui audiunt verbum ejus et credunt ei, qui misit illum*, et c. 6: *Qui bona fecerunt, procedent in resurrectionem vitae; qui mala fecerunt, in resurrectionem judicii. Hoc est illud judicium quod paulo ante sicut nunc pro damnatione posuerat dicens: Qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam, id est pertinendo ad primam resurrectionem, qua nunc transitur a morte animarum ad vitam virtutum, in damnationem non veniet.* Rungius in comm. 2. Cor. 5, v. 10: *omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi*, sic progreditur: *Iudicium* in forensi significatione a Spiritu sancto usurpatum 1. significat *condemnationem* Jer. 26, v. 11: *Judicium mortis est huic viro*, id est sententia mortis dignus est; 2. *causae cognitionem*, quae fit in judicio Jer. 2, v. 35: *Judicio contendam vobiscum;* 3. *moderationem* sive *ἐπιείκειαν* in exsecutione latae sententiae Jer. 30, v. 11: *Castigabo te in judicio*, h. e. servato moderamine; 4. *actum judicii*, quo judex et partes ad tractationem causarum conveniunt. Pii et finaliter in Christum credentes non veniunt in judicium juxta tria priora significata, sunt enim liberati a sententia damnationis, neque ipsorum peccata venient in cognitionem, aut publicabuntur in die novissimo, nec ulla poena ipsis erit metuenda propter plenissimam Christi satisfactionem, ac proinde nec moderatio earum locum habebit; in quarta autem vocis significatione credentes et electi dicuntur comparituri in judicii extremi actu ad audiendam publicationem evangelii.

7. 3. *Συνωνυμία.* Judicium extremum absolute 3. *Συνωνυμία*
ac simpliciter vocatur מִשְׁפָּט, *judicium*, *κατ᾽ ἐξοχὴν καὶ ἐξαιρετικῶς*, quia est universale, finale ac consummatum illud judicium, quod in fine seculi Deus exercebit, cujus objectum erunt non aliqui duntaxat, sed omnes omnino homines. Psalm. 9, v. 8: *Dominus paravit solium suum ad judicium.* Eccles. 12, v. 14: *Omne opus adducet Deus in judicium.* 2. Petr. 2, v. 9: *Novit Dominus iniquos in diem judicii reservare cruciandos.* c. 3, v. 7: *Coeli et terra reservantur igni in diem judicii etc.* Cum adjectione

vocatur *judicium extremum*, quia erit ultimum illud ac immutabile Dei judicium, in quo qui absolvuntur, aeternum erunt absoluti, qui vero damnantur, aeternum erunt damnati. *Novissimum* vocatur, quia in die novissimo exercebitur, quod autem ultimus ille seculi dies vocatur novissimus, ejus rei significatio sumta est a tempore, quae enim ultimo accidunt, ea
C. 112. sunt nobis maxime nova. Augustinus libr. 20. de civit. Dei c. 5. vocat *praesentissimum atque novissimum Christi judicium*, cap. 6. *judicium magnum, ultimum et maximum judicium.* Dies censorius, in quo extremum illud judicium instituetur, vocatur ἡμέρα κρίσεως, *dies judicii* Matth. 10, v. 15, c. 12, v. 36. (rationem exponit Augustinus libr. 20. de civit. Dei cap. 1: *Iste dies judicii proprie jam vocatur, eo quod nullus ibi erit imperitae querelae locus, cur injustus ille sit felix et cur justus ille infelix. Omnium namque tunc non nisi bonorum vera et plenissima felicitas et omnium non nisi malorum digna et summa infelicitas apparebit.*) Targum Chaldaicum in Psalm. 1. ἐξηγήσεως causa vocat יוֹם דִּינָא רַבָּא, *diem judicii magni.* Sicut vice versa Judas vers. 6. novissimum judicium vocat κρίσιν μεγάλης ἡμέρας, Petrus 2. epistol. 3, v. 12. vocat *diem Dei*, post quem nullus erit dies alius, sed mera aeternitas. In prophetis dies judicii vocatur *dies irae*, Esa. 13, v. 9. גָּדוֹל יוֹם יי וְנוֹרָא מְאֹד, *magnus dies Domini et terribilis valde*, Joël 2, v. 11. *dies Domini, in quo erunt tenebrae et non lux.* Amos 5, v. 18. *dies irae, dies angustiae et afflictionis, dies tumultus et desolationis, dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et obscuritatis.* Soph. 1, v. 15. *dies tubae et clangoris*, v. 16. *dies ardens tanquam caminus vel clibanus.* Malach. 4, v. 1. *dies pressurae et angustiae.* 4. Esdr. 2, v. 27, quae et similes appellationes respectu impiorum huic diei tribuuntur, piorum vero respectu vocatur dies ἀπολυτρώσεως, *perfectae redemtionis* Ephes. 4, v. 30, tempus ἀναψύξεως, *refrigerii* Actor. 3, v 20, et ἀποκαταστάσεως πάντων, *restitutionis omnium* v. 21, quarum appellationum emphasin infra explicabimus. Paulus Rom. 2, v. 5. tribus epithetis diem judicii describit. Primo vocat *diem irae*, id est poenae et ultionis per quandam μετωνυμίαν causae pro effecto, quia in die judicii ira Dei pleno impetu super impios effundetur ac vindicta *sumetur de omnibus, qui non noverunt Deum et qui non obediunt evangelio Domini nostri Iesu Christi* 2 Thess. 1, v. 8. Secundo diem ἀποκαλύψεως *ac revelationis*, quia tunc *revelabit Deus occulta cordium* 1. Cor. 4, v. 5. ac *libri aperientur*, in quibus omnia cogitata, dicta, facta, etiam occultissima scripta sunt Apocal. 20, v. 12. Tertio diem δικαιοκρισίας. *justi judicii*, cujus appellationis rationem pulcherrime exponit Chrysostom. homil. 5. in epistol. ad Roman.: *Ne audito irae nomine affectum animique morbum esse putes, addidit justi judicii Dei.* Quia vero ἀποκαλύψεως et δικαιοκρισίας appellationes ἀσυνδέτως conjunguntur, ideo etiam sic exponi possunt, quod in die novissimo justum Dei judicium sit manifestandum. In hac vita judicium Dei a temerariis et praeposteris hominum judiciis accusatur, cum bonis mala, malis vero bona distribui videantur; sed in novissimo die omnibus manifestum fiet, Deum juste judicare ac unicuique juxta opera sua reddere. Ut autem in Vetere Testamento ut et 2. Petr. 3, v. 12: vocatur *dies Domini*, vel quia est magnus ille dies, in quo omnes homines judicabuntur, sicut *montes Dei, cedri Dei, venti Dei* dicuntur ob magnitudinem, est enim dies magna, cujus non est similis Jerem. 30, v. 7; vel quia peculiariter a Deo ad opera miraculosa, extraordinaria et plane divina, videlicet ad mortuorum resurrectionem, vivorum immutationem, omnium hominum coram tribunali Christi praesentationem, mundi consummationem, piorum glorifica- XIX. 113.
tionem et impiorum damnationem est destinatus, unde vocatur *dies illa magna Dei omnipotentis* Apoc. 16, v. 14. ita in Novo Testamento vocatur *dies Iesu Christi, dies Domini Iesu* 1. Cor. 1, v. 8. 1. Cor. 5, v. 5. 2. Cor. 1, v. 14. Phil. 1, v. 6. et 10. c. 2, v. 16 etc. quia in ea *Filius hominis revelabitur*. Luc. 17, v. 30. *veniens in nubibus coeli cum virtute et gloria magna* Matth. 24, v. 30. Petrus 1. epist. 2, v. 12. vocat diem ἐπισκοπῆς, *visitationis*, quia erit piis visitatio gratiae, impiis autem visitatio irae, 2. epist. c. 3, v. 7. diem ἀπωλείας, *perditionis*, respectu scilicet impiorum, sicut diserte additur τῶν ἀσεβῶν ἀνθρώπων. Johannes Apoc. 6, v. 17. vocat *diem magnum irae divinae.* Appellatur etiam ἐκείνη ἡ ἡμέρα, *illa dies*, Matth. 7, v. 22. c. 24, v. 36. c. 26, v. 29. Luc. 21, v. 34. 2. Thess. 1, v. 10. 2. Tim. 1, v. 18. 2. Tim. 4, v. 8 etc. itidem ἐξοχικῶς καὶ ἐξαιρετικῶς, quia est magna et ab omnibus diligenter observanda illa dies, quae omnibus hujus vitae diebus finem imponet, in qua omnes mortui resurgent, omnes homines judicabuntur ac cuivis aeterna mansio in coelo vel in inferno assignabitur. Bellarminus libr. 1. de purgator. c. 5. per τὴν ἡμέραν absolute positam 1. Cor. 3, v. 13. intelligit diem extremi judicii, sed ostendimus suo loco, per diem ibi rectius intelligi vel *generaliter* progressum temporis, vel *specialiter* tempus probationis ac tribulationis. Alius autem exstat locus apud apostolum, in quo ἡ ἡμέρα absolute posita diem judicii designat 1. Thess. 5, v. 4: *Non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat*, ubi articulus ἡ est δεικτικός respondens Hebraeorum ה hajediah, notificativo sive demonstrativo. Sic Hebr. 10, v. 25: *Exhortantes vos invicem tanto magis, quanto videritis appropinquantem τὴν ἡμέραν.* Causam appellationis tradit Basilius in comment. c. 13. Esai. p. 464: *Dies illa peculiariter dicitur dies propter continuam unionem sui status et perpetuae tranquillitatis. Nulla enim intercipietur nocte, non vespera ulla certo circumscribet eam limite, quod eo die, quae eatenus delituerant occulta tenebrarum, in apertam lucem depromentur.*

8. Adventus Christi ad judicium vocatur 1. παρουσία, *praesentia, adventus* Matth. 24, v. 3. 27. 37 et 39. 1. Cor. 15, v. 23. 1. Thess. 2, v. 19. c. 3,

v. 13. c. 4, v. 15. c. 5, v. 23. 2. Thess. 2, v. 1. Jac. 5, v. 7. et 8. 2. Petr. 3, v. 4. 1. Joh. 2, v. 28. Ut enim Christus semel venit in infirmitate, ut judicaretur, qui primus Christi adventus vocatur παρουσία 2. Petr. 1, v. 16;. ita secunda vice veniet in virtute, ut judicet, qui secundus ipsius adventus itidem recte παρουσία appellatur. Ne quis vero cum Calvinianis ex hac appellatione *omnimodam Christi secundum humanam naturam a nobis absentiam* colligat, ideo 2. vocatur ἐπιφάνεια 1. Tim. 6, v. 14 2. Tim. 4, v. 1. ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας 2. Thess. 2, v. 8. *apparitio praesentiae ejus* (Piscator vertendum existimat ἐπιφανῆ παρουσίαν, *gloriosum adventum*, phrasi hebraica, sed nulla necessitate cogimur, ut discedamus a literali et propria versione). Tit. 2 v. 13. ἐπιφάνεια τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Item παρουσία τῆς τοῦ θεοῦ ἡμέρας, *adventus diei Dei* puta peculiaris illius diei, quam Deus extremo judicio destinavit, 2. Petr. 3, v. 12. 3. ἀποκάλυψις τοῦ Χριστοῦ Ἰησοῦ ἀπ' οὐρανοῦ, *revelatio Domini Iesu de coelo* 1. Cor. 1, v. 7. 2. Thess. 1, v. 7. 1. Petr. 1, v. 7. et 13. et ἀποκάλυψις τῆς δόξης Χριστοῦ 1. Petr. 4, v. 13. Quamvis enim Christus secundum utramque
XIX. 114. naturam nobis praesens sit juxta infallibilem suam promissionem Matth. 18, v 20. c. 28, v. 20; tamen praesentia illa est invisibilis, sed in die judicii Christus ita revelabitur sive manifestabitur, ut ab omnibus conspiciatur. Eodem sensu vocatur 4. φανέρωσις, *manifestatio*, Col. 3, v. 4. 1. Petr. 5, v. 4. 1. Joh. 2, v. 28. c. 3, v. 2. sicut et primus Christi adventus φανέρωσις appellatur 1. Tim. 3, v. 16. 1. Petr. 1, v. 20. 1. Joh. 1, v. 2. c. 3, v. 5. et 8. 5. ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, *regnum Dei*, Luc. 21, v. 31. 2. Tim. 4, v. 1. quia Christus in hoc ultimo suo adventu ex regno gratiae pios in regnum gloriae transferet. 6. ἀπολύτρωσις, *redemptio piorum*, Luc. 21, v. 28. Rom. 8, v. 23. quia Christus electos suos ab omnibus malis, a potestate Satanae et mortis, ab omnibus hujus vitae miseriis perfecte liberabit. Unde Irenaeus lib. 1. adv. haer. c. 2. p. 34. pulcherrime Christi adventum vocat τὴν ἐκ τῶν οὐρανῶν ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς παρουσίαν ἐπὶ τὸ ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα. 7. *Nuptiae agni* Apoc. 19, v. 7. tunc enim Filius Dei coelestis sponsus ecclesiam, quam per fidem sibi despondit, in plenam coelestium bonorum possessionem et ad gaudia vitae aeternae veluti in domum deducet, ut *ubi ipse est*, *ibi quoque sit ipsius dilecta sponsa* Joh. 17, v. 24. Ipsum tempus adventus et judicii vocatur *hora* Luc. 12, v. 40. Joh. 5, v. 28. et quidem *novissima* 1. Joh. 2, v. 18. *hora judicii* Apoc. 14, v. 7. *dies novissimus* Joh. 11, v. 24. et c. 12, v. 48. Ceterum harum appellationum adventui Christi et extremo judicio attributarum quaedam faciunt ad διδασκαλίαν, ut quando tempus judicii vocatur *dies novissimus*, *hora novissima* etc. quaedam ad ἔλεγχον, ut quando adventus Christi vocatur ἐπιφάνεια καὶ ἀποκάλυψις, quaedam ad νουθεσίαν, ut quando dies judicii vocatur *dies magnus et terribilis*, *dies irae* etc. quaedam ad παράκλησιν, ut quando dies ille vocatur dies ἀπολυτρώσεως καὶ ἀποψύξεως etc.

CAPUT II.

De τῷ ὅτι, an sit judicium.

9. Ab ὀνοματολογίᾳ transitum facimus ad πραγματολογίαν, in qua primo omnium occurrit quaestio περὶ τοῦ ὅτι, *an sit futurum extremum judicium*, ad quam tota ecclesia tam V. quam N. T. unanimi consensu ac voce respondet *affirmative*. Probatur autem haec assertio 1. *ex manifestis ac perspicuis Scripturae dictis*, quae in duas distingui possunt classes. Quaedam enim ex V., quaedam vero ex N. T. sunt petita. Augustinus lib. 20. de civ. Dei a cap. 4. usque ad finem libri testimonia Scripturae de extremo judicio prolaturus hoc ordine progreditur, ut primo loco recenseat dicta N. T. quibus demum V. T. oracula subjungit; rationem ordinis assignat eam, quod *quamvis V. T. oracula priora sint tempore, nova tamen anteponenda sint dignitate, quoniam illa vetera praeconia sunt novorum. Nova igitur*, inquit, *ponenda sunt prius, quae ut firmius probemus, assumentur et vetera. In veteribus habentur lex et prophetae, in novis evangelium et apostolicas literae etc. Hunc et ipse Iesus Christus ordinem servandum esse demonstrans, Scriba, inquit, eruditus in regno Dei similis est viro patri familias proferenti de thesauro suo nova* XIX.
et vetera. Non dixit vetera et nova, quod utique dixisset, nisi maluisset meritorum ordinem servare quam temporum. Potuisset etiam addere argumentum *a perspicuitate*, quod N. T. oracula de futuro judicio clariora sint quam V. T. vaticinia. Sed ut in articulo de resurrectione non dignitatis nec perspicuitatis, sed temporis ratione habita primo loco V. T. vaticinia enumeravimus, ita quoque in hoc ipso articulo eadem methodo utemur.

10. De oraculis V. T. notandum in genere, quod 1. ex
quaedam *directe et principaliter* de extremo judicio agant, quaedam vero *indirecte* duntaxat et *consequenter*, ad quam posteriorem classem pertinent illa dicta, in quibus de *judiciis particularibus*, quae Deus in hac vita adversus aliquam regionem vel urbem vel quosdam homines exercet, agitur. Cum enim particularia illa judicia extremi et universalis judicii sint quaedam praeludia, imo initia, ideo ad illius confirmationem ἑπομένως et consequenter accommodari possunt. In Moyse haec occurrunt vaticinia. Gen. 4, v. 7. dicit Deus ad Cainum: *Nonne, si bene feceris, erit levatio vel venia; et si non bene feceris, ad ostium cubat peccatum tuum?* (in quae verba sic commentatur Targum Onkelos: *Nonne si bene egeris opera tua, dimittetur tibi? et si non bene egeris, in die judicii peccatum tuum servatum est, in qua futurum, ut ulciscatur de te, nisi conversus fueris, si vero conversus fueris, dimittetur tibi.* Targum Hierosolymit. eodem fere modo: *Nonne*

si emendaveris opera tua in seculo isto, condonabitur et remittetur tibi in seculo futuro? Quod si non emendaveris opera tua in seculo hoc, ad diem judicii magni peccatum tuum conservabitur et ad ostium cordis quiescit? Acceperunt igitur concionem illam legalem et poenitentialem eo sensu, quod mentione extremi judicii voluerit Deus Cainum a peccato revocare. Philipp. Melanchthon in explicat. evangel. Dom. 2. advent.: *Ab initio mundi exstitit doctrina de novissimo judicio, ut in prima concione ad Cain: Peccatum quiescit, id est futurum, ut differantur poenae, sed postea revelabitur, id est ostendetur ira Dei adversus peccatum, jam cum plurima peccata hic non revelentur, non puniantur, necesse est aliud judicium sequi.* Idem ostendit verborum emphasis. Peccatum *ad ostium* aliquandiu *quiescit*, sed in die judicii evigilabit ac revelabitur, adeoque debitis poenis afficietur, unde ad v. 8. ubi in Hebraeo simpliciter dicitur, quod *Cain locutus fuerit cum Abele*, Targum Hierosolymitanum annotat, quod cum Abele de providentia divina, de extremo judicio et de vita aeterna contenderit. Sic enim habet: *Dixit Cain ad Abel fratrem suum: Veni et egrediamur in agrum. Et accidit, cum egressi essent ambo in agrum, respondit Cain: Non est judicium nec judex, nec seculum aliud, nec merces bona pro justis, nec poena pro impiis. Nec Dei misericordia creatus est mundus, nec Dei misericordia regitur mundus, eo quod suscepta est oblatio tua cum beneplacito, mea vero non est suscepta cum beneplacito. Respondit Abel et dixit ad Cainum: Est judicium, est judex, estque seculum aliud, merces item bona pro justis et poena pro impiis. Misericordia quoque Dei conditus est mundus atque misericordia illius gubernatur, utique propter opera bona gubernatur. Quia enim meliora fuerunt opera mea, suscepta est oblatio mea cum beneplacito, tua vero non est suscepta cum beneplacito*, quae verba etiam in libris Samaritanorum se
116. reperisse testatur Hieronymus ac Masoritae ad Targum Jonathae et Hierosolymitanum respicientes h. l. in margine notant. כ״ח פסו׳ פסוקי׳ במצעו׳ פסוק ut sit sensus: 28 *versus desunt in medio versus*, neque tamen propterea corruptio aliqua textui hebraeo asscribi potest, ut Cornelius a Lapide in comm. h. l. contendit, quia non ipsius textus Hebraici sed paraphraseos Chaldaicae respectu defectus ille a Masoritis agnoscitur, nec mutilus et hiulcus in Hebraeo censendus est locus, nisi ista addantur, quia verbum אמר vel ad praecedentia referri potest, ut sit sensus, indicavit hoc ipsum Cain Abeli ac de concione Dei cum ipso locutus est, vel absolute positum accipi hoc sensu: Cain amice ac blande cum fratre suo locutus est ac conversatus, hypocritice tamen, ut eventus ostendit. De Enocho patriarcha in epistola Judae v. 14. dicitur, quod de extremo judicio vaticinatus fuerit. *Prophetavit autem de his*, aeterno scilicet exitio et supplicio impiorum, *septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus v. 15. facere judicium contra omnes et arguere omnes impios eorum de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus duris, quae locuti sunt contra eum peccatores.* (Chunmannus Flinspachius in libr. de conject. extr. temp. hoc exponit de *praedicatione reali*, hoc sensu, sicut mors corporalis in sex priores ecclesiae patriarchas, Adamum scilicet, Sethum, Enos, Kenan, Mehaleël et Jared, propter peccatum efficaciter dominata est, septimum vero, in Enochum scilicet, vim ac potentiam suam exserere non potuit, is namque vivus in paradisum translatus documento fuit omnibus, restare adhuc vitam aliam et secuturum judicium Gen. 5, v. 34. ita quoque per sex millia annorum, quibus mundus hic stabit, mors in omnes homines dominabitur, sed in septimo millenario, qui initium aeternae ac coelestis vitae futurus est, amisso aculeo suo prorsus abolebitur, cui interpretationi probabilitatem conciliare nititur ex eo, quod Judas Enochum notanter dicit esse *septimum ab Adamo patriarcham.* Sed rectius accipitur *de praedicatione verbali*, cum expresse addatur, quod Enochus *προεφήτευσε λέγων, dicens* vel dicendo, ergo non tantum fuit concio realis, sed etiam verbalis. Quia enim Enochus dicitur *ambulasse cum Domino*, h. e. in vero Dei timore vixisse, peculiari devotione ipsi serviisse ac sanctam vitam duxisse, ideo dubium nullum, quin hominum antediluvianorum peccata graviter taxaverit et proposito ob oculos eorum futuro judicio ab impietate ad veram poenitentiam eos revocare voluerit. Unde autem hoc Enochi vaticinium Judas acceperit, variant sententiae. Quidam existimant, Judam hoc habuisse *ex indubitata traditione*, sicut Paulus nomina magorum Jannes et Jambres 2. Tim. 3, v. 8. Quidam statuunt, tempore Judae exstitisse adhuc *librum de translatione Enochi*, sed qui temporis progressu postea intercideritur. Vide Scaligerum in notis ad Eusebium p. 244. et 245. ubi ex Georgio Syncello probat, *apostolos citare testimonia ex libris apocryphis.* Quidam denique asserunt, Judam *ex immediata Spiritus sancti revelatione* et inspiratione hoc cognitum habuisse.) Gen. 18, v. 25. Filius Dei comitatus duobus angelis ad Abrahamum divertit ac de Sodomitis propter consummatam scelerum mensuram divinitus perdendis cum ipso loquitur, cui inter cetera Abraham respondet: *Numquid disperdes justum cum impio? absit tibi, ut facias mori justum cum impio et sit justus sicut impius, absit tibi. Numquid judex omnis terrae non faciet judicium?* (Agnoscit igitur Filium Dei *uni-* XIX. 117.
versae terrae, h. e. omnium omnino hominum, *judicem* divinitus constitutum, cujus universalis judicii praeludium quoddam in Sodomitarum excidio proponatur.) Deuter. 32, v. 34: *Nonne hoc ipsum reconditum, apud me, sigillatum in thesauris meis?* (ea consuevimus in thesauris reponere, quibus praesenti tempore non utimur, sed suo tempore illis sumus usuri, significatur igitur judicium illud adhuc esse futurum.) v. 35. *Mihi ultio et ego retribuam in tempore, quo nutabit pes eorum, quia propinquus dies exitii eorum et festinant futura eis.* v. 36. *Quia*

judicabit Dominus populum suum et super servos suos poenitebit eum, h. e. miserebitur servorum suorum. (Chaldaeus reddidit: *An non omnia opera eorum manifesta sunt coram me? reposita sunt ad diem judicii in thesauris meis? coram me est ultio et ego retribuam in tempore, quo migrabunt de terra sua, quia prope est dies interitus eorum, et festinat, quod futurum est eis. Quoniam judicabit Dominus judicium populi sui et ultionem servorum suorum justorum ulciscetur.* Epistola ad Hebraeos cap. 10, v. 30. hoc oraculum Mosaicum allegat et addit v. 31: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* v. 41. *Si acuero ut fulgur gladium meum et arripuerit judicium manus mea* (ubi pars posterior est ἐξηγητικὴ prioris, quia *per Dei gladium* ejus judicium intelligitur. Confer Apocal. 1, v. 16.)

2. ex Jobo. 11. 2. In *Jobo.* Job. c. 3, v. 4. de die nativitatis suae dicit: *Non requirat eum Deus desuper* (in haec verba sic commentatur Origenes libr. 3. in Jobum: *Quid dicis, o beate Job? ergo alios dies inquiret, ut de isto solo dicas, non inquirat illum Dominus desuper? utique ait: Omnes dies seculi inquirentur, omnia tempora et momenta atque secula requirentur, et producentur, nimirum non dies seculi, qui naturam non habent, jam transacti, sed verba et facta, quae in illis diebus sunt gesta, cogitationes et consilia atque tractatus, qui in omni tempore vel momento hujus seculi tractati sunt atque cogitati. Haec igitur omnia in omnibus gentibus et in omni lingua inquisita, in judicio manifestantur in tempore inquisitionis etc.*) c. 13, v. 14: *Quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus et cum quaesierit, quid respondebo illi?* (Hebr. *quid facerem, si Deus consurgeret, et si visitaret, quid tum responderem illi?* Loquitur sanctus tum de judicio Dei *particulari*, quod exercet in hac vita, tum vel maxime de judicio *universali*, quod in fine seculi exercebit.) c. 19, v. 29: *Fugite a facie gladii, quia est iniquitatum gladius, ut sciatis, quod judicium restet;* (memores estote extremi judicii et desinite male agere). c. 20, v. 25. *Fulgur ab amaritudinibus suis educet super eum* (impium) *terrorem;* (ultima tempestas extremum judicium antegressura vehementissime eum terrebit); v. 26. *omnes tenebrae occultare eum non poterunt, devorabit eum ignis, qui non inflatur;* (qui non excitatur opera hominum, sed divinitus accenditur), *affligetur relictus in tabernaculo suo;* v. 27. *revelabunt coeli iniquitatem ejus et terra consurget adversus eum.* c. 35, v. 14: *Judicium est coram ipso, exspecta eum.*

3. ex Psalmis. 12. 3. In Psalmis complura de extremo judicio exstant vaticinia, de quibus Augustinus, lib. 20. de civit. Dei c. 24. in princ. sic scribit: *Multa de judicio novissimo in Psalmis dicuntur, sed eorum plura transeunter et strictim.* Enumerabimus oracula potiora: Psalm. 2, v. 9: *Conteres eas* (gentes)

XIX. 118. *in virga ferrea, sicut vas figuli confractos disperges eos*, sc. terrae terminos (hoc in judicio extremo praecipue ac consummative fiet). Psalm. 7, v. 12: *Deus justus judex et Deus indignans omni die.* v. 13. *Si non conversus fuerit* (impius), *acuet gladium suum, arcum suum tetendit et paravit illum* v. 14. *et parare ei fecit vasa mortis, sagittas suas ad perdendum operatus est.* (Hieronymus lib. 2. in c. 3. threnor. Jerem.: *Per arcum aliquando dies judicii designatur, sicut in psalmista dicitur: Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus. In arcu enim quanto longius trahitur chorda, tanto de eo districtior erit sagitta. Sic extremi judicii dies quanto longius differtur, ut veniat, tanto cum venerit, de illo districtior sententia procedet.* Augustinus in enarrat. hujus psalm. *Vibrabit Christus gladium, cum in secundo adventu veniens judicare vivos et mortuos in manifesto splendore claritatis suae justis lumine suo et terrore impiis coruscabit.*) Psalm. 9, v. 5: *Judicium meum fecisti, sedisti in solio judicans juste* (praeteritum pro futuro accipi potest). v. 8. *Dominus paravit ad judicium solium suum* v. 9. *et ipse judicabit orbem in justitia, judicabit populos in rectitudine.* Conf. Act. 17, v. 31. (Proponit nobis considerandam 1. *judicis majestatem*, 2. *throni regii stabilitatem*, 3. *judicii aequitatem.* Augustinus in enarr. hujus psalmi ante med.: *Filius palam manifesteque venturus est ad judicandos vivos et mortuos, judicabit autem orbem terrarum in aequitate, non quemadmodum judicant homines, qui corda non vident, a quibus plerumque deteriores absolvuntur quam condemnantur, sed in aequitate et justitia Dominus judicabit, testimonium perhibente conscientia et cogitationibus accusantibus seu defendentibus.* Cassiodorus in comm. hujus psalmi: *Deus homo paravit sedem suam ad judicium, ut qui hic in humilitate judicatus est, ibi in majestate sua judicaturus adveniat. Haec sunt, quae titulus dixit occulta filii, quia ineffabile donum est, ut humilitatem hominis naturam atque demersam dextra potentiae suae ad coelestia regna levaverit. Ipse utique Dominus Christus judicabit, qui hic patiendo injustitiam, ibi impiis veraciter dicitur demonstrare justitiam. Per orbem terrae sanctos viros debemus accipere, qui de universali ecclesia quasi de coronae circulo congregantur. Isti in aequitate judicandi sunt, quibus propter fidei et humilitatis suae bonum misericordia copiosa praestabitur, qui audituri sunt: Venite benedicti Patris mei. Populi autem debent accipi peccatores, qui operibus diabolicis non videntur exuti, isti cum justitia judicandi sunt, qui pro factorum suorum scelere damnabuntur, quibus dicendum est: Ite in ignem aeternum. Sic duobus nominibus aequitatis et justitiae qualitatem illam judicii mirabili brevitate descripsit.*) Psalm. 11, v. 6: *Pluet Dominus super peccatores ignem et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum*, v. 7. *quoniam justus Dominus et justitias dilexit.* Psalm. 49, v. 6: *Cur timebo in die mala?* (Basilius homil. 13. in Psalm. refert *ad diem judicii*, in qua quemlibet propria consilia circumdabunt.) Psalm. 50, v. 3: *Veniet Deus noster et non silebit, ignis coram eo vorabit et in circuitu ejus tempestas excitata est vehementer.* v. 4. *advocabit ad coelos de-*

super et ad terram, ut judicet populum suum. v. 5.
Congregate mihi sanctos meos ferientes pactum meum
super sacrificium, v. 6. *et nuntiabunt coeli justitiam*
ejus, quod Deus judex ipse. Quamvis hoc oracu-
lum Davidicum de particulari ac spirituali judicio,
quod Deus in hac vita exercet, principaliter agere
videatur, tamen optima ratione ad ultimum judicium
in novissimo die exercendum referri potest, tunc
enim 1. *vere veniet Dominus,* h. e. Christus Dei Fi-
lius *apparebit in nubibus cum gloria et majestate*
magna Matth. 24, v. 30; 2. *non silebit,* quia cum
XIX. 119. classico et tuba Dei de coelo descendet 1. Thess. 4,
v. 16. *et mortui audient vocem ejus* Joh. 5, v. 28;
3. *ignis consumens praecedet eum, quia coeli igne*
solventur et elementa calore liquescent 2. Petr. 3,
v. 10. *patefiet Dominus de coelo cum flamma ignis*
2. Thess. 1, v. 8; 4. *circa eum tempestas magna,*
audientur enim horribilia tonitrua, ut in prima legis
promulgatione; 5. *coelum et terra vocabuntur,* h. e.
redibit Christus cum angelis et sanctis e coelo, homi-
nes e terra congregabuntur ad judicium, ut sic coe-
lum et terra commoveantur etc. Augustinus lib. 20.
de civit. Dei c. 24: *Hoc nos de Domino nostro Iesu*
Christo intelligimus, quem de coelo speramus esse
venturum ad vivos et mortuos judicandos. Mani-
festus enim venit inter justos et injustos judicatu-
rus juste, qui prius venit occultus ab injustis judi-
candus injuste. Ipse, inquam, manifestus veniet et
non silebit, id est in voce judicis evidens apparebit,
qui prius cum venisset, occultus ante judicem siluit,
quando sicut ovis ad immolandum ductus est, et
sicut agnus coram tondente fuit sine voce, quemad-
modum de illo per Esaiam legimus prophetatum et
in evangelio videmus impletum. Advocabit coelum
sursum, quoniam sancti et justi recte coelum appel-
lantur, nimirum, h. e. quod ait apostolus, simul
cum illis rapiemur in nubibus in obviam Christo in
aëra. Nam secundum literae superficiem, quomodo
sursum advocatur coelum; quasi posset esse nisi
sursum? Quod autem adjunctum est, et terram
discernere populum suum, si tantummodo subaudia-
tur, advocabit, id est advocabit terram, nec subau-
diatur sursum, hunc videtur habere sensum secun-
dum rectam fidem, ut coelum intelligatur in eis,
qui cum illo sunt judicaturi et terra in eis, qui ju-
dicandi sunt, et advocabit coelum sursum, non hic
intelligamus, rapiet in aëra, sed in judiciarias se-
des. Potest et illud intelligi: advocabit coe-
lum sursum, advocabit angelos in supernis et ex-
celsis locis, cum quibus descendat ad faciendum
judicium, advocabit et terram, h. e. homines in terra
utique judicandos. Si autem utrumque subaudien-
dum est, cum dicitur, et terram, id est et advoca-
bit sursum, ut iste sit sensus, advocabit coelum
sursum et terram advocabit sursum, nihil melius
intelligi existimo, quam homines, qui rapientur in
obviam Christo in aëra, sed coelum dictum propter
animas, terram propter corpora. Discernere porro
populum suum quid est nisi per judicium separare
bonos a malis tanquam oves ab haedis? Deinde
conversio sermonis ad angelos facta est: Congre-
gate illi justos ejus. Profecto enim per angelicum
ministerium tanta res peragenda est. Si autem quae-
rimus, quos justos ei congregaturi sint angeli, qui
disponunt, inquit, testamentum ejus super sacrificia.
Haec est omnis vita justorum disponere testamen-
tum Dei super sacrificia. Aut enim opera miseri-
cordiae sunt super sacrificia, h. e. sacrificiis prae-
ponenda juxta sententiam Dei dicentis: Misericor-
diam magis volo quam sacrificium; aut si super
sacrificia in sacrificiis intelligitur dictum, quomodo
super terram fieri dicitur, quod fit utique in terra,
profecto ipsa opera misericordiae sunt sacrificia,
quibus placetur Deo, in quibus operibus disponunt
justi testamentum Dei, quia propter promissiones,
quae novo ejus testamento continentur, haec faciunt.
Unde congregatis sibi justis suis et ad dextram
suam constitutis novissimo utique judicio dicturus
est Christus: Venite benedicti Patris mei, esurivi
enim, et dedistis mihi manducare. Conf. eundem
in enarr. hujus Psalm. Ps. 68, v. 2: *Sicut deficit*
fumus, deficiant, sicut fluit cera a facie ejus, sic
pereant peccatores a facie Dei. (Hunc locum Au-
gustinus in comm. accipit de extremo judicio: *Cum*
mali, inquit, *in hoc seculo sicut fumus se extollendo* XIX. 1
defecerint, veniet illis in fine extrema damnatio, ut
ab ejus facie pereant in aeternum, cum in sua cla-
ritate fuerint praesentati velut ignis ad poenam im-
piorum lumenque justorum.) Ps. 73. postquam de
florente impiorum fortuna multis conquestus erat
Asaph, subjungit v. 16: *Existimabam, ut cognosce-*
rem hoc, labor erat ante me, v. 17. *donec intrarem*
in sanctuarium Dei et intelligerem novissima eorum.
Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 28. *Ut solveret*
difficillimam quaestionem, quae fit, cum boni vi-
dentur miseri et felices mali, addit: *In novissimo*
judicio non sic erit, sed aperta iniquorum miseria
et aperta felicitate justorum longe quam nunc est,
aliud apparebit.) Ps. 75, v. 3: *Cum accepero con-*
stitutum tempus, ego justitias sive juste *judicabo.*
(Quando impii et persecutores ecclesiae mensuram
scelerum suorum impleverint, cumque mihi opportu-
num erit, juste ac graviter in eos animadvertam,
non solum in hoc seculo, sed etiam imo vel maxime
in extremo judicio.) v. 4. *liquefacta est terra et*
omnes, qui habitant in ea (tanta severitate puniam,
ut terra et inhabitatores ejus prae angustia colli-
quescant). v. 5. *Dixi stultis: nolite stulte agere, et*
impiis: nolite exaltare cornu (robur ac potentiam
vestram contra Dei servos), v. 6. *nolite extollere in*
excelsum cornu vestrum, nolite loqui cervice prae-
fracta, v. 7. *quia neque ab Oriente neque ab Occi-*
dente neque ab Austro (quisquam erit, qui vos in
judicio liberet; quidam excipiunt μιμητικῶς dictum)
v. 8. *quoniam Deus judex est, qui hunc humiliat,*
illum exaltat (illud in die judicii potissimum com-
plebitur, in quo humiliabit Deus impios, exaltabit
autem pios), v. 9. *quia calix in manu Domini est*
vino turbido plenus, miscet et propinat ex illo, fae-
ces ejus bibent omnes impii terrae! (has faeces irae

divinae in die judicii bibere incipient et in omnem aeternitatem bibent, nunquam enim hoc poculum exhauriri poterit.) Psalm. 82, v. 8: *Surge, Deus, judica terram.* Psalm. 94, v. 2: *Eleva te judicans terram.* Psalm. 98, v. 9: *Venit Dominus judicare terram, judicabit orbem in justitia et populos in rectitudine.* Psalm. 110, v. 5: *Dominus a dextris tuis conteret in die irae suae reges* (haec dies irae est *dies judicii*, in qua omnia terrena regna destruentur et persecutores evangelii poenis aeternis adjudicabuntur), v. 6. *judicabit in nationibus, implebit eas corporibus* (occisorum), *conteret caput super terras multas* (*inchoative* illud fit in hac vita, *consummative* fiet in judicio extremo, Esa. 66, v. ult.), Psalm. 143, v. 2: *Ne intres in judicium, Domine, cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (ne quaeso agas mecum in extremo judicio juxta rigorem justitiae tuae, quem nullus hominum sustinere potest, in illa die libera me a verbo aspero, provoco enim a throno justitiae ad thronum misericordiae, nec nisi interposito Christi merito in judicium tuum venire cupio).

4. ex prophetis. 13. 4. Ab hymnis Davidicis descendimus *ad prophetas*, in quorum classe primo loco occurrit *Samuel*, quem non solum Rabini inter נְבִיאִים אַחֲרוֹנִים recensent, sed etiam Petrus Act. 3, v. 24. *prophetarum tempora* ab eodem auspicatur. 1. Sam. 2, v. 10. canit Hanna: *Conterentur adversarii Domini, quia super eos e coelis tonabit, judicabit Dominus fines terrae* (in extremo scilicet et universali judicio, in quo scelera impiorum, quae in hac vita manserunt impunita, igne et fulmine coelesti visitabit. Augustinus lib. 17. de civ. Dei c. 4: *Extrema*
XIX. 121. *terrae, quae judicanda dicuntur, intelliguntur extrema hominis, quoniam non judicabuntur, quae in melius vel deterius medio tempore commutantur, sed in quibus extremis inventus fuerit, qui judicabitur*) *et dabit fortitudinem regi suo et extollet cornu Christi sui* (veniet enim Christus in virtute et gloria magna ac destruet omnia regna terrena, ipsius vero regnum manebit *in aeternum* Daniel. 2, v. 40). Salomon Proverb. 23, v. 10: *Ne attingas parvulorum terminos et agrum pupillorum ne introeas, propinquus enim illorum* (in Graeco est ὁ λυτρούμενος αὐτοὺς κύριος) *fortis est et ipse judicabit contra te illorum causam*, h. e. causam eorum suscipiet et ad judicium te vocabit. Eccles. 3, v. 17: *Iustum et impium judicabit Dominus.* c. 11, v. 9: *Laetare juvenis in adolescentia et jucundetur tibi cor tuum in diebus juventutis tuae et ambula in viis cordis tui et secundum adspectum oculorum tuorum, sed scito, quod propter omnia haec adducet te Deus in judicium* (ita transigas juventutis tuae laetitiam, ut amaritudo judicii nunquam recedat a tua memoria, sisteris aliquando judicio Dei in die novissimo ac rationem reddere cogeris vitae in his terris actae). c. 12, v. 13: *Time Deum et mandata ejus custodi, quia hoc decet omnes homines;* v. 14. *omne enim opus adducet Deus in judicium super omne occultum, sive bonum sive malum.* (Hebr. עַל verti potest *etiam*, ut sit sensus, omne opus, etiamsi illud fuerit in occulto factum, in judicio erit omnibus manifestum. Augustinus lib. 20. de civit. Dei c. 3: *Quid brevius, verius, salubrius dici potuit? Deum,* inquit, *time et mandata ejus custodi, quia hoc est omnis homo. Quicunque enim est hoc, est custos utique mandatorum Dei, quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur remanens in similitudine vanitatis. Quia omne hoc opus, h. e. omne quod fit ab homine in hac vita, sive bonum sive malum, Deus adducet in judicium in omni despecto, h. e. in omni etiam, qui contemtibilis hic videtur et ideo nec videtur, quoniam Deus et ipsum videt, nec eum despicit, nec eum cum judicat, praeterit*). Apud Esaiam haec potissimum occurrunt vaticinia: c. 2, v. 10: *Ingredere in petram, abscondere infossa humo a facie timoris Domini et a gloria majestatis ejus.* v. 11. *Oculi sublimes hominis humiliati sunt et incurvabitur altitudo virorum, Dominus autem solus exaltabitur in die illa.* (Hieronym. in comm.: *Multi haec de die judicii intelligunt, quod omnis creatura comparatione divinae gloriae humilietur et incurvetur et nihil se esse sentiat. Tunc nec divitiae, nec nobilitas generis, nec potentia dignitatum aliquem defendere poterunt, cujus iram nullus poterit declinare, unde hortatur, ut ingrediamur petras.*) c. 3, v. 13. taxans peccata populi judicium extremum in memoriam ipsis revocat: *Stat ad judicandum Dominus et stat ad judicandum populos.* v. 14. *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui et principibus ejus.* (Vide Basilium in comm. illius loci et Gregorium lib. 10. moral. c. 30.) c. 4, v. 4: *Lavabit Dominus sanguinem de medio Ierusalem per spiritum judicii.* c. 11, v. 4: *Judicabit in justitia pauperes et arguet in aequitate pro afflictis, percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium.* v. 5. *et erit justitia cingulum lumborum ejus et fides cinctorium renum ejus.* (Hoc vaticinium referri posse ad extremum judicium, patet ex eo, quod apostolus 2. Thess. 2, v. 8. illud accommodet ad deletionem Antichristi futuram in die judicii.) c. 13. postquam propheta de excidio monarchiae et urbis Babylonicae vaticinatus fuerat, subjungit v. 9: *Ecce dies Domini venit crudelis plenus indignationis, irae et furoris, ut ponat ter-* XIX. 122.
ram in solitudinem et peccatores ejus disperdat ex ea, v. 10. *quoniam stellae coelorum et Oriones eorum non facient lucere lumen suum, obscurabitur sol, quando egredietur, et luna non splendere faciet lumen suum.* v. 11. *Et visitabo super orbem malum et super impios iniquitatem eorum.* v. 13. *Super hoc coelum conturbabo, et terra movebitur de loco suo.* (Quidam ad solos *Babylonios* haec referunt propter connexionem cum antecedentibus v. 1. *onus Babylonis, quod vidit Esaias*, sed quia illud temporale Babyloniorum excidium fuit praeludium universalis excidii atque exitii, quod in die novissimo manet impios, ideo merito etiam hoc vaticinium propheticum ad judicium extremum accommodatur,

praesertim cum propheta generaliter loquatur, quod *visitaturus sit Deus super* תֵּבֵל, *totum orbem habitabilem*. Confer Matth. 24, v. 29. Marc. 13, v. 14. Luc. 21, v. 25. Hieronymus in c. 1. Joël: *Hic dies recte appellatur insanabilis ita namque LXX reddiderunt, quia cum dies judicii venerit, non erit locus poenitentiae, quia aeternitati comparatur etc.* in comm. c. 13. Esa.: *Dissolventur omnes manus, quia nullum opus dignum Dei justitia reperietur, et non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens. Omne quoque cor hominis tabescet et pavebit conscientia sui peccati*) c. 24, v. 7: *Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes.* (Totum hoc caput Hieronymus in comm. refert ad diem judicii, quia v. ultim. additur, *erubescet sol, confundetur luna, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion.* Sed proprie et principaliter agit propheta de Judaeorum rejectione et gentium conversione.) Esa. 26, v. 21: *Ecce Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terrae contra eum, et revelabit terra sanguinem suum et non operiet ultra interfectos suos.* (In praecedentibus vaticinatus erat propheta *de resurrectione mortuorum*, jam subjungit vaticinium *de extremo judicio, in quo egredietur Dominus de loco suo*, puta peculiari potestatis et gloriae suae demonstratione, quia Christus visibiliter de coelo veniet *cum gloria et potestate magna*, ut visitet in judicio novissimo iniquitatem habitantium super terram, tunc non manebunt occultae vel inultae caedes injustae.) c. 27, v. 1: *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan serpentem directum et super Leviathan serpentem tortuosum* (conteret caput serpentis infernalis ac destruet regnum diaboli, id quod plene ac perfecte futurum in die judicii). Esa. 30, v. 18: *Deus judicii Dominus, beati omnes, qui exspectant eum.* v. 27. *Ecce nomen Domini venit de longinquo ardens furor ejus et gravis ad portandum, labia ejus repleta sunt indignatione et lingua ejus quasi ignis devorans.* v. 28. *Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, ut ventilet gentes in cribro vanitatis.* (Proprie et in sensu literali ibi agitur de clade, quae manebit *Assyrios*, sed quia illa fuit praeludium et initium aeterni exitii, quod in judicio extremo eos manet, ideo ad illud accommodatur ab Hieronymo, Haymone, Lyrano etc. in comm.) Esa. 42, v. 1: *Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, in quo complacuit animae meae.* v. 2. *Judicium gentibus proferet etc.* v. 3. *In veritate proferet judicium,* v. 4. *non erit turbulentus, donec ponat in terra judicium etc.* (Hunc locum propheticum Augustinus lib. 20. de civit. Dei c. 30. itidem ad novissimum judicium accommodat. *Judicium*, inquit, *gentibus protulit, quia pronuntiavit futurum, quod gentibus erat occultum. In veritate judicium*
x. 123. *protulit, praedicens eis, quando puniendi essent, si in sua malignitate persisterent etc. donec ponat in terra judicium: Ecce manifestatum est, quod absconditum quaerebamus. Hoc enim est novissimum judicium, quod ponet in terra, cum venerit ipse de coelo, de quo jam videmus impletum, quod hic ultimum positum est: Et in nomine ejus gentes sperabunt. Per hoc certe quod negari non potest etiam illud credatur, quod impudenter negatur etc.* Sed rectius de primo Christi adventu hoc oraculum accipitur, in quo *judicium gentibus protulit*, h. e. per evangelii praedicationem gentes ad regnum sui consortium vocavit, ut secundum illius leges porro viverent, *protulit judicium in veritate*, h. e. poenitentiam agentes docuit, quomodo vitam Deo gratam instituere debeant etc.) Esa. 45, v. 23: *Per me ipsum juravi, ait Dominus, et exiit de ore meo verbum justitiae et non revertetur, quod mihi curvabitur omne genu.* (Hoc oraculum apostolus Rom. 14, v. 11. accommodat ad extremum judicium. *Omnes*, inquit, *sistemur ante tribunal Christi, scriptum est enim, vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi se flectet omne genu et omnis lingua confitebitur Deo.* Cum enim v. 8. *de primo Christi adventu* dictum fuerit, ideo propheta subjungit oraculum de *secundo Christi adventu* ad judicium.) Esa. 66, v. 15: *Ecce Dominus in igne veniet et tanquam turbo quadrigae ejus ad reddendum in ira furorem suum et increpationem suam in flamma ignis,* v. 16. *quia in igne Dominus judicabit et in gladio suo omnem carnem, et multi erunt interfecti a Domino.* v. 18. *Et ego opera eorum et cogitationes eorum visitabo, quando veniet tempus, ut congregem gentes omnes et linguas omnes, et venient et videbunt gloriam meam.* (In praecedentibus vaticinatus erat propheta de resurrectione mortuorum v. 14. *ossa vestra germinabunt tanquam herba*, in sequentibus de aeterna piorum gloria et aeterna impiorum ignominia v. 23. *erit sabbatum ex sabbato*, v. 24. *vermis eorum non morietur etc.* ergo haec intermedia verba recte accipiuntur de judicio extremo, quod inter resurrectionem mortuorum ac damnationem impiorum erit intermedium et in quo Deus *veniet cum flamma ignis.* Confer 2. Thessal. 1, v. 7. et sqq. Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 21: *Poenam judicii significat, quandoquidem ipsum Dominum quasi ignem dicit esse venturum eis, profecto quibus poenalis erit ejus adventus. Currus vero ejus, qui pluraliter dicti sint, angelica ministeria non inconvenienter accipimus; quod autem ait, omnem terram et omnem carnem in ejus igne et in gladio judicari, non etiam hic spirituales intelligamus et sanctos, sed terrenos atque carnales, de quibus dictum est: Qui terrena sapiunt et quales omnino caro appellantur a Domino etc. Quod vero hic positum est: Multi vulnerati erunt a Domino, isto vulnere fiet mors secunda. Potest quidem et ignis et gladius et vulnus accipi in bono, nam et ignem Dominus velle se dixit mittere in mundum, et visae sunt illis linguae divisae, velut ignis, quando venit Spiritus sanctus. Et non veni, inquit idem Dominus, pacem mittere in terram, sed gladium. Et sermonem Dei dicit Scriptura gladium bis acutum propter aciem geminam testamentorum duum. Et in Cantico canticorum caritate se dicit sancta ecclesia vulneratam*

velut amoris impetu sagittatam. Sed hic cum legimus vel audimus, ultorem Dominum esse venturum, quemadmodum haec intelligenda sint, clarum est. Deinde breviter commemoratis eis, qui per hoc judicium consumentur, sub figura ciborum in lege vetere vetitorum, a quibus se non abstinuerunt, peccatores impiosque significans recapitulat ab initio
XIX. 124. *gratiam novi testamenti a primo Salvatoris adventu usque ad ultimum judicium perducens finiensque sermonem etc.* Et postea: *Haec cum de ista, quae nunc impertitur ecclesiae, perspicua nobisque novissima Dei miseratione dixisset, promisit et fines, ad quos per ultimum judicium facta bonorum malorumque discretione venietur etc. ad hoc enim propheta terminavit librum, ad quod terminabitur seculum.*) Jer. 23, v. 19: *Ecce turbo Dominicae indignationis egredietur et tempestas erumpens super caput impiorum veniet*, v. 20. *non revertetur furor Domini, usque dum faciat et usque dum compleat cogitationem cordis sui, in novissimis diebus intelligetis in ea intellectum.* Idem repetitur c. 30, v. 23. et v. 24. Ezech. 34, v. 17: *Et vos pecus meum, sic dixit Dominus Deus: Ecce ego judicans inter pecus et pecus, arietes et hircos.* (Confer Matth. 25, v. 32: *Separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis.*) Daniel postquam de successione quatuor monarchiarum fuerat vaticinatus, subjungit c. 2, v. 44: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur* (intelligitur spirituale et coeleste regnum Christi, quod durantibus adhuc summis illis mundi imperiis erigi coepit, illud non concluditur certa periodo, sicut regna mundana, sed durat in omnem aeternitatem et est proprium Christi regnum, unde addit propheta) *et regnum ejus alteri populo non tradetur, comminuet autem et consumet universa regna haec et ipsum stabit in aeternum* (hoc fiet in novissimo die et in secundo Christi ad judicium adventu, tunc enim omnia mundi regna finem habebunt, solum autem Christi regnum persistet aeternum. Confer 1. Cor. 15, v. 24.). v. 45. *Propterea vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus et comminuit testam et ferrum et aes et argentum et aurum.* (Christus qui est spiritualis *petra* 1. Cor. 10, v. 4. *ac lapis probatus* Esa. 28, v. 16. 1. Petr 2, v. 6. repentino adventu in novissimo die ad judicium apparebit Luc. 21. v. 35. 1. Thess. 5, v. 2 non aliter ac si praegrandis quidam lapis a monte subito avulsus obvia quaeque prosternat ac comminuat, sic Christus in suo ad judicium adventu omnia mundi regna destruet, ut nec vestigium eorum superstes maneat. Vincentius Lerinensis in opusc. de fine mundi: *Ipse lapis erit Dominus noster Iesus Christus, qui venit a se ipso, quem alius homo non mittit, quia ipse super omnes est. Et percutiet istam statuam, h. e. mundum, per conflagrationem et eam inflammabit et in favillam reducetur, quia omne elementatum comburetur in uno puncto, ita quod non videbitur iste mundus nisi una favilla.*) Idem propheta postquam c. 7. de Turcica tyrannide vaticinium ediderat, subjungit consolationem, fore ut Christus ultimo suo ad judicium adventu Turcicum illud jugum dissolvat ac pios ad vitam aeternam evehat. v. 9. *Adspiciebam, donec throni positi sunt* (ad judicium celebrandum Matth. 19, v. 28. Luc. 22, v. 30: *Sedebitis super duodecim thronos.* Apoc. 4, v. 2: *Ecce sedes posita erat in coelo et supra sedem sedens.* v. 4: *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor et super thronos viginti quatuor seniores sedentes*) *et Antiquus dierum sedit* (Pater coelestis aeternus Deus per Filium judicabit mundum Act. 17, v. 31.) *vestimentum ejus candidum quasi nix et capilli capitis ejus quasi lana munda*, (candor vestimenti summam puritatem, sanctitatem ac majestatem, canicies capillorum aeternitatem notat, unde eadem tribuitur Filio, qui est Patri συναΐδιος, Apocal. 1, v. 14.) *thronus ejus flammae ignis, rotae ejus ignis accensus* (confer Psalm. 50, v. 3. Esa. 66, v. 15: *Ecce Dominus in igne veniet*, Deuter. 4, v. 24.
Hebr. 12, v. 29: *Deus noster ignis consumens est*, XIX. 12
denotatur per hunc ignem justitiae et judicii zelus). v. 10. *Fluvius igneus fluebat et egrediebatur a facie ejus.* (Quidam hoc referunt ad processionem Spiritus sancti a Patre, sed videtur commodius referri ad fulmen damnatoriae sententiae, quod contra impios in die novissimo ex throno Dei vibrabitur, *Ite maledicti in ignem aeternum* Matth. 25, v. 41. ut fluvius igneus paleas, sic divina ira impios comburet). *Millia millium ministrabant ei et decies centena millia assistebant ei.* (Matth. 25, v. 31: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae.* Jud. v. 14: *Ecce venit Dominus cum sanctis myriadibus*), *judicium sedit* (assessores judicii μετωνυμικῶς) *et libri aperti sunt*, (ut ex illis judicium fieret, confer Apocal. 20, v. 11: *Vidi thronum magnum candidum et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit terra et coelum et locus non est inventus eis*, v. 12. *et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt et alius liber apertus est, qui est vitae, et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera eorum.*) v. 13. *Adspiciebam in visione noctis et ecce in nubibus coeli, quasi filius hominis veniebat usque ad Antiquum dierum et in conspectu ejus appropinquare fecerunt eum* (Joh. 5, v. 27: *Pater dedit Christo potestatem judicium faciendi, quia Filius hominis est.* Act. 17, v. 31: *Statuit Deus diem, in quo judicaturus est orbem terrarum in justitia per virum, in quo decrevit.* Matth. 24, v. 30: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli*), v. 14. *et dedit ei potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient, potestas ejus est potestas aeterna, quae non auferetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Ad faciendum judicium requiritur omnipotentia, omniscientia ac divina majestas, quae Christo vivorum et mortuorum judici constituto in tempore data est. Confer Roman. 14, v. 10: *Omnes stabimus ante tribunal Christi*, v. 11. *scriptum est enim, vivo ego, dicit*

Dominus, mihi curvabitur omne genu et omnis lingua confitebitur Deo. Obvertitur huic interpretationi, qua propheticum oraculum ad secundum Christi adventum ad judicium accommodatur, 1. *quod Christus non in ultimo suo adventu, sed in ascensione ad coelos in conspectu Patris coelestis sit adductus;* 2. *quod non in reditu ad judicium, sed in exaltatione sua ad dextram Patris potestatem, gloriam et regnum in omnes populos acceperit;* 3. *quod hostes innuantur oppugnare ejus regnum, quos in die judicii penitus conteret.* Respondemus: describitur in visione prophetica gloriosa Christi secundum humanam naturam exaltatio, quae initium accepit in ipsa adscensione et durabit in omnem aeternitatem. Proinde cum evidens testimonium, quin et actus quidam conspicuus illius glorificationis et exaltationis sit *reditus Christi ad judicium*, ideo oraculum propheticum non immerito ad illum accommodatur. Hieronymus in comm.: *Sedens et vetustus dierum dicitur Deus, ut aeterni judicis habitus demonstretur. Quod capilli ejus lanae mundissimae comparantur, purum ostenditur sincerumque judicium et nullam personam judicando recipiens. Senex quoque describitur, ut maturitas comprobetur sententiae: Thronus ejus flamma ignis, ut peccatores tormentorum magnitudinem pertimescant et justi salventur, sic tamen quasi per ignem etc. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur e facie ejus, ut peccatores traheret in gehennam. Libri aperti sunt, hoc est conscientia et opera singulorum in utramque partem vel bona vel mala omnibus revelantur. Bonus liber est, quem saepe legimus, liber viventium; malus liber, qui in accusatoris tenetur manu,*
IX. 126. *qui est inimicus et vindex, de quo et in Apocalypsi legitur, accusator fratrum nostrorum.* Confer Baldu. adv. typ. 6. Ose. 13, v. 12: *Ligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus.* v. 13. *Dolores parturientis venient ei* (Hieronymus in comm.: *Quomodo si ligetur quid in sacculo, conservatur et non perit ei, cui ligatum est; sic omnis iniquitas, qua in Deum peccavit Ephraim, colligata est ei et abscondita et quasi in marsupio reservatur. Denique cum dies ultionis advenerit et extrema captivitas, dolores quasi parturientis venient ei seu apprehendent illum. Mulier parturiens multo antequam pariat, ex eo tempore, quo concepit, scit se esse parituram, et exspectat quotidie extrema tormenta cruciatusque venturos; ita et Ephraim filius insipiens etc. cum dies parturitionis advenerit, aut stare aut sufferre non poterit.* 1. Thess. 5, v. 3: *Cum dicent: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti et non effugient.*) Joël 1, v. 15: *Clamate ad Dominum, ah, ah, diei, quia prope est dies Domini et tanquam vastitas ab omnipotente veniet.* c. 2, v. 1: *Contremiscant omnes habitatores terrae, quia venit dies Domini, quia prope est,* v. 2. *dies tenebrarum et caliginis, dies nubis et obscuritatis* (vaticinatur quidem proprie et directe propheta de excidio a Babyloniis populo Israëlitico inferendo, interim quia excidium illud finalis judicii fuit praeludium, ideo ad illud non immerito accommodari potest). v. 3. *Ante faciem ejus ignis vorax et post eum exurens flamma.* v. 10. *A facie ejus contremuit terra, moti sunt coeli, sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum* (confer Matth. 24, v. 29. Marc. 13, v. 24. Luc. 21, v. 25.), v. 11. *et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra ejus, quia fortia et facientia verbum ejus* (haec sunt castra angelica coelestis militiae, parata ad faciendum Dei verbum, Genes. 32, v. 2. 2. Regum 6, v. 17. Psalm. 34, v. 8. Luc. 2, v. 13), *magnus enim dies Domini et terribilis valde, et quis sustinebit eum?* v. 12. *Nunc ergo convertimini ad me, dicit Dominus* (Actor. 17, v. 30: *Praecipit Deus omnibus ubique hominibus, ut poenitentiam agant,* v. 31. *eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem terrarum in justitia*). v. 18. *Zelo ardebit Dominus super terram et parcet populo suo.* v. 30. *Et dabo prodigia in coelo et in terra, sanguinem et ignem et vaporem fumi,* v. 31. *sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis* (*magnus* vocatur dies novissimus propter res magnas, quae in eo gerentur, *terribilis* dicitur respectu impiorum), v. 32. *et omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (piis et electis, qui ex vera fide Deum invocant, erunt dies laetitiae et salutis. Hieronymus in comm. Joël 1: *Dies retributionis omnium delictorum illa est, de qua universi scribunt prophetae.* in comm. c. 2: *Diem Domini intellige diem judicii etc. dies poenarum est et angustiae, quia cuncta poenarum plena sunt et cruciatuum etc. Similis ei non fuit a principio et post eum non erit. Omnia enim mala, quae veteribus historiis continentur, aut inundatione maris, aut alluvione fluminum, aut pestilentia, morbis, fame, bestiis, hominum vastitate hominibus acciderunt, hic suppliciis, quae in die sunt reddenda judicii, non poterunt comparari etc.*) Joël 3, v. 1: *Quia ecce in diebus illis et in tempore illo, cum convertero captivitatem Iuda et Ierusalem* (post reditum ex Babylonica captivitate, imo etiam post liberationem ecclesiae a tyrannide antichristiana), v. 2. *congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Iosaphat*
(Josaphat significat *judicium Dei,* symbolice igitur XIX. 127.
exprimitur locus judicio destinatus, qua de re plura inferius) *et disceptabo cum eis super populo meo et hereditate mea Israël, quos disperserunt in nationibus et terram meam diviserunt* (summam vindictam ab hostibus ecclesiae, qui rationem factorum suorum reddere cogentur). v. 12. *Consurgant et adscendant gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* v. 13 *Mittite falces, quoniam maturuit messis, venite et descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum* (Matth. 24, v. 31: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et omnes angeli cum eo.* Apocal. 14, v. 14: *Et vidi, et ecce nubes candida et sedens super eam similis*

Filio hominis habens in capite coronam auream et in manu ejus falx acuta, v. 15. *et alius angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora. ut metatur, quoniam aruit messis terrae*). v. 14. *multitudo, multitudo in valle concisionis* (in illo loco, in quo Dominus hostes suos conscindet ac consumet), *quia in propinquo est dies Domini in valle concisionis*. v. 15. *Sol et luna obtenebrabuntur et stellae retrahent splendorem suum*, v. 16. *et Dominus de Sion rugiet et de Jerusalem dabit vocem suam et movebuntur coeli et terra* (Christus leo *de tribu Juda* Apocal. 5, v. 5. qui in Sion et Jerusalem. h. e. in vera ecclesia colitur, in ultimo suo adventu commovebit coelum et terram ac adversus impios horribilem sententiam damnatoriam pronuntiabit: *Discedite a me maledicti*) *et Dominus spes populi sui et fortitudo filiorum Israël*. (Pii in novissimo die *attollent capita sua, quia appropinquat redemtio ipsorum* Luc. 21, v. 28). Postea concludit prophetiam symbolicam aeternae laetitiae et gloriae descriptione. Amos 5, v. 18: *Vae desiderantibus diem Domini* (loquitur de impiis ex impatientia malorum diem novissimum desiderantibus, in piis enim desiderium hujus diei commendatur 2 Tim 4, v. 8.) *ad quid enim eam vobis* (desideratis et optatis)? *dies Domini ista tenebrae et non lux* (tenebrae significant tristitiam et infelicitatem, sicut contra lux laetitiam et prosperitatem. Hieronymus in comm.: *Nulli dubium est, omnes nostros diem tenebrarum diem intelligere judicii*. Sensus igitur est, quod impii nihil levamenti vel in morte vel in die novissimo sint percepturi, sed potius a malis minoribus ad majora, a temporalibus angustiis ad cruciatus aeternos transituri, id quod similitudine quadam declarat propheta). v. 19. *Quemadmodum si fugiat vir a facie leonis et occurrat ei ursus, ac si quis domum ingrediatur et innitatur manu sua super parietem et mordeat eum coluber*. v. 20. *Numquid non tenebrae erit dies Domini et non lux, caligo et non splendor in ea?* (repetitio auxesin et confirmationem continet.) Soph. 1. v. 12: *Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis*. (Hieronymus d. l: *In fine mundi, quia dies Domini ipsa intelligitur, scrutabitur Dominus Jerusalem, hoc est ecclesiam suam, cum lucerna et ulciscetur super viros contemtores, qui noluerunt servare mandata Domini et insuper blasphemaverunt in cordibus suis, quod nihil prodesset benefacere nec obesset male agere, quia nec bonorum operum praemium, nec malorum poenam restitueret. Deus ideo ait*:) *Visitabo super viros defixos in faecibus suis, qui dicunt in cordibus suis, non faciet bene Dominus et non faciet male etc.* v. 14. *In propinquo est dies Domini magnus et velox nimis, sonitus diei Domini*
XIX. 128. *amare clamabit ibi fortis*, v. 15. *dies illa dies tribulationis et angustiae. dies tumultus et perturbationis erit, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et obscuritatis*, v. 16. *dies tubae et clangoris super civitates munitas et super angulos excelsos* (calamitates temporales sunt praeludia et initia maloru quae in die novissimo opprimient impios, unde a ditur) v. 18: *In igne zeli devorabitur omnis terr quia consummationem cum festinatione faciet cu ctis habitantibus terram* (ira divina incendii inst omnia consumet). Confer 2. Petr. 3, v. 10. in c novissimo *elementa calore solventur, terra autem quae in ipsa sunt opera exurentur*. Hieronymus comm. etiam praecedentia verba v. 10: *Vox clam ris a porta piscium prima et ululatus a secunda contritio magna a collibus*, ad diem judicii acco modat. *Prima*, inquit, *porta oculorum erit, q exhibebuntur nobis peccata nostra ante oculos n stros etc. et postquam compunctus clamaverit a prin oculorum porta, ululabit etiam a secunda, quam aures intelligere possumus et conteritur in nol quidquid fuerit excelsum etc. vel lugebunt a por prima, qui suum baptisma non servaverunt, lugebu a secunda, qui non egerunt pro peccatis digna poenitentiam etc.* Sed hoc videtur paulo coactiu Hagg. 2, v. 7: *Haec dicit Dominus exercituum Adhuc modicum tempus superest, et ego commove coelum et terram et mare et aridam et move omnes gentes, et tunc veniet desideratus omnib gentibus*. (Proprie et principaliter hoc vaticinium ag *de primo Christi adventu*, ut ex sequentibus verbis co ligitur *et implebo domum illam gloria*, interim auct epistolae ad Hebraeos c. 12, v. 26. illud *ad secundu Christi adventum* accommodare quibusdam videtu cum inter tempora primum et secundum Christi adve tum praecedentia sit quaedam analogia et convenienti Quemadmodum enim ante primum Christi adventu horribilia bella praecesserunt, quibus totus terraru orbis fuit quasi concussus; ita quoque ante secundu Christi adventum *gens contra gentem et regnum contr regnum exsurget*. Quemadmodum in primo Christi a ventu coelum et terra fuerunt mota, ita quoque in se cundo Christi adventu *movebitur coelum*, quia Christu cum omnibus angelis et sanctis e coelo descendit, *m vebitur terra*, quia mortui e sepulcris excitabuntur omnes homines ad Christi tribunal congregabuntu Sed verba epistolae ad Hebr. convenientius de prim Christi adventu accipiuntur, quia per praedicatione evangelii multi ex omnibus populis in universa terr sunt conversi et coelum quasi apertum, ac Deus d super effudit Spiritum S. super omnem carnem, qui omnia in mundo renovavit ac credentibus in Chr stum liberum in coelum aditum patefecit, tunc etia Leviticum sacerdotium cum ceremoniis legalibus omni cultu Mosaico fuit σαλευόμενον, concussum abolitum, contra vero aeternum et immobile Chris sacerdotium ac regnum sancitum, in quo etiam bo na coelestia et aeterna μὴ σαλευόμενα credentibu conferuntur, atque haec est illa ἀσάλευτος βασιλεί quam vera fide a nobis apprehendi et suscipi aucto epistolae jubet v. 28.) Zach. 12, v. 10: *A[illegible]spicien ad me, quem confixerunt, et plangent eum planct quasi super unigenitum et dolebunt super eum, doleri solet in morte primogeniti*. (Hoc vaticiniu Johannes Apoc. 1, v. 7. accommodat ad novissimu

Christi adventum ad judicium: *Ecce venit cum nubibus et videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terrae.* In die novissimo et judicio extremo omnes tam
129. pii quam impii Christum judicem oculis corporeis videbunt, illi quidem ad gloriam et laetitiam, hi vero ad opprobrium et tristitiam. Speciatim autem eorum, qui ipsum pupugerunt sive in cruce confixerunt, mentio fit, quia illi maximo doloris sensu afficientur, cum viderint eum, tam ignominiose ac crudeliter a se exceptum, tanta coruscare gloria et majestate. Adde quod omnes impii pessimis suis dictis et factis denuo quasi *Christum sibi crucifigant* Hebr. 10, v. 29. ac persecutores Christum in suis membris pungant et configant Zach. 2, v. 8. Act. 9, v. 4. Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 30. circa med.: *Poenitebit in illa die Judaeos etiam eos, qui accepturi sunt Spiritum gratiae et misericordiae, quod in ejus passione insultaverunt Christo, cum ad eum adspexerint in sua majestate venientem eumque esse cognoverint, quem prius humilem in suis parentibus illuserunt, quamvis et ipsi parentes eorum tantae illius impietatis auctores resurgentes videbunt eum, sed puniendi jam non adhuc corrigendi etc.*) Zach. 14, v. 5: *Veniet Dominus Deus meus et omnes sancti ejus cum eo* (conf. Jud. 14.). Malach. 3, v. 1: *Ecce venit, dicit Dominus exercituum,* v. 2. *et quis poterit sustinere diem adventus ejus, et quis stabit, cum apparuerit?* v. 3. *Ipse quasi ignis conflans et quasi sapo fullonum etc.* (Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 25. hoc vaticinium accommodat ad secundum Christi adventum, in quo ut justus judex veniet contra eos, qui primum adventum gratiae neglexerunt. *Ex his*, inquit, *videtur evidentius apparere, in illo judicio quasdam quorundam purgatorias poenas futuras etc. nisi forte sic eos dicendum est emundari a sordibus et eliquari quodammodo, cum ab eis mali per poenale judicium separantur, ut illorum segregatio atque damnatio purgatio sit istorum, quia fine talium de cetero commixtione victuri sunt etc. porro in plena perfectaque justitia cum mandati fuerint, ipsi erunt, quid enim acceptius Deo tales offerunt, quam se ipsos?* c. 26. *Quia post judicium, cum fuerint etiam igni mundati, qui ejusmodi mundatione sunt digni, in omnibus sanctis nullum invenietur omnino peccatum, atque ita se ipsos offerent in justitia, ut tales hostiae omnimodo immaculatae ac sine ullo vitio sint futurae, erunt profecto sicut pristinis diebus et sicut annis prioribus, quando in umbra hujus rei futurae mundissimae offerebantur hostiae. Haec erit namque mundatio tunc in immortali carne ac mente sanctorum, quae figurabatur in illarum corporibus hostiarum. Deinde propter eos, qui non mundatione, sed damnatione sunt digni. Et accedam, inquit* (v. 5.), *ad vos in judicium et ero testis velox super maleficos et super adulteros etc. quibus damnabilibus criminibus enumeratis addidit.* (v. 6.): *Quoniam ego Dominus Deus vester, et non mutor, tanquam diceret, cum vos mutaverit et in deterius culpa vestra et in melius gratia mea, ego non mutor. Testem vero se dicit futurum, quia in judicio suo non indiget testibus, eumque velocem, sive quia repente venturus est, eritque judicium ipso inopinato ejus adventu celerrimum, quod tardissimum putabatur, sive quia ipsas convincet sine ulla sermonis prolixitate conscientias etc. Etiam sic ergo Dominus futurus testis intelligendus est velox, cum sine mora revocaturus est in memoriam, unde convincat puniatque conscientiam.* Haec Augustinus quibus conformia habet Hieronymus in comment. Sed ex antecedentibus et consequentibus apparet, Malachiam *de primo Christi adventu* proprie κατὰ ῥητὸν hoc loco agere, ejus enim praecursor fuit Johannes Baptista, et hic ipse adventus pontificibus, sacerdotibus, Levitis etc.
corruptelas suas taxari sentientibus fuit ingratus et XIX. 130.
adversus.) In eodem c. 3, v. 16: *Attendit Dominus et audivit et scriptus est liber monimenti coram eo pro timentibus Dominum et cogitantibus nomen ejus.* v. 17. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, quam ego facio in peculium, et parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi,* v. 18. *et convertemini et videbitis, quid sit inter justum et impium et inter servientem Deo et non servientem ei.* (Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 27. itidem hoc refert ad judicium novissimum. *Haec distantia*, inquit, *praemiorum atque poenarum justos dirimens ab injustis, quae sub isto sole in hujus vitae vanitate non cernitur, quando sub illo sole justitiae in illius vitae manifestatione clarebit, tunc profecto erit judicium, quale nunquam fuit.*) Malach. 4, 1: *Ecce enim dies venit succensa quasi caminus et erunt omnes contemtores et omnes facientes impietatem stipula et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quae non derelinquet eis radicem et ramum.* v. 2 *Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiae et sanitas in pennis ejus. Et egrediemini et crescetis sicut vituli, qui saginantur.* v. 3. *Et calcabitis impios, quia erunt cinis sub planta pedum vestrorum, quam ego facio, dicit Dominus exercituum.* (Quidam accipiunt hoc vaticinium *de excidio Hierosolymitano* ac primo Christi adventu, sed Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum, Irenaeus lib. 4, c. 8. Hieronymus in commentar. et Augustinus d. l. referunt inter oracula prophetica *de extremo judicio* et fine mundi, in quo vel maxime *ira Dei quasi clibanus adversus omnes impios ardebit* ac instar stipulae eos absumet, conf. Matth. 3, v. 12; piis contra Christus in novissimo suo adventu tanquam verus sol illucescet, corda ipsorum exhilarans et vitae ac sanitatis aeternae eos participes faciens. *Dies judicii*, ait Hieronymus, *sanctis erit lux et peccatoribus tenebrae, et ipsa dies erit succensa quasi caminus, ut omnes impii vertantur in stipulam et camini crementur ardoribus. Cumque eos inflammaverit atque combusserit, non relinquet in eis ullam radicem et germen. E contrario dicitur, quod timentibus nomen Domini orietur sol justitiae, qui vera omnia judicabit et nec bona nec mala, nec virtutes nec vitia latere pa-*

tietur, et sanitas erit in pennis ejus, ut sanatos per poenitentiam portet in humeris suis, Deut. 32. *Tunc egredientur, qui nunc seculo quasi carcere sunt inclusi, et salient quasi vituli de armento etc.*) In eodem capite 4, v. 4: *Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israël praecepta et judicia.* (Augustinus d. l. c. 28: *Quod subjungit idem propheta, Mementote legis Moysi, opportune commemorat, post declaratum tam magnum futurum inter observatores legis contemtoresque discrimen, simul etiam ut discant legem spiritualiter intelligere et inveniant in ea Christum, per quem judicem facienda est inter bonos et malos ipsa discretio etc. carnaliter quippe accipiendo legem et ejus promissa terrena rerum coelestium figuras esse nescientes in illa murmura corruerunt, ut dicere auderent: Vanus est qui servit Deo. Et quid amplius, quia custodivimus mandata ejus etc. Quibus eorum verbis quodammodo propheta compulsus est novissimum praenuntiare judicium, ubi mali nec saltem falso sint beati, sed apertissime appareant miserrimi, et boni nulla temporali saltem miseria laborent, sed clara ac sempiterna beatitudine perfruantur.*) v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et terribilis,* v. 6. *et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres, ne veniam et percutiam terram anathemate.* (Matth. 11, v. 13. c. 17, v. 12. Marc. 9, v. 13. Luc. 1, v. 17. hoc refertur ad Johannem Ba-
XIX. 131. ptistam, Christi in primo adventu praecursorem. Augustinus d. l. et multi ex veteribus ad secundum Christi adventum accommodant, cum Marc. 9, v. 12. Elias secundus ea ratione venisse dicatur, ut tertius aliquis Elias ante secundum Christi adventum exspectandus innuatur, non quidem ut Pharisaei et eos secuti Pontificii nugantur, quasi in propria persona Elias *Thesbites* sit venturus, nam nec Johannes Baptista fuit talis Elias Joh. 1, v. 21. sed quod eximius aliquis ecclesiae doctor in spiritu et virtute Eliae novissimum Christi adventum sit proxime praecessurus. Talis vero fuit Lutherus, qui corruptelas Pontificias magno zelo aggressus doctrinae repurgationem in ecclesia suscepit. Confer locum de eccles. § 291.)

5. Ex libris apocryphis.

14. 5. *In libris apocryphis* haec occurrunt dicta In 4. libro Esdrae c. 7, v. 32: *Terra reddet, quae in ea dormiunt, et pulvis, qui in silentio habitant,* v. 33. *et revelabitur Altissimus super sedem judicii et pertransibunt miseriae et longanimitas congregabitur;* v. 34. *judicium autem solum remanebit, veritas stabit et fides convalescet et opus subsequetur;* v. 35. *merces ostendetur et justitiae vigilabunt et injustitiae non dominabuntur.* v. 43. *Dies judicii erit finis temporis hujus et initium temporis futurae immortalitatis, in quo transivit corruptela,* libri ejusd. c. 14, v. 35: *Judicium post mortem veniet, quando iterum reviviscemus, et tunc justorum nomina parebunt et impiorum facta ostendentur.* Judith. 16, v. 20: *Dominus omnipotens vendicabit in eos* (ecclesiae hostes), *in die judicii visitabit illos;* v. 21. *dabit enim ignem et vermes in eorum carnes, ut urantur et sentiant usque in sempiternum.* Tob. 3, v. 2: *κρίσιν ἀληθινὴν καὶ δικαίαν σὺ κρίνεις εἰς τὸν αἰῶνα.* v. 5. *πολλαὶ αἱ κρίσεις σου εἰσὶ καὶ ἀληθιναί.* Sapient. 1, v. 9: *ἐν γὰρ διαβουλίοις ἀσεβοῦς ἐξέτασις ἔσται, λόγων δὲ αὐτοῦ ἀκοὴ πρὸς κύριον ἥξει εἰς ἔλεγχον ἀνομημάτων αὐτοῦ.* v. 10. *ὅτι οὖς ζηλώσεως ἀκροᾶται τὰ πάντα.* c. 3, v. 7: *Justi in tempore visitationis eorum refulgebunt et tanquam scintillae in stipula discurrent,* v. 8. *judicabunt gentes et dominabuntur populis et regnabit eorum Dominus in secula* (confer Matth. 19, v. 28. 1. Cor. 6, v. 2.). v. 10. *At impii sicut cogitaverunt, habebunt correptionem, qui neglexerunt justum et a Domino recesserunt.* c. 4, v. 19. *Impii erunt post hoc in ruinam sine honore et in contumelia inter mortuos per seculum, quoniam disrumpet illos sine voce pronos et commovebit illos a fundamentis et usque ad supremum desolabuntur, et erunt in dolore et memoria eorum peribit.* v. 20. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et arguent illos ex adverso iniquitates ipsorum.* c. 5, v. 1: *Tunc stabit in confidentia multa justus contra faciem eorum, qui angustiaverunt eum et irritantium labores ejus.* v. 2. *Videntes turbabuntur timore vehementi et stupebunt in insperata salute, ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας etc.* v. 16. *Justi autem in seculum vivent, et in Domino merces eorum et cogitatio ipsorum apud Altissimum.* v. 17. *Idcirco accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini etc.* v. 18. *accipiet armaturam zelum illius et armabit creaturam ad ultionem inimicorum,* v. 19. *induet thoracem justitiam et circumponet galeam judicium ἀνυπόκριτον,* v. 20. *sumet scutum ἀκαταμάχητον ὁσιότητα,* v. 21. *acuet autem duram iram in gladium, pugnabit vero cum illo mundus contra stultos etc.* c. 6. v. 2. *Audite reges et intelligite,* v. 4. *quoniam Altissimus exquiret vestra opera et cogitationes scrutabitur.* v. 6. *Horrende et cito instabit vobis, quoniam judicium durum in* XIX. 1[illegible]
his, qui praesunt, fiet. v. 7. *Potentes potenter tormenta patientur,* v. 8. *non enim subtrahet personam omnium dominator. nec verebitur magnitudinem, quia magnum et parvum ipse fecit, aequaliterque curam gerit de omnibus,* v. 9. *ac fortibus fortis instat scrutatio.* v. 11. *Qui custodierint juste justa, juste judicabuntur, et qui edocti fuerint ea, invenient responsionem.* Sirac. 18, v. 20: *Ante judicium para te ipsum ad benefaciendum et in hora visitationis invenies propitiationem* v. 24. *Memento irae in die consummationis et tempus retributionis in conversione faciei.* c. 35, v. 22. *Altissimus judicabit justos et faciet judicium,* v. 23. *et Dominus non tardabit,* v. 24. *donec reddat homini secundum actus ejus et opera hominum secundum cogitationes ejus;* v. 25. *donec judicet judicium populi sui et laetificabit eos in misericordia sua.* c. 41, v. 5: *Judicium omni carni in Domino* (loquitur proprie de morte, quae propter peccatum justo Dei judicio in omnes venit; in Graeco simpliciter dicitur *τοῦτο τὸ κρίμα*

τῇ σαρκὶ παρὰ Κυρίου). 2. Maccab. 7, v. 35: *Nondum enim omnipotentis Dei et omnia inspicientis judicium effugisti. Nam fratres mei modico nunc dolore tolerato sub testamento aeternae vitae effecti sunt, tu autem judicio Dei justas superbiae tuae poenas exsolves.*

15. 2. In Novo Testamento de secundo Christi adventu et extremo judicio Spiritus sancti oracula et numero plurima et pondere gravissima et claritate maxime perspicua habentur. Matth. 7, v. 22. inquit Christus: *Multi dicent mihi in illa die* (extremi judicii) *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? etc.* v. 23. *Tunc confitebor illis, nunquam novi vos, discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem* (confer Matth. 25, v. 41.). Matth. 10, v. 15: *Tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorraeorum in die judicii quam illi civitati* (quae oblatam in praedicatione evangelii gratiam proterve respuit; confer Marc. 6, v. 11. Luc. 10, v. 12. quibus in locis *diem judicii evidentissime praedicari asserit* Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 5.). Matth. 10, v. 26: *Nihil est opertum, quod non reveletur* (si non in hoc seculo, tamen in die judicii; confer Marc. 4, v. 22. Luc. 8, v. 17. c. 12, v. 2.). c. 11. v. 21. *Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii quam Chorazin;* v. 23. *terrae Sodomorum remissius erit in die judicii quam Capernaum* (conf. Luc. 10, v. 14.). c. 12, v. 36: *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii.* c. 12, v. 41: *Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione ista et condemnabunt eam;* v. 42. *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista et condemnabit eam etc.* (Confer Luc. 11, v. 31. et 32. Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 5: *Duas hoc loco res discimus, et venturum esse judicium, et cum mortuorum resurrectione venturum. De Ninivitis enim et regina Austri, quando haec dicebat, de mortuis sine dubio loquebatur, quos tamen in die judicii resurrecturos praedixit. Nec ideo dixit condemnabunt, quia et ipsi judicabunt, sed quia ex ipsorum comparatione isti merito damnabuntur etc.*) c. 13. v. 41. *In consummatione seculi mittet Filius hominis angelos suos et colligent de regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem,* v. 42. *et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus et stridor dentium.* v. 43. *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (confer v. 49. et 50. Augustinus d. l.). c. 16, v. 27: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* c. 19, v. 28: *Vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel.* (Confer Augustinum d. l. ubi ad judicium extremum accommodat verba Christi Matth. 12, v. 27. Luc. 11, v. 19: *Filii vestri,* hoc est apostoli, *erunt judices vestri.*) c. 24, v. 29. *signa* extremum judicium *in coelo, terra ac mari* praecessura annotata exstant (confer Marc. 13, v. 24. Luc. 21, v. 25.) et additur v. 30: *Tunc apparebit signum Filii hominis in coelo, et tunc plangent omnes tribus terrae et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute et gloria magna;* v. 31. *et mittet angelos suos cum tuba vocis magnae et congregabit electos suos a quatuor ventis.* c. 25, v. 31. et seqq. integer *processus* extremi judicii describitur. c. 26, v. 64: *Dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus coeli* (confer Marc. 14, v. 62.). Marc. 8, v. 38: *Quem puduerit mei et sermonum meorum etc., Filium etiam hominis pudebit ejus, quando venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis.* (Confer Luc. 9, v. 26. ubi posteriora verba sic habent: *cum venerit Filius hominis in gloria sua et Patris et sanctorum angelorum.*) Luc. 8, v. 17: *Non est occultum, quod non revelatur* (at in hac vita multa impiorum scelera notitiam et poenam effugiunt, restat ergo universale judicium). Luc. 17, v. 24: *Sicut fulgur coruscans ex una regione, quae sub coelo est,* in alteram, quae sub coelo est, *splendet; ita et erit Filius hominis in die suo.* (Quidam accipiunt *de primo Christi adventu* per praedicationem evangelii, praecedit enim v. 25. *venient dies, quando desiderabitis videre unum diem Filii hominis et non videbitis,* sed ex Matth. 24, v. 27. colligitur, posse etiam accipi *de secundo Christi ad judicium adventu,* quem illustrem et conspicuum fore docet, adeo ut in oculos omnium omnino hominum incurrat, id quod similitudine *fulguris* declarat, ac eo ipso simul innuit, adventum illum fore celerem, inopinatum ac repentinum. Chrysostomus homil. 77. in Matth.: *Quomodo fulgur, ut videatur, non indiget praecone aut nuntio, sed in momento temporum omnibus apparet; sic adventus ille ubique splendens statim videbitur.*) Luc. 21, v. 34. Christus gravissimis verbis ad preces et vigilantiam nos exhortatur, a crapula vero, ebrietate et curis hujus vitae praemonet, *ne dies judicii repentina nobis superveniat, tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae.* Joh. 5, v. 22: *Pater omne judicium dedit Filio;* v. 27. *dedit ei potestatem faciendi judicium, quia Filius hominis est.* (Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 6: *Hic ostendit, quod in ea carne veniet judicaturus, in qua venerat judicandus, ad hoc enim ait, quia Filius hominis est.*) c. 12, v. 48: *Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui judicet eum, sermo quem locutus sum, judicabit eum in die novissimo.* c. 14, v. 3: *Iterum veniam et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.* (Quidam accipiunt de reditu Christi ad apostolos in hac vita post resurrectionem, sed δεινότης verborum *accipiam vos* πρὸς ἐμαυτόν et collatio dicti apostolici 1. Thess. 4, v. 17. ostendunt, de secundo Christi adventu rectius accipi. Hieronymus lib. 2. adv. Jov.: *Et locus et mansiones, quas praeparare se dicit Christus apostolis, in domo utique sunt Patris, id est in regno coelorum non in terra, in qua praesens apostolos relinquebat.*) Act. 1, v. 11. Angeli de reditu Christi ad judicium sic loquuntur: *Hic Iesus, qui assumtus est a vobis in*

coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. Petrus Act. 3, v. 19. ad poenitentiam auditores exhortatur, argumento ducto ab ul-
XIX. 134. timo Christi adventu, ut consistere possint, *cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini et miserit eum, qui praedicatus est vobis, Iesum Christum*, v. 20. *quem oportet quidem coelum capere usque ad tempus restitutionis omnium.* c. 10, v. 42: *Praecepit Deus nobis* (apostolis) *testificari, quod ipse* (Jesus Nazarenus) *constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* c. 17, v. 30. Paulus itidem ad poenitentiam eodem argumento nos exhortatur: *Annuntiat Deus omnibus ubique hominibus, ut poenitentiam agant,* v. 31. *eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem terrarum in justitia per virum, in quo constituit.* c. 24, v. 25. Apostolus coram Felice una cum reliquis Christianae doctrinae capitibus *de futuro judicio* disserit. Rom. 2, v. 3: *An putas quod effugies judicium Dei?* v. 5. *Secundum duritiem tuam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei.* (Origenes lib. 2. in epist. Rom. c. 2. tom. 3: *Omnes homines per haec, quae agunt in hoc mundo, aut congregant in terra, aut in coelo, aut in thesauro irae Dei: Qui iniquus est, per duritiam cordis et cor impoenitens in thesauro irae actus suos recondit etc.*, v. 15. *Cogitationes hominum se invicem accusant aut etiam defendunt* v. 16. *in die, qua judicabit Deus occulta hominum secundum evangelium meum per Iesum Christum.* c. 3, v. 6: *Deus judicabit mundum.* c. 14, v. 10: *Omnes stabimus ante tribunal Christi,* v. 11. *scriptum est enim: vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi curvabitur omne genu.* 1. Cor. 1, v. 7: *Exspectantes revelationem Domini nostri Iesu Christi,* v. 8. *qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine in die Domini nostri Iesu Christi* (Vulgata addidit, *in die adventus*, sed in Graeco hoc non habetur). c. 4, v. 4: *Qui me judicat, Dominus est.* v. 5. *Nolite ergo ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo.* c. 6, v. 2: *An nescitis, quoniam sancti hunc mundum judicabunt?* v. 3. *Nescitis, quoniam angelos judicabimus.* c. 7, v. 29: *καιρὸς συνεσταλμένος ἐστί, parum temporis restat* ad Domini adventum, propinquus est finis seculi, ideoque temporalibus velut in transitu ac transcursu utamur, non autem corde illis adhaereamus. Quidam tamen malunt de tranquillitate illius temporis admodum brevi ac minime diuturna illud accipere. c. 16, v. 22: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, anathema, maranatha.* Quidam volunt *maranatha* esse unicam vocem Syriacam, quae apud Hebraeos sonet τὸ חֵרֶם, qua voce generalis quaedam designatur devotio, ut legatur Mecharem atha, h. e. tu sis maledictus, sed in codice Syriaco divisim scribitur מָרַן אֲתָא *Dominus noster venit*, et innuitur extremi anathematis formula, qua extremae Christi mundi judicis condemnationi peccator fuit addictus. Jud. v. 14. ἦλθε *Κύριος.* Sic exponunt Ambrosius in comm. Augustinus epist. 128. Theophylactus in comm. Talmudistae ejusmodi anathema vocant שַׁמַּתָּא, quod ex duobus propter frequentem ejus usum videtur coaluisse, nempe ex הַשֵּׁם et תָּא quod est *Domine veni;* quidam tamen volunt dictum quasi שָׁם מִיתָה *ibi mors.* Inter Hebraica vocabula, quae Hieronymi titulo circumferuntur *maranatha* exponitur *in adventu Domini.*) 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut referat unusquisque ea, quae per corpus gessit, sive bona sive mala.* Phil. 1, v. 6: *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Jesu Christi.* c. 3, v. 20. *Exspectamus e coelis salvatorem nostrum Dominum Jesum Christum.* Phil. 4, v. 5: ὁ κύριος ἐγγύς. Coloss. 3, v. 4: *Cum Christus apparuerit,* X.
vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria. 1. Thess. 4, v. 15: *Qui residui sumus in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt,* v. 16. *quoniam ipse Dominus in clamore, in voce archangeli et tuba Dei descendet de coelo.* c. 5, v. 2: *Scitis ἀκριβῶς, quod dies Domini sicut fur in nocte ita veniet.* v. 3. *Cum enim dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient.* v. 23. *Integer vester spiritus et anima et corpus sine querela servetur in adventu Domini vestri Jesu Christi.* 2. Thess. 1, v. 6: *Justum est apud Deum retribuere afflictionem illis, qui vos affligunt;* v. 7. *vobis vero, qui affligimini, relaxationem nobiscum, cum patefiet Dominus Jesus de coelo cum angelis suis potentibus* v. 8. *cum flamma ignis, infligens ultionem iis, qui Deum non noverunt, et iis, qui non auscultant evangelio Domini nostri Jesu Christi,* v. 9. *qui poenas dabunt aeterni exitii a facie Domini et a gloria virtutis ejus,* v. 10. *cum venerit, ut glorificetur in sanctis suis et admirandus fiat in credentibus omnibus in die illo.* c. 2, v. 8: *Christus destruet antichristum illustratione adventus sui.* 1. Tim. 6, v. 14: *Serves mandatum sine macula usque ad apparitionem Domini nostri Jesu Christi,* v. 15. *quem propriis temporibus ostendet beatus et solus potens, rex regum et dominus dominantium.* 2. Tim. 4, v. 1: *Testificor coram Deo et Domino Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, et per adventum ejus et regnum ejus.* v. 8. *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed et omnibus, qui diligunt adventum ejus.* Tit. 2, v. 13: *Expectantes beatam spem et apparitionem gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Hebr. 6, v. 2. inter fundamenta Christianismi refertur doctrina *de judicio aeterno.* c. 9, v. 27: *Statutum est homini semel mori, post hoc vero judicium.* v. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, secundo sine peccato apparebit expectantibus se in salutem.* c. 10, v. 27: *Voluntarie peccantibus relinquitur terribilis quaedam expectatio judicii et ignis aemulatio, quae consumtura est adversarios.* v. 30. *Dominus judi-*

cabit populum suum. v. 31. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* v. 37. *Qui venturus est, veniet et non tardabit.* c. 12, v. 23: *Accessistis ad judicem omnium Deum.* Jac. 2, v. 13: *Judicium sine misericordia erit ei, qui non exercuerit misericordiam.* 1. Petr. 2, v. 23: *Tradidit judicanti juste.* 1. Petr. 4, v. 5: *Impii rationem reddent ei, qui paratus est judicare vivos et mortuos.* 2. Petr. 2, v. 3: *Quibus τὸ κρῖμα, judicium damnatorium, jam olim non otiatur, et quorum exitium non dormitat.* v. 9. *Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos.* 2. Petr. 3, v. 3: *In novissimis diebus surgent ἐμπαῖκται,* v. 4. *dicentes, ubi est promissio adventus ejus?* v. 7. *Coeli qui nunc sunt et terra, eodem verbo repositi sunt, igni servari in diem judicii et perditionis impiorum hominum.* v. 10. *Adveniet dies Domini ut fur etc.* Jud. v. 14: *Prophetavit de his septimus ab Adam Enoch dicens, Ecce Dominus venit cum sanctis millibus,* v. 15. *facere judicium contra omnes et arguere omnes impios etc.* Apocal. 1, v. 7: *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus et qui pupugerunt eum et plangent super eum omnes tribus terrae; etiam, amen.* Apoc. 3, v. 3: *Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies, qua hora veniam.* c. 6, v. 12. dies judicii sic describitur: *Ecce terrae motus magnus factus est, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis,* v. 13. *et stellae coeli ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur,* v. 14. *et coelum*
136. *recessit, sicut liber involutus, et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt.* v. 15. *Et reges terrae et principes et divites et chiliarchi et fortes et omnis servus et omnis liber absconderunt se in speluncis et in petris montium* v. 16. *et dicunt montibus et petris, cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira agni,* v. 17. *quoniam venit dies magnus irae ipsorum et quis poterit stare?* c. 14, v. 14. *Vidi et ecce nubem candidam et super nubem sedentem similem Filio hominis habentem in capite suo coronam auream et in manu sua falcem acutam.* v. 15. *Et alius angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam et mete* (haec non sunt verba imperantis sed desiderantis, quia angeli non minus quam beatorum animae expetunt advenire tempus judicii adversus impios. Apocal. 6, v. 10. c. 12, v. 17.), *quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit messis terrae.* (messis est consummatio seculi Matth. 13, v. 39.) v. 16. *et misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram, et demessa est terra.* v. 17. *Et alius angelus exivit de templo, quod est in coelo, habens et ipse falcem acutam;* v. 18. *et alius angelus exivit de altari, qui habebat potestatem super ignem, et clamavit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam dicens: Mitte falcem tuam acutam et vindemia botros vineae terrae, quoniam maturae sunt uvae ejus.* v. 19. *Et misit angelus falcem suam acutam in terram et vindemiavit vineam terrae et misit in lacum irae Dei magnum.* (*lacus* voce hic non intelligitur aqua stagnans littoribus inclusa, sed lacus preli torcularii, in quo uvae exprimuntur, in Graeco est ληνός. Symbolice vero describitur *infernus*, in quem diaboli et omnes impii in die judicii projicientur, inque eo velut in torculari quodam torquebuntur.) v. 20. *Et calcatus est lacus extra civitatem* (Hierosolymam coelestem) *et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta* (symbolice denotatur multitudo damnatorum et justissima eorum poena, qui sanguinem piorum copiose effuderunt.). c. 16, v. 15. inquit Christus: *Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet et videant turpitudinem ejus.* c. 18, v. 20: *Exsulta super eam* (Babylonem), *coelum et sancti apostoli et prophetae, quia judicabit Deus judicium vestrum de illa* (in Graec. ἔκρινεν, sed praeteritum consueto more prophetico ponitur pro futuro. Sensus autem est, quod in extremo judicio Deus vendicaturus sit crudelitatem ac tyrannidem, quam persecutores adversus ecclesiam exercuerunt). c. 20, v. 4: *Vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis* (de hoc loco inferius ex professo agetur). v. 11: *Vidi thronum magnum et candidum et sedentem super eum* (Christum vivorum ac mortuorum judicem), *a cujus conspectu fugit coelum et terra et locus non est inventus eis.* v. 12. *Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt* (libri illi sunt tum *Dei omniscientia*, quam nihil quidquam eorum, quae in hoc mundo gesta sunt, fugit, tum *cujusque conscientia*, quia in illis libris opera singulorum scripta, ut ex seq. intelligitur) *et alius liber apertus est, qui est vitae* (significatur, quod Deus in judicio manifestum sit facturus, quinam sint electi, qui vere et perseveranter in Christum crediderunt, Phil. 4, v. 3. Apocal. 3, v. 15. c. 13, v. 8.) *et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* v. 13. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum.* XIX. 137.
(Augustinus libr. 20. de civ. Dei c. 14: *Ipsum novissimum judicium, quod erit in secunda resurrectione mortuorum, quae corporum est, recapitulando narrat, quomodo fuerit sibi revelatum etc. Libros dixit esse apertos et librum. Sed librum cujusmodi sit non tacuit, qui est, inquit, vitae uniuscujusque. Ergo illi libri, quos priore loco posuit, intelligendi sunt sancti veteres et novi, ut in illis ostenderetur, quae Deus fieri sua mandata jussisset, in illo autem, qui est vitae uniuscujusque, quid horum quisque non fecisset, sive fecisset. Qui liber si carnaliter intelligatur, quis ejus magnitudinem aut longitudinem valeat aestimare? aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scriptas sunt universae vitae justorum? An tantus angelorum numerus aderit, quantus hominum erit, ut et vitam suam quisque ab angelo sibi adhibito audiat recitari? non ergo unus liber erit omnium, sed singuli singulorum. Scriptura vero*

ista unum volens intelligi: Et alius, inquit, liber apertus est. Quaedam igitur vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam atque ita simul omnes et singuli judicentur, quae nimirum vis divina libri nomen accepit, in ea quippe quodammodo legitur, quidquid a faciente recolitur. Idem homil. 17. in Apoc. circa med. *libros apertos testamenta Dei,* dicit, *secundum enim utrumque testamentum judicabitur ecclesia*) c. 22, v. 7. inquit Christus: *Ecce venio velociter.* v. 12. *Ecce venio cito et merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua.* v. 20. *Etiam, venio cito. Amen, veni Domine Jesu.*

Quae in dictis hisce N. T. observanda. 16. De his N. T. dictis tria sunt observanda, 1. quod Christus Dei Filius, angeli, Johannes Baptista et omnes apostoli in concionibus suis *crebram* fecerint extremi judicii mentionem, eo ipso in genere omnes Christianos admonentes, ut judicii memoriam in corde suo perpetuo circumferant, in specie vero ecclesiae ministros, ut hoc doctrinae coelestis caput auditoribus suis quam diligentissime et creberrimo inculcent. 2. Quod dicta Scripturae, quae de primo Christi adventu et excidio Hierosolymitano agunt, prudenter distinguenda sint ab illis, quae proprie de secundo Christi adventu et totius mundi consummatione tractant. Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 5: *Multa praetereo, quae de ultimo judicio ita dici videntur, ut diligenter considerata reperiantur ambigua vel magis ad aliud pertinentia, sive scilicet ad eum Salvatoris adventum, quo per totum hoc tempus in ecclesia sua venit, h. e. in membris suis particulatim atque paulatim, quoniam tota corpus ejus est; sive ad excidium terrenae Hierosolymae, quia et de illo cum loquitur, plerumque sic loquitur tanquam de fine seculi atque de illo die judicii novissimo et magno loquatur, ita ut dignosci non possit omnino, nisi ea quae apud tres evangelistas, Matthaeum, Marcum et Lucam, hac de re similiter dicta sunt, inter se omnia conferantur. Quaedam quippe alter obscurius, alter explicat planius, ut ea quae ad unam rem pertinentia dicuntur, appareat. unde dicantur.* Confer eundem in epistol. ad Hesychium, cujus titulus est de fine seculi. 3. Quod Johannes Apocalypsin, adeoque omnes V. et N. T. libros vaticinio de Christi ad judicium adventu concludat: *Ecce venio cito*, eidemque desiderium sponsae hunc adventum cupide expetentis et exspectantis subjungat: *Veni Domine Jesu; ad hoc* scil. *terminans librum, ad quod terminabitur seculum*, sicut
XIX. 138. de Esaiae vaticinio loquitur Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 21. ac veram vere piorum notam describens, quod non minus desiderent Christi secundum adventum ad judicium, quam pii V. T. primum ejus in carnem adventum desiderarunt.

2. Ex divinis judiciis particularibus. 17. 2. *Ex particularibus judiciis divinis* jamdum antegressis, quae futuri, novissimi et universalis judicii sunt quaedam praeludia. Judicia illa exercuit Deus adversus tum *angelos* tum *homines*, quorum quidam poenitentiam egerunt et in gratiam recepti sunt, quidam vero in impoenitentia perseverantes aeterno exitio facti sunt obnoxii. Judicia Dei adversus homines sunt duplicis generis: Unum eorum est, quae plures *conjunctim*, alterum eorum, quae singulos *privatim* concernunt. Prioris generis sunt, quando eodem judicio multi corripiuntur, integri scil. populi, regiones et urbes, qualia fuerunt judicia *Sodomitarum, Aegyptiorum, Cananaeorum, Amorrhaeorum, Israëlitarum in deserto etc.* quo referri etiam possunt illa judicia, quibus non quidem integri populi, interim tamen aliqui ex toto populo corripiuntur, ut *adoratores vituli* Exod. 32. *Core, Dathan et Abiran seditiosi* Num. 16. *murmurantes contra Dominum* icti a serpentibus Num. 21. Posterioris generis sunt, quando unus aliquis separatim ac solus plectitur, ut *Cain, Ger, Onan, Usias, Giesi etc.* 1. In judicio Dei adversus *angelos malos* praeludium extremi judicii esse propositum docent Christus et apostoli. Christus in processu judiciali Matth. 25, v. 31. et seq. descripto ad damnatos in die novissimo sese his usurum verbis asserit v. 41: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus,* quo ipso ostendit, angelos malos et homines impios eodem judicio in die novissimo esse condemnandos. Irenaeus lib. 3. adv. haeres. c. 35: *Significat Christus, quod non homini principaliter paratus sit aeternus ignis, sed ei, qui seduxit et offendere fecit hominem, ei inquam qui princeps est apostasiae, principi abscessionis et his angelis, qui apostatae facti sunt cum eo, quem quidem juste percipient etiam hi, qui similiter ut illi sine poenitentia et sine regressu in malitiae perseverant operibus.* Leo serm. 4. de collect. et eleemos.: *Cum illo habituri sunt poenae communionem, cujus elegerunt facere voluntatem.* 1. Cor. 6, v. 3: *An nescitis, quod angelos simus judicaturi;* (quando Christus in die novissimo sententiam condemnatoriam contra angelos malos feret, eosque in ignem infernalem praecipitabit, sancti ejus judicio subscribent. Remigius in ann. illius loci p. 38: *Sancti amatores hujus mundi et malignos spiritus judicabunt exemplo fidei suae et comparatione melioris facti non sicut judices seculi*). 2. Petr. 2, v. 4: *Si Deus angelis non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit, damnationi servatos;* (est in his ἀνανταπόδοτον, subintelligendum enim, οὐδ' ἐκείνοις φείσεται. Verbum ταρταροῦν formatum a nomine τάρταρος significat in *tartarum* sive locum damnatorum *projicere. Catenae caliginis* sunt, quibus in caligine aliqui vinciuntur. Est enim in his verbis metaphora ducta a latronibus et aliis maleficis, qui catenis vincti in tetrum ac tenebricosum carcerem projiciuntur, in quo usque ad tempus judicii ac supplicii asservantur. Pari ratione Deus angelos apostatas e coelo deturbavit in inferiores partes terrae, ubi *catenis tenebrarum* vincti detinentur, quia nihil quidquam possunt sine divina permissione, privati sunt omni consolatione, laetitia ac XII.

spe secuturae liberationis. Matth. 8, v. 29. Luc. 8, v. 31. Ephes. 2, v. 2. c. 6, v. 12.) Jud. v. 6: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed reliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Huc referri potest, quod legitur in libro cui titulus Altercatio synagogae et ecclesiae c. 6: *Triforme unius Trinitatis judicium esse non dubites. Primum, quo diabolus de coelo dejectus est et ultimum, quo idem in fine mundi cum omni corpore suo in ignem aeternum praecipitandus est, medium ipsum diluvium. Primo et ultimo soli reprobi feriuntur et soli electi reservantur, secundo autem, id est medio, nec soli electi reservantur, nec soli reprobi suffocantur.* 2. *Primi parentes* post lapsum sistuntur Dei judicio, ut admoneantur, quid transgressione sua fuerint promeriti, sed propter Mediatoris intercessionem in gratiam recipiuntur. Sicut Deus ad Adamum dicit: *Ubi es?* Genes. 3, v. 9. quae non est interrogatio, sed increpatio. *Non in quo loco sis, quaero, sed in quo statu, quo te deduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum, quem antea quaerebas?* Ambrosius libr. de paradis. c. 14. sic in die novissimo Christus omnes impios et omnia impiorum opera ex latibulis et tenebris in lucem producet. 3. *In diluvio* praeludium consummationis seculi et extremi judicii propositum esse docet Christus Matth. 24, v. 37: *Sicut erant dies Noae, sic etiam erit adventus Filii hominis;* v. 38. *sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad diem, quo intravit Noa in arcam;* v. 39. *et non cognoverunt, donec venit diluvium et tulit omnes; ita quoque erit adventus Filii hominis.* Idem repetitur Luc. 17, v. 26. et 27. Petr. 2. epist. 2, v. 5: *Si Deus originali mundo non pepercit, sed octavum Noe justitiae praeconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens* (utique nec illis parcet.) 4. Excidium *Sodomiticum* illustre exemplar est πανολεθρίας κοσμικῆς in die novissimo secuturae. Ut enim quinque illae civitates igne et sulphure coelitus depluto sunt absumtae Genes. 19, v. 24. sic in die judicii novissimi tota coeli terraeque machina igne conflagrabit. Luc. 17, v. 28. *Sicut factum est in diebus Loth, edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et aedificabant;* v. 29. *qua die autem exiit Loth a Sodomis, pluit ignem et sulphur e coelo et omnes perdidit.* v. 30. *Κατὰ ταῦτα, secundum haec, erit, qua die Filius hominis revelabitur.* 2. Petr. 2, v. 6: *Si Deus civitates Sodomorum ac Gomorrae in cinerem redactas subversione damnavit fecitque ut essent exemplar impie victuris* (eadem judicii severitate adversus impios utetur). Cyprianus in descript. Sodom.: *Sic Sodomum meruit tellus ardentibus uri flammis et finis portendere signa futuri.* 5. Israëlitae *in deserto divinitus prostrati* specimen exhibent poenae in die judicii omnibus impiis metuendae. 1. Cor. 10, v. 10: *Quidam eorum murmuraverunt et perierunt ab exterminatore.* v. 11. *Haec autem omnia in figura illis contingebant.* Hebr. 4, v. 6: *Quoniam superest, quosdam introire in requiem, et illi, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem,* v. 7. *iterum determinat diem etc.* Judae v. 5: *Commonere vos volo, scientes hoc, quod Dominus populum ex terra Aegypti salvans secundo eos, qui non crediderunt, perdidit.* 6. Denique omnia exempla judiciorum ac poenarum *ecclesiae* XIX. 140.
hostibus Assyriis, Babyloniis, Aegyptiis, Midianitis, Philistaeis, Edomitis, Moabitis etc. irrogatarum, admonent nos de extremo judicio, in quo omnes impii et cumprimis ecclesiae persecutores *poenas dabunt a facie Dei et a gloria virtutis ejus.* 2. Thess. 1, v. 9. Praecipue enim poenae, ut et praecipua praemia differuntur in diem judicii magni, interim tragicae illae poenae, quibus Deus atrocia scelera in hac vita punit, evidens praebent indicium, quod aeternis suppliciis impietatem in non conversis in die judicii puniturus sit. Chrysostomus homil. 47. ad popul. Antioch.: *Si quis futurum non credit judicium, quae sunt hic, videat in vinculis positos, in metallis, in stercoribus, daemonibus obsessos, errantes, incurabilibus laborantes morbis, cum continua certantes paupertate, infame viventes, irreparabilibus consternatos luctibus, in captivitate positos. Non enim hi nunc passi essent, nisi et omnes alios, qui talia peccarunt, ultio maneret atque supplicium.* lib. 1. de provid. tom. 5: *Cum plures sint, qui admittere futuri judicii rationem pertinaciter renuant, velut in brevi tabula hic judicii futuri imaginem ostendit, cum punit malos bonosque remunerat etc.*

3. Ex typis et parabolis.

18. 3. Ex *typis, figuris et parabolis.* Sicut in prima creatione facta est separatio *lucis a tenebris* Genes. 1, v. 3. sic in regeneratione Matth. 19, v. 28. separabuntur *filii lucis* a *filiis tenebrarum.* Gen. 9, v. 13. In *iride* purpureus color denotat mundi conflagrationem in die judicii secuturam, sicut caeruleus diluvium peractum indicat. Confer Alcuinum q. 135. in Genes. et Lutherum in comm. c. 6. Gen. tom. 1, p. 122. Gen. 15, v. 17: *Cum sol occumberet, horror magnus et tenebrosus invasit Abrahamum, apparuit clibanus ardens et fumans et lampas ardens,* in quae verba sic commentatur Augustinus in enarrat. Psalm. 103. conc. 3: *Clibanus significat diem judicii, in quo erit fletus et stridor dentium et tarda poenitentia, quando ardebit terra usque ad inferos.* Gen. 19, v. 17. *Lothus* ex incendio Sodomitico eripitur, id Augustinus libr. 22. contra Faustum c. 41. ex 2. Petr. 2, v. 9. ad piorum liberationem in die judicii accommodat. *Loth,* inquit, *justus et hospitalis in Sodomis et ab omni Sodomitarum contaminatione purus atque integer, ex illo incendio, quod erat similitudo futuri judicii meruit salvus evadere, typum gestans corporis Christi, quod in omnibus sanctis et nunc inter iniquos atque impios gemit, quorum factis non consentit et a quorum commixtione in fine seculi liberabitur illis damnatis supplicio ignis aeterni.* Idem lib. 16. de civit. Dei c. 30: *Et hoc eorum* (Sodomitarum) *supplicium specimen futuri divini judicii fuit.* Cap. ejusd. v. 23. *ortus solis super terram* in subversione Sodomorum

designat Christi ad judicium adventum in mundi conflagrationem. Genes. 45, v. 3. *fratres Josephi* coram ipso ex sceleris conscientia *obmutescentes*, repraesentant pavores, quibus in novissimo judicio hypocritae et impii corripientur, Matth. 22, v. 12. Exod. 7, v. 3. *liberationem Israëlitarum* ex Aegyptiaca servitute multa dicuntur praecessisse prodigia; sic finalem piorum liberationem in die judicii exspectandam similia antecedent. Exod. 13, v. 21. Dominus praecedebat Israëlitas per diem *in columna nubis* et per noctem *in columna ignis*, hoc Augustinus in enarrat. Ps. 77. sic applicat: *Domini nostri adventus in carne est, per quem Deus rectos faciet cursus nostros et itinera nostra in pace perducet per Jesum Christum Dominum nostrum, cujus in*
XI. 141. *hoc seculo tanquam in die sacramentum manifestum est in carne, velut in nube; in judicio vero tanquam in terrore nocturno, quia tunc erit magna tribulatio seculi tanquam ignis, et lucebit justis et ardebit injustis.* Levit. 25, v. 10. Israëlitae *in jubilaeo tubis denuntiato* libertatem et amissos agros recuperabant; sic in extremo judicio per tubam archangeli denuntiando pii perfectae justitiae, vitae et gloriae aeternae fructum assequentur. Num. 16, v. 48. *Aaron pontifex* stans inter mortuos et vivos populum reconciliavit Deo, hoc Origenes homil. 9. in Numer. ad extremum judicium accommodat. *Puto*, inquit, *quod non solum primo adventu Domini forma ista completa sit, sed eadem servabitur et in secundo. Veniet enim iterum Filius hominis et cum venerit, inveniet quosdam mortuos, quosdam autem viventes. Mortuos dicimus eos, qui nimietate scelerum in peccatis suis mortui intelliguntur, viventes autem, qui in operibus vitae permanserunt. Tunc pontifex noster Christus medius vivorum et mortuorum stare dicendus est, cum statuet oves a dextris suis, haedos autem a sinistris etc. Et sunt utique mortui, qui in ignem mittuntur aeternum; sunt autem vivi illi, qui mittuntur ad regnum.* 1. Regum 2, v. 5. instruit David Salomonem filium de retributione servis danda, hoc Angelomus in comm. h. l. ad retributionem in fine seculi aliquando secuturam accommodat. *Quod David*, inquit, *Salomoni praecepit de justa retributione eorum, qui sibi solatio fuerunt, vel injuste nocuerunt, licet ipse patientissime eos regnans toleraret, quid melius significare potest, quam futuram retributionem judicii venturi, in qua impii pro mercede perpetuam poenam, justi autem aeternam beatitudinem percipient? Thronus regalis Salomonis* describitur 1. Reg. 10. et 2. Par. 9. quem Rupertus lib. 3. in libros Regum c. 31. ad Christi judicium sic accommodat: *Quis est*, inquit, *iste thronus tam grandis tam mirabilis nisi altitudo majestatis in illo die novissimo magni et tremendi judicii? grandis thronus est, quia grande judicium exspectamus; est autem thronus ex ebore, quia judicium ex puritate constabit justitiae; auro vestitur, quia aurea divinitatis justitia revelabitur. Sex ille habebat gradus, quia sex sententiis judicium perficietur: Esurivi et non dedistis mihi manducare, sitivi et non dedistis mihi potum; hospes eram et non collegistis me; nudus et non cooperuistis me; infirmus et non visitastis me; in carcere et non venistis ad me. Duae manus hinc atque inde duo sunt tenores hinc justitiae, inde misericordiae; duo leones juxta manus singulas, quia utrobique fortis atque formidabilis erit judicii veritas. Etenim a sinistra omnis iniquus condemnabitur et a dextra justus vix salvabitur.* 1. Petr. 4. *Duodecim leunculi super sex gradus stantes duodecim sunt apostoli. Post hunc thronum Salomonis, id est pacifici regis Christi et gloriae et divitiae sunt in domo ejus tanta copia, quantam Scriptura praesens significare non sufficit, unde subditur, non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis, fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta et lapidum, quia peracto judicio in diebus illis aeternitatis nullius pretii reputabitur argentum, quia nimirum prophetiae evacuabuntur et linguae cessabunt, nullus jam mittetur ad praedicandum, sed omnes perfecti erunt, in omnibus abundabit purissimum caritatis aurum.* Potest etiam talis applicatio institui. Sicut Salomon per hos sex gradus adscendit in suum tribunal et summa sapientia judicavit; sic expletis sex mundi millenariis Christus sedem judiciariam conscendet et orbem judicabit in justitia. Duae leaenae denotant duas Christi naturas, divinam et humanam, est enim leo de tribu XI
Juda Apoc. 5, v. 5. 2. Reg. 1. *Elias* sedens in monte Carmel ignem faciebat descendere super milites Ahasiae; sic Christus, coelestis Elias, ignem in die judicii superius depluet. Matth. 3, v. 11. Luc. 3, v. 17: *Christus baptisabit vos Spiritu sancto et igne, cujus ventilabrum in manu, et mundabit aream suam et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inexstinguibili.* (Clemens Rom. lib. 3. recognit.: *Sicut data a Deo pluvia ex aequo et fruges nutrit et lolium, messis autem tempore frumenta congregantur quidem in horreum, paleae vero vel lolium igne consumuntur; sic in die judicii justi introducentur in regnum Dei, injusti autem abjicientur foras.* Isidorus Pelusiota libr. 1. epist. 65: *Areae nomine universam orbis terrarum ecclesiam intelligit, in qua omnem humanae naturae messem cogit. Ventilabri autem vocabulo justum judicem appellat, quod quidem eum, qui cuique aptus est, gradum distinguens ac definiens, paleares quidem, ut ita dicam, et dissolutos homines quique ad omnem peccati ventum huc illucque jactantur, flammis addicit, eos autem, qui operum puritate ac poenitentiae fructibus abundarunt, in horreum congregari justus judex ait, hoc est piis seque dignis operariis atque agricolis congruens domicilium.* Fulgentius lib. 2. de remiss. peccat. c. 9: *Informat omnem Christianum tenore evangelicae lectionis, ut discretione habita consideret, quid in primo Salvatoris adventu fuerit unicuique piissima largitate donatum, quid et singulis exspectetur in secundo justa retributione reddendum.* Hilarius can. 2. in Matth. etiam *baptismum ignis* de igne extremi judicii intelligit, sed

ostendimus in tractat. de bapt. rectius de miraculosis Spiritus S. donis sub specie linguarum ignearum effusis accipi.) Matth. 13, v. 30. separatio piorum a malis in die judicii secutura proponitur *in parabola messis*, in qua *colliguntur zizania et igni comburuntur*. v. 48. *In parabola piscium bonorum ex sagena collectorum et putrium foras projectorum.* Matth. 18, v. 23: *Simile est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis;* v. 34. *iratus Dominus tradidit servum immisericordem tortoribus.* Matth. 24, v. 43: *Si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret et non sineret perfodi domum suam;* v. 44. *ita et vos estote parati, quia Filius hominis venturus est hora, qua nescitis.* (Idem repetitur Luc. 12, v. 39. 1. Thess. 5, v. 2. 2. Petr. 3, v. 10. Apocal. 16, v. 15.) v. 45. *Quis putas est fidelis servus ac prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?* v. 46. *Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem etc.* (Idem repetitur Luc. 12, v. 43.) c. 25, v. 1: *Tunc simile erit regnum coelorum decem virginibus, quae accipientes lampades suas exiverunt obviam sponso et sponsae etc.* v. 14: *Sicut homo peregre proficiscens vocavit servos suos et tradidit illis bona sua.* v. 19. *Post longum tempus venit Dominus servorum illorum et posuit rationem cum eis.* (Idem repetitur Luc. 19, v. 12.) Marc. 13, v. 34: *Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam et dedit servis suis potestatem et cuique opus suum et janitori praecepit, ut vigilet.* v. 35. *Vigilate ergo, quoniam nescitis, quando dominus domus veniet etc.* Luc. 12, v. 35: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes;* v. 36. *et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertetur a nuptiis etc.* Luc. 13, v. 25: *Cum venerit paterfamilias et clauserit ostium, et incipietis foras stare et pulsare ostium dicentes: Domine, aperi nobis, et respondens dicet vobis: Nescio vos, unde sitis.* c. 16, v. 2: *Dives vocavit*
143. *oeconomum bona sua dissipantem dicens illi: Redde rationem villicationis tuae.* Joh. 2, v. 6: *sex hydriae in nuptiis Cananaeis* significant sex millenarios mundi, in quorum ultimo apparebit Christus et *aquam* tribulationis nostrae mutabit in *vinum laetitiae.* Apoc. 1, v. 15: *Pedes Christi sunt similes chalcolibano velut in fornace ardentes, et ut columnae igneae* c. 10, v. 1. quibus significatur extremum judicium in fine mundi exspectandum, tunc *oculi ejus erunt ut flamma ignis*, id est nihil quidquam erit absconditum, sed omnia velut in splendore ignis conspicua. Apoc. 1, v. 16. *de ore Christi gladius δίστομος* ex utraque parte acutus exibat, quia hic gladius non tantum corpus, sed etiam animam aeterno vulnere percutiet. Hominum gladii una tantum ex parte acuti sunt, quia corpus tantum sauciare et occidere possunt Matth. 10, v. 28. sed Christi gladius ex utraque parte acutus est, quia tam animae quam corpori aeterna vulnera infligit. Hic est *gladius occisionis magnae, qui obstupescere faciet impios* Ezech. 21, v. 14; hic est gladius judicii utramque partem, dextram scil. et sinistram, pro cujusque statu efficaciter dijudicans ac discernens. Exitus gladii ad dextram hic erit: *Venite benedicti Patris mei*, hoc namque dicto gladius ejus ita devorabit carnes, ut jam non sit caro et sanguis, sed sint omnes carnis corruptione exuti, indutique incorruptionem et immortalitatem miroque modo permanente natura in gloriam permutati. Exitus ejusdem gladii ad sinistram hic erit: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum.* Utrimque sic efficax erit ille gladius, ut malos dividat a bonis, illos mittens in supplicium aeternum, hos in gloriam sempiternam, ita ut semel ab invicem divisi non possint ultra permisceri. Majori procul dubio acerbiorique doloris sensu afficientur damnati, cum audient: *Ite maledicti in ignem aeternum*, quam si acutissimo gladio medii secarentur. Apocal. 4, v. 2: *Ecce sedes posita erat in coelo et supra sedem sedens*, v. 3. *et qui sedebat, similis erat adspectu lapidi jaspidis et sardini etc.* Apoc. 19, v. 11. *Equus albus* est Christi humanitas niveo candore coruscans coelo descensura; *eques* est ipse Filius Dei verax in verbis, fidelis in promissis, justus in factis; *oculi flammei* notant omniscientiam, *diademata* regiam majestatem et gloriam, *vestis purpurea* passionem, quae vindictam tunc reposcet, *agmina stolata in equis candidis* sunt angeli et beati comitaturi Christum ad judicium; *gladius δίστομος* sententiam utrique parti ferendam exprimit.

4. Ex ecclesiae symbolis et perpetuo ejusdem consensu.

19. 4. *Ex ecclesiae symbolis et perpetuo ejusdem consensu.* In symbolo *apostolico* confitemur Christum e coelis venturum, *ut judicet vivos et mortuos;* in symbolo *Nicaeno* dicimus: *Credo in Christum Dominum, qui iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis* (additur μετὰ δόξης, ut gloriosus hic adventus secundus a primo Christi adventu distinguatur); in symbolo *Athanasii: Adscendit ad coelos, sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos et mortuos, ad cujus adventum omnes homines resurgent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem, et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.* Justinus apol. 2. pro Christ. p. 66: *E coelis cum gloria et angelica militia sua adveniet aderitque sicut praedictum est, cum omnium etiam, qui unquam exstitere, mortalium corpora suscitabit atque dignos quidem induet natura corruptibilitatis* XIX. 144.
universae experte, injustos autem in perpetuo sensu una cum malis geniis in ignem mittet sempiternum. Irenaeus lib. 3. adv. haeres. cap. 4. p. 172. nomine apostolicae traditionis confessionem ecclesiae recitat, in qua Christus dicitur *in gloria venturus salvator eorum, qui salvantur, et judex eorum, qui judicantur, et mittens in aeternum ignem transfiguratores veritatis et contemtores Patris sui et adventus ejus.* lib. 1. adv. haeres. c. 2. p. 34: *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata ab apostolis et eorum discipulis accepit eam fidem,*

quae est in unum Deum Patrem omnipotentem et Jesum Christum Dei Filium etc. in adventum ejus de coelis in gloria Patris εἰς τὸ ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα, *ad recapitulanda universa, et resuscitandam omnem carnem humani generis, ut Christo Jesu Domino nostro et Deo et Salvatori et Regi secundum placitum Patris invisibilis omne genu curvetur, coelestium, terrestrium et inferorum, et omnis lingua confiteatur ei et judicium justum in omnibus faciat, spiritus quidem nequitiae et angelos transgressores atque apostatas factos et impios et injustos et iniquos et blasphemos homines in aeternum ignem mittat, justis autem et sanctis et qui mandata ejus observant et in dilectione ejus perseverant, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex poenitentia vitam donet, incorruptibilem statum largiatur et vitam aeternam tribuat.* Tertullianus in regula fidei, quam recenset in lib. de praescript. adv. haeres. c. 13. p. 110. inter cetera dicit: *Credi in ecclesia in Christum venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitae aeternae et promissionum coelestium fructum et ad profanos judicandos igni perpetuo facta utriusque partis resuscitatione cum carnis restitutione.* et in lib. de veland. virgin. p. 566: *Regula fidei una omnino est sola et irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem mundi conditorem et Filium ejus Jesum Christum etc. sedentem nunc ad dextram Patris, venturum judicare vivos et mortuos per carnis etiam resurrectionem.* In apologet. advers. gentes c. 23: *Quodcunque ridetis, rideant et illi vobiscum, negent Christum omnem ab aevo animam restituto corpore judicaturum.* In symbolo seu cantico, quod Ambrosio et Augustino tribuitur: *Tu ad dextram Dei sedes in gloria Patris judex crederis esse venturus.* Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 1. ante med.: *Omnis ecclesia veri Dei in confessione ac professione tenet, Christum de coelo esse venturum ad vivos et mortuos judicandos,* lib. ejusdem c. 30. circa fin.: *Nullus vel negat vel dubitat, per Jesum Christum tale, quale istis sacris literis praenuntiatur, futurum esse novissimum judicium, nisi qui eisdem literis nescio qua incredula animositate seu coecitate non credit, quae jam veritatem suam orbi demonstravere terrarum.* Concil. Toletan. sextum c. 1: *Dominum nostrum Jesum Christum in fine exspectamus seculorum cum resurrectione omnium aequissimo suo judicio redditurum justis praemia et impiis poenas.* Atqui haec ecclesiae confessio per traducem fidei perpetuo in ea fuit conservata, ut constat ex Justino libr. de Dei monarch. Cypriano ad Demetrian. Athanasio de humanit. Verbi. Basilio in Psalm. 33. Cyrillo Hierosolymitan. catech. 4. Hieronymo in epist. ad Heliodor. Gregorio libr. 26. moral. c. 24. Isidoro lib. 1. de summ. bono c. 30. et aliis compluribus.

5. Ex rationibus. 20. 5. *Ex rationibus,* et quidem 1. *ex justitiae divinae administratione.* Ad hanc rationem remittit
XIX. 145. nos apostolus 2. Thessal. 1. v. 6: *Justum est apud Deum reddere iis, qui affligunt vos, afflictionem* v. 7. *et vobis, qui affligimini, relaxationem nobiscum, cum revelabitur Dominus Jesus de coelo cum angelis potentiae suae,* v. 8. *cum incendio flammae etc.* Justitia divina requirit, ut bonis bene, malis autem male sit. Atqui in hac vita saepe accidit, ut impiis et omni scelerum genere coopertis omnia ex voto fluant, contra vero piis omnia adversa eveniant, adeoque nec illorum ultio nec horum remuneratio locum habeat; necesse igitur est, superesse novissimum et universale judicium, in quo impiis promerita supplicia, piis vero gratuita praemia sint reddenda. Psalm. 73, v. 2: *Mei paene moti sunt pedes,* v. 3. *quia zelavi super stultos pacem peccatorum videns.* v. 5. *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellantur.* v. 12. *Ecce impii felices sunt in hoc seculo.* v. 13. *Ergo sine causa mundavi cor meum etc.* v. 14. *et fui flagellatus tota die,* v. 16. *existimabam, ut hoc cognoscerem, labor erat ante me,* v. 17. *donec intrarem in sanctuarium Dei et intelligerem novissima eorum.* Haec novissima impiorum sunt mors, judicium et damnatio eorum, in die enim judicii demum apparebit, Deum esse justum ac scelerum vindicem, cum redditurus sit unicuique secundum opera sua, inde apostolus diem judicii vocat ἀποκάλυψιν τῆς δικαιοκρισίας τοῦ θεοῦ Rom. 2, v. 5. Justinus in qq. et resp. ad orthod. q. 124. pag. 367: *Nequaquam pii ab impiis fluxis et corporalibus hisce rebus distant, utrisque enim adsunt omnia et laeta et tristia, alteri autem ab alteris differunt inprimis spe futurorum et quae in pietate vera tolerantur passionibus etc. atque in his quidem providentia Dei ostenditur, in illis autem praeparat instruitque Deus pios, ut ad aliam respiciant vitam, in qua per gloriam et ignominiam justi atque injusti discernentur.* Clemens Rom. lib. 3. recogn.: *In die judicii cum justi introducentur in regnum Dei, injusti autem abjicientur foras, tunc justitia Dei ostendetur.* Augustinus in enarr. Psalm. 72: *Tamdiu laboro, inquit psaltes, et ante faciem meam laborem quendam quasi inextricabilem video, ut cognoscam, quomodo et justus sit Deus et res humanas curet et non sit iniquus, quod peccantes et scelera facientes felicitatem habent in hac terra, pii vero et Deo servientes in tentationibus plerumque et in laboribus fatigantur. Magna difficultas est hoc scire, sed donec introeam in sanctuarium Dei. In sanctuario enim Dei quid tibi praestatur, ut hanc solvas quaestionem? et intelligam inquit in novissima, non in praesentia. Ergo inquit de sanctuario Dei, intendo oculum in finem, praesentia transgredior. Totum hoc, quod vocatur, humanum genus, omnis ista massa mortalitatis ventura est ad examen, ventura est ad libram, appendentur ibi opera hominum, cuncta modo nubes involvit, sed Deo cognita sunt merita singulorum.* Ad hoc argumentum *a justitia divina* petitum reduci possunt argumenta *a divina veritate et immutabilitate* desumta. Deus in verbo suo hoc decretum patefecit, quod mundum judicaturus sit in justitia. Ergo hoc suo tempore necessario sequetur,

est enim Deus verax. Pulchre Augustinus epist. 42: *Omnia alia, quae futura praedixerat Spiritus sanctus in scripturis, evenerunt, ut de adventu Christi primo de Hierosolymae excidio, cum ergo idem Spiritus sanctus praedixerit secundum Christi adventum et finem hujus seculi, utique certo eveniet.* Deus judicia sua adversus angelos et homines jamdum exercuit. Ergo certo et constituto tempore totum mundum judicabit, est enim Deus immutabilis.
2. *Ex propriae conscientiae testificatione.* Hanc
IX. 146. rationem inculcat apostolus Roman. 2, v. 15: *Gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis simul attestante illorum conscientia et cogitationibus inter se accusantibus aut etiam excusantibus* v. 16. *in eo die, cum judicabit Dominus occulta hominum juxta evangelium meum per Jesum Christum,* ubi quidam subintelligendum putant ὡς ἀποκαλύψεται vel φανερώσεται, *prout manifestabitur,* in illa die, quia in hac vita non conspicuuntur interiores hominum cogitationes et quid cuique dictitet sua conscientia. Potest etiam commode sic exponi, ipsa conscientia hominum eos convincit, futurum esse extremum et universale judicium, quia cogitationes eos accusant in malis, excusant vero in bonis operibus, ἐν ἡμέρᾳ i. e. εἰς ἡμέραν, *in diem judicii,* in quo scilicet exsecutioni dabitur exterius, quod conscientia unicuique hominum in hac vita dictitat interius. Quamvis impios mala agentes nemo accuset, interius tamen conscientiae stimulis torquentur, ac vicissim quamvis boni injuste accusentur, in conscientiae tamen testimonio pacate acquiescunt, qua de re etiam apud ethnicos scriptores multa occurrunt, quae ex naturae lumine et experientiae sensu eos hausisse dubium nullum. *Magna vis est conscientiae,* inquit Cicero in orat. pro Milon., *et magna in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccaverint.* Idem in orat. pro Rosc. Amer.: *Sua quemque fraus et suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat amentiaque afficit, suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent. Hae sunt impiis assiduae domesticaeque furiae, quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant.* Idem in Pison.: *Nolite putare, ut in scena videtis, homines consceleratos impulsu deorum terreri Furiarum taedis ardentibus; sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat; hae sunt impiorum furiae, hae flammae, hae faces. (Sicut cruciarii Romano ritu ferebant suam crucem ipsi ab ea mox ferendi, sic impiis hanc conscientiae crucem Deus imposuit, in qua poenas luant, prius quam luant,* ait Lipsius libr. 2. de constant. c. 14*).* Atqui istud τὸ ἔντον βῆμα, *tribunal interius,* testimonium est futuri judicii, quod in angelorum et hominum conspectu in die novissimo instituetur exterius. Nisi enim ejusmodi judicium superesset, conscientiae testimonium frustraneum foret. Ex hac interna propriae conscientiae testificatione promte colligitur, quod generalis quaedam notio extremi judicii omnibus hominibus per naturam insita sit, unde etiam apostolus cum Atheniensibus ex naturae lumine de hoc judicio disserit et ejus terrore incusso ab idolatria eosdem liberare conatur, Actor. 17, v. 31. Confer Actor. 24, v. 25. Tertullianus in apolog. adv. gent. c. 16: *Anima licet corporis carcere pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus et concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine et sanitatem suam patitur et Deum nominat, hoc solo, quia proprie verus hic unus Deus bonus et magnus. Et quod Deus dederit, omnium vox est. Judicem quoque contestatur illum, Deus videt et Deo commendo, et Deus mihi reddet. O testimonium animae naturaliter Christianae!* 3. *Ex resurrectionis et judicii connexione.* Ad hanc rationem digitum intendit apostolus, quando *resurrectionem et judicium* Hebr. 6, v. 2. itemque *mortem et judicium* Hebr. 9, v. 27. indivulso
nexu invicem conjungit. Judicii antecedens neces- XIX. 147.
sarium est resurrectio, quia judicandi sunt *vivi et mortui* Actor. 10, v. 42. 1. Petr. 4, v. 5. quodsi ergo mortui etiam judicandi, utique prius ex morte in vitam revocandi erunt, ut coram tribunali Christi sistantur et sententiam damnationis audiant. Resurrectionis consequens necessarium est judicium, quia Christus venturus est, tum *ad resuscitandum,* tum *ad judicandum* Matth. 25, v. 33. *Qui in monumentis sunt, audient vocem Filii hominis et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii* Johan. 5, 28. et 29. ubi ἀνάστασις κρίσεως commode exponi potest per ἀνάστασιν εἰς κρίσιν, *ad judicium.* Symbolum Athanasii: *Ad Christi adventum omnes homines suscitabuntur cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem.* 4. *Ex regni Christi conditione.* Regnum Christi est aeternum et perpetuum, utique ergo requiritur, ut subditos regni sui ex morte resuscitatos in gloriam coelestem transferat, contra vero hostes regni sui judicet et vindictam ab illis sumat. Hanc rationem insinuat confessio fidei in synodo Nicaena edita: *Credo in Christum, qui venturus est cum gloria ad judicandum vivos et mortuos, cujus regni non erit finis.* 5. *Ex universali omnium piorum exspectatione.* Omnes vere pii Christi Salvatoris sui adventum ad judicium cupide exspectant. Apoc. 22, v. 17: *Spiritus et sponsa dicunt: Veni,* id est, Spiritus sanctus in sponsa Christi loquens vel sponsa ex instinctu Spiritus sancti loquens, adeoque omnis vere fidelis anima, Spiritus sancti templum et Christi sponsa dicunt: *Veni Domine.* Haec desideria, haec vota, haec suspiria non evanescunt in tenues auras, sed Christi ad judicium adventum accelerant. Ad hanc rationem revocat nos apostolus, Rom. 8, v. 19: ἡ ἀποκαραδοκία, *solicita exspectatio creaturae, velut exserto capite revelationem filiorum Dei anxie exspectat.* v. 22. *Scimus enim, quod omnis creatura congemiscat simulque nobiscum parturiat usque nunc;* v. 23. *non so-*

lum autem illa, sed et ipsi, qui primitias Spiritus habemus, et nos ipsi in nobis gemimus adoptionem exspectantes redemtionem corporis nostri. 6. *A legis promulgatione.* Deus legem suam non tantum in prima creatione hominum cordibus inscripsit, sed eandem etiam magna solennitate in monte Sinai promulgavit, quae promulgatio non est frustra facta, sed ut executio legis adversus praefractos et contumaces transgressores aliquando in judicio instituatur. Ad hanc rationem remittit nos apostolus Rom. 1, v. 18: *Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et injustitiam hominum, quae veritatem in injustitia detinent.* Et c. 2, v. 9: *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum Judaei primum et Graeci;* v. 10. *gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judaeo primum et Graeco.* v. 12. *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege etiam peribunt, et qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* 7. *A saniorum gentilium confessione.* Ethnici *Rhamnusiam* pinxere Deam fandi atque nefandi ultricem; iidem finxerunt suos *Aeacos, Minoas, Rhadamanthos etc.* apud inferos judicaturos, umbram quandam veritatis de futuro post hanc vitam judicio contuentes, sed multiplici falsorum figmentorum caligine eandem involventes. Justinus in paraenes. 1. ad gentil. pag. 1: *Vera religione nihil prius atque praestabilius, ut equidem puto, esse arbitrantur, qui vitam sibi extra periculum omne agendam statuerunt, propter futurum post hujus vitae finem ju-*
XIX. 148. *dicium, quod certe equidem non modo majores nostri divini homines prophetae et legislatores, verum etiam qui apud vos habiti sunt sapientes poëtae simul atque philosophi veram atque divinam se scientiam assecutos esse professi depraedicant.* In libro de monarchia adducit dictum Sophoclis et Philemonis. Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum affert dictum Aeschyli et addit: *Quod Deus judicium sit redditurus in extremo die de perjurio et aliis peccatis, poëtae quoque fere praedixerunt.* Athenagoras in legat. pro Christ.: *Plato quidem Minoem et Rhadamanthum judicaturum et puniturum malos dixit. Nos autem sive Minos sit, sive Rhadamanthus aliquis sive etiam horum pater, ne cum quidem ipsum effugiturum esse Dei judicium arbitramur.* Origenes in Levit. homil. 7. multi enim ita et ex philosophis sapiunt et futurum esse judicium credunt. Theodoretus de curand. Graecor. affect. p. 1131. ex Platone multa de futuro judicio adducit. Confer Euseb. lib. 11. de praepar. evang. c. 20. Huc referri etiam possunt oracula sibyllarum de extremo judicio lib. 8. f. 164:

Οὐρανὸν εἱλίξει, γαίης κευθμῶνας ἀνοίξει,
καὶ τότ᾽ ἀναστήσει νέκυας, μοῖραν καταλύσας
καὶ θανάτου κέντρον, καὶ ὕστερον εἰς κρίσιν ἥξει
κρίνων εὐσεβέων καὶ δυσσεβέων βίον ἀνδρῶν,
καὶ κριὸν κριῷ καὶ ποιμένα ποιμένι θήσει
καὶ μόσχον μόσχῳ πέλας ἀλλήλων ἐς ἔλεγχον.
οἵτινες ὑψώθησαν ἐλεγχόμενοι ὑπ᾽ ἐλέγχων,
καὶ στόμα παντὸς ἔφραξαν, ἵν᾽ αὐτοὶ ζηλώσαντες
τοὺς ὁσίους πράσσοντας ἴσως καταδουλώσωσιν.
Σιγᾶν προστάσσοντες ἐπειγόμενοι διὰ κέρδος,
καὶ δοκίμας πιστῶς τότε χωρήσουσιν ἅπαντες,
οὐκέτι λοιπὸν ἔρις, λειπουμενος αὔριον ἔσται,
οὐκ ἐχθρὸς γέγονεν, οὐκ ἤματα μικρὰ μερίμνης,
οὐκ ἔαρ, οὐχὶ θέρος, οὐ χειμὼν, οὐ μετόπωρον,
οὐ δύσις ἀντολίητε.
Coelum convolvet, telluris operta recludet,
Manes in vitam (fatorum lege soluta
Et leti stimulis) ad judiciumque vocabit,
Judicet ut tandem mores pravosque piosque,
Ariete tunc aries, pastor pastore propinquo,
Et vitulus vitulo admoto censebitur illic.
Quosque sibi nimium fastum sumsisse patebit,
Et qui cuilibet os obstruxere imperiosi
Et sibi de sanctis vires peperere subactis,
Ex paribusque ipsos fecerunt inferiores, XI
Et studio lucri ducti jussere silere;
Tunc inquam cedent omnes fidisque, probisque,
Non jam jurgia erunt, non jam dicetur, erit cras,
Aut transivit heri; nec erunt, quos crebra fatiget
Cura, dies; non ver, aestas, autumnus, hyemsve
Ortusve, Occasusve.

Confer ea, quae de signis extremi judicii ex Sibyllarum oraculis inferius adducentur.

21. Antithesis. Negant futurum extremum judicium. Ad
1. *Epicurei et Empactae,* qui audientes Christum rediturum ad judicium cum Atheniensibus Epicureis et Stoicis philosophis *χλευάζουσι* Act. 17, v. 32. *irrident* ac cavillantur quaerentes, quando tandem futurum sit, quod tam diu differtur? 2 Petr. 3, v. 3: *Venient in novissimis diebus illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes* v. 4. *ac dicentes, ubi est promissio adventus ejus?* 2. Complures ex *haereticis,* utpote 1. *Dositheani,* Philastr. haeres. 4: *Dositheus Judaeus genere ausus est dicere, secundum carnem solum esse vivendum in lege Domini, deque ea non sperant resurrectionem futuram nec Dei Spiritum nec angelum esse credentes, nec futurum judicium de lege atque prophetis exspectant.* 2. *Samaritani,* Philastrius haeres. 7: *Samaritani a rege Samario vel secundum alios a filio Canaan appellati judicium futurum non exspectant, resurrectionem negant.* 3. *Prodianitae,* Seleucianorum et Hermionitarum soboles, Philastr. haeres. 56: *Prodianitae resurrectionem et judicium non sperant.* 4. *Floriani,* Philastr. haeres. 57. 5. *Manichaei,* Philastr. haeres. 61. 6. *Symmachiani,* Philastr. haeres. 63. 7. *Borboriani,* Philastr. haeres. 73: *Borboriani vitiis implicati seculi et malis concupiscentiis servientes non sperant judicium futurum, sed potius carnalem seculi concupiscentiam laudant, in coenum euntes et inde obliti de coeno facies et membra sua deformant.* 8. *Gnostici,* quos et Borborianos sive Borboritas vocatos fuisse asserit Augustinus lib. de haeres. ad Quodvultd. c. 6. 9. *Albanenses* docent, *universale judicium jam esse factum.* Guido in summ. c. de Albanens. Hi omnes ac reliqui ejusdem farinae vel potius furfuris haeretici ideo negarunt extremum judicium, ut tanto se-

curius in quodvis flagitium ruerent, quanto minus poenam propterea in judicio infligendam reformidarent. **David Georgiani ann. 1525. et Libertini negarunt futurum judicium.**

La- uai nt ex- um ism.

22. Quidam Pontificii, praesertim Stapletonus in promt. cathol. et Bartscius in evangel. domin. I. Advent. per insignem calumniam nobis tribuunt, quod *verbis duntaxat, non autem re ipsa judicium extremum confiteamur*, cum tales a nobis foveantur hypotheses, quibus extremi judicii certitudo prorsus evertatur, siquidem doceamus, *omnia opera, etiam bona esse peccata; nullam esse justitiam propriam. sed duntaxat imputativam, quae justificet; arbitrium in nobis non esse liberum sed servum; opera ad salutem non esse necessaria*, quibus omnibus extremum judicium abnegari dicunt, quippe quod eo unice spectet, *ut tum merces non credentibus, sed bene operantibus, tum poena peccatoribus decernatur, poenam vero non meruit, qui nunquam libere peccavit, merces non debetur illi, cujus omnia opera*
150. *sunt peccata*. Andreas Fabricius Leodius in harmon. August. confess. nugatur, *decimum septimum articulum Augustanae confessionis ideo esse insertum, ut quemadmodum piscibus massam ex rebus soporiferis et gratis objectare solent piscatores, ita confessionis architectos nunc ex symbolo, nunc ex Scripturis inescandorum hominum causa aliquid adduxisse videri*. Responsio: 1. exstat publica confessio ecclesiarum nostrarum in Augustan. confess. artic. 17. quae non est simulata, sed ingenua coram Deo teste prolata. *Docent ecclesiae nostrae, quod Christus apparebit in consummatione mundi ad judicandum et mortuos omnes resuscitabit, piis et electis dabit vitam aeternam et perpetua gaudia, impios autem homines et diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur*. 2. Symbolum apostolicum singulis diebus recitamus, Nicaenum et Athanasianum firma fide amplectimur et profitemur, ut ex art. 1. confess. August. constat. Atqui in omnibus illis ecclesiae symbolis articulus de extremo judicio exstat. 3. In explicatione dominicalium evangeliorum domin. II. Advent. et domin. XXVI. Trinitat. quotannis doctrina de extremo judicio auditoribus inculcatur; singulae fere conciones memoriam judicii in animis eorum refricant. 4. Caesar et principes Pontificii, Johannes a Daventria, Joh. Cochlaeus, Joh. Hoffmeisterus, Georg. Cassander et moderatiores Pontificii in art. 17. confess. nihil desiderarunt. 5. Hypotheses illae in alienum detorquentur sensum; bona opera nequaquam dicimus esse *per se et formaliter* peccata, sed peccatum ipsis adhaerere, cum sint immunda et imperfecta; justitiam operum non negamus, sed eam coram Dei judicio subsistere posse inficiamur; liberum arbitrium in renatis non negamus etiam quoad spirituales actiones, in non renatis quoad externam disciplinam illud agnoscimus, operum necessitatem non negamus, sed meritoria ad salutem esse inficiamur, qua de re in artic. de justificatione, bonis operibus et libero arbitrio plenius dictum fuit. Confer disput. 5. de studio pietatis per corrupt. Pontif. labefactato. 6. Adversarii potius falsam in hoc ἐγκλήματι fovent hypothesin, quod scilicet *non secundum fidem et incredulitatem, sed tantum secundum opera et quidem utrinque secundum operum merita extremum judicium sit instituendum*, cum Scriptura contrarium diserte pronuntiet Joh. 3, v. 18. et 36. Roman. 6, v. 23. etc. Conf. Mehlfurer. in vindic. evang. part. 1. disput. 2. th. 16. et seqq.

23. Qui mitius nos tractant, ac pudore quodam prohibentur, contra testimonium propriae conscientiae abnegationem extremi judicii nobis tribuere, illi disputant, *non quidem extremi judicii veritatem, sed duntaxat ejus rigorem ac severitatem a nobis negari*, dum statuimus, *fidelibus illud non esse pertimescendum*. Jodoc. Coccius tom. 2. thesauri catholici lib. 10. artic. 5. pag. 1094: *Lutherani, quia cuilibet ad solam fidem regnum coelorum promittunt, negant, fidelibus metuendum esse hoc judicium.* Suarez in Apoc. p. 557: *Impudens est haereticorum doctrina, qui hoc judicium Christianis timendum non fore dicunt, nec Christum ut condemnet, sed ut salvet, tribunal judicis elevaturum.* Stapletonus dom. 1. Adv. promt. cathol. p. 1: *Haeretici hodie ut suam solam fidem ac certitudinem gratiae statuant omnemque divinae justitiae timorem hominum animis et conscientiis penitus eximant, qui primus et potissimus fuit Lutheri scopus, cum has in ecclesia turbas excitaret, etiam hanc de extremo judicio*
doctrinam corrumpunt, totum fidei tribuunt, ne ju- XIX. 151.
stitiae examini, terrori, judicio ullus locus sit. Docendus ergo populus, quod Christus in extremo judicio non ut redemtor sed ut judex venturus sit. Responsio 1. Doctrina de justificatione per solam fidem ac de certitudine divinae gratiae nequaquam pietatis studium labefactat, vel securitati carnali fomentum suppeditat, sed ad studium bonorum operum potius excitat, ut suo loco plenius docuimus. 2. Multo minus extremi judicii timorem fidelium animis excutit. Quodsi enim *fidelium* nomine *in genere* omnes Christiani intelliguntur, ut Suarez illud interpretari videtur, vel *in specie* hypocritae fidem ore quidem profitentes, interim peccatis secure indulgentes, vel ut Gregorius lib. 26. moral. c. 24. loquitur, *professionem fidei retinentes, sed professionis opera non habentes*, negamus a nostris ecclesiis doceri, quod talibus fidelibus judicium extremum non sit metuendum, quin imo omnes illos, qui veterno peccatorum oppressi in peccatis suis dormiunt, terrore judicii ex hoc somno excitare pro virili conamur, ut ad augustum et severum illud judicium fide, precibus, vigilantia et sancta vitae conversatione sese praeparent. Luc. 21, v. 36. 2. Petr. 3, v. 11. 3. Sin vero *fidelium* nomine intelligantur soli illi, qui vera et viva in Christum fide praediti eandem dilectione, studio bonorum operum et sancta vitae conversatione exterius testantur, tum distinguendum esse dicimus inter *timorem servilem et filialem*. Servili timore diem judicii ejusmodi fidelibus pertimescendum esse negamus, quia ipsius Chri-

sti voce animantur, ut *capita sua extollant* et diem illum cupide *exspectent* atque expetant, Luc. 21, v. 28; filialem interim timorem ut justitiae divinae, ita quoque judicii extremi ab illorum cordibus neutiquam exsulare jubemus, quo pertinent omnia Scripturae dicta, quae timorem Dei a vere piis requirunt, eosque sic describunt, quod et *Deo confidant et Deum timeant*. 4. Quod Stapletonus tam crude negat, *Christum ut redemtorem venturum*, probari a nobis non potest nec debet, adversatur enim evidenti dicto Christi Luc. 21, v. 28: *Elevate capita vestra scientes, quod appropinquet redemtio vestra.* Atqui si dies illa judicii vere piis et fidelibus est dies ἀπολυτρώσεως, ut Christus dicto loco et Paulus Rom. 8, v. 23. testantur, si est dies ἀναψύξεως καὶ ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων, ut Petrus Act. 3, v. 19. et 20. loquitur, utique etiam Christus piis veniet *ut redemtor*. 5. Quod Suarez negat, *Christum venturum, ut salvet, sed ut condemnet*, adversatur disertis verbis apostoli Hebr. 9, v. 28: *Christus secundo sine peccato apparebit omnibus exspectantibus se in salutem.* Roman. 8, v. 33: *Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est, qui justificat.* v. 34. *Quis est, qui condemnet?* 2. Tim. 4, v. 8: *Coronam justitiae dabit justus judex omnibus, qui diligunt adventum ejus;* adversatur processui judiciali Matth. 25, v. 35. descripto, ubi Christus piis ad dextram constitutis dicturus legitur: *Venite benedicti Patris, possidete regnum.* 6. Incredulis, impiis et impoenitentibus, qui Dei gratiam et Christi meritum in verbo evangelii sibi oblatum in hac vita contumaciter repudiarunt, novam aliquam redemtionem vel misericordiae oblationem, vel temporis ad poenitentiam agendam concessionem in die judicii exspectandam non amplius esse, libenter fatemur, sed ex eo inferri nequit, vere in Christum credentibus nec misericordiam nec redemtionem in illo die exspectandam. Contrarium enim testatur apostolus 2. Tim.
XIX. 152. 1, v. 18. 7. Vere piis judicium extremum non esse servili aliquo timore metuendum, sed potius cupide desiderandum, docent nobiscum pii veteres. Augustinus epistol. 142: *Impii dicent montibus, cadite super nos etc. tu vero, cui adventus Christi dierum noctiumque meditatio est, qui consummationem seculi quasi certum praemii tui tempus exspectas, exsultationem de coelo capies, non timorem.* In enarr. Psalm. 100: *Judicium hoc formidandum malis propter poenam, amandum bonis propter coronam.* Plura in hanc sententiam adducemus inferius, quando de usu practico hujus doctrinae agemus.

24. Affine est huic Pontificiae calumniae, quod quidam ex Calvinianis eo impudentiae progrediuntur, ut nos negati extremi judicii reos agere non vereantur. Philipp. Caesar in disput. de ultim. Christi advent. Marp. habita ann. 1615. th. 17. nobis tribuit, quod *miserius fallamur quam Judaei, dum corporis Dominici omnipraesentiam in singulis etiam hujus mundi locis confingentes invisibilem, hunc Christi adventum tantum non in reparitionem et emersionem quandam ex tenebris mutemus, quasi abitus ejus nihil aliud quam disparitio fuerit manentis, qua ratione ipse adventus seu reditus revera tollatur et negetur.* Responsio 1. Toto pectore credimus, Christum vere et visibiliter ad judicium rediturum et in hoc fidei articulo, ut et in aliis, literalem verborum sensum arctissime tenemus. 2. Nequaquam statuimus, quod adscensio Christi fuerit quidam ἀφανισμὸς, *disparitio* vel *evanescentia*, aut nuda quaedam ἀορασία, sicut jam ante aliquoties divina virtute se ipsum fecerat ἄφαντον Luc. 4, v. 30. c. 24, v. 32. Joh. 8, v. 59. sed sincere credimus et confitemur, quod Christi ἀνάληψις fuerit τοπικὴ μετάστασις *localis translatio, visibilis elevatio, vera et realis adscensio*, qua Christus in monte oliveti prope Bethaniam stans e terra sursum visibiliter in altum subductus ac depositis vitae hujus infirmitatibus in coelum translatus et ad dextram Dei, ultimum adscensionis illius terminum, collocatus est, ut in harmon. de resurrect. c. 13. pag. 525. ex singulorum verborum consideratione latius ostensum fuit. 3. Hoc vero est, quod negamus, Christum, postquam nubes eum ab oculis discipulorum subduxit, successiva quadam πορείᾳ pertransiisse primum sphaeram ignis, deinde orbes planetarum ac firmamentum seu primum mobile et coelum crystallinum, donec progressu temporis pervenerit ad suum Patrem in coelo empyraeo; in quo, modo locali et corporali residens aresto quasi quodam constrictus teneatur, quo minus ante judicii diem invisibili et illocali modo nobis praesens in terris adesse possit. Nondum enim has assertiones ex Scripturis comprobatas vidimus. 4. Illud vero saepius in Scripturis legimus, quod reditus Christi ad judicium vocetur ἐπιφάνεια, φανέρωσις καὶ ἀποκάλυψις, ex quibus appellationibus elucescit, ex Christi ad judicium reditu non debere ipsius omnimodam absentiam inferri, qua de re infra pluribus dicetur. Confer ea, quae dicentur inferius §. 34. Feurborn. in disputat. Anti-Caesariana Gissens. Ann. 1616. habita.

Argu ta c certi nem trem dicit XIX.

25. Quae contra extremum judicium Scripturarum detorsiones proferuntur, facilem habent explicationem, 1. Johann. 3, v. 18: *Qui credit in Filium, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est. Jam vero omnes homines in duas classes distribuuntur; quidam sunt credentes, quidam vero increduli. Ergo nulli judicabuntur.* Responsio v. 19. immediate sequitur. *Hoc est judicium*, id est causa judicii et damnationis, sicut Joh. 17, v. 3. *haec est vita aeterna*, id est causa vitae aeternae, utique ergo erit judicium. Quod vero Christus de credentibus dicit, eos *non esse judicandos*, de incredulis, quod *jam sint judicati*, id non est accipiendum de finalis sententiae absolutoriae ac damnatoriae in die novissimo promulgatione ac publicatione, sed partim de aeterno et immoto judicii divini decreto, partim de infallibili futuri judicii certitudine, partim de judicii damnatorii negatione respectu piorum, ut sit sensus, *qui credit in Christum, non judicabitur*, id est non condemnabitur; *qui vero non credit, jam judicatus est*, tum ratione divini decreti, tum ratione

judicii in verbo manifestati, et incredulis promulgati, cujus executio in die novissimo sequetur. Verus igitur ac plenus verborum Christi sensus hic est, *qui credit in Filium, non judicatur*, id est in hac vita non opprimitur pondere irae ac judicii divini Joh. 3, v. 36; *non est sub lege* damnante, *sed sub gratia* absolvente Roman. 6, v. 14. *nulla est ipsi damnatio* Roman. 8, v. 1. non succumbit terroribus mortis et doloribus inferni, qui sunt initia mortis et damnationis aeternae, sed fide in Christum Deo reconciliatur, accipit remissionem peccatorum et spiritum consolationis ac laetitiae, per quem ex conscientiae terroribus eluctatur et filiali fiducia ad thronum Dei accedit; in die novissimo non audiet contra se ferri sententiam damnatoriam, sed laetissimam illam vocem, *venite benedicti Patris mei*, per quam ad coeleste regnum vocatus cum Christo et omnibus sanctis angelis et electis aeterna gloria ac laetitia fruatur. Contra vero *qui non credit in Christum, jam judicatus est* aeterno Dei propter impoenitentiam et incredulitatem homines justo judicio reprobantis decreto, unde etiam *manet sub ira Dei* Joh. 3, v. 36. et in hac vita sentit legem et conscientiam damnantem, Satanam accusantem, Deum iratum et condemnantem, opprimitur terroribus conscientiae et doloribus inferni. Chrysostomus homil. 27. in Joh.: *Quemadmodum homicida, etsi judicis sententia sit adhuc incondemnatus, damnatur ipsius sceleris natura, ita et incredulus.* In die novissimo audire cogetur terribilem illam sententiam, *discedite a me maledicti*, per quam igni aeterno adjudicatus cum diabolo et angelis ejus nunquam finiendis suppliciis torquebitur. Confer ea quae diximus superius de ὁμωνυμίᾳ vocis judicii §. 6. 2. Joh. 8, v. 15: *Ego non judico quenquam.* Responsio: Tota Scriptura testatur, Christum esse constitutum judicem vivorum et mortuorum, unde Joh. 5, v. 22. *Pater omne judicium* dicitur *dedisse Filio.* Quod ergo negat, se quemquam judicare, id quomodo accipiendum sit, ipsemet explicat Joh. 12, v. 47: *Si quis verba mea audierit et non custodierit, ego non judico eum, non enim veni, ut judicem mundum, sed ut salvem mundum.* v. 48. *Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet, qui judicet eum, sermo, quem locutus sum, judicabit eum in die novissimo.* Quidam accipiunt hoc sensu, quod Christus judicium suum a mundi judicio diversum ostendat. *Non judico quemquam*, scilicet carnali et praepostero affectu, praecedit enim: *Vos secundum carnem judicatis, ego non judico quemquam,* scilicet eo modo, quo vos judicatis, ac sequitur, *si ego judico, judicium meum verum est.* Sic exponit Augustinus tra-
54. ctat. 36. in Joh. Quidam sic exponunt: Possem ob hypocrisin, fastum et incredulitatem vos judicare et condemnare, sed amice vos tracto, blande vos erudio et cupide salutem vestram quaero. Potest etiam simplicissime accipi de primo Christi adventu, qui sic describitur Joh. 3, v. 17: *Non enim Deus misit Filium suum in mundum, ut judicet mundum.* Joh. 12, v. 47: *Non veni, ut judicem mundum.* Matth. 18, v. 11: *Venit Filius hominis servare quod perierat.* 3. Joh. 12, v. 31: *Nunc judicium est mundi. Ergo aliud judicium non est sperandum.* Responsio: Inclusio unius non est exclusio alterius. Superatis internis animae angoribus ex consideratione luctae ibidem paulo post subeundae ortis pergit Christus in concione de fructu passionis ac mortis suae superius v. 24. coepta ac dicit: *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras,* id est sisto me Dei judicio adversus peccatum, diabolum et mortem, hostes potentissimos, qui hactenus in mundo regnum obtinuerunt, sed merito et efficacia mortis meae dominio suo privabuntur, persistit enim in metaphora, quod diabolus principis instar in genere humano regnet, sed per Christi mortem superandus sit et per evangelii praedicationem ex cordibus plurimorum ejiciendus. 4. *Si animae post suum e corpore discessum e vestigio mercedem suorum operum in hac vita gestorum percipiunt, nullum supererit aliud judicium. Sed verum prius, ut in tractatu primo fuit demonstratum, ergo et posterius.* Responsio patebit ex illis, quae de causa finali extremi judicii suo loco dicentur.

CAPUT III.

DE CAUSA EFFICIENTE EXTREMI JUDICII.

26. Postquam igitur τὸ ὅτι demonstratum fuit, videlicet quod certo aliquando futurum sit extremum judicium, restat ut ad διότι, id est ad causas ejusdem explicandas descendamus. *Causa efficiens principalis* judicii extremi est ipse Deus, unus in essentia, trinus in personis. Quamvis enim Filius secunda Trinitatis persona visibiliter in natura assumta hoc judicium sit administraturus, unde *judex vivorum et mortuorum* constitutus dicitur, tamen non deneganda est αὐτοκρατορία κριτική reliquis divinitatis personis, nec judicabit Filius excluso Patre aut Spiritu sancto, sed judicandi partes omnibus tribus Deitatis personis suo modo et ordine competunt. Causa efficiens judicii extremi.

1. Quia *Deus* dicitur *orbem terrarum judicaturus,* Tota Trinitas.
jam vero nomen Dei οὐσιωδῶς acceptum Patri, Filio et Spiritui sancto aequaliter competit. Deut. 32, v. 36: *Judicabit Dominus populum suum.* Psalm. 9, v. 8: *Dominus paravit ad judicium solium suum.* Psalm. 50, v. 6: *Deus ipse judex.* Psalm. 82, v. 8. Psalm. 98, v. 9: *Veniet Dominus judicare terram.* 1. Samuel. 2, v. 10: *Judicabit Dominus fines terrae.* Eccles. 12, v. 14: *Omne opus adducet Deus in judicium*, Roman. 2, v. 5. vocatur *Dei judicium.* Hebr. 12, v. 23: *Accessistis ad judicem omnium Deum.* Plura hujusmodi testimonia facile colligi possunt ex illis, quae in quaestione, an sit futurum extremum judicium, ex V. et N. T. adducta sunt paulo superius. 2. Quia et Patri et Spiritui sancto judicium illud tribuitur. De Patre haec XIX. 155.
loquuntur dicta, Esa. 33, v. 22: *Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster*

(trina repetitio nominis Jehovah mysterium Trinitatis innuit, ut suo loco ostendimus, proinde nomine Jehovae judicis intelligitur Pater prima deitatis persona). Daniel. 7, v. 9: *Throni positi sunt et Antiquus dierum sedit* (utique ad judicandum). Matth. 22, v. 12. *Rex* coelestis, qui *paravit nuptias Filio suo* ad carentem veste nuptiali dicit: *Socie, quomodo intrasti huc.* Joh. 8, v. 50: *Est, qui requirat et judicet,* videlicet Pater meus coelestis, ut ex v. 49. intelligitur. Act. 17, v. 31: *Deus statuit diem, in quo judicaturus est orbem terrarum in justitia per virum, in quo decrevit.* 1. Petr. 2, v. 23: *Christus tradidit judicanti juste.* Spiritus sanctus vocatur *Spiritus judicii* Esa. 4, v. 4. ac velut in hac vita per verbum cum hominibus *contendit*, disceptat et judicat, ac peccata ipsorum arguit Genes. 6, v. 3. Joh. 16, v. 8. ita quoque in die novissimo una cum Patre et Filio eos judicabit. Quidam huc accommodant locum propheticum Esa. 30, v. 28: *Spiritus ejus velut torrens inundans*, sed ibi nomen spiritus pro ira et furore potius accipi videtur, describitur enim Deus instar cujusdam hominis irati, qui spiritum naribus fortiter efflat. 3. Quia administratio judicii est opus ad extra ac proinde indivisum i. e. omnibus Deitatis personis commune. 4. Quia ut trium Deitatis personarum una est essentia, ac eaedem proprietates essentiales, ita quoque *δύναμις κριτική* omniscientiam, omnipotentiam, justitiam etc. complexa omnibus tribus Deitatis personis competit.

27. Atqui, inquis, *Patri judicium videtur expresse denegari* Joh. 5, v. 22: *Pater non judicat quemquam, οὐ κρίνει οὐδένα*, ubi duplex negatio fortius negat, *sed omne judicium tradidit Filio.* Responsio 1. etiam Filius de se ipso dicit Joh. 8, v. 15: *Ego non judico quemquam*, cum tamen tota Scriptura testetur, ipsum fore omnium judicem. 2. Pater non judicat quemquam, sc. solus absque Filio, sed per Filium omnes judicat. Joh. 8, v. 50: *Est, qui requirat et judicet.* Act. 17, v. 31: *Statuit diem, in quo judicaturus est orbem terrarum in justitia per virum, in quo decrevit.* 3. Pater non judicat sumta persona judicis, quae ab hominibus, quos judicat, videatur, cum illis loquatur ac sententiam verbis proferat, proinde non *absolute ac simpliciter*, sed *secundum quid et certo respectu* negatur quemquam judicare, quia non judicat externo ritu et forma judicialis processus, quo modo solus Filius judicat. Augustinus lib. 3. contra Maximin. Arian.: *Invisibiliter erit Pater cum illo (Filio), quia inseparabilis est ab eo. Si enim non sum solus, quia Pater mecum est, ait moriturus, quanto magis secum habebit Patrem de mortuis et vivis judicaturus. Cum illo etiam erit Spiritus sanctus. Quomodo enim deseret eum Spiritus S. in regali sede, quo plenus regressus est a Jordane.* 4. In v. 27. proponitur ratio, quare *Pater non judicet quemquam, sed omne judicium dederit Filio,* quia scilicet ipse est *hominis Filius,* qui in assumta humana natura visibiliter judicium administrabit. Augustinus lib. 1. de Trinit. c. 13: *Secundum id, quod in judicio non forma Dei apparebit, sed forma Filii hominis, nec ipse Pater judicabit. Secundum hoc enim dictum est, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio etc. Secundum hoc quod Pater aequalem genuit Filium, judicat cum illo. Secundum hoc ergo dictum est, quod non judicet quemquam, quod in judicio non in forma Dei sed in forma Filii hominis apparebit.* XIX. *Non quia non judicabit, qui dedit omne judicium Filio, cum de illo dicat Filius, est qui quaerat et judicet, sed ita est dictum, Pater non judicat quemquam sed omne judicium dedit Filio, ac si diceretur, Patrem nemo videbit in judicio vivorum et mortuorum, sed omnes Filium, quia et Filius hominis est, ut possit et ab impiis videri, cum et illi videbunt, in quem pupugerunt etc.* Prosper in sent. Augustin. sent. 337: *Quamvis nunquam recedat a Filio Pater, ad judicandos tamen vivos et mortuos non ipse dicitur sed Filius affuturus, quia ibi nec Patris nec Filii Deitas, sed illa forma videbitur Filii, quam sibi per sacramentum incarnationis univit etc. Talis ergo apparebit judex, qualis videri possit ab eis, quos coronaturus, et ab eis, quos damnaturus est. Pater autem non apparebit, quia forma servi non est indutus, sed Filio, qui etiam homo factus est, dedit judicii potestatem.* 5. Pater dedit Filio omne judicium non potestate judicandi sese penitus abdicando, sed potestatem judicii visibiliter exercendi Christo ut hominis Filio communicando. 6. Immediate sequitur v. 23: *ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* At si uterque honorandus est et Pater et Filius, consequens est, utrumque judicii potestatem habere, utrumque judicare.

28. Quamvis vero potestas judicii faciendi competat omnibus tribus Deitatis personis. 1. *κατ' αὐτοκρατορίαν* et 2. *κατ' εὐδοκίαν*; propter *ὁμοουσίαν* (ut enim trium divinitatis personarum una et aequalis est essentia, ita quoque una eademque potentia), tamen *κατ' οἰκονομίαν* Christo *θεανθρώπῳ* judici mortuorum ac vivorum divinitus constituto peculiariter in Scripturis tribuitur, is enim 1. *visibiliter*, 2. *in assumta natura humana*, 3. *immediate* hoc judicium administrabit, in nubibus pro tribunali sedens ab omnibus conspicietur, sententiam definitivam promulgabit eandemque exsecutioni statim demandabit, ac proinde tum *ὁρατῶς*, tum *ἀκουστικῶς* judicium illud exercebit. Tribuitur Filio judicium non *exclusive*, nec *opposite*, sed per *appropriationem.* Toti Trinitati tribuitur judicium *quoad potestatem judiciariam, dominium, auctoritatem et decretum;* Filio peculiariter assignatur quoad *visibile et externum exercitium.* Veteres addunt, quod ideo per quandam appropriationem peculiariter Filio tribuantur partes judicandi, quia est Patris sapientia ab ipso genita et veritas a Patre procedens, jam vero judicium debet fieri in sapientia et veritate. Gregorius Nyssen. catech. 15. hac similitudine utitur: *Sicut Abraham* Gen. 18, v. 2. *vidit tres ad judicium*

Christi

Sodomorum euntes et unum adoravit, sic in judicio orbis praeerit S. Trinitas, interim Christus potestatem judicandi visibiliter exercebit. Constat hoc 1. *ex perspicuis Scripturae dictis.* Monet Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 30. in princ. *judicium Dei ex literis utriusque Testamenti facile quidem colligi, sed ex veteribus judicium tantum Dei expresse, at judicium Christi Filii ex veteribus quoque, ceterum apertius ex N. T.* (hunc enim esse verborum apud Augustinum trajectorum et in multis codicibus depravatorum sensum Lud. Vives in comm. notat), proinde non solum ex N. sed etiam ex V. T. colligenda sunt vaticinia illud ipsum demonstrantia. Gen. 18, v. 25: *Numquid judex universae terrae non faciet judicium?* Loquitur Abraham ad Filium
57. Dei, qui una cum duobus angelis apud ipsum diverterat. Psalm. 2, v. 9. dicit Pater coelestis ad Filium: *Conteres gentes in virga ferrea.* Es. 45, v. 23: *Per me ipsum juravi, dicit Dominus, mihi curvabitur omne genu.* (Hoc oraculum apostolus ad Christum accommodat et ex eo probat, omnes nos coram tribunali Christi sistendos Rom. 14, v. 11.) Dan. 7, v. 13: *Adspiciebam in visione noctis et ecce in nubibus coeli quasi Filius hominis veniebat ad Antiquum dierum* v. 14. *et dedit ei potestatem, honorem et regnum etc.* Zach. 12, v. 10: *Adspicient ad me, quem confixerunt* (hoc Apoc. 1, v. 7. ad Christum in nubibus ad judicium venientem applicatur). In N. T. et plura et clariora exstant dicta. Matth. 16, v. 27: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui et tunc reddet unicuique secundum opera sua.* c. 19. v. 28: *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae etc.* c. 24, v. 30: *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli.* c. 26, v. 64: *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis et venientem in nubibus coeli.* Joh. 5, v. 22: *Pater omne judicium dedit Filio.* v. 27: *Dedit ei potestatem faciendi judicium, quia Filius hominis est.* Act. 10, v. 42: *Christus est constitutus judex vivorum et mortuorum.* c. 17, v. 31: *Judicabit Deus orbem terrarum per virum, in quo constituit.* Rom. 2, v. 16: *Judicabit Deus occulta hominum per Christum Jesum.* c. 14, v. 10. 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes statuemur ante tribunal Christi.* 1. Thess. 4, v. 16: *Dominus in voce archangeli de coelo descendet.* 2. Thess. 1, v. 7: *In revelatione Domini Jesu de coelo cum angelis virtutis ejus.* v. 9: *Impii sustinebunt exitium ἀπὸ τοῦ προσώπου τοῦ κυρίου, cui adjudicabuntur a Christo*, qui in propria persona apparebit [ita enim quidam vertunt]. 2. Tim. 4, v. 1: *Christus judicaturus est vivos et mortuos per apparitionem et regnum suum.* Hebr. 4, v. 12. ὁ λόγος est *κριτικός*, id quidam accipiunt de *Λόγῳ ὑποστατικῷ.* c. 9, v. 28: *Christus apparebit secundo exspectantibus se ad salutem.* Jud. v. 14: *Ecce Dominus veniet cum sanctis millibus suis*, ille scil. Dominus, de quo v. 4. Apoc. 1, v. 7: *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus.* Plura ex superioribus colligantur, quae omnia in tres classes dividi possunt, quaedam enim dicta continent *prophetarum praedictionem*, quaedam *ipsius Christi asseverationem*, quaedam *apostolorum testificationem.* 2. *Ex parabolis.* Christus est *paterfamilias iste, in cujus manu ventilabrum, et mundabit aream suam et congregabit triticum in horreum suum et paleas comburet igni inexstinguibili* Matth. 3, v. 12. Sapiens ille *agricola*, qui *sizania in ignem conjicit, utile vero ac pretiosum semen in horrea recondit* Matth. 13, v. 30. Cautus ille *oeconomus, qui bonos pisces a malis separabit* v. 48. Coelestis ille *sponsus, qui virgines fatuas a prudentibus separabit* Matth. 25, v. 12. Dives ille *herus, qui negotiationis commissae rationem a servis suis exiget* v. 19. Fidelis ac prudens ille *pastor, qui oves separabit ab haedis* v. 33. *Dominus ille, qui a nuptiis reversurus jubet servos suos adventum ipsius solicite exspectare* Luc. 12, v. 36. cujus pedes in die judicii erunt *similes chalcolibano velut in fornace ardentes* Apoc. 1, v. 15. *ut columnae igneae* c. 10, v. 1. *oculi ejus ut flamma ignis et ex ore ejus procedit gladius δίστομος* Apoc. 1, v. 16. 3. *Ex ecclesiae symbolis.* Nam in symbolo Apostolico, Nicaeno et Athanasiano *Christum* confitemur *venturum ad judicandum vivos et mortuos.* Maximus Taurinensis homil. in expos. symbol.: *Necesse est, ut hominum genus ille discutiat, qui creavit, et ipse judicet, qui redemit, justumque est, ut omnipotens Dominus mortales suos, quos divinitatis virtute formavit, Patris pietate salvavit, judicis examinatione discernat.*

29. Judicabit autem Christus non tantum secundum divinam, sed etiam *secundum humanam naturam*, id est ea, quae ad partes judicis spectant; non tantum secundum divinam naturam, sed etiam in et cum humana natura ac per humanam naturam peraget, id quod probamus 1. *ex appellatione.* Judex hic appellatur *Filius hominis* Dan. 7, v. 13. Matth. 16, v. 27. c. 19, v. 28. c. 24, v. 30. c. 26, v. 64. etc. jam vero Filius hominis ab assumta humanitate denominatur, absque qua et sine qua Filii hominis appellatio neutiquam ipsi competit. Vocatur *Christus* Act. 10, v. 42. Roman. 2, v. 16. c. 14, v. 10. 2. Cor. 5, v. 10. etc. jam vero nomen Christi et ungentem Deitatem et unctam humanitatem complectitur. Damascenus lib. 3. orthodox. fid. c. 3: *ὄνομα Χριστὸς τῶν δύο φύσεων ὑπάρχει σημαντικόν.* lib. 3, c. 4: *Χριστός ἐστι τὸ συναμφότερον.* Vocatur *vir*, Actor. 17, v. 31. tum quia Athenienses, quibus apostolus concionabatur, nondum erant capaces mysterii de Christi divinitate, tum quia in assumta natura visibiliter judicium Christus administrabit. Vocatur *dominus* 1. Thess. 4, v. 16. 2. Thess. 1, v. 7. Jud. v. 14. jam vero est non solum natus ab aeterno a Patre dominus secundum divinitatem, sed etiam in tempore *factus dominus* secundum humanitatem Actor. 2, v. 36. 2. *Ex judicis descriptione.* Dicitur hic judex *venturus in nubibus coeli*, Daniel 7, v. 13. Matth. 24, v. 30. c. 26, v. 64. Apoc. 1, v. 7; *sessurus super sedem gloriae* Matth. 25, v. 31; *conspiciendus ab omnibus* Zach. 12, v. 10. Matth. 24,

XIX. 158. Etiam secundum humanam naturam.

v. 30. Apocal. 1, v. 7; *compellaturus electos et damnatos* Matth. 7, v. 22. c. 26, v. 34. 40. 41. et 45. dicitur *constitutus ac definitus judex* Act. 10, v. 43 c. 17, v. 31. dicitur *de coelo descensurus* 1. Thess. 4, v. 16. omnes *ante ipsius tribunal* dicuntur *statuendi* ac sistendi Rom. 14, v. 10. 2. Cor. 5, v. 10. Quae omnia evidenter docent, Christum in humana natura et secundum humanam naturam hoc judicium administraturum. 3. *Ex potestatis κριτικῆς communicatione.* Potestas judicium faciendi dicitur Christo in tempore data Daniel. 7, v. 14. Luc. 22, v. 69. Joh. 5, v. 22. et 27. Jam vero quae in tempore Christo data sunt, ea secundum humanam naturam ipsi data, ut habet constans et perpetua piae antiquitatis regula ex immotis Scripturae fundamentis exstructa. 4. *Ex muneris hujus conditione.* Judicium facere pertinet ad officium Christi regium, ut constat. Jam vero quae ad officium Christi pertinent, ea competunt ipsi secundum utramque naturam, cum juxta canonem concilii Chalcedonensis *in operibus officii utraque natura Christi operetur, quod cujusque proprium est cum communicatione alterius.* 5. *Ex antegressa exinanitione.* Administratio extremi et universalis judicii pertinet ad statum exaltationis. Jam vero exaltatio competit Christo secundum humanam naturam. Ergo etiam judicii administratio secundum humanam naturam ipsi competit. Assumtum probatur, quia secundum quam naturam Christus est exinanitus, secundum eandem est exaltatus, ut colligitur ex Phil. 2, v. 9. Jam vero exinanitio secundum humanam naturam ipsi competit. Ergo etiam exaltatio. Nimirum ut Christus in, cum et per humanam naturam opus redemtionis peregit et in ea injuste a mundo olim judicatus fuit, sic vicissim in, cum et per humanam naturam ἀπολύτρωσιν piorum perficiet et mundum juste judicabit. 6. *Ex adscensionis et reditus ad judicium collatione,* Actor. 1, v. 11. Christus ita redibit *sicut* adscendit. Adscendit autem *visibiliter* secundum humanam naturam. Ergo juxta eandem
XIX. 159. visibiliter redibit et judicium administrabit. 7. *A subjecti reduplicatione.* Judici huic potestas faciendi judicii dicitur collata, ὅτι, quia *et quatenus est hominis Filius* Joh. 5, v. 27. Chrysostomus et Theophylactus in comm. illius loci hoc de divina Christi natura accipiunt, potestatem enim faciendi judicium Christo ut Deo datam esse dicunt per aeternam a Patre generationem, ut sic ipsum generando Pater judicem fecerit. Eodem sensu accipit Ambrosius lib. 2. de fid. c. 4. sic scribens: *Omne judicium dedit Filio, utique generando, non largiendo.* Sed hanc interpretationem multis refellit Augustinus lib. 1. de Trinitat. c. 13. neque id immerito. Primo enim non dicit Christus, quod Pater sibi dederit potestatem faciendi judicium, quia *Filius Dei* vel quia *Deus est*, sed quia *Filius hominis est,* i. e. secundum humanam naturam, particula enim ὅτι hoc in loco non est αἰτιολογική, siquidem humana natura non est causa, unde illa ἐξουσία judiciaria dependeat, sed est διοριστικὴ καὶ δεικτική, ostendens naturam, cujus respectu illa potestas judiciaria Christo dicitur communicata, unde τὸ ὅτι quidam vertunt per vocem *quatenus*, quasi καθώς vel καθότι scriptum sit. Pelargus in comm. Joh. p. 62. ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου τουτέστι διὰ καὶ κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. In Syriaca versione hic προσδιορισμὸς cum versiculo seq. conjungi videtur, ut ostendit particula דין hoc sensu, *quod autem is sit Filius hominis, ne miremini propter hoc*, sed in Graeco codice, qui solus est authenticus, praecedentibus cohaeret et ad calcem v. 27. collocatur. Quorsum etiam diceret Christus, *et potestatem dedit ei judicium faciendi,* cum id ipsum v. 22. jam ante dixisset, *omne judicium dedit Filio;* si nihil quidquam huic sententiae additurus esset? Quod si haec verba, *quia Filius hominis est*, cum sequentibus essent connectenda, non dixisset Christus praepostera et inusitata verborum collocatione, *quia Filius hominis est, nolite mirari hoc*, sed *nolite mirari, quia Filius hominis est*, haec enim erat naturalis verborum series. Mirum igitur merito alicui videatur, quid Chrysostomo et ejus abbreviatoribus Euthymio ac Theophylacto in mentem venerit, ut statuerent, Graecum codicem mutato uno puncto a Paulo Samosateno hoc loco fuisse corruptum. Mirum et illud, cur hanc distinctionem Chrysostomi et Syri interpretis approbet Bellarminus lib. 3. de Christo c. 16. quam multis rationibus Maldonatus in comm. Joh. 5. recte impugnat. Secundo potestas illa κριτική in tempore Christo data, jam vero secundum divinam naturam nihil quidquam in tempore ei datum vel dari etiam potuit. Tertio versiculo immediate subsequente addit Christus: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus*, innuens, Filium hominis inde atque ideo voce sua mortuos in novissimo die excitaturum, quia ipsi ut homini potestas judicium faciendi data. Quarto Augustinus d. l. hoc urget, quod Christus neget, Patrem judicare quemquam. *Si secundum illud* (inquit) *Filio potestas faciendi judicii data diceretur, secundum quod dictum est, dedit filio habere vitam in semetipso, non utique diceretur, Pater non judicat quemquam. Secundum hoc enim, quod aequalem Pater genuit Filium, judicat cum illo. Secundum hoc ergo dictum est, quod in judicio non forma Dei, sed forma Filii hominis apparebit etc.* Et postea: *Quia Filius Dei est aequalis Patri, non accepit hanc potestatem judicii faciendi, sed habet illam cum Patre in occulto. Accepit autem illam, ut boni et mali eum videant judicantem, quia Fi-* XIX. 16
lius hominis est. Quinto potestas et gloria Christo in tempore data respectum habet ad antegressam exinanitionem, ideo enim in ὑπερυψώσει divinam majestatem ac potestatem Pater Christo dedit, quia in assumta servi forma sese humiliavit, et *fuit Patri obediens usque ad mortem.* Psalm. 110, v. ult. Phil. 2, v. 9. etc. jam vero non secundum divinam sed secundum humanam naturam Christus se exinanivit et humiliavit. Ergo etiam secundum humanam naturam potestas judicium faciendi ipsi data. Sexto

emphasin habet particula *καὶ potestatem dedit ei καὶ κρίσιν ποιεῖν*, dixerat enim Christus in praecedentibus, *quod Pater ipsi dederit vitam habere in se ipso, sicut ipse vitam habet in se ipso*, id quod plerique veterum de divina Christi natura dictum accipiunt. Basilius in hom. *περὶ πίστεως* pag. 353. *τὸ ἔχειν ἐκ φύσεως ἴδιον τοῦ γεννηθέντος*. Alcuin. lib. 1. de Trin. c. 15: *Dedit Filio vitam habere in semetipso, i. e. genuit Filium vitam habentem in semetipso*, unde Syrus notanter reddidit, *dedit ei habere vitam* בְּקְיוּ מֵהּ, *in sua essentia*, mox per *αὔξησιν* addit, quod non solum ipsi ut Deo per aeternam generationem vita essentialis sit communicata, sed quod etiam ipsi ut homini *potestas faciendi judicii* per unionem personalem et exaltationem ad dextram Dei communicetur. Valde igitur probamus, quod Maldonatus in h. l. scribit col. 584: *Etiamsi Christus ut Deus et potestatem et naturam ipsam accepit per aeternam a Patre generationem, tamen non agitur hic de ea potestate, quam ab omni aeternitate habuit, sed quam in tempore habere coepit.* Haec ille rectissime, qui tamen in reliquis, quae praecedunt et sequuntur, *οὐκ ὀρθοποδεῖ πρὸς τὴν ἀλήθειαν*. Combachius Calvinian. in disp. de person. et offic. Christi thes. 150. sic. *παραφράζει*: *Dedit ei potestatem faciendi judicium*, *quia Filius hominis est, i. e. quia visibili forma veniet ad judicium.* Atqui *τὸ* Filium hominis esse nuspiam in Scripturis significat visibilem reditum ad judicium, sed *τὸ* visibiliter ad judicium venire est consequens humanitatis. Et ostendimus jam ante, particulam *ὅτι non causam* sed *objectum* denotare, quod scil. Christo ut Filio hominis sive secundum humanam naturam potestas ejusmodi data. Quodsi enim causa illius communicationis in hoc *προσδιορισμῷ* assignaretur, consequens foret, omnes homines hanc potestatem habere. Adde quod Scriptura causam hujus communicationis non in veritate humanitatis nec in visibilitate reditus ad judicium, sed in unione hypostatica eandemque secuta Christi ad dextram Patris exaltatione ubique statuat.

30. Id ipsum (quod sc. *Christus secundum humanam naturam judicium sit administraturus*) nobiscum docent pii veteres. Cyprianus in serm. de adscens.: *Humilitas carnis nostrae throno judicatorio honorata est.* Cyrillus l. 2. in Joh. c. 140: *In quantum Verbum Dei et Deus est, hanc potestatem habet naturaliter, in quantum autem homo factus est, accepisse se hanc potestatem aperte profitetur;* et lib. ejusd. c. 144: *Christus causam subjecit, quare potestatem judicii a Patre sibi traditam dixerit, addens, quia Filius hominis est, ut intelligamus, omnia sibi data esse ut homini.* Augustinus lib. 1. de Trin. c. 13: *Filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea, qua Filius Dei est. Et rursus, Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus est aequalis Patri, sed in ea, qua Filius hominis est etc.*
31. et postea: *Quid nos prohibet mirari, nisi illud, quod revera miratur omnis, qui non intelligit, ut ideo diceret, Patrem dedisse ei potestatem judicium facere, quia Filius hominis est, cum magis quasi hoc exspectaretur, ut diceret, quoniam Filius Dei est? Sed quia Filium Dei secundum id, quod in forma Dei aequalis est Patri, videre iniqui non possunt, oportet autem, ut judicem vivorum et mortuorum, coram quo judicabuntur, et justi videant et iniqui, nolite, inquit, hoc mirari etc. ad hoc ergo oportebat, ut ideo acciperet hanc potestatem, quia Filius hominis est, ut resurgentes omnes viderent eum in forma, in qua videri ab omnibus potest.* lib. ejusd. c. 16: *Cum in forma servi glorificata judicantem viderint boni et mali, tolletur impius, ut non videat claritatem Dei, de qua Deus est, quam soli mundo corde videbunt.* lib. 20. de civ. Dei c. 6: *In ea forma veniet judicaturus, in qua venit judicandus*, id quod probat ex dicto Christi Joh. 5, v. 27: *Dedit ei potestatem faciendi judicium, quia Filius hominis est.* in enarr. Psalm. 74: *Quia ut Filius hominis accepit potestatem judicandi, ideo ait in evangelio, dedit ei potestatem faciendi judicii, quia Filius hominis est, secundum quod Filius Dei nunquam accepit potestatem judicandi, quia nunquam caruit potestate judicandi.* tractat. 21. in Joh.: *Pater omne judicium dedit Filio. Hoc dictum est, quia hominibus in judicio non apparebit, nisi Filius; Pater occultus erit, Filius manifestus. In quo erit Filius manifestus? in forma qua adscendit, nam in forma Dei cum Patre occultus est, in forma servi hominibus manifestus. Non ergo Pater judicat quemquam, sed in manifesto omne judicium dedit Filio etc. Veniet in forma humana, quam videbunt et impii, videbunt ad dextram positi, videbunt ad sinistram separati.* Ibid.: *Forma judicis Christi videbitur a piis et impiis, justis et injustis, fidelibus et infidelibus, gaudentibus et plangentibus, confisis et confusis.* tract. 22. in Joh.: *Secundum quod Filius est Dei, sicut Pater habet vitam in semetipso, sic et dedit Filio vitam habere in semetipso; secundum autem quod Filius hominis est, potestatem dedit ei judicium faciendi etc. Secundum hoc accepit potestatem judicandi, quia Filius hominis est; nam secundum quod Filius Dei est, semper habuit hanc potestatem, accepit qui resuscitatus est, accepit qui natus est, accepit qui crucifixus est.* serm. 64. de Verb. Domin.: *Judex hic erit Filius hominis, forma illa hic judicabit, quae judicata est etc. Sedebit judex, qui stetit sub judice. Damnabit veros reos, qui factus est falsus reus. Ipse veniet, forma illa veniet.* in libr. 50. homiliarum homil. 22: *Quod dicit, dedit ei judicium facere, pro parte carnis, quam assumsit, dedisse Patrem Filio judicium dici cognoscimus. Et futurum judicium hic significat, in quo adstabit Jesus Christus et reddet unicuique secundum opera ejus.* Prosper in sent. August. sent. 337. *Ipsa* (natura) *erit judex, quae sub judice stetit, ipsa judicabit, quae judicata est, ut videant impii ejus gloriam, in cujus mansuetudinem fremuerunt. Talis ergo apparebit judex, qualis videri possit ab iis, quos coronaturus, et ab*

iis, quos damnaturus est. Pater autem non apparebit, quia forma servi non est indutus, sed Filio, qui etiam homo factus est, dedit judicii potestatem. Rabanus in Psalm. 85: *Ipse videbitur terribilis, qui visus est contemtibilis, demonstrabit in judicio potentiam, qui ostendit in cruce patientiam.* Caesarius homilia 27: *In illo corpore judex veniet, quod pro nostra salute susceptum, pro nostra absolutione natum et pro nostrorum vulnerum medicina lancea clavisque confixum est.* Theodoretus in Psalm. 2: *Ut Deus, innatum habet imperium, ut homo, decreto*
XIX. 162. *accepit.* Alcuinus lib. 3. de Trinit. c. 18. in princ.: *Ipse Dominus de potestate, quam habet ex aeterno cum Patre, et de potestate, quam accepit ex tempore in forma servi, sic ait: Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Genuit itaque Deus Pater Filium vitam et potestatem in semetipso habentem. Dedit etiam potestatem eidem Filio judicium facere, qui in forma servi factus est homo.* Thomas in comp. theol. tract. 2. c. 57: *Quia potestas judiciaria ad Christi exaltationem pertinet, sicut et resurrectionis gloria, ideo Christus in judicio apparebit non in humilitate, quae pertinebat ad meritum, sed in forma gloriosa ad praemium pertinente.* Ex Calvinianis Tilenus part. 2. disput. 67. thes. 5: *Auctoritas illa ac potestas judiciaria, quae est in Deo per naturam, in Christo, qua homo est, per gratiam* (unionis et exaltationis). th. 6: *Nec judicabit Christus ut judex delegatus, sed omnino ut principalis, quia θεάνθρωπος.*

31. Damnamus igitur *Agnoëtas*, qui Christum diem judicii ignorare docebant. Duo autem fuere Agnoëtarum genera, quidam dicebantur *Phthartolatrae*, qui non divinitati, sed *animae Christi* ignorantiam novissimae diei tribuebant, de illis agit Nicephorus lib. 18. histor. eccles. c. 50: *Agnoëtae, qui et Severitae docent, Deum quidem Verbum omnia nosse, humanitatem vero secundum subsistentiam ei unitam permulta ignorare, nescire sane horam et diem mundi totius consummationis, utpote Patre minorem.* Quidam vero ipsi *divinitati* illam ignorantiam tribuebant, de quibus agit Rabanus libro 2. de institut. clericor. cap. ultim. Urgebant utrique dictum Christi, Marc. 13, v. 32: *De die illa nemo novit etc.* Respondemus: 1. Non agitur de divina Christi natura, sed de humana. Cyrillus lib. 9. thesauri cap. 4: *Ignorat ut homo.* Nazianzenus oration. 36: *γιγνώσκει ὡς ὁ θεός, ἀγνοεῖν δέ φησιν ὡς ἄνθρωπος.* 2. Et quidem considerata in essentialibus suis principiis, non autem quatenus *καθ᾽ ὑπόστασιν* unita est ipsi *λόγῳ* omniscio. Gregorius lib. 8. epist. 42. circa med.: *Incarnatus unigenitus in natura quidem humanitatis novit diem et horam judicii, sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit, quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit etc.* Damascenus lib. 3. orthodox. fid. c. 21: *Humana natura substantialiter non obtinet futurorum cognitionem, Domini autem anima propter ipsam ad Verbum unionem et hypostaticam identitatem dives facta est cum reliquis signis etiam futurorum cognitione.* 3. De statu exinanitionis sermo est, non de statu exaltationis. 4. Nomen Patris non opponitur Filio, qui est *in sinu Patris* Joh. 1, v. 18. *et novit omnia* Joh. 21, v. 17. nec Spiritui sancto, qui *scrutatur profunditates Dei* 1. Cor. 2, v. 10. sed angelis et hominibus, ut ipse textus ostendit. 5. Unde Patris nomen *essentialiter* potius quam *personaliter* hic accipitur. 6. Plerique ex veteribus addunt, Christum profiteri, quod ignoret diem judicii, *non ratione personae sed officii*, quia non erat missus, ut revelaret eum hominibus in suo ministerio, qua de interpretatione infra plenius disseremus. 7. Christus signa judicium proxime antegressura manifestat, ipsique data est potestas judicium faciendi, quomodo igitur absolute et simpliciter tempus judicii ignoraret? 8. Gregorius d. l. sic progreditur: *Quisquis Nestorianus non est, Agnoëta esse nullatenus potest. Qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, esse aliquid, quod Dei sapientia* XII
ignoret? Scriptum est, In principio erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt. Si omnia, procul dubio etiam dies judicii et hora. Quis ergo ita desipiat, ut dicere praesumat, quia Verbum Patris fecit, quod ignorat? Scriptum est, sciens Jesus, quia omnia dedit ei Pater in manu. Si omnia, profecto et diem judicii et horam. Quis ergo ita stultus est, ut dicat, quia accepit Filius in manibus, quod nescit? Eodem fere modo Ambrosius in comm. c. 17. Luc.: *Quomodo non dedit Pater cognitionem temporis Filio, cui dedit ipsius judicii potestatem? quomodo Filius nescire potest, quod Pater novit, cum in Patre sit Filius, et Spiritus scrutetur etiam alta Dei, cum ipse Filius sit altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei? Magis ergo dictum hoc secundum Filium hominis aestimemus, quia temporum finem non per naturam hominis, sed per naturam Dei novit.*

32. Ceterum ex eo, quod Christus non solum secundum divinam sed etiam secundum humanam naturam judex sit futurus, *πορισματικῶς* colligimus, Christum secundum humanam naturam esse 1. *omniscium.* Cum enim non solum de operibus externis, sed etiam de cogitationibus internis judicium sit instituendum, adeoque *abscondita tenebrarum illuminanda et cordium cogitationes manifestandae* 1. Cor. 4, v. 5. utique in futuro judice requiritur omniscientia. Eam vero Christo ut homini competere, non solum ex munere judiciario, sed etiam ex aliis documentis in medio exinanitionis statu editis apparet. Joh. 2, v. 25: *Non erat ei opus, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Matth. 9, v. 2. *videt in corde latentem fidem bajulorum et paralytici*, v. 4. *videt cogitationes scribarum.* Joh. 16, v. 19. *cognoscit interius apostolorum propositum, quod velint eum interrogare.* c. 21, v. 17. *novit omnia.* Col. 2, v. 3. *in ipso omnes thesauri sapientiae et scientiae reconditi* dicuntur. At si in medio exinanitionis statu

omniscientiae radios in assumta natura et per assumtam naturam exserere potuit, quanto magis in statu exaltationis et cum primis in die judicii lux omniscientiae pleno fulgore per carnem et in carne ipsius relucebit? *Erit ibi nuditas in publicatione, veritas in manifestatione*, inde notanter dicit apostolus Roman. 2, v. 16. quod *Deus in novissimo die judicaturus sit occulta hominum per Jesum Christum.* 2. Thess. 1, v. 8. impii dicuntur exitium daturi ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, *a facie Domini*, cui nihil occultum vel absconditum. Apoc. 2, v. 23: *Scient omnes ecclesiae, quia ego sum scrutans corda et renes, et dabo unicuique vestrum secundum opera sua.* Nazianzenus Christum vocat παντεπίσκοπον καὶ παντεπόπτην. 2. *Veracem et justum*, quia judicium illud vocatur δικαιοκρισία Rom. 2, v. 5. ac judex ipse vocatur ὁ δίκαιος κριτής 2. Tim. 4, v. 8. judicabit enim ἐν δικαιοσύνῃ Actor. 17, v. 31. ἄνευ ἀποκρίσεως καὶ προσκλίσεως adeoque ἄνευ προσωποληψίας Matth. 22, v. 16. id quod vel maxime in quovis judice tam ecclesiastico quam politico requiritur 1. Tim. 5, v. 21. Ut ergo in novissimo illo et universali judicio fulgebit Christi sapientia *in omnium etiam occultissimorum manifestatione*, ita quoque conspicietur justitia *in causae cognitione et dijudicatione.* 3. *Omnipotentem*, quia mortuos judicio sistendos verbo potentiae suae ex sepulcris *evocabit* Joh. 5, v. 25; evocatos una cum illis, quos dies novissimus deprehendet vivos, solo nutu ad tribunal suum *congregabit*, Matth. 24, v. 31; congregatos in
64. duas partes, oves scilicet ab haedis ut fidelis pastor secernendo, *segregabit* Matth. 25, v. 32; electos ad dextram, damnatos ad sinistram *collocabit* v. 33. ac sententiam definitivam sine ulla mora in utrisque *exsecutioni mandabit* v. 34. et 41. quae omnia divinae et infinitae potentiae sunt effecta; inde dicitur venturus μετὰ δυνάμεως πολλῆς Matth. 24, v. 30. ac impii dicuntur exitium passuri, quando Christus in propria persona *cum gloriosa potentia* ad judicium veniet 2. Thess. 1, v. 9. Quamvis vero ad quaedam ex illis peragenda angelorum ministerio utetur Matth. 13, v. 41. c. 24, v. 31. 1. Thess. 4, v. 16. illud tamen non *necessitatis vel indigentiae*, sed *majestatis et dominii* in angelos declarandi causa fiet. 4. *Omnipraesentem.* Quando enim Filius hominis *veniet in nubibus coeli*, tunc nihilominus *sedebit super sedem majestatis suae et a dextra virtutis* Matth. 24, v. 30. c. 25, v. 31. c. 26, v. 64. ergo dextra Dei non est aliquis finitus ac determinatus in coelo locus, alias Christus in nubibus ad judicium veniens non amplius ad dextram Patris sederet, sed est infinita potestas et dominium praesentissimum in coelo ac terra, unde vocatur *dextra virtutis* Luc. 22, v. 69. *Dextra majestatis* Hebr. 1, v. 3. Cyrillus lib. 12. thesauri c. 14: *Quando de Deo sedere et sedes aut solium dicitur, nihil aliud intelligitur nisi principatus et regia potestas, quam naturaliter super omnes habet creaturas etc.* Quare cum Christus judex ad infinitam, ubique praesentem et efficaciter omnia moderantem Dei dextram sit evectus, inque ea dicatur sessurus, quando in nubibus ad judicium veniet, utique ergo in coelo ac terra secundum utramque naturam praesens omnia administrat. Praeterea de Christo judice dicitur, quod *omnis oculus eum sit conspecturus* Zachar. 12, v. 10. Matth. 24, v. 30. Apocal. 1, v. 7. ac proinde videbunt eum homines, quotquot tribunali ejus sistentur, tam impii quam pii. Atqui si Christus cum corpore suo glorificato τῷ λόγῳ personaliter unito et ad dextram Dei evecto ea ratione ad determinatum ac corporalem locum esset adstrictus, ut non possit nisi in uno loco adesse ac conspici, quo omnes homines multitudine innumerabiles etiam ipsi antipodes in uno illo loco vix quinque vel sex ulnas ratione longitudinis adaequante simul ac semel ipsum intueri possent. Denique Christus in nubibus coeli e sublimi veniens ab omnibus conspicietur; atqui si sedes illa majestatis, in qua Christus ad judicium veniens sedebit, tot milliarium διαστήμασι a terris est remota, quomodo omnes homines uno eodemque intuitu ipsum videre poterunt? Videbunt omnes Christum αὐτοπροσώπως et audient eum αὐτοφώνως, nulla ergo localitas, nulla corporis circumscriptio impedimentum objiciet, quo minus omnes et singuli homines et judicem visuri et sententiam definitivam ab ipso audituri sint, plures igitur praesentiae modos habet, quam localem, naturalem et physicum. 5. *Προσκυνητόν, adorabilem.* Es. 45, v. 23: *In me ipso juravi; quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua*, hunc locum Paulus Roman. 14, v. 11. et Phil. 2, v. 10. accommodat ad Christum ad judicium venturum. Ergo Christo cultus et honor adorationis deferendus, non tantum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam in ipsa τοῦ λόγου ὑποστάσει subsistentem. Sic ergo concludimus: Secundum quam naturam potestas faciendi judicium Christo competit, secundum eandem cultus λατρείας
ipsi debetur. Atqui non tantum secundum divinam, XIX. 165.
sed etiam secundum humanam naturam potestas faciendi judicium illi competit. Ergo non tantum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam cultus λατρείας et religiosae adorationis ipsi debetur. Ephrem. lib. de vera poenit. c. 4: *Videbimus assistere omne mortalium genus a primo Adam usque ad ultimum hominem omnesque in faciem cadentes et Christum adorantes.* 6. *Divina majestate et gloria infinita praeditum.* Veniet Christus judex non amplius ut in primo adventu *in humilitate*, sed ἐν δόξῃ αὐτοῦ, *in gloria et majestate sua*, Matth. 25, v. 31. Irenaeus lib. 4. adv. haeres. c. 56: *Duos Christi adventus omnes annuntiarunt prophetae, unum quidem, in quo homo in plaga factus est sciens ferre imbecillitatem, in pullo asinae sedens et reprobatus lapis aedificantibus et sicut ovis ad victimam adductus; secundum autem, in quo super nubes veniet; superducens diem, quae est sicut clibanus ardens.* Veniet hic judex μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς Matth. 24, v. 30. Luc. 21, v. 27. *sedebit super thronum δόξης αὐτοῦ* Matth. 25, v. 31. et Christi adventus vocatur ἀποκάλυψις τῆς

δόξης 1. Petr. 5, v. 1. Ne quis vero existimet, hanc esse finitam duntaxat majestatem et gloriam, ideo diserte dicitur, quod venturus sit *in gloria Patris*, *ἐν δόξῃ τοῦ Πατρὸς αὐτοῦ* Matth. 16, v. 27. Marc. 8, v. 38. *ἐν δόξῃ αὐτοῦ καὶ τοῦ Πατρός* Luc. 9, v. 26. in tali gloria, quae est ipsi cum patre communis. Jam vero nemo dubitat, gloriam Patris esse vere divinam et infinitam gloriam. Ergo etiam Christus in gloria vere divina et infinita ad judicium veniet, in ea sc. gloria, quam secundum Deitatem *apud Patrem habuit*, *antequam mundus fieret*, et quam secundum humanitatem per unionem personalem et exaltationem ad Dei dextram a Patre accepit Dan. 7, v. 14. Joh. 17, v. 5. 2. Petr. 1, v. 17. unde *sedenti in throno et Agno, h. e Patri et Filio*, una atque aequalis gloria a beatis in coelo defertur Apocal. 5, v. 13. Veniet ille judex *cum magna potentia*, quia opera magnae potentiae, divinae scilicet et infinitae perficiet, resuscitabit mortuos, judicabit omnes homines, salvabit pios, damnabit impios, quid hisce operibus majus aut divinius esse possit? Veniet etiam *cum magna majestate et gloria*, quia veniet in nube fulgentissima, in corpore splendidissimo ipsos solis radios luce sua exsuperante, veniet comitatus angelorum myriadibus etc. Majestas illa judicis vere et mere divina elucet, tum *ex glorioso adventu*, tum *ex angelico comitatu*, tum *ex regali consessu*. Erit hic adventus non novae *redemtionis*, nec *sanctificationis*, sed *glorificationis;* veniet Christus non solum *vere et visibiliter*, sed etiam *gloriose et sublimiter;* veniet gloriosus ad pios glorificandos. Confer Apoc. 19, v. 11. et seqq. ubi gloriosus ille Christi ad judicium adventus describi videtur. Non est, quod quis regerat, *Christum etiam dici venturum in gloria angelorum* Luc. 9, v. 26. jam vero constat, gloriam angelorum non esse vere divinam et infinitam, ergo nec Christi gloriam vere divinam et infinitam esse, quomodo enim Christus venturus sit in gloria angelorum, illud patet ex aliorum Scripturae locorum collatione. Matth. 24, v. 30: *Veniet Filius hominis in nubibus coeli cum virtute et majestate magna*, v. 31. *et mittet angelos suos*. Matth. 25, v. 31: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis*. At hanc sedem majestatis, quae nihil aliud est quam ipsa Dei dextra, non habebit
XIX. 166. cum angelis communem, *cui enim angelorum unquam dixit Pater*, *Sede a dextris meis?* Hebr. 1, v. 13. Venturus ergo dicitur Filius hominis *in gloria* vel *cum gloria angelorum*, quia angeli apparitores erunt ministri ac testes divinae illius gloriae, in qua judex conspicietur. Alia est gloria angelorum, alia hominum beatorum, alia coeli novi ac terrae novae, sed his omnibus gloria Christi major erit, quippe quae cum Patre ipsi communis. Ambrosius lib. 3. de fid. c. 7: *Quid est et sanctorum angelorum, nisi quod honorantur et servi Domini?* At si vel maxime statuamus, Christum eo sensu dici venturum in gloria angelorum, quod gloriam illam, in qua et cum qua ad judicium veniet, certa ratione cum angelis sit habiturus communem, tamen ab inclusione gloriae finitae habitualiter Christo secundum humanam naturam competentis, ad exclusionem gloriae infinitae personaliter ipsi ut homini communicatae non procedit consequentia. Quod si enim finita duntaxat gloria inter gloriam Patris coelestis et angelorum intermedia Christo competeret, tum Christus verba sua sic informasset, quod venturus sit *in gloria Patris et sua et sanctorum angelorum*, jam vero gloriam suam, cum qua et in qua se venturum asserit, primo loco ponit et Patris ac angelorum gloriam eidem subjungit, ne quis ullam inaequalitatem ac dissimilitudinem inter Patris et Filii gloriam cogitaret.

33. Antithesis. Circa hoc doctrinae coelestis ca- An
put de causa efficiente principali extremi judicii a veritatis tramite aberrant 1. *Mahumetani* negantes, Christum futurum esse in die novissimo judicem. Mahumet in Corano azoar. 5. nugatur, *quod Deus liberavit Christum ab incredulis et supposuit eos, qui secuti sunt eum, eis, qui non crediderunt verbo ejus, usque ad diem publicae resurrectionis, et quod tunc Deus ad se ipsum reditu Christi facto controversiam ejus ac litem discutiet. Et finis est sententiae ejus ibidem, quod Jesus Christus circa tempus judicii sit moriturus et sicut alii homines resurrecturus, quod tunc Deus discutiet controversiam ejus*, quae verba leguntur in Fortalitio fidei lib. 4. considerat. 5. fol. 207. In azoara 49. Christum non judicem, sed *testem judicii* facit. Huc referri potest, quod Damascenus in libr. de haeresibus in haeresi *Ismaëlitarum sive Agarenorum* p. 586. commemorat, Mahumetem inter reliquas blasphemias de Christo commemorare, *quod cum in coelum pervenisset, a Deo interrogatus fuerit, an Dei Filium se esse dixisset, qui responderit: Domine, sis placato in me animo; scis hanc meam orationem non fuisse, meque tuam non fastidire servitutem, homines sunt isti, qui contra leges hoc me dixisse arguerunt falsoque me circumvenerunt crimine et vehementer errarunt. Deum vero haec vult ei respondisse: Scio, hanc tuam non fuisse orationem etc.* Hanc enim Christi causam in judicio discutiendam impostor blasphemat. 2. De *Davide Georgio*, Hollando haeretico pestilentissimo, Basilienses in historia de ipsius vita et morte scripta commemorant, quod inter alias blasphemias docuerit, *se esse verum illum Davidem divinitus promissum ac extremis hisce temporibus missum, ut regnum Israëlis restitueret Jacobique tabernaculum instauraret, seque esse illum, qui in extremo judicio totum mundum sit judicaturus*. 3. *Pontificii* Christo judici B. Mariam tum ut potestatis αὐτοκρατορικῶς judicium ferendi participem, tum ut piorum patronam, mediatricem ac liberatricem adjungunt. X
Joh. Osorius tom. 1. conc. p. 166: *Vero Christo a Maria separatio non convenit. Sicut enim Christus ut Deus a Patre separari non potest, quia unum sunt, ita suo modo ut homo a matre separari non vult, quia illa illi est omnia*. tom. 4. p. 39: *Sicut unice dilecto solet rex*

chirographa dare nomine suo subscripta, ut scribat, quae ei placuerunt, et eis utatur pro libito; sic Mariae innumera alba, ut ita dicamus, chirographa data sunt, ut quae Dei sunt, pro libito donet. p. 40. fingit, Christum dixisse daemoni Brigittae filium Carolum post mortem accusanti: *Mater mea in regno meo principatur non ut alii electi, sed tanquam mater regina et domina et potest dispensare in legibus a me latis, cum justa intercesserit causa.* Vincentius Ferrarius de Valentia, qui floruit circa ann. Christi 1455. et interfuit concilio Constantiensi, in opusculo de fine mundi, quod habetur in centenariis Wolffii part. 1. pag. 838. narrat ex legendis Dominici et Francisci, *Deum propter peccata mundi tres lanceas aliquando contra mundum vibrasse, quae demonstrabant tria, videlicet antichristi persecutionem, mundi conflagrationem et diem judicii, sed Beatam Mariam obtinuisse unam modicam dilationem super finem mundi a Filio suo, ut scilicet exspectaret praedicationem ordinum SS. Dominici et Francisci, qui praedicarent prius per mundum, ut gentes converterent.* Sebast. Barradius tom. 1. comm. evangel. pag. 328: *In coelo astrologi inter leonem et libram virginis signum interponunt, nos vero inter leonem de tribu Juda, id est Christum, in hora mortis judicem et libram illam judicii terribilem, qua omnes cogitationes nostrae, opera verbaque examinantur, non virginis signum, sed virginem ipsam judicis matrem multis precibus advocatam interponamus,* ac precationem ejusmodi ad *θεοτόκον* directam addit: *In terribili die judicii ab aeterna damnatione me libera.* Contra vero quod Christo, quia et quatenus est Filius hominis, potestas judicium faciendi dicitur data Joh. 5, v. 27. id Bellarminus lib. 3. de incarnat. c. 16. in resp. ad 5. argum. sic depravat, quod *agatur de potestate judicandi, non quomodocunque sed exterius et sensibiliter, quia enim,* inquit, *judex hominum in exteriori judicio debet videri a judicandis, ideo non Deus Pater, qui est invisibilis, judicabit, sed judicium dabit Filio, qui propter carnem assumtam factus est visibilis;* quae omnia eo spectant, ne dona vere divina et infinita, quale est potestas *αὐτοκρατορικῶς* judicium ferendi, Christo secundum humanam naturam data esse, concedere cogatur. Sed respondemus: Christus expresse dicit, quod Pater sibi dederit *πᾶσαν κρίσιν* v. 22. Ergo *ἐξουσία ποιεῖν κρίσιν* non externum duntaxat actum, nec partem duntaxat judicii, multo minus externum duntaxat adjunctum, visibilitatem scil. judicis, sed omnes ac singulos judicii actus complectitur. Si humana Christi natura nulla alia ratione ad partes judicii peragendas concurreret, quam quod exterius videatur et audiatur, quorsum *potestatem faciendi judicium sibi datam* Christus diceret? quorsum Filius hominis *cum potentia et majestate* diceretur venturus? Bellarminus humanitatem Christi *ὄργανον* judicii *ἄεργον* statuens easdem cum Calvinianis tibias inflat, quia 4. *Calviniani* multis modis gloriae Christi hominis mundum judicaturi detrahunt. Admonitio Neostadiensium de form. concord. p. 21: *Humana Christi natura de coelo descendet in nubes, conspicietur in gloria testante in ea habitantem Deitatem et feret sua voce sententiam extremi judicii, divina inspiciet et manifestabit omnium corda* XIX. 168.
et conscientias; dictabit et exsequetur sua potentia latam sententiam. (Hoc vero est aperte *νεστοριανίζειν*. Quodsi enim non humana sed divina duntaxat natura dictabit et exsequetur latam sententiam, quomodo humana natura in personae unitatem a *Λόγῳ* dicetur assumta? quomodo opera officii Christo secundum utramque naturam competere dicenda? quomodo Christo, quatenus est Filius hominis, potestas judicium faciendi erit data? Certe per hanc hypothesin nihil aliud Christo homini relinquitur quam nuda sententiae decisivae promulgatio, qualis per notarium aut secretarium aut alium ministrum in judiciis fieri consuevit, quod ipsimet adversarii non dissimulant, ut apparet ex p. 23. quin imo humana Christi natura statuitur velut quaedam arundo, per quam sonus transmittitur, ac potestas *κριτική*, activa auctoritas judiciaria, ipsi re vera penitus adimitur, ut colligitur ex illis, quae Sadeël lib. de verit. hum. natur. p. 148. et Anhaldini contr. theol. elector. argument. 42. disputant.) Danaeus in expos. symb. pag. 138. *exsecutionem duntaxat judicii* Christo homini relinquit. Polanus in synt. lib. 6. c. 69. p. 516: *Occulta hominum scire et producere est Deitatis, ferre sententiam etiam humanae naturae; potentia efficax vel ad vitam vel ad mortem, rursum Deitatis est.* (Omniscentia et omnipotentia Christo ut Deo competit per naturam, ut homini per unionis gratiam, ut Deo per aeternam a Patre generationem, ut homini per hypostaticam unionem et majestaticam ad dextram Patris collocationem; proinde omniscientia et omnipotentia non erat assumtae Christi naturae in actu judicii deneganda.) Bucanus in institut. theol. loco 38. quaest. 7. p. 429. recte quidem scribit, quod *potestas judiciaria conveniat Christo secundum quod homo et non tantum secundum quod Deus est,* addita ratione, *quia Pater dedit ei potestatem judicium facere, quia Filius hominis est, non quidem propter conditionem naturae humanae, nihil enim prohiberet omnes homines judices esse, sed propter conditionem gloriae, quae consequitur personalem unionem divinae et humanae, quia in natura humana est caput totius ecclesiae* Eph. 1, v. 22. *et pedibus ejus Deus omnia subjecit* Col. 1, v. 18. sed quod una manu dat, altera vicissim eripit, quando q. 5. pag. proxime praecedente, *Christum quatenus hominem causam efficientem administram judicii* statuit; (cui assertioni hunc syllogismum opponimus: Is cui potestas faciendi judicium data, non est causa judicii administra sed principalis; quia potestas *αὐτοκρατορίαν* non autem *διακονίαν*, dominium non ministerium, complectitur. Christo ut homini data est potestas faciendi judicium docente Christo Joh. 5, v. 27. et fatente Bucano d. l. Ergo Christus etiam ut homo non est causa judicii administra sed principalis. Qui est *θεάνθρωπος* et

judex principalis, non delegatus, a cujus sententia nulla datur provocatio, quique talem potest proferre sententiam, cui divinum et omnipotens robur in executione est conjunctum, ille non est causa efficiens judicii administra sed principalis. Atqui Christus est *θεάνθρωπος* etc. Ergo.) quando p. 429. subjungit, *potestatem judiciariam ea ratione Christo competere, quia ex refluentia divinitatis ad animam Christi convenit ei cognoscere et judicare occulta cordium;* (contra quam hypothesin sic concludimus: Quod Christo ut homini per et propter unionem personalem competit, ejus causa non est quaerenda in quadam refluentia vel influentia divinitatis ad ani-
XIX. 167. mam. Ratio est, quia illa refluentia vel influentia Christo ut homini cum reliquis prophetis, quibus Deus arcana revelavit, est communis. Jam vero omniscientia per et propter unionem personalem Christo ut homini competit. Ergo si Bucanus per influentiam divinitatis in Christi animam intelligit ipsam communicationem omniscientiae vi hypostaticae unionis factam, cur non agnoscit nobiscum, Christo secundum humanam naturam dona vere divina et infinita esse communicata? Sin finitam aliquam scientiam Christo ut homini per influentiam illam datam esse statuit, nondum vere et ex animo credit, nec *ἀνυποκρίτως* confitetur, potestatem judiciariam Christo ut homini datam, quia ad *δύναμιν κριτικὴν* requiritur occulta cordium inspicere, quod est opus vere divinae et infinitae scientiae, cum in Scripturis divina et infinita scientia sic describatur, quod per eam Deus *corda et renes probet*, *occulta tenebrarum intueatur* et in clarissima omniscientiae suae luce occultissima quaeque conspiciat), denique quando pag. ead. concludit, *Christo non modo quatenus Deus unus est cum Patre, sed etiam secundum humanam naturam potestatem judiciariam competere propter convenientiam et affinitatem ipsius ad homines, deinde ut judicandi videant ipsum judicem.* (Atqui in priori Bucanus sibi contradicit. Si enim *potestas judiciaria non est Christo data propter conditionem naturae humanae*, propterea quia alias omnes homines forent judices, utique etiam potestas judiciaria non est ipsi data propter convenientiam et affinitatem ipsius ad homines, quia per ipsam conditionem naturae humanae convenientia et affinitas Christo ad homines competit. In posteriori verum quidem dicitur, sed insufficiens causa affertur, non enim propterea duntaxat potestas *κριτικὴ* Christo ut homini data dicitur, quia in judicio ab omnibus videbitur, sed etiam ac vel maxime propterea, quia Christus ut homo veniet *cum potestate et gloria magna*, per quam mortuos ex sepulcris excitabit, omnes gentes ad tribunal suum congregabit et sententiam definitivam tam impiis quam piis latam potentissime exsequetur, quae omnia divinam omnipotentiam Christo secundum humanam naturam esse datam evincunt.)

Quaestio 1. An reditus Christi ad judicium

34. Quaeritur hoc loco 1. *An reditus Christi ad judicium contradictorie opponatur ejusdem in terris praesentiae secundum utramque naturam?* Affirmant Calviniani, unde non verentur nobis tribuere, quod per hypothesin omnipraesentiae principalem illum Christianae fidei articulum *de reditu Christi ad judicium* evertamus vel saltem labefactemus, ut vidimus superius. Respondemus vero: 1. articuli fidei non sunt sibi invicem opponendi, sed simplicis fidei obedientia accipiendi. Scriptura utrumque testatur, *Christum rediturum ad judicium et Christum vero corpore et sanguine suo in sacra coena nobis esse praesentem;* utrumque igitur fides Christiana in verbo Dei simpliciter et humiliter acquiescens amplecti debet, si vel maxime rationi nostrae haec videantur contradictoria. 2. Reditus Christi ad judicium non opponitur absolute et simpliciter totius personae praesentiae; alias ne quidem secundum divinam naturam nobis in his terris adesset, sed certo duntaxat praesentiae modo, ut docent angeli Act. 1, v. 11: *Hic Jesus, qui a vobis assumtus est in coelum, οὕτως, sic, veniet, ὃν τρόπον, quemadmodum, vidistis eum euntem in coelum.* Idem ergo Christus XIX.
Jesus, qui ad dextram Dei evectus vi promissionis suae *est in medio eorum, qui in nomine suo congregati sunt* Matth. 18, v. 20. qui est *nobiscum usque ad consummationem seculi* Matth. 28, v. 20. qui *omnia in omnibus implet* Eph. 1, v. 23. cap. 4, v. 10: qui *ambulat in medio candelabrorum aureorum*, id est ecclesiarum, Apocal. 1, v. 13. *invisibiliter* scilicet *quia non videtur a nobis* 1. Petr. 1, v. 8. et in ipsa Dei dextra ubique praesentissime ac potentissime dominante; idem in die novissimo visibiliter ad judicium rediturus est seque omnibus conspiciendum exhibiturus, Apocal. 1, v. 7. 3. Quid? quod Christus ipse invisibilem et majestaticam illam praesentiam, qua nobis in terris praesens est, visibiliter aliquando demonstravit, quia Paulus Act. 9, v. 17. *eum vidit*, ita quidem ut eum cognosceret Actor. 23, v. 11. et ex hac apparitione veritatem resurrectionis ejus probaret. 1. Cor. 15, v. 8. Stephanus *vidit eum stantem a dextris Dei* Actor. 7, v. 55. Johannes vidit eum *in medio candelabrorum aureorum* sive ecclesiarum. Apocal. 1, v. 13. Ergo visibilis ad judicium reditus ne quidem visibilem in terris praesentiam absolute et simpliciter excludit. 4. Inde secundus ille Christi ad judicium adventus non tantum vocatur *παρουσία*, sed etiam *ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας*. 2. Thess. 2, v. 8. *ἐπιφάνεια τῆς δόξης* Tit. 2, v. 13. *ἐπιφάνεια τοῦ Χριστοῦ* 1. Tim. 6, v. 14. 2. Tim. 4, v. 1. *φανέρωσις* Col. 3, v. 4. 1. Petr. 5. v. 4. 1. Joh. 2, v. 28. c. 3, v. 2. *καὶ ἀποκάλυψις* 1. Cor. 1, v. 7. 2. Thess. 1, v. 7. 1. Petr. 1, v. 7. et 13. c. 4, v. 13. ac notanter dicitur, *quod beatus et solus potens Deus eum sit ostensurus.* 1. Tim. 6, v. 15. nimirum quia invisibiliter nobis jam ante praesens est. Adventus enim Christo homini competit *ex conditione naturae*, sed apparitio ac revelatio, quae praesentiam praesupponit *ex accessione gloriae.* 5. Distinctio illa inter modos praesentiae ab ipsa Scriptura nobis suppeditatur. Luc. 24, v. 44. Christus post resurrectionem ad discipulos dicit: *Haec sunt, quae locutus sum vobis, cum vobiscum*

oppo[situs] ejusd[em] in te[rris] praes[en]tia?

essem. Atqui an non erat illis tum temporis praesentissimus? cur ergo dicit, *cum essem vobiscum?* nimirum alio praesentiae modo Christus ipsis aderat, videlicet in corpore glorificato, alius igitur praesentiae modus competit carni Christi, quatenus consideratur in se et physice; alius vero, quatenus consideratur *ut caro glorificata;* alius, quatenus consideratur *ut caro Λόγῳ personaliter unita* et ad dextram Dei evecta. Hieronymus in cap. 16. Matth.: *Mihi videtur Dominus in his verbis, me non semper habebitis, dicere de praesentia corporali, quod nequaquam cum iis futurus sit post resurrectionem, quomodo nunc in omni convictu et liberalitate.* 6. In ipsa etiam divina praesentia Scriptura distinguit certos modos et gradus, ac proinde a negatione unius modi vel gradus nequaquam absolute et simpliciter ad negationem omnium praesentiae modorum procedi potest. Sic 1. Reg. 19, v. 11. Deus *non erat in vento, in terrae mortu, in igne,* nec tamen absolute negatur, quod Deus per praesentiam conservationis et universalis operationis ibi fuerit, sed duntaxat hoc asseritur, quod juxta praesentiam symbolicae manifestationis ibi non fuerit. Exod. 33, v. 3. dicit Dominus ad populum Israëliticum, *non descendam tecum,* ubi denegat eis praesentiam gratiae, interim non excluditur praesentia potentiae. Genes. 18, v. 21. dicitur Deus *descendere* per peculiarem praesentiae manifestationem. Joh. 14, v. 23. dicitur *venire ad eos* per praesentiam gratiae, a quibus non abest per praesentiam potentiae.

.69. re- l di- fu- sit s? 35. 2. *An reditus Christi ad judicium futurus sit localis?* Secundus Christi adventus sic describitur, quod Christus judex *venturus sit in nubibus coeli* et ab *omnibus conspiciendus,* ut ex Scripturis ostendimus superius §. 29. ac de electis dicitur 1. Thess. 4, v. 17. quod *rapiendi sint in nubibus in occursum Domini in aëra,* fatemur igitur cum Luthero in confess. de coena et Brentio in libr. de unione duarum naturar. p. 81. *adventum Christi ad judicium fore localem et visibilem,* sed addimus, eum non fore *successivum,* quasi cum tractu quodam temporis, e coelo in nubes sit descensurus, sicut in adscensione subinde altius e terris in nubes videntibus apostolis sursum fuit evectus Marc. 16, v. 19. Luc. 24, v. 51. Act. 1, v. 9. sed *subitum ac momentaneum,* quia *dies Domini veniet ut fur in nocte* Matth. 24, v. 43. Luc. 12, v. 39. 1. Thess. 5, v. 2. 2. Petr. 3, v. 10. Apoc. 16, v. 15. *repente instar laquei superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae* Luc. 21, v. 35. *sicut fulgur exit ab oriente et apparet usque in occidentem; sic et erit adventus Filii hominis* Matth. 24, v. 27. Luc. 17, v. 24. proinde collatio inter adscensionem Christi in coelum et reditum ejus ad judicium Act. 1, v. 11. non est extendenda ultra illud tertium, in quo instituitur.

alis a sit a. in Chri- ve- 36. Quaeritur 3. *Qualis futura sit nubes, in qua Christus ad judicium venturus?* Quidam illud, quod Christus dicitur *in nubibus venturus* metaphorice accipiunt de judicis serenitate vel de ejusdem severitate et implacabilitate. Quidam sic exponunt, quod venturus sit Christus *cum sanctis* Judae v. 15. sicut Hebr. 12, v. 1. exempla sanctorum vocantur *nubes testium,* dicuntur enim sancti nubes juxta Ambrosium lib. 10. in Luc. Augustinum in enarr. Psalm. 78. et Thomam in comm. c. 12. Hebr. tum propter *conversationis sublimitatem* Esa. 60, v. 8. Phil. 3, v. 20. tum propter *doctrinae fecunditatem* Job. 36, v. 27. tum propter *spiritualis consolationis utilitatem, ut enim nubes praestant refrigerium, ita quoque exempla sanctorum,* quam rationem tradit Chrysostomus in comm. Hebr. 12. ac *quemadmodum a nubibus procedunt pluviae, coruscationes et fulgura, sic a sanctis pluvia doctrinae, coruscationes miraculorum et fulgura comminationum oriuntur,* quae est ratio Hugonis Cardinalis ibid. Idem Thomas disputat, quod nubes hic appellentur *quaedam densitates lucis resplendescentes a corporibus sanctorum,* cum nullae tunc evaporationes ex aqua et aëre sint futurae. Sed praestat nubium appellationem in sensu proprio accipere, cum in articulis fidei absque urgente necessitate a litera non sit discedendum. Qualis autem futura sit illa nubes, hominem exacte scire arbitramur neminem. Rupertus in comment. Apocal. 1: *Hujusmodi nubes non erunt, quales nunc saepe videmus pluviis rorantes terramque refrigerantes, sed procellosae, ignem spirantes et fulmina jacientes.* Thomas subjungit: *Nubes illae generabuntur virtute divina ad ostendendam* conformitatem adventus ad judicium et adscensionis. Illud observationem meretur, quod Christus dicatur venturus non tantum *in nube* (in singulari) Luc. 21, v. 27. sed etiam *in nubibus* (in plurali) Marc. 13, v. 26. *cum nubibus,* Marc. 14, v. 62. Apoc. 1, v. 7. ne unicam duntaxat nubem conspectam iri cogitemus.

37. Quaeritur 4. *Quare Christus in nubibus venturus?* Respondemus 1. Nubes in Scripturis nobis pro- XIX. 170. 4. Quare Christus in nubibus venturus?
ponuntur tanquam regalis Dei thronus ac currus quo vehitur, Psalm. 104, v. 3: *Ponis nubes currum tuum.* Esa. 19, v. 1: *Ecce Dominus equitabit super nubem levem.* Christus igitur, quia a Patre potestatem faciendi judicium accepit, ideo in administratione judicii in paterno solio, i. e. in nube sedebit. 2. Christus *nube vectus* in coelum adscendit Act. 1, v. 9. jam vero *sic veniet ad judicium, quemadmodum apostoli eum viderunt euntem in coelum* v. 11. Pulchre Chrysostomus in sermon. de adscens. Dom. tom. 3: *Elias in curru igneo adscendit, Christus in nube. Nam quando servus vocabatur, currus mittebatur, ut veniret, at quando Filius adscendebat, dominica sedes occurrrebat, nec tantum dominica, sed et paterna.* Beda in comm. Apocal. 1: *Ubique creatura creatori suo praestat obsequium, astra indicant nascentem, obnubunt patientem, nubes recipiunt adscendentem, redeuntem ad judicium comitabuntur.* 3. Cum in transfiguratione praeludium ac speculum quoddam majestatis ac gloriae, in qua Christus ad judicium venturus est, ederetur, *nubes lucida obumbravit eum* Matth. 17, v. 5. Marc. 9,

v. 7. Luc. 9, v. 34. 4. De nube, quae se inter castra Aegyptiorum et Israëlitarum medio loco posuit Exod. 14, v. 19. interpretes statuunt, quod ex parte ea, qua Aegyptiorum exercitum respexit, fuerit tenebrosa, ex parte autem altera, qua Israëlitas attigit, lucida, noctis tenebras illuminans. Sic nubes illa, in qua Christus ad judicium veniet, piis spem fiduciae et protectionis exhibebit, impiis vero terrorem et metum incutiet, Psalm. 105, v, 59: *Expandit nubem in protectionem eorum.* 5. In Veteri Testamento *gloria Domini saepius apparuit in nube* Exod. 16, v. 10. *veniam ad te in caligine nubis* Exod. 19, v. 9. *nubes Domini incubabat tabernaculo* Exod. 40, v. 38. *descendit Dominus in columna nubis* Num. 12, v. 5. *impleta est domus Domini nube* 2. Paralip. 5, v. 13. Christus igitur ad judicium veniet in nube, ut manifestam faciat gloriam suam ac re ipsa ostendat, se esse gloriosum illum Jehovam, qui Israëlitas per desertum deduxit et in nube ipsis apparuit. 6. Primus Christi adventus in carnem sic describitur Esa. 45, v. 8: *Nubes pluant justum*, ut ad secundum ipsius in nubibus adventum remittamur.

Quaestio 5. An Christus in forma gloriosa an in forma servi appariturus?

38. Quaestio 5. *An in forma gloriosa Christus sit appariturus, an vero in forma servi qualis in passione exstitit?* Hanc quaestionem movet Lombardus 4. sentent. dist. 48. lit. B. ad quam respondet hoc modo: *Quidam putant, a malis talem videri, qualem crucifixerunt, quia dicit Scriptura, ut videant, in quem pupugerunt* Zachar. 12, v. 10. *sed aperte dicit Augustinus lib.* 1. *de Trinit. c.* 3. *formam servi glorificatam a bonis et malis tunc videri his verbis: Cum in forma servi glorificata judicantem viderint boni et mali, tolletur impius, ut non videat claritatem Dei, de qua Deus est, quam soli mundo corde videbunt, quod erit eis vita aeterna; forma ergo humana in Christo glorificata videbitur a cunctis, unde Christus dicitur judicaturus, quia Filius hominis est.* Haec Lombardus. Scriptura diserte dicit, *Christum venturum esse ἐν δόξῃ* Matth. 16, v. 27. *μετὰ δόξης πολλῆς* c. 24, v. 30. dubitari igitur nequit, *in forma glorificata* ipsum ab omnibus conspectum iri, quia servilem et humilem for-
XIX. 171. mam in adscensione sua deposuit. Distinguendum tamen inter *visionem piorum beatificam et visionem impiorum terrificam.* Pii cum gaudio et exsultatione Christum ut redemtorem suum videbunt, impii cum terrore ac trepidatione ipsum ut judicem conspicient.

Causa impulsiva extremi judicii.

39. Ad causam efficientem judicii extremi etiam pertinet *causa impulsiva*, tum *προηγουμένη* sive *interna*, tum *προκαταρκτική* sive *externa*. Causa impulsiva judicii *interna* sive *προηγουμένη* est tum *justitiae divinae aequitas*, quae requirit, ut retribuatur unicuique secundum opera sua, ac proinde impii promeritas scelerum suorum poenas aliquando luant; tum *divina bonitas*, quae requirit, ut piis propter Christum Deo placentibus gratuita praemia reddantur ac perfecta ab omnibus periculis et adversis *ἀπολύτρωσις* tandem contingat; tum *Dei veritas*, quae requirit, ut oraculis propheticis et apostolicis de futuro judicio editis accedat complementum ac firmum deprehendatur illud Christi Luc. 21, v. 33: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Causa impulsiva *externa* seu *προκαταρκτική*, propter quam Christus suum ad judicium adventum accelerabit, est tum *horribilis diaboli furor ac crudelitas*, qui crudeliter in genere humano grassatur impellendo homines ad idololatriam, caedes, libidines et alia flagitia, *cum noverit, exiguum tempus se habere* Apoc. 12, v. 12. tum *Epicurea ac supina maximae partis hominum securitas*, qua libere carni suae frena laxant 1. Thess. 5, v. 3. quin et irrisorio animo quaerunt, *ubi nunc promissio adventus ejus?* 2. Petr. 3, v. 4. hanc diaboli rabiem et mundi securitatem, ut Christus maturius compescat, ideo adventum suum ad judicium accelerat. Quod enim eum adhuc paululum differre videtur, id fit propter *mirandam Dei longanimitatem*, qua omnes ad poenitentiam vocat et invitat, Rom. 2, v. 4. 2. Petr. 3, v. 9. De propinquitate judicii sic disserit Ephrem. de beatitudine anim. cap. 3: *Tanquam messis seculi finis ad metendum pervenit et angeli accincti et praeparati falces tenent manibus, Domini exspectantes imperium.* Causam dilationis Justinus apol. 1. pro Christ. p. 35. sic exprimit: *Deus confusionem et interitum, σύγχυσιν καὶ κατάλυσιν, totius mundi, per quem angeli et daemones et homines non amplius exstent, fieri nondum permittit propter semen Christianorum, quod naturae rerum causam esse novit.* Idem in dial. cum Tryph. p. 199: *Quemadmodum propter septies mille illos tum Deus iram non intulit, ad eundem modum nunc quoque judicium suum nondum protulit aut profert, sciens, in dies adhuc nonnullos disciplinam suscipere in nomen Christi et viam seductionis relinquere.* Basilius in c. 13. Esa.: *Ex quo die dictus est dies Domini appropinquare, multum intercessit temporis, ejus propinquitatem contestantibus prophetis omnibus, ut nemo a spe excideret, quasi ob diurnam extractionem temporis possit deprehendi imparatius.*

Ca in m ac st I.

40. Causae *instrumentales ac ministeriales* extremi judicii docendi causa statui possunt 1. *angeli sancti*, 2. *homines pii*. 1. Angelorum opera utetur Christus 1. *in honorifica deductione* Matth. 25, v. 31: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua et omnes angeli cum eo.* Luc. 9, v. 26: *Veniet Filius hominis in gloria sanctorum angelorum* (comitum et apparitorum) Luc. 12, v. 9: *Qui negaverit me, negabo eum coram angelis* (qui mecum venient ad judicium). 1. Thess. 4, v. 16: *Ipse Dominus cum* XI
jussu et voce archangeli et tuba Dei de coelo descendet. 2. Thess. 1, v. 7: *Cum revelabitur Dominus Jesus de coelo cum angelis potentiae suae.* Jud. v. 14: *Ecce veniet Dominus ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ, cum multis angelorum sanctorum millibus*, ponitur enim indeterminate, ut ad angelos et homines sanctos referri possit. *μυριάς* proprie significat decem millium numerum sive decem millia,

respectus igitur haberi videtur ad Daniel. 7, v. 10: *Millia millium ministrabant ei et decies centena millia assistebant ei, judicium sedit et libri aperti sunt.* Angeli sunt *spiritus potentes virtute facientes verbum Domini, sunt exercitus coelestes, ministri Dei, qui faciunt voluntatem ejus* Psalm. 103, v. 20. et 21. Quando igitur Christus militiae coelestis dux et signifer ad judicium veniet hanc exercitus angelici multitudinem majestatis suae declarandae causa sibi associabit. Luc. 2, v. 13. Apocal. 12, v. 7. Nec aliquot duntaxat angelis comitatus veniet, sed *omnes angeli* cum ipso erunt juxta vaticinium propheticum Zach. 14, v. 5: *Veniet Dominus Deus meus omnesque sancti cum eo.* Ambrosius lib. 3. de fid. c. 7: *Illi in obsequio, hic in gloria; illi in comitatu, iste in suggestu; illi stant, hic sedet, ut verbo tamen usus utamur humani. Hic judicat, illi ministrant.* In Christi nativitate, tentatione, passione, resurrectione et adscensione praesto fuerunt angeli ac ministeria sua ipsi exhibuerunt, ut historia evangelica testatur, eccur igitur in reditu ad judicium ipsi non adessent? *Sic veniet, quemadmodum apostoli viderunt eum adscendentem in coelum* Actor. 1, v. 11. Jam vero adscendit cum glorioso sanctorum angelorum comitatu. Ergo cum eodem etiam ad judicium redibit. Cum in monte Sinai lex divina a Filio Dei promulgaretur, praesto erant angeli, ut colligitur ex Gal. 3, v. 19. quando idem Dei Filius ob legis divinae exsecutionem ad judicium redibit, denuo aderunt angeli ac tubarum sono adventum Domini sui manifestabunt. 2. *In judicandorum congregatione.* Matth. 24, v. 31. Marc. 13, v. 27: *Mittet Filius hominis angelos suos cum tuba vocis magnae, et congregabunt electos a quatuor ventis a summis coelorum usque ad terminos eorum.* 2. Thess. 2, v. 1. adventus Christi et ἐπισυναγωγή piorum ad ipsum conjunguntur. 3. *In congregatorum separatione* ac piorum ad Christi judicis dextram, impiorum vero ad sinistram collocatione. Matth. 13, v. 49: *Exibunt angeli et separabunt malos de medio justorum,* quod accipiendum de separatione ὑπηρετικῶς, *ministerialiter* considerata, *principaliter* enim Christo eadem tribuitur, cujus imperio ac nutu omnia peragentur Matth. 25, v. 32. 4. *In impiorum a Christo damnatorum ad infernum detrusione.* Matth. 13, v. 41: *Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem,* v. 42. *et mittent eos in caminum ignis.* Confer Matth. 22, v. 13. cap. 25, v. 30. Apocal. 20, v. 3. 5. *In piorum ad coelum subvectione;* 1. Thessal. 4, v. 17: *Rapiemur in nubibus in occursum Domini in aëra et sic semper cum Domino erimus.* Ut enim piorum animas e corporibus egressas deportarunt in coelum, sic eosdem e terrae pulvere suscitatos post latam judicis sententiam in coelum secum deducent, Luc. 16, v. 22. Confer ea, quae de causa instrumentali resurrectionis dicta in tract. praeced. §. 65.

2. Homines. 41. Homines pii assessores ac testes judicii olim futuri sunt, 1. *in specie* apostoli, quibus hoc peculiariter promissum Matth. 19, v. 28: *Amen dico*
vobis, inquit Christus, *vos qui secuti estis me in* XIX. 173.
regeneratione, cum sederit Filius hominis in throno gloriae suae, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israël, quod repetitur Luc. 22, v. 30. Illa vero sessio non est accipienda in sensu literali de corporea quadam sede, sed mystico de eximia quadam gloria, quam prae reliquis sanctis in judicio apostoli habebunt, additur enim apud Lucam: *Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo et sedeatis super thronos etc.* Jam vero illa manducatio et bibitio in regno Dei non erit corporalis sed spiritualis. Ergo etiam sessio super thronos eodem sensu accipienda. Chrysostomus homil. 65. in Matth.: *Ecce non sessum quidem esse sedes significavit, cum ipse solus in solio judicaturus sedebit, sed honorem atque gloriam ineffabilem vocabulo sedium significanter expressit.* Augustinus in enarr. Psalm. 121: *Si coelum sedes Dei, apostoli autem coelum, et ipsi facti sunt sedes Dei, ipsi sunt thronus Dei. Anima justi dicitur thronus sapientiae, i. e. in anima justi sedet sapientia tanquam in sella sua, tanquam in throno suo, et inde judicat, quidquid judicat etc.* Theoph. in c. 19. Matth.: *Num sedebunt? minime, sed excellentem honorem per sedem indicavit.* Bernhardus in declamat.: *Duplex vos remuneratio manet, sublimitatis et delectationis. In sedibus enim quies imperturbata est, in judicio dignitatis eminentia commendatur. Quis vero secularis honor excogitari potest, qui non prorsus in tantae sublimitatis comparatione vilescat?* Quidam conjungunt visionem apocalypticam Apoc. 4, v. 2: *Ecce thronus positus erat in coelo et super thronum sedens,* v. 4. *et in circuitu throni viginti quatuor throni et super thronos viginti quatuor seniores circumamicti vestimentis albis et in capitibus habebant coronas aureas.* Conf. Apoc. 11, v. 16. Per hos enim seniores intelligunt duodecim patriarchas in V. ac duodecim apostolos in N. T. per quos ecclesia fuit longe lateque propagata. Sed alii per hos seniores omnes fideles ecclesiae doctores tam in V. quam N. T. symbolice significari existimant. Augustinus et Primasius in genere de omnibus sanctis accipiunt, quorum sententia robur accipit ex collatione c. sequentis v. 9. et 10. Idem judicium de simili visione Daniel. 7, v. 9: *Adspiciebam, donec throni positi sunt.* Apocal. 20, v. 4: *Et vidit thronos, et sederunt super eos et judicium datum est illis.* 2. *In genere* omnes sancti. Esai. 3, v. 14: *Veniet Dominus ad judicium cum senioribus populi sui et principibus ejus.* Sap. 3, v. 8: *Justi judicabunt gentes impias et dominabuntur populis et regnabit Dominus illorum in perpetuum.* c. 5, v. 1: *Stabunt justi magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.* Matth. 12, v. 41: *Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione ista et condemnabunt eam.* v. 42: *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista et condemnabit eam.* Idem repetitur Luc. 11, v. 31. et 32. Augustinus

libr. 20. de civ. Dei c. 5. eodem accommodat verba Christi. Matth. 12, v. 27. Luc. 11, v. 19: *Filii vestri*, id est apostoli et reliqui pii ex vestra posteritate ad me conversi, *erunt judices vestri.* 1. Cor. 6, v. 2: *An nescitis, quod sancti mundum*, id est homines mundanos et impios, *judicabunt?* v. 3. *etiam angelos*, scilicet malos, *judicabimus.* 1. Thess. 3, v. 13. *In adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus.* Jud. epist. v. 14: *Ecce venit Dominus cum multis sanctorum millibus*, v. 15. *facere judicium etc.* Apoc. 2, v. 26: *Qui vicerit et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes*, v. 27. *et reget eas in virga ferrea, tanquam vas figuli confringentur.* (Pontificii de tempore resurrectionem antecedente hoc accipiendum esse pugnant, ut sanctorum
XIX. 174. invocationem stabiliant, sed phrasis ipsa ostendit, sermonem esse de extremo judicio, quia additur, *tanquam vas figuli confringentur*, quod non fiet nisi in extremo judicio. Lyranus in comm. h. l.: *Dabo illi potestatem super gentes in finali judicio, in quo perfecti judicabunt cum Christo, et sic habent potestatem super gentes judicandas. Et reget illas virga ferrea inflexibili justitia et tanquam vas figuli confringetur, quod tunc peccatores in infernum detrudentur.* Sensus igitur est, quod Christus fideles participes sit facturus victoriae ab hostibus reportatae eosque assessores judicii in die novissimo habiturus, ut ex locis parallelis modo adductis colligitur. Confer tractat. de morte §. 359.) Apoc. 3, v. 21: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus.* (Calviniani ex hoc loco colligunt, *non posse ex sessione Christi ad dextram Patris infinitam ipsius majestatem et omnipraesens in coelo ac terra dominium colligi, cum haec sessio ipsi cum sanctis sit communis.* Atqui textus manifeste distinguit inter *thronum Patris*, ad quem Pater Christum evexit, et inter *thronum Christi*, ad quem Christus sanctos evehit. *In throno Dei Patris* nullus angelorum, multo minus sanctorum sedet Hebr. 1, v. 13. sed *in throno Christi* sedent sancti. *Thronus Patris* est infinita ipsius majestas, potentia et gloria, *thronus Christi*, quem cum sanctis communicat, est peculiaris quidam honor in judicio et aeterna in coelis beatitudo. Ille infinitus est et ubique, hic finitus et in paradiso; ille unicus, horum vero plures Matth. 19, v. 28. Apoc. 4, v. 4. c. 20, v. 4; ille aeternus et increatus, hi vero dicuntur *parati* Matth. 25, v. 34. et *positi* Daniel. 7, v. 9. Sensus igitur, quod Christus fideles peculiari gloria in die judicii et vita aeterna ornabit inque regni sui consortium assumet, 2. Tim. 2, v. 12.)

Quomodo pii sint judicaturi.

42. Judicabunt autem tum *in genere* omnes sancti, tum *in specie* apostoli, non potestatem judicandi αὐτοκρατορικήν una cum Christo exercendo, quia haec potestas et gloria soli Christo vivorum ac mortuorum judici unice competit, sed 1. *in Christo, capite suo.* Scriptura duplex corpus Christo tribuit, *personale*, quod in personae unitatem a λόγῳ est susceptum, et *spirituale* sive mysticum, cujus vera et viva membra sunt omnes pii fidei ac Spiritus unitate ipsi conjuncti 1. Cor. 12, v. 12. Dupliciter enim de Christo loquitur, primo *absolute*, quatenus consideratur ut persona una duabus naturis constans; secundo *relate*, quatenus consideratur ut caput ecclesiae, cum qua unum corpus mysticum constituit. Quare cum Christus ut caput ecclesiae judicium sit administraturus, ideo honor capitis certa ratione etiam ad membra refertur. Sic Dan. 7, v. 27: *Regnum et potestas et magnitudo regni, quae est subter omne coelum, dicitur datum iri populo Altissimi*, intellige in Christo capite, ut exponitur v. 14. Eph. 2, v. 5: *Deus convificavit nos Christo*, v. 6: *et conresuscitavit et considere fecit in coelestibus in Christo Jesu*, capite scil. nostro, ut exponitur c. 1, v. 22. pari ratione etiam sancti judicabunt in Christo, scil. corporis mystici sive ecclesiae totius capite. 2. *Assistendo sive assidendo.* Sancti non erunt judices principales, sed summi judicis assessores, quia Christus omnes suos et ecclesiae suae hostes coram tribunali suo in piorum, quos in hac vita afflixerunt, conspectu statuet, ut sententiam condemnatoriam contra ipsos ferendam audiant, qua ratione piorum gloria et laetitia, impiorum vero terror et tristitia augebitur. Sap. 5, v. 2: *Videntes turbabuntur timore horribili etc.* Joël 3, v. 17: *Sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* XI: 3. *Approbando*, quia sententiam judicis calculo suo approbabunt eidemque publica voce subscribent. Apoc. 19, v. 1: *Audivi quasi vocem turbarum multarum in coelo dicentium, alleluja, laus et gloria et virtus Deo nostro*, v. 2. *quia vera et justa sunt judicia ejus etc.* 4. *Testificando*, quia de bonis operibus piorum, cumprimis de beneficentia et liberalitate sibi praestita testimonium ferent, ut ex operum fructibus fides in corde latens toti mundo manifestetur. Luc. 16, v. 9: *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.* Piscator hoc explicat *de angelis*, ordinariis coelestium tabernaculorum incolis, qui in die judicii omnes pios colligent et in coelum recipient Matth. 24, v. 31. Sed quomodo illos per mammona iniquitatis parare possumus amicos? Rectius igitur accipitur primo ac principaliter *de Christo*, quem fide et beneficentia erga pauperes amicum nobis paramus, ut in judicio tanquam *dominus domus* in coelestia tabernacula nos recipiat; secundario ac minus principaliter *de piis pauperibus*, qui recipiunt nos, non ut principales auctores, sed ut testes nostrorum operum ex vera fide factorum et cumprimis beneficentiae ac dilectionis, per quam vera fides efficax est Galat. 5, v. 6. recipiunt nos non propter opera tanquam causam salutis meritoriam, sed per testimonium de effectibus et fructibus verae fidei; recipiunt nos tum seriis ad Deum precibus in hac vita *Deum* pro salute nostra fusis, tum honorifico testimonio in die judicii coram Christo judice et omnibus angelis prolato. 5. *Fidei et poenitentiae exemplo.* Sic de Ninivitis dicit Christus Matth. 12,

v. 41. Luc. 11, v. 32. *quod surrecturi sint in die judicii et generationem illam, quae respuebat* oblatam in evangelio gratiam, *condemnaturi*, quia poenitentiam egerunt ad praedicationem Jonae, cum increduli in populo Israëlitico repudiaverint Christum, qui Jona multis modis praestantior; de regina Austri ibidem addit, quod *in judicio sit surrectura et exemplo suo condemnatura incredulam istam generationem*, cum ex finibus terrae venerit ad audiendam Salomonis sapientiam, Judaei contra Christum, qui Salomone infinitis modis praestantior, proterve spreverint. Confer Sap. 5, v. 3. Remigius in annot. 1. Cor. 6. p. 38: *Sancti amatores hujus mundi judicabunt exemplo fidei suae et comparatione melioris facti, non sicut judices seculi.* Apostoli et ecclesiae ministri specialiter judicabunt *per doctrinam a se praedicatam.* Joh. 12, v. 48: *Sermo, quem locutus sum, judicabit eum in die novissimo.* Jam vero eandem evangelii doctrinam apostoli et omnes fideles ecclesiae ministri praedicarunt. Rom. 2, v. 16. inquit apostolus: *Judicabit Deus occulta hominum secundum evangelium meum.* (Quidam existimant, Paulum evangelium suum vocare historiam evangelicam, quam Lucas ipsius suasu et hortatu in scripturam redegit Irenaeus lib. 3. c. 14. p. 198. sed rectius accipitur de evangelio a Paulo et reliquis apostolis praedicato, quod docet, Christum rediturum ad judicandum vivos et mortuos. Act. 10, v. 42.) Lombardus 4. sent. dist. 47. *quodnam futurum sit sanctorum judicium*, nescire se ingenue fatetur *et ex divina duntaxat revelatione percipi posse* opinatur. Bonaventura triplici causa apostolis et aliis sanctis judiciariam potestatem concedi tradit, 1. *ratione comparationis,* 2. *approbationis sententiae et* 3. *honoris ac confessionis.*

XIX. 176. 43. Atqui si *sancti a Christo sunt judicandi, quomodo possunt dici mundum judicaturi?* 1. Quidam *solis apostolis* hanc dignitatem vendicant propter peculiare promissum Christi Matth. 19, v. 28: *Sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israël.* Sed dicta Scripturae superius allata omnibus sanctis in genere hoc tribuunt, ut paulo ante ostendimus. Ad promissum Christi respondet Augustinus lib. 20. de civit. Dei c. 5: *Non quoniam super sedes duodecim sessuros esse ait, duodecim solos homines cum ipso judicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero, universa quaedam significata est judicantium multitudo propter duas partes numeri septenarii, quo significatur plerumque universitas, quae duae partes, id est tria et quatuor, altera per alteram multiplicatae duodecim faciunt. Nam et quatuor ter et tria quater duodecim sunt, et si quae alia hujus duodenarii numeri, quae ad hoc valeat, ratio reperitur. Alioquin quoniam in locum Judae traditoris apostolum Matthiam legimus ordinatum, apostolus Paulus, qui plus illis omnibus laboravit, ubi ad judicandum sedeat non habebit, qui profecto cum aliis sanctis ad numerum judicum se pertinere ostendit cum dicit: Nescitis, quia angelos judicabimus? De ipsis quoque judicandis in hoc numero duodenario similis causa est. Non enim quia dictum est, judicantes duodecim tribus Israël, tribus Levi, quae tertia decima est, ab eis judicanda non erit, aut solum illum populum, non etiam ceteras gentes judicabunt.* in enarr. Psal. 49: *Quare omnes undique ad duodenarium numerum pertinent? quia ipsum undique quod dicimus, de toto mundo dicimus. Orbis autem terrarum quatuor designatis partibus continetur, oriente, occidente, meridiano et aquilone. Ab his omnibus partibus vocati sunt in Trinitate et perfecti fide et praecepto Trinitatis, quoniam ter quaterni duodecim fiunt, agnoscitis, quare ad totum orbem pertineant sancti, qui sedebunt super duodecim sedes, judicaturi duodecim tribus Israël, quia et duodecim tribus Israël totius Israël duodecim tribus sunt. Sicut enim judicaturi ex toto mundo, sic et judicandi ex toto mundo etc.* Beda in comm. c. 19. Matth. tom. 5: *Quia duodenario saepe numero solet universitas designari, per duodecim sedes apostolorum judicantium omnium numerositas et per duodecim tribus Israël universitas eorum, qui judicandi sunt, ostenditur.* Simplicius et textui convenientius respondetur, Christum apostolis peculiarem et eximium quendam honorem prae reliquis fidelibus in die judicii hoc loco promittere, perinde ut in vita aeterna quoque majorem gloriam obtinebunt. 2. Quidam ex veteribus eos, *qui ad apostolicam perfectionem adspirarunt*, hoc est omnia propter Christum reliquerunt, non autem reliquos sanctos hujus gloriae participes futuros arbitrantur. Augustinus in homil. 50. c. 10 (quarum tamen auctor non est Augustinus, sed alius quispiam): *In hoc numero judicantium omnes intelliguntur, qui propter evangelium omnia sua dimiserunt et secuti sunt Dominum. Duodenarius quippe numerus ad quandam universitatem refertur. Exceptis ergo illis, quos etiam nomine angelorum significavit, quando ait: Cum venerit Filius hominis judicare cum angelis suis, his inquam exceptis cetera omnium hominum multitudo, sicut in ipsius Domini verbis manifestum est, in duas partes dividetur.* Gregorius lib. 10. moral. c. 30: *Neque enim plusquam duodecim iudices illa interni consessus curia non habebit, sed nimirum duodenario numero quantitas universitatis exprimitur, quia quisquis stimulo divini amoris excitatus hic possessa reliquerit, illic procul dubio culmen judiciariae potestatis obtinebit, ut simul tunc judex cum judice veniat, qui nunc con-* XIX. 177.
sideratione judicii sese spontanea paupertate castigat. Thomas in supplem. q. 89. art. 2: *Judiciaria potestas voluntariae paupertati respondet.* Salmeron. tract. 25. tom. 4. p. 563. id declarat hoc modo: *Voluntaria paupertas ab avaritia, quae judicium impedire solet, animum liberat; deinde depositio est ad agnoscendam veritatem, quia liberat a curis et solicitudinibus hujus seculi et quia paupertas humiliat ac deprimit, congrue exaltationem promeretur.* Costerus in postill. dom. II. Advent. p. 19: *Tria genera surgent ad judicium: peccatores, qui damnationem suam expectant, pii, qui cum grege salva-*

buntur, majoris perfectionis sancti martyres, religiosi, qui omnia reliquerunt, hi volabunt celsius et Christo ut assessores jungentur, imo ut collaterales in ejus sede sedebunt. Atqui contra hanc hypothesin itidem merito urgetur generalitas dictorum Scripturae, quae omnes sanctos certa ratione judicaturos asserunt. Libenter interim fatemur, pios, qui tempore persecutionis propter Christum et ipsius verbum omnia reliquerunt, peculiaria praemia in die judicii et vita aeterna esse recepturos; quid de spontanea omnium abdicatione, quae sine necessitate et vocatione cum opinione singularis meriti suscipitur, statuendum sit, alibi exponitur. 3. Simplicissime respondetur, *omnes homines* et sic etiam sanctos primo quidem coram tribunali Christi statuendos esse, sed mox *in occursum Christi in aëra* tum ab angelis tum agilitate corporis glorificati *rapiendos* 1. Thessal. 4. v. 17. ac una cum Christo et apostolis, qui velut primores et assessores regni Christo erunt proximi, mundum et angelos malos esse judicaturos. Judicabunt mundum, id est homines mundanos juste, a quo ipsi judicati sunt injuste ac quia victores diaboli in hac vita per fidem facti, ideo praemii loco hoc recipient, ut ipsi a Christo jam judicato et condemnato tanquam hosti penitus prostrato ac leoni mortuo insultent, id quod diabolis utpote superbissimis spiritibus et poenae et ignominiae loco erit. Quare *ut virgines obviam procedunt sponso* Matth. 25, v. 1. ut cives regi adventanti honoris causa occurrunt; sic sancti Christo coelesti sponso ac regi ad judicium venienti in aera prodeuntes in nubibus occurrent, resurgent enim in corpore glorificato, nihilo tamen minus postea in universali judicio sententiam aeternae felicitatis audient, eandem scilicet, quam in iudicio particulari in morte prius acceperunt, et modis paulo ante expositis diabolos et impios judicabunt. Franc. Suarez part. 3. disput. 57. sect. 2: *Rapientur sancti in occursum Christi in aëra, ut ibi in nube splendidissima quasi throno considenti ad judicium peragendum in nubibus splendidis quasi thronis assistant et assideant, ita tamen ut quisque, suo ordine et gradu promeritis consideat, unde in splendidioribus et Christo vicinioribus thronis considebunt apostoli.* Sed quid de meritis habendum sit, alibi expositum fuit; opinioni de meritis fortissime refragatur judicium electorum de suis operibus Matth. 25, v. 37. ac votum apostolicum 2. Timoth. 1, v. 18: *Det illi Dominus invenire misericordiam in die illa;* jam vero operum merita et misericordia ἀντιφατικῶς sibi invicem opponuntur. Rom. 11, v. 6.

[Quaeritur, an etiam angeli sint judicaturi? X. 178.] 44. Quaeritur hoc loco, *an etiam angeli sint judicaturi?* Negat Alph. Salmeron tract. 25. in comm. c. 19. Matth. tom. 4. p. 364. sic scribens: *Angeli, quia non conveniunt in natura cum Christo judice, nec poterunt videri a damnatis, nec sedere, sicut nec Deus hac ratione, nisi quatenus homo est, hinc angeli ad judicandum de aliis non assumentur, quia judicare daretur eis ad perfectionem. Et perfectio non est in eo, quod est omnino extra naturam rei ut habere corpus assumtum angelo, quia non utebatur vita animali.* Respondemus: 1. Matth. 25, v. 31. notanter dicitur, *cum venerit Filius hominis in gloria sua et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae.* Ergo angeli a judicando non possunt simpliciter excludi. 2. Pii homines *mundum et angelos* malos *judicabunt.* 1. Corinth. 6, v. 2 et 3. quidni etiam angeli boni judicaturi sunt malos? 3. Modi illi, quibus sanctos judicaturos esse diximus, plerique omnes etiam bonis angelis conveniunt. 4. Sedes apostolorum, in quibus judicabunt, Salmeron censet fore aëras et aliquo splendore notabiles, eosdem judicaturos ea ratione arbitratur, quod sententiam in corde lege Dei instructo habituri et aliis denuntiaturi sint sive *illuminando,* ut angeli superiores annuntiant inferioribus, sive *loquendo,* ut inferiores superioribus. Idem de angelis cogitari potest. 5. Quamvis angeli in spirituali sua natura non possint videri ab hominibus damnatis, tamen videri possunt a diabolis. 6. Si perfectioni angelicae derogaretur per τὸ habere corpus, nunquam in corpore assumto in his terris apparuissent. Concludimus igitur verbis Augustini lib. 2. de peccat. merit. et remiss. cap. ult. circa fin. *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana praesumtio, nihil faciens in alteram partem declinando.*

CAPUT IV.

DE MATERIA JUDICII NOVISSIMI.

45. *Materia circa quam sive objectum* extremi judicii duplex statui potest, objectum *personale et reale.* 1. Personale sive materiale judicii objectum sunt tum *angeli,* tum *homines.* 1. Angelos in novissimo die judicandos esse expressis verbis asserit apostolus 1. Corinth. 6, v. 3: *Nescitis, quoniam angelos judicabimus?* id quod tamen specialiter de angelis *malis* accipiendum, ut recte monent Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus et Anshelmus in comment. unde de ipsis dicitur, 2. Petr. 2, v. 4. quod *Deus ipsos in tartarum detrusos catenis caliginis tradiderit in judicium reservari* (quam esse metaphoram a maleficis in tenebricoso carcere usque ad supplicii diem detentis ductam monuimus superius), vel ut Judas loquitur in epistol. v. 6. quod *ad judicium magnae diei vinculis aeternis* (voluntatis ac potentiae divinae) *sub caligine* (h. e. in loco caliginoso sive in inferno) *detineantur, propterea quod non servaverint* τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν (*originem suam,* id est originalem conditionem, in qua primitus fuere conditi Johan. 8, v. 44. Vulgata reddidit, *suum principatum,* quia inter angelos sunt *principatus ac potestates* Coloss. 1, v. 16. Ephes. 1, v. 21. quo modo etiam reddidit Lutherus), *sed reliquerint* τὸ ἴδιον οἰκητήριον [Materia circa quam seu objectum extremi judicii. 1 personale. 1. Angeli mali.]

(*proprium domicilium*, erant prius exercitus Domini Zebaoth collocati in certa statione, sed transfugae facti eam deseruerunt; quidam sic accipiunt, quod
79. angeli mali Deo rebellantes aequalitatem cum ipso affectarint ac propter crimen illud laesae majestatis divinae domicilium suum coeleste relinquere coacti fuerint, Apocal. 12, v. 9.). Matth. 25, v. 41. sententia damnatoria contra impios ferenda etiam diabolorum meminit. *Discedite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Ergo etiam diabolus et ipsius angeli tunc judicabuntur. Lyranus et Glossa interlinearis huc accommodant locum propheticum Esa. 24, v. 21: *Et erit in die illa, visitabit Dominus super militiam coeli in excelso.* **In eandem sententiam abeunt Haymo episcopus Halberstat. et Adamus Sarbutus.** Sed angeli apostatae non satis commode dicuntur visitandi in excelso, nec appellantur in Scripturis militia coeli. Rectius ergo hic locus accipitur de sole, luna et stellis, quae in Scripturis usitatissime vocantur militia coeli, Deut. 17, v. 3. Esa. 40, v. 26. Jerem. 19, v. 13 etc. de quibus statim additur v. 23: *Erubescet sol et confundetur luna.* ** Confer Sanctium in h. l.** Hanc ergo judicii diem, in qua aeternis inferorum cruciatibus se adjudicandos norunt, *diaboli credunt, sed* prae timore *contremiscunt* Jac. 2, v. 19. unde tam anxie conqueruntur, quod *Christus venerit eos torquere ante tempus* Matth. 8, v. 29. (in quem locum sic commentatur Hieronymus: *Sicut servi fugitivi post multum temporis dominum suum videntes nihil aliud nisi de verberibus deprecantur; sic et daemones videntes Dominum in terris derepente versari ad judicandum se venisse credebant, praesentia enim Salvatoris tormenta sunt daemonum*) ac solicite rogant, *ne imperet illis, ut in abyssum eant* Luc. 8, v. 31. per quam intelligitur hoc loco ipse infernus, ut apparet ex collatione Apocal. 9, v. 1. noverunt enim, se in die judicii projiciendos esse in abyssum infernalem inque ea aeternis suppliciis torquendos. Veteres dicunt, diabolos propterea trepidare detrusionem in abyssum die extremi judicii exspectandam, 1. quia non poterunt amplius hominibus nocere, ut colligitur ex Apocal. 20, v. 3; 2. quia non amplius extorquebunt ab ullo cultum soli Deo debitum, ut modo faciunt, quando a necromanticis et gentilibus idololatris adorantur; 3. quia tunc omnibus patebunt ipsorum fraudes et publica afficientur ignominia, quod cum essent incorporei spiritus Deo incorporeo servire noluerint, cum tamen homines corporei Dei cultum ac mentis puritatem fuerint amplexi, quodque ipsorum tentationes non solum a viris, sed a foeminis ac pueris fuerint victae; 4. quia non solum a Christo, sed etiam ab hominibus judicabuntur, qui ipsis a facie Dei penitus rejectis et aeternae morti adjudicatis ut vilissimis mancipiis insultabunt, id quod diabolis, utpote superbissimis spiritibus, molestissimae poenae loco erit.

46. Atqui inquies, *si in die novissimo demum angeli judicabuntur et ad supplicia aeterna condemnabuntur, consequens fuerit, eos hoc tempore a poenis esse immunes.* Respondemus 1. etiam impii homines in extremo judicio infernalibus poenis dicuntur adjudicandi, quorum tamen animae jamdum torquentur in inferno. Idem statuendum de malis angelis. 2. Nequaquam igitur cum quibusdam ex patribus sentiendum, quod daemones hoc tempore simpliciter et absolute ab omni poena immunes sint ac liberi. Justinus in Apol. 1: *Daemones igni sempiterno nondum traditi sunt, sed in die judicii tradendi.* Irenaeus lib. 5. post. med. disputat, *diabolum* XIX. 180.
ante Christi adventum nunquam blasphemasse Deum, eo quod ignoraret adhuc suam damnationem, sed a Christo et apostolis demum didicisse, ignem aeternum sibi esse paratum, quam sententiam Irenaeus a Justino se accepisse asserit, eandemque tanquam Justini sequitur Oecumenius in comm. 1. Petr. 5. Epiphanius in haeresi Sethianorum asserit, *daemones non modo damnationem suam ignorasse, sed etiam salutem per Christi adventum sperasse, cum vero animadverterent, nihil a Christo pro daemonibus praestari, tunc demum de salute desperasse et per haereticos Deum blasphemare coepisse.* 3. Huic erroneae quorundam patrum opinioni opponenda est sanior aliorum sententia, quod daemones non ignoraverint futura tormenta, sed aestuantis gehennae noverint incendia. Antonius referente Athanasio in ipsius vita, Hieronymus et Chrysostomus in c. 8. Matth. Ambrosius in c. 8. Lucae, Augustinus lib. 8. de civ. Dei c. 23 etc. 4. Quinimo non solum noverunt futura sua tormenta, sed etiam hoc ipso tempore eadem ex parte sentiunt. Quodsi enim animae impiorum jamdum infernales cruciatus sustinent, ut in tractat. de morte ostendimus, ecquis dubitare velit, etiam angelos malos hominibus longe pejores eosdem jamdum sustinere? Si angeli boni jamdum *διὰ παντὸς vident faciem Patris, qui in coelo est* Matth. 18, v. 10. quidni etiam angeli mali a facie Dei rejecti *poena* non solum *damni* sed etiam *sensus* affici sint censendi? Inde Augustinus libr. de corrept. et grat. c. 10. ac Prosper libr. 1. de vit. contempl. *daemones jam judicatos ac miseros effectos esse* asserunt; nec absurde Beda in comment. Jacob. 3. dicit, *daemones quocunque abeant, semper secum circumferre suum infernum*, sicut angeli boni, quocunque loco commorantur, semper secum circumferunt suum coelum. 5. Interim ut impiorum hominum supplicia augebuntur ac plene consummabuntur, quando animae ipsorum cum corporibus redunitae in infernum abjicientur; sic diaboli poenarum suarum complementum ac plenitudinem percipient, quando in die novissimo carceri infernali ita mancipabuntur, ut nullus amplius ex eo ipsis pateat exitus. 6. Quorum consummatorum ac exquisitorum suppliciorum comparatione eos hoc tempore *minus torqueri*, quando in libero aëre vagantur Ephes. 2, v. 2. c. 6, v. 12. Apocal. 20, v. 3. et una cum filiis Dei sive angelis coram Deo se sistunt Job. 1, v. 6. non improbabiliter colligitur ex ipsorum deprecatione Matth. 8, v. 29. Luc. 8, v. 31. Vincula et catenae caliginis, quibus ante illud judicium

diaboli tenentur captivi, nunc sunt illis *ad custodiam*, tunc erunt *ad supplicium et poenam;* nunc sunt laxiora, tunc erunt arctissima; nunc ipsorum latet culpa, tunc publice manifestabitur ipsorum culpa et poena.

2. Homines. 47. 2. Non solum angeli, sed etiam *homines* judicabuntur, et quidem 1. *universaliter omnes homines*, si de praesentatione coram tribunali Christi et discretionis judicio sermo sit; 2. *specialiter impii* et 3. *singulariter Antichristus*, si de judicio condemnationis agatur. Judicandos esse omnes omnino homines ac specialiter impios patet 1. *ex universali Scripturae sacrae assertione.* Enochi patriarchae concionem de extremo judicio recenset Judas in epistol. v. 14. quae diserte hoc complectitur, quod omnes homines ad hoc judicium sint vocandi. *Ecce venit Dominus facere judicium κατὰ πάντων.* Qui-
XIX. 181. dam exponunt *contra omnes*, sed quia ex sequentibus apparet, sermonem esse de omnibus in universum hominibus, ideo rectius vertitur *de omnibus*, ut sit positum pro περὶ πάντων. Esa. 45. v. 23: *Mihi curvabitur omne genu et omnis lingua confitebitur.* c. 66, v. 16: *Judicabit Deus omnem carnem.* Joël. 3, v. 17: *Sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* Sirac. 41, v. 5: *Judicium a Domino omni carni.* Matth. 25, v. 32: *Congregabuntur ante Christum judicem omnes gentes, et separabit eas ab invicem sicut pastor segregat haedos.* Luc. 16, v. 2. quilibet *homo* utpote Dei *oeconomus rationem cogetur reddere villicationis suae.* Roman. 14, v. 10. et 2. Corinth. 5, v. 10: *Omnes statuemur ante tribunal Christi.* Galat. 6, v. 5: *Unusquisque onus suum portabit.* Apocal. 1, v. 7: *Ecce venit in nubibus et videbit eum omnis oculus.* 2. *Ex collectivi nominis usurpatione.* Dicitur enim Christus judicaturus *orbem terrarum ac fines terrae.* Genes. 18, v. 25. 1. Samuel. 2, v. 10. Psalm. 9, v. 9. Psalm. 82, v. 8. Psalm. 98, v. 9. Actor. 17, v. 31. 1. Corinth. 6, v. 2. 3. *Ex indefinita locutione.* Dicitur Deus judicaturus *gentes, populos, homines etc.* Deuter. 32, v. 36. Psalm. 9, v. 9. Psalm. 50, v. 4. Psalm. 98, v. 9. Esa. 3, v. 30. c. 30, v. 28. Rom. 2, v. 16. jam vero *indefinitam* illam locutionem aequipollere *universali* ex parallelis Scripturae locis, quae de objecto judicii extremi agunt, colligitur. 4. *Ex speciali distributione.* Dicitur Deus judicaturus *pium et impium*, *justos et injustos*, *fideles et incredulos* Eccles. 3, v. 17: Sap. 5, v. 1. *magnos et pusillos* Apoc. 20, v. 12. *vivos ac mortuos*, id est tum eos, quos novissimus dies deprehendet vivos, tum eos, qui ante defuncti fuere. Act. 10, v. 42. 2. Tim. 4, v. 1. 1. Petr. 4, v. 5. jam vero in has duas classes omnes homines distinguuntur, aut enim sunt pii aut impii, magni aut pusilli, vivi aut mortui (Isidorus lib. 1. epistol. 222. p. 53. triplici modo exponi posse censet, quod Christus *mortuorum ac vivorum* judex dicitur 1. *fore, ut anima et corpus simul in judicium veniant, nec alterum ab altero sejungatur, verum quemadmodum in hac vita communem conjunctionem habuerunt, sic etiam futurum judicium subeant;* 2. *vivos, hoc est qui vitam aeternam et Deo gratam sectati sunt, a mortuis, hoc est qui peccatis immortui datum sibi talentum in socordia perinde ut in sepulcro defoderunt, esse discernendos, illisque immortales mercedes, his vero poenas persolvendas*; 3. *judicandos esse tum eos, qui vivi relicti fuerint, tum eos, qui ante ipsos vitam cum morte commutarint*, quae postrema interpretatio est simplicissima.) Huc referenda sunt dicta, in quibus specialiter mentio fit *piorum*, Luc. 21, v. 36: *Vigilate omni tempore orantes, ut possitis stare coram Filio hominis.* Rom. 14, v. 12: *Quilibet nostrum pro se rationem reddet.* 1. Cor. 4, v. 4: *Qui me judicat, Dominus est.* 2. Tim. 4, v. 8: *reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Apoc. 11, v. 18: *Venit tempus reddere mercedem servis tuis*; et *impiorum*, Deut. 32, v. 35: *Propinquus dies exitii eorum.* Psalm. 2, v. 9: *Conteres gentes in virga ferrea.* Psalm. 11, v. 6: *Pluet Dominus super peccatores ignem et sulphur.* Psalm. 110, v. 5: *Conteret in die irae suae reges.* Matth. 11, v. 22: *Tyriis et Sidoniis erit tolerabilius in die judicii.* Matth. 26, v. 64. Marc. 14, v. 62: *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis et venientem in nubibus coeli.* Rom. 2, v. 5: *Thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii.* 2. Petr. 2, v. 3: *Quorum τὸ κρῖμα non otiatur.* v. 9: *Novit iniquos servare in diem judicii cruciandos.* Jud. v. 15: *Venit Dominus judicare de omnibus et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt etc.* 5. *Ex judicii cum morte et resurrectione connexione.* Hebr. 9, v. 27: *Statutum est* XIX. 1=
hominibus semel mori et post hoc judicium. Johan. (sic)—
5, v. 29: *Qui bona fecerunt, prodibunt ad resurrectionem vitae, qui vero mala fecerunt, ad resurrectionem judicii.* Hebr. 6, v. 2. doctrina *de resurrectione mortuorum et judicio aeterno* conjunguntur. 6. *Ex ratiocinatione*, eaque multiplici. Christo data est *potestas omnis carnis* Joh. 17, v. 2. ipsi *flectendum omne genu* Phil. 2, v. 10. Erga omnes judicio ejus sistentur. Justitia divina requirit, ut bonis praemia, malis reddantur supplicia. Ergo justi et injusti judicabuntur. Consequens judicii ad omnes pertinet. Ibunt enim mali *in ignem aeternum*, boni *in vitam aeternam* Matth. 25, v. 46. Ergo etiam ipsum judicium ad omnes spectat. 7. *Ex perpetua ecclesiae confessione.* In symbolo Apostolorum profitemur, nos *credere in Christum venturum ad judicandum vivos et mortuos.* Idem repetitur in symbolo Nicaeno. In symbolo Athanasiano dicitur: *Ad cujus* (Christi) *adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem.* Polycarpus Martyr in epist. ad Philipp.: *Ante conspectum oculorum Domini sumus et omnes nos oportet adstare ante tribunal Christi et unumquemque pro se rationem reddere.* Cyprianus Martyr lib. 4. epist. 6. circa finem: *O dies ille qualis et quantus adveniet, cum coeperit populum suum Dominus recensere et divinae cognitionis examine singulorum merita recognoscere,*

mittere in gehennam nocentes et persecutores nostros flammae poenalis perpetuo ardore damnare, nobis vero mercedem fidei et devotionis exsolvere. Ephrem. lib. 1. de compunct. cordis c. 7: *Admirabitur primus Adam in hora illa videns magna et terribilia, quomodo ex eo solo et conjuge ejus immensae nationes et multitudines productae sunt.* Maximus Taurinensis hom. in exposit. symb.: *Vivi judicandi referuntur ac mortui, ut omnium hominum esse apud Deum cura credatur.* Leo Magnus serm. 4. de collectis et eleemos. col. 13: *Veniet in majestatis suae gloria Dominus, sicut ipse praedixit, aderitque cum eo radians in splendoribus suis innumerabilis angelicarum multitudo legionum. Congregabuntur ante thronum potentiae ejus omnium gentium populi et quidquid hominum universis seculis toto orbe progenitum est, in conspectu judicantis adstabit.* Hugo Victorinus lib. 1. de anim. c. 2:

Judicium faciet gestorum quisque suorum,
Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Dionysius Carthusianus lib. 2. de quatuor novissimis c. 5: *Tunc potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt, nemo ibi redimitus corona aut diademate, nemo indutus purpura, nemo milite constipatus, sed nudi omnes ut pauper et dives adstabunt judici. Tunc exhibebitur cum sua prole Venus, tunc ignitus Jupiter adducetur et cum suis stultus Plato discipulis. Ibi aderunt summi pontifices de gubernatione ecclesiae rationem reddituri, aderunt doctores ac verbi Christi praecones de sua doctrina et concionibus rationem pariter reddituri, aderunt reges et caesares de administratione justitiae rationem similiter reddituri, aderunt denique omnes homines, qui fuerunt, sunt et erunt per singulas gentes et linguas, per omnes generationes ac tribus terrae, et unusquisque de aetate totius vitae suae redditurus est in judicio rationem.*

I- 48. *Antichristum* singulariter in die novissimo
18. judicatum iri, sequentia Spiritus sancti oracula te-
85. stantur. Es. 11, v. 4: *Percutiet terram virga oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet impium, id est* Christus per praedicationem evangelii Antichristum et regnum ejus destruere incipiet et in glorioso suo adventu penitus eum delebit ac una cum reliquis impiis infernali supplicio adjudicabit. Sic enim hoc vaticinium propheticum interpretatur apostolus 2. Thess. 2, v. 8: *Tunc revelabitur iniquus ille, quem Dominus* ἀναλώσει (Vulgata reddidit *interficiet*, sed rectius vertitur *conficiet ac consumet*, potentiam, vires et regnum ejus franget, fraudes scil. patefaciendo, ut non possit ulterius tanta efficacia homines seducere) *spiritu oris sui* (praedicatione evangelii, quod est verbum Christi ex ipsius ore profectum, cum quo etiam Spiritus sancti efficacia perpetuo est conjuncta, Apoc. 19, v. 15.) *et destruet illum illustri adventu suo* (τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ manifestatione sive revelatione praesentiae suae. Cajetanus in comm. h. l.: *Sequaces Antichristi durabunt usque ad apparitionem adventus Christi, differentia enim est inter consumtionem ac destructionem. Consumtio spiritualis est, consumet eum spiritu oris sui, id est spiritu sermonis evangelici, ubi multi ad veritatem evangelicam convertentur, ac multi perseverabunt usque ad Christi adventum*). Apoc. 18, v. 21: *Sustulit unus angelus lapidem quasi molarem magnum et misit in mare dicens, hoc impetu mittetur Babylon magna civitas et ultra jam non invenietur.* c. 19, v. 1: *Audivi quasi vocem turbarum multarum in coelo dicentium, alleluja.* v. 2: *Quia vera et justa sunt judicia ejus, quia judicavit de meretrice magna etc. et vendicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus.* v. 3. *Et fumus ejus ascendit in secula seculorum.* v. 20. *Et apprehensa est bestia et cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipsa, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiae et adoraverunt imaginem ejus; vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardens sulphure.* c. 20, v. 10: *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Ideo autem peculiariter Antichristi judicium praedicitur 1. *ad consolationem*, qua illi, qui ab antichristiana tyrannide premuntur, sese erigere possint 2. Thessal. 1, v. 6: *Justum est apud Deum retribuere tribulationem illis qui vos affligunt;* 2. *ad praemonitionem*, ne corporalibus armis regnum Antichristi destrui posse ac debere opinemur, talium enim bellorum sub praetextu evangelii contra Antichristum susceptorum infelices solent esse exitus; neve scandalizemur duratione regni antichristiani, ut characterem ejus propterea suscipere velimus; 3. *ad exhortationem*, ut persecutiones, quae ab Antichristo inferuntur, patienti animo perferamus ad novissimum judicium unice respiciendo.

49. Antithesis 1. *Rabini* jocose magis quam serio Antithesis.
dicunt, *quatuor hominum genera non in judicium vocari*, quia satis poenarum sustinuerunt in hac vita, 1. *extreme pauperes*, 2. *qui animam debent aere alieno pressi*, 3. *qui malas habent uxores*, 4. *qui colicos dolores patiuntur*. 2. *Quidam ex veteribus* statuunt, nec fideles nec infideles judicandos, sed *medios*. Lactantius lib. 7. div. inst. c. 20. p. 427: *Non judicabuntur tunc a Deo universi, sed ii tantum, qui sunt in Dei religione versati. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam sententia de his in absolutionem ferri non potest, jam judicati damnatique sunt, sanctis literis contestantibus, non resurrecturos impios in judicium.*
Judicabuntur ergo, qui Deum sciverunt, et facinora XIX. 186.
eorum, id est mala opera cum bonis collata ponderabuntur, ut si plura et graviora fuerint bona justaque dentur ad vitam beatam, si autem mala superaverint, condemnentur ad poenam. Hilarius in enarr. Psalm. 1. in explic. verborum: *Non resurgent impii in judicio. Per id quod impii in judicium non resurgent, absolutum est non resurgendi eos caruisse natura, sed resurgendi in judicium perdidisse ordinem. Qui autem resurrectionis et judicii ordo intelligendus sit, Dominus in evangeliis ostendit dicens:*

Qui credit in me, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est etc. Cum dicit, qui credit in me, non judicabitur, exemit judicio fideles et cum subjecit, qui autem non credit, jam judicatus est, non admisit ad judicium infideles. Ergo si credentes exemit et repulit infideles, nec in hos nec in illos judicii sorte permissa, quomodo convenire sibi hoc, quod tertium ait, existimabitur? Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; non enim potest videri locus relictus esse judicio, cum neque fideles neque infideles sint judicandi. Et haec quidem ita esse auditoribus negligentibus et lectoribus incuriosis videbuntur, ceterum in se verius ipsa verborum proprietas dicti intelligentiam continet. Qui credit, inquit, *non judicabitur. Quid enim necesse est judicare credentem? judicium enim ex ambiguis rebus exsistit et ambiguitate ademta judicii non desideratur examen. Ex quo ne infideles quidem necesse est judicari, quia ambiguitas cum infideles sint, non resedit. Sed ademto in credentes non credentesque judicio causam Dominus judicii et auctores, in quos judicari necesse esset, adjecit. Sunt enim aliqui inter impios piosque qui medii sunt, ex utroque admixti, neutri tamen proprie, quia in id ipsum constiterint ex utroque, nec fidei admiscendi, quia sit illis aliquid infirmitatis insertum, nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant et fidei. Plures namque Dei metus in ecclesia continet, sed eosdem tamen ad secularia vitia seculi blandimenta solicitant. Orant, quia timent; peccant, quia volunt; Christianos se nuncupant, quia bona est spes aeternitatis; gentilia agunt, quia blanda praesentia sunt; impii non manent, quia his Dei nomen in ore est; pii non sunt, quia quae pietati sunt aliena, sectantur etc. in eos ergo judicium est, quod jam in incredulos actum est et in credentes non necessarium est, quia magis tenebras quam lumen dilexerunt, non quod non dilexerint et lumen, sed quod dilectio illis fuerit magis propensa tenebrarum, praeferri enim solet dilectioni ex comparatione dilectio, et hinc judicium est, quia cum dilexerint Christum, magis tamen tenebras dilexerunt. Hi ergo judicabuntur, quia neque ut pii non judicabuntur, neque jam fuerint ut impii judicati, in quos ex praelata potius dilectione judicium est.* Augustinus serm. 38. de sanct.: *Ad judicium non veniunt nec pagani, nec haeretici, nec Judaei, quia de ipsis scriptum: qui non credit, jam judicatus est.* Isidorus lib. 1. sentent. c. 30: *In judicio perfectorum ordo unus est, qui cum Domino judicet et alius qui judicatur etc. Hi qui intra ecclesiam sunt mali, judicandi sunt et damnandi, qui vero extra ecclesiam inveniendi sunt, non sunt judicandi sed tantum damnandi.* Gregorius libr. 26. moral. c. 20: *Alii judicantur et pereunt, alii non judicantur et pereunt; alii judicantur et regnant, alii non judicantur et regnant. Judicantur et pereunt, quibus Dominica voce in damnatione dicitur: Esurivi et non dedistis mihi manducare etc. alii vero in extremo judicio non judicantur et pereunt, de quibus propheta ait: Non resurgent impii in judicio, et de quibus Do-* XII.
minus ait: Qui autem non credit, jam judicatus est, et de quibus Paulus ait: Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Resurgunt ergo etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad judicium. Non enim eorum tunc causa discutitur, quia ad conspectum districti judicis cum damnatione suae infidelitatis accedunt. Professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant; qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem judicis in extrema examinatione non audiunt, quia praejudicati infidelitatis suae tenebris, ejus, quem despexerant, invectione redargui non merentur. Illi saltem judicis verba audiunt, quia ejus fidei saltem verba tenuerunt; isti in damnatione sua aeterni judicis nec verba percipiunt, quia ejus reverentiam nec verbotenus servare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub lege positi peccaverunt; istis in perditione sua de lege nihil dicitur, quia nihil legis habere conati sunt. Princeps namque terrenam rempublicam regens aliter punit civem interius delinquentem atque aliter exterius hostem rebellantem. In illo jura sua consulit eumque sub verbis dignae invectionis addicit, contra hostem vero bella movet, instrumenta perditionis exercet dignaque ejus malitiae tormenta retribuit, de malo vero ejus quid lex habeat, non requirit. Neque enim lege necesse est perimi, qui legem non potuit tenere. Ita ergo in extremo judicio et legalis illum invectio percutit, qui ab eo quod professione tenuit, actione declinavit et iste sine judicii invectione perimitur, qui lege fidei non tenetur. Ex electorum vero parte alii judicantur et regnant, qui vitae maculas lacrymis tegunt, qui mala praecedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerunt, ab oculis judicis eleemosynarum superductione cooperiunt, quibus dicetur: Venite benedicti, esurivi enim et dedistis mihi manducare etc. Alii autem non judicantur et regnant, qui etiam praecepta legis perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solum, quod cunctis lex divina praecipit, implere contenti sunt, sed praestantiori desiderio plus exhibere appetunt, quam praeceptis generalibus audire potuerunt, quibus Dominica voce dicitur: Vos qui reliquistis omnia, sedebitis super thronos etc. Hi ergo recte sub generali judicio non tenentur, qui et praecepta generalia vivendo vicerunt. Sicut enim non judicantur et pereunt, qui suadente perfidia legem tenere contemnunt, ita non judicantur et regnant, qui suadente pietate etiam ultra generalis divinae legis praecepta proficiunt. Quae verba Gregorii allegat Lombardus 4. sent. dist. 47. lit. C. Radulphus Flaviacensis lib. 12. in Levit. c. 1: *Cum ad judicium suum Christus venerit, universae credentium multitudinis triplex fiet partitio, quidam enim cum eo judicabunt, alii judicabuntur, qui iterum in duas partes dividentur, alii ad dextram statuentur, alii ad sinistram.* Haymo episcopus Halberstatensis in comm. 1. Thessal. 4: *Impii in-*

fideles aut Judaei et gentiles et qui ab ecclesia expulsi sunt, non in secunda resurrectione judicabuntur, quia hic jam judicati sunt; illi vero qui in ecclesia exsistentes a praesenti vita recedunt, de quorum operibus, an bona aut mala sint, incertum est, judicabuntur quidam ad vitam, quidam ad mortem. De quorum sanctitate certum est in ecclesia, non (?) judicabuntur, quia jam in hac vita ad vitam ab ecclesia ducti judicati sunt, sed judicabunt, non tamen omnes, sed illi qui apostolorum vicem obtinent, ut episcopi et hujusmodi. Confer Bedam in homil. *Ecce nos relinquimus etc.* Anshelmum in Elucidario etc.

50. 3. Illorum vestigiis insistunt *Pontificii*, quando disputant, *quosdam ex fidelibus, eos scilicet qui voluntariam paupertatem voverunt, non judicandos esse, sed cum Christo judices futuros*, ut vidimus superius, *ac infideles extra ecclesiam, qui fide caruerunt, non esse judicio discussionis judicandos.* Thomas in supplem. q. 89. art. 7. et alii ex Scholasticis 4. sent. dist. 47. quos secutus ex Calvinianis Petrus Martyr. in explicatione symboli apostolici class. 2. locor. theolog. c. 17. p. 432. sic scribit: *Statuo in infideles nullo opus esse examine, ut qui propter suam infidelitatem jam condemnati sunt, ut docet Christus apud Johannem: Qui non credit, jam judicatus est.* Sed respondemus: 1. Scriptura *omnes homines* Christi tribunali sistendos esse ac Christum *orbem terrarum judicaturum* diserte adstruit. 2. Omnes homines sunt fideles ac infideles. Quod si ergo nec fideles nec infideles judicandi, consequens fuerit, nullos plane judicandos esse. Statum aliquem inter fidem et incredulitatem intermedium ignorat tota Scriptura, quae in has duas classes immediate sibi invicem oppositas totum genus humanum distribuit. Marc. 16, v. 16. Joh. 3, v. 18. et 36. unde Augustinus serm. 131. de temp. fatetur, *Christum judicaturum Christianos et paganos, justos et peccatores, fideles et impios.* Confer ea, quae in tract. de morte §. 184. dicta. 3. Fides non est nuda notitia a pietatis et bonorum operum studio remota, sed fiducialis meriti Christi apprehensio per caritatem et omnis generis bona opera sese exserens, vere fidelium igitur in numerum referri nequeunt, qui secularibus vitiis indulgent, qui gentilia agunt, quibus Dei nomen duntaxat in ore est, sed omnes vere fideles sunt et vere pii. 4. Vere pii et fideles non veniunt in judicium damnationis, interim coram Christi tribunali tam oves quam hoedi, tam qui bona egerunt, quam qui mala, statuentur. 5. Judicium illud non egebit prolixa causae examinatione, testium productione ac depositione, quia Christo judici ut nihil occultum, ita quoque nihil dubium vel ambiguum. 6. Finis judicii erit, non tantum opprobria et supplicia decerni infidelibus et impiis, sed etiam gloriam et praemia assignari fidelibus ac piis. Singuli enim accipient mercedem eorum, *quae per corpus gesserunt, sive bona fuerint sive mala* 2. Cor. 5, v. 10. 7. Ut fides bonorum operum genitrix, ita infidelitas omnium peccatorum fons est, absurdum igitur est statuere, quod nec fidei nec infidelitatis ratio sit habenda in judicio. 8. *Impii non resurgent in judicio*, hoc est non poterunt stare vel consistere, sed causa cadent in judicio, interim venient omnino ad judicium. Confer tract. de resurrect. §. 38. 9. Impios resurrecturos ad tormentum et ad judicium, nequaquam sunt opposita sed subordinata, ut constat ex verbis Christi Joh. 5, v. 29: *Qui mala egerunt, procedent ad resurrectionem judicii.* 10. Increduli et finaliter impoenitentes tam extra quam intra ecclesiam judicati jam sunt in aeterna reprobatione, nihilo tamen minus in die novissimo judicabuntur, tum sententiae publicatione tum reprobationis exsecutione sive condemnatione. 11. Unde a Patribus et Scholasticis superius citatis hic discedunt quidam, ex ipsis Pontificiis Hesselius in comm. Matth. 25. Toletus in comm. Joh. 3. Barradius tom. 3. conc. lib. 9. c. 17. p. 603. qui statuunt, *omnium omnino reproborum etiam infidelium cogitationes, verba, opera in judicio omnibus esse manifestanda*, ut constet judicii divini integritas omnibusque pateat respondere peccatis supplicium, cui adjudicabuntur, atque hoc ju- XIX. 187. (sic).
dicio judicandos omnes reprobos, etiam infideles, sive judicium discussionis id appelletur, sive alio nomine exprimatur.

51. 4. *Quidam ex Pontificiis* statuunt, *parvulos non baptizatos in judicio non esse comparituros*, 1. quia judicandi distribuuntur in *oves et hoedos.* At parvuli non baptizati non possunt statui cum ovibus ob peccatum originale, nec cum hoedis, quia carent peccato actuali. 2. Duplex duntaxat est sententia judicis. At neutra competit parvulis, non *absolutoria*, quia opera illa non potuerunt praestare cum ovibus; nec *damnatoria*, quia non potuerunt ea omittere cum hoedis. 3. Dan. 12, v. 2: *Multi de his, qui dormiunt, evigilabunt, alii ad vitam aeternam, alii ad opprobrium aeternum.* Si multi, ergo non omnes, ergo aliqui nec ad vitam nec ad opprobrium, in quibus non possunt alii commodius numerari quam parvuli non baptizati. 4. Judicium erit de salvandis ad coelum et damnandis ad infernum. Atqui neutrum competit illis parvulis etc. 5. *Accipiet unusquisque prout in corpore gessit*, 2. Cor. 5, v. 10. infantum autem gesta nulla sunt. Sed hanc opinionem alii ex Pontificiis merito repudiant 1. propter dicta Scripturae universalia de *omnibus omnino hominibus* judicandis et speciale Apoc. 20, v. 12. de pusillis stantibus coram Agno. 2. Propter connexionem resurrectionis et judicii. Parvuli non baptizati resurgent, ergo etiam judicabuntur. 3. Thomas utitur hac ratiocinatione: *Omnibus debetur merces aut boni aut mali. At parvulis inest malum Adae nondum persolutum totum.* Ergo. Item gratia Christi finitis partibus est major et efficacior peccato Adae. At per peccatum Adae mors, per Christum resurrectio aeque ad omnes pertransiit. Ergo et parvuli resurgent ac judicabuntur. 4. Addimus nos, contrariam sententiam niti falsis hypothesibus, quod absoluta sit necessitas baptismi etiam

in casibus extraordinariis, quod parvuli non baptizati, etiamsi per preces parentum et ecclesiae Deo offerantur, tamen regni coelestis cogantur esse extorres, quod requirantur propria merita, ut quis regnum coelorum ingrediatur, quod quidam nec ad vitam nec ad opprobrium sint resurrecturi, quod possit esse alicui medius aliquis locus, ut non possit esse cum diabolo, qui non est nec esse potest cum Christo etc. 5. Barradius tom. 3. conc. evang. lib. 9. c. 17. p. 602. a judicio discussionis ac discretionis eximit *Beatam Virginem et parvulos baptizatos. Verum est*, (inquit,) *in sanctissima Virgine Deipara, in qua nullum reperiri potest peccatum, et in infantibus, qui baptismo abluti e vita discesserunt nullaque opera habuerunt, nullam fore discussionem, nisi quis velit discutiendum originale in infantibus peccatum, videndumque quomodo sit contractum baptismique gratia expiatum.* Sed haec opinio itidem nititur falsis hypothesibus, quod Maria fuerit ab originali peccato penitus libera, quod baptismus ipsam peccati radicem in infantibus tollat, quod discussio ac discretio judicii tantum spectet operum merita etc.

Quaestio 1. An etiam irrationales creaturae sint judicandae. XIX. 190. (sic).

52. Quaeritur hoc loco 1. *An etiam irrationales creaturae sint judicandae?* Affirmat Bucanus, in inst. theol. sic enim scribit loc. 38. q. 9. p. 431: *Judicabuntur suo modo irrationales creaturae, coelum, terra et quidquid in iis continetur*, quia 2. Petr. 3, v. 7. et seqq.: *Coeli et terra servantur igni in diem damnationis et exitii impiorum hominum et coeli conflagrantes cum stridore transibunt a mutabilitate scilicet ad immutabilitatem et ἀφθαρσίαν. Elementa vero aestuantia solventur et liquescent terraque et quae in ea sunt omnia opera exurentur.* Secutus est hac in parte Aretium, qui in problemat. loco 158. p. 510. eadem habet. Atqui 1. Scriptura nuspiam asserit, irrationales creaturas esse judicandas, sed angelos et homines. 2. Conflagratio mundi erit consequens judicii, non autem proprie objectum. 3. Si irrationales creaturae adeoque omne quod in coelo ac terra continetur, essent judicandae, consequens erit, etiam irrationales creaturas resurrecturas, quia antecedens judicii est mortuorum resurrectio. 4. Quod coelum et terra dicuntur *reservari igni in diem judicii* 2. Petr. 3, v. 7. ex eo inferri nequit, coelum et terram inter judicii extremi objecta esse referenda, quia additur apud apostolum *in diem judicii et perditionis impiorum.* Ergo respectu impiorum in die novissimo judicandorum, non autem respectu coeli et terrae vocatur dies judicii. 5. In conflagratione mundi veteris apparebit vindicis irae divinae severitas adversus damnatos, in creatione novi coeli ac terrae novae divina benignitas erga electos et glorificatos. Quodsi ergo testimonium illud irae et gratiae divinae judicii nomine intelligitur, non magnopere refragabimur, si hoc sensu ac respectu coelum et terra judicanda statuantur. 6. An mundus κατ' οὐσίαν abolendus, an vero κατὰ ποιότητας duntaxat immutandus sit, quod posterius Bucanus h. l. asserit, inferius dispiciemus.

Quaest. 2. an boni angeli sint judicandi.

Quaeritur 2. *An etiam boni Angeli sint judicandi?* Affirmat Petrus Thyraeus lib. de gloriosa Christi apparitione c. 12. *Judicabit*, inquit, *Christus angelos, quando bonis meritorum suorum praemia ac coronas publice decernet, malis autem aeterna dictabit supplicia.* Sed ex 1. Cor. 6, v. 3. 2. Petr. 2, v. 4. Tertullianus de habitu mulier. c. 2. et alii ex veteribus rectius statuunt, *malos tantum angelos* in die novissimo judicandos. Quae bonorum tunc futura sint officia et ministeria, exposuimus superius §. 40.

2. Objectum reale.

53. 2. Objectum *reale* seu *formale*, de quo judicium instituendum, est cujusque fides vel incredulitas, de qua ex propriis effectis, bonis scilicet vel malis operibus, judicabitur. 1. De *factis et operibus* judicium ferendum patet ex processu judiciario, Matth. 25, v. 35. *Esurivi et dedistis mihi cibum*, v. 42. *esurivi et non dedistis mihi cibum.* Eccl. 12, v. 14: *Cuncta, quae fiunt, adducet Deus in judicium.* 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes nos oportet manifestari coram tribunali Christi, ut reportet unusquisque secundum id quod fecit, sive bonum sive malum.* Apoc. 20, v. 12: *Judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris, secundum opera ipsorum*, inde toties in Scripturis repetitur, *quod Deus redditurus sit unicuique secundum opera.* 2. Paral. 6, v. 30. Job. 34, v. 11. Psalm. 62, v. 13. Prov. 24, v. 12. Sir. 16, v. 12. Jerem. 25, v. 14. c. 32, v. 19. Matth. 16, v. 27. Rom. 2, v. 6. Apoc. 22, v. 12. Quidam huc referunt locum apostolicum 1. Cor. 3, v. 13: *Cujusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit, et cujusque opus quale sit, ignis probabit.* Sed ostendimus suo loco, per *diem* hic rectius intelligi vel *generatim* progressum temporis, vel *speciatim* tempus tribulationis ac probationis, quam diem extremi judicii. 2. De *verbis* judicium instituendum testatur Christus Matth. XIX. 1
12, v. 36: *Dico vobis, quoniam de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, rationem reddent in die judicii*, v. 37. *ex verbis enim tuis justificaberis et ex verbis tuis condemnaberis*, id est impii et increduli, qui in hoc seculo peccatorum remissionem in Christo et propter Christum non fuere consecuti, non habebunt, quo vel verbum otiosum apud Deum excusent, ut ipse acquiescat, ac si Deus nobiscum in judicium vellet intrare, etiam de otioso verbo rationem cogeremur reddere. 3. De *cogitatis* in corde latitantibus judicatum iri constat tum ex illis Scripturae dictis, quae disertis verbis cogitationes in judicium adducunt Sap. 1, v. 9: *In cogitationibus impii interrogatio erit.* Rom. 2, v. 15: *Cogitationes se invicem accusant vel defendunt* v. 16. *in die, qua judicabit Deus occulta hominum.* Hebr. 4, v. 12: *Sermo Dei penetrabilior est omni gladio ancipiti, κριτικός cogitationum et intentionum cordis;* tum ex illis Spiritus sancti oraculis, quae *occulta hominum* in illo die manifestanda et judicanda esse asserunt. Job. 20, v. 27: *Revelabunt coeli iniquitatem ejus* (impii) *et terra consurget adversus eum.* Eccl. 12, v. 14: *Etiam occultum adducet Deus in*

judicium. Rom. 2, v. 16: *Judicabit Deus occulta hominum.* 1. Cor. 4, v. 5: *Nolite judicare ante tempus, quoad usque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.* Quod ergo apostolus 2. Cor. 5, v. 10. dicit, *unumquemque relaturum propria corporis, prout gessit*, id non est accipiendum *exclusive*, quasi tantum externa facta sint in judicium adducenda, sed juxta Augustini interpretationem lib. de praedest. sanct. c. 12. *extensive*, ut intelligantur *omnia opera, quae fiunt, dum vivimus in corpore*, sive interius nudis cogitationibus, sive exterius verbis et factis peragantur.

54. Atque istaec omnium operum, verborum et cogitationum manifestatio in die judicii futura denotatur per *apertionem librorum* praedictam Dan. 7, v. 10. Apoc. 20, v. 12. Per hos enim libros significatur 1. *liber vitae*, in quem per aeternam praedestinationem credentes in Christum scripti sunt. Apocal. 20, v. 12. *alius liber apertus est, qui est vitae.* In die enim judicii omnibus angelis et hominibus manifestum fiet, quinam fuerint electi, illi scilicet, quorum nomina per fidem invenientur scripta in hoc libro vitae, per quem intelligitur catalogus salvandorum, quos Deus ex immensa misericordia propter meritum Christi perseverante fide apprehensum et ab aeterno praevisum ad vitam aeternam elegit, Exod. 32, v. 32. Psalm. 69, v. 29. Esa. 4, v. 3. Dan. 12, v. 1. Luc. 10, v. 20. Phil. 4, v. 3. Apoc. 3, v. 15. c. 13, v. 8. c. 21, v. 27. quique fuerint reprobi, illi scilicet, qui non invenientur scripti in libro vitae, qui proinde *mittentur in stagnum ignis* Apoc. 17, v. 8. c. 20, v. 15. 2. *Liber divinae omniscientiae*, quam nihil quidquam eorum, quae homines in terris egerunt, fugit, Psalm. 56, v. 9. Psalm. 139, v. 16. Malach. 3, v. 16. Ut enim liber vitae in specie denotat praescientiam salvandorum in Christo Rom. 8, v. 29. 2. Tim. 2, v. 10. 1. Petr. 1, v. 2; sic liber in genere Deo attributus divinam omniscientiam ac praescientiam notat, qua omnium hominum vitam, actiones, cogitationes etc. novit. Hic liber in judicio aperietur, quia tunc fiet omnibus notum et manifestum, quod in hac vita hominibus fuit occultum, soli autem scientiae divinae notum. Haec explicatio videtur proxime ad textum accedere. Vocantur autem in plurali *libri*, non respectu divinae mentis aut notitiae, quae est simplicissima, sed ad objectorum rerumque inscriptarum varietatem ac diversitatem denotandam. 3. *Liber Scripturae sacrae.* Is enim dicitur *liber vitae* Sir. 24, v. 32. in vulgata versione, quia continet *verba vitae aeternae.* Joh. 6, v. 68. Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 14: *Libri illi, quos priore loco posuit, intelligendi sunt sancti et veteres et novi, ut in illis ostenderetur, quae Deus fieri sua mandata jussisset, in illo autem, qui est vitae uniuscujusque, quid horum quisque non fecisset, sive fecisset.* homil. 17. in Apoc. circa med. *libros apertos testamenta Dei* dicit. *Hic liber dicitur in judicio aperiendus, quia judicabit Deus occulta hominum secundum evangelium, quod in propheticis et apostolicis libris continetur* Rom. 2, v. 16. *sermo quem locutus est Christus, judicabit homines in die novissimo* Joh. 12, v. 48. Beda per hos libros intelligit Scripturam s. *quae tunc aperietur, quando patebit verissima esse, quae nos de extremo judicio ea docuit.* Anselmus in elucid. per librum in judicio aperiendum intelligit *vitam Christi, in qua omnes quasi in libro legent, quid de praeceptis ejus vel fecerunt vel neglexerunt.* 4. *Liber conscientiae.* Est enim conscientia *volumen grande, in quo cuncta veritatis stylo scribuntur, ad quem librum emendandum omnes alii libri sunt inventi.* Hic liber itidem in judicio aperietur, quia quod in cujusque conscientia occultum et absconditum fuit, id tunc omnibus manifestum fiet. Ambrosius in Psalm. 1: *Quid libri aperti sunt nisi conscientia, non atramento scripti sed vestigiis delictorum et flagitiorum inquinamento.* Eodem modo exponit illos libros Origenes in cap. 14. Rom. a quo non multum abit Hieronymus, quando in comm. Dan. 7. scribit, *in die judicii duos libros aperiendos, unum bonorum operum, qui appelletur liber vitae et asservetur penes Deum et sanctos angelos, alterum malorum operum, qui sit penes diabolum, quem ipse tunc proferet ad malos homines accusandos et condemnandos.* Augustinus lib. 20. de civit. Dei c. 14: *Si hic liber carnaliter cogitetur, quis ejus magnitudinem aut longitudinem valeat aestimare? aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scriptae sunt universae vitae universorum? An tantus angelorum numerus aderit, quantus hominum erit, ut et vitam suam quisque ab angelo sibi adhibito audiat recitari? non ergo unus liber erit omnium, sed singuli singulorum. Scriptura vero ista unum volens intelligi: Et alius, inquit, liber apertus est. Quaedam igitur vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique bona opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul et omnes et singuli judicentur, quae nimirum vis divina libri nomen accepit, in ea quippe quodammodo legitur quidquid a faciente recolitur.* 5. *Liber testificationis humanae.* Illi enim, quibus pii in hac vita benefecerunt, publice in judicio eorum opera praedicabunt et hac ratione per testimonium et approbationem *in aeterna tabernacula eos recipient.* Luc. 16, v. 9. contra vero de immisericordia impiorum conquerentur. *Ninivitae et regina Austri surgent in judicio et condemnabunt gentem Judaicam incredulam* Matth. 12, v. 41. et 42. 6. *Liber accusationis diabolicae.* Diabolus *accusat homines die ac nocte* Apoc. 12, v. 10. is ergo in die judicii prolixum catalogum eorum, quae ipsius instinctu homi- 193.
nes impii peregerunt, recitabit. Dicturus est enim coram tribunali Christi, teste Augustino serm. contra Judaeos, Paganos et Arianos: *Aequissime judex, judica istum meum esse ob culpam, qui noluit tuus esse per gratiam. Tuus est per naturam, meus est*

per miseriam; tuus per passionem, meus per suasionem; tibi inobediens, mihi obediens; a te accepit immortalitatis stolam, a me accepit hanc pannosam tunicam; tuam vestem dimisit, cum mea huc venit. Aequissime judex, judica istum meum esse et mecum damnandum esse. Quin imo in die illo judicii coelum et omnia elementa impios accusabunt, ut Hugo de Sancto Victore lib. 2. de arca cap. 3. scribit: *Coelum dicet peccatori: ego lucem tibi ministravi ad solatium; aër dicet: ego omne genus avium tibi dedi ad obsequium; aqua dicet: ego diversa genera piscium tibi dedi ad esum; terra dicet: ego panem et vinum tibi dedi ad nutrimentum. Postquam vero omnia elementa recitaverunt sua beneficia, convertentur peccatori ad supplicia* sicut idem ostendit. *Ignis dicet: in me demergatur; aër dicet: in me ventiletur; terra dicet: a me absorbeatur; infernus dicet: a me deglutiatur.* 7. Denique *liber justitiae divinae.* In hac vita liber divinae justititiae est velut involutus, quia bonis male, malis vero bene esse quandoque videtur, sed in die judicii hic liber aperietur, tunc enim bonis praemia, malis vero supplicia in publico angelorum et hominum conspectu reddentur.

Antithesis. 55. Antithesis. *Pontificii* statuunt, non de *fide vel infidelitate*, sed simpliciter de *operibus tanquam meritis* salutis vel damnationis sententiam ferendam esse. Bartscius in post. dom. 1. Adv.: *Extremum judicium eo unice spectat, ut tum merces non credentibus, sed bene operantibus decernatur.* Stapletonus in antidot. Matt. Lindanus in dial. 1. Dubitantii. Binsfeldus in concl. sect. 4. membr. 1. Hesselius in catechesi c. 41. idque demonstrare conantur ex processu judiciali Matth. 25, v. 34. et seqq. descripto. Sed de hoc loco in q. 2. ex professo agetur, hic breviter monemus 1. causam salutis immediatam et adaequatam esse *misericordiam Dei Christi merito* partam, in *verbo evangelii* oblatam et *fide* a nobis apprehensam. 2. Opera ergo adducentur non ut salutis merita, sed ut fidei testimonia et effecta. 3. Damnationis causa propria, immediata et adaequata est *incredulitas*, ideo enim impii damnabuntur, quia oblatam in evangelio gratiam et peccatorum remissionem repudiarunt. Joh. 3, v. 36: *Qui non credit in Filium, ira Dei manet super ipsum,* hoc est omnes homines propter peccatum natura *sunt filii irae* Eph. 2, v. 3. a qua non possunt nisi per Christum, qui est *unus homo in gratia*, liberari Rom. 5, v. 15. qui ergo in ipsum credunt, ab ira liberantur et in statum gratiae transferuntur 1. Thess. 1, v. 10. qui vero non credunt, sub pondere irae divinae manentes aeternum pereunt. Ambrosius lib. 1. de poen. c. 11. tom. 1. p. 159: *Quod manet, utique jam coepit, et ex delicto aliquo coepit, quia ante non credidit. Ubi ergo quis credit, ira Dei discedit, vita autem accedit. Credere ergo in Christum lucrum vitae est.* Augustinus serm. 14. de verb. apost.: *Non est dictum, ira Dei veniet super ipsum, sed manet super ipsum, ut intelligeremus, fidem in Christum esse necessariam, non solum ne incidamus in iram Dei, sed etiam ut liberemur ab ira Dei, in quam incidimus per inobedientiam primi parentis.* Confer. enarr. in Psalm. 101. 4. Praetermissa igitur opera misericordiae itidem allegantur, ut effectus ac consequens incredulitatis, per quam et propter quam impii damnantur. 5. Interim a causa meritoria damnationis nequaquam absolute et simpliciter excluduntur peccata impiorum sicut a causa meritoria salutis excluduntur bona opera piorum. Est enim hac in parte dispar utrorumque ratio. Bona opera *consequenter* secum trahunt mercedem gratuitam et indebitam, *antecedenter* vero non merentur vitam aeternam. Mala autem opera non tantum *consequenter* afferunt mercedem poenae debitam, sed etiam *antecedenter* aeternam mortem promerentur. 6. Duplici nomine doctrina Scripturae sacrae, quod bonorum operum in judicio respectus sit habendus, a Pontificiis depravatur, tum quia bona opera fidei opponunt, quasi tantum operum, non autem fidei ratio sit habenda, ut ἀντιθέσεις apud Stapletonum, Bartscium et reliquos testantur, id quod pugnare dicimus non modo cum expressis Christi verbis Marc. 16, v. 16. Joh. 3, v. 18. c. 5, v. 24. sed etiam cum ipsa natura bonorum operum, quippe quae non possunt esse vere bona opera, nisi ex fide proficiscantur; tum quia juxta merita operum judicium instituendum esse docent. Contra vero Scriptura pronuntiat, non propter opera velut merita quaedam piis vitam aeternam esse adjudicandam, sed secundum opera tanquam fidei effecta et testimonia judicium in publico angelorum et hominum conspectu esse instituendum nec ex merito sed ex gratia bona opera piorum esse remuneranda Rom. 6, v. 23. c. 8, v. 17. Col. 3, v. 24. etc. *Secundum opera* judicabimur, sed non *propter opera* in possessionem regni coelestis vocabimur; *ex operibus* judicabitur primario *de fide*, an praesto fuerit necne, secundario de *persona* an fuerit in gratia, necne, ut ex doctrina evangelii constat. Hippolytus Martyr. in orat. de consumm. seculi: *De hoc judicio die noctuque meditemur etc. ut nobis quoque dicat ille misericors hominumque amans Deus: Fides tua te salvum fecit, vade in pace. Item illud: Euge serve bone et fidelis etc.* Confer ea, quae de meritis operum suo loco plenius dicta.

56. Quaeritur hoc loco 1. *Quare in descriptione judicialis processus* Matth. 25. *duntaxat opera misericordiae et quidem corporalis enumerentur praetermissis reliquis fidei fructibus et effectis?* Euthymius in com. illius loci respondet, *rationem judicii ibi a Domino commemoratam non ad omnes homines, sed duntaxat ad Christianos pertinere, ad quos praecepta evangelii facta sunt, ethnicos vero non potissimum ob neglecta misericordiae opera, sed ob infidelitatem condemnandos esse.* Joh. 3, v. 18: *Qui non credit, jam judicatus est. Judicium autem Christianorum in ecclesia ideo peculiariter a Domino induci arbitratur, quia ethnici et infideles extra ecclesiam in die illo critico suam secum deferent condemnationem, eamque ex conspecto signo*

Filii hominis in coelo apparente e vestigio agnoscent, unde notanter dici a Christo, quod statim ut apparuerit signum Filii hominis, tribus terrae mox sint plancturae. Matth. 24, v. 30. Idem videtur Barradio tom. 3. conc. evang. lib. 9. c. 19. p. 608. *Infidelibus ethnicis*, inquit, *ignotus est Christus. Ergo non dicet illis Dominus, esurivi et non dedistis mihi manducare. Quomodo enim possent cibum*
95. *dare Christo, id est pauperibus propter Christum, si Christum non agnoscunt?* Atqui non solum ethnici et infideles, sed etiam hypocritae in ecclesia suam statim agnoscent damnationem ex ipso judicis conspectu; pii enim et electi resurgent cum corpore glorificato et judicem videbunt summa cum laetitia, impii vero et damnati resurgent cum corpore passibili et judicem videbunt summa cum trepidatione, suique ignominia. Adde quod in numero incredulorum non solum censendi sint ethnici extra ecclesiam, sed etiam hypocritae in ecclesia, utpote vera et salvifica fide per caritatem efficace destituti; quotquot enim damnabuntur, illi propter incredulitatem tanquam causam immediatam propriam et adaequatam damnationis a salute excludentur. Joh. 3, v. 36: *Qui non credit in Filium, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum.* Augustinus lib. 21. de civ. Dei c. 27. et serm. 50. de tempore (si tamen illorum sermonum Augustinus auctor est) existimat, *sola misericordiae opera propterea requiri, quod peccata reliqua illis potuerint expiari.* Sed haec responsio analogiae fidei minus congrua est, quippe quae in solo Christi merito satisfactionem pro peccatis, eorumque coram Dei judicio expiationem unice quaerendam esse docet, ut alibi plenius fuit demonstratum. Simplicissima responsio petitur ex contextu. In praecedenti parabola v. 14. docuerat Christus, rationem in judicio exigendam esse *de usu talentorum*, id est donorum divinitus concessorum, qua parabola praecipue apostolos et eorum in officio docendi successores, adeoque quosvis praerogativa divinorum charismatum donatos vel in eminentia muneris constitutos sui admonere voluit officii; (dico *praecipue*, quia nullus hominum est, qui non aliquid a Deo si non talentum, tamen drachmulam acceperit, qua lucrari, id est proximo prodesse et Dei gloriae inservire possit ac debeat, proinde *secundario* et *extensive* ad omnes homines haec parabola pertinet); in hac pericope docet exigendam esse in judicio rationem *de operibus misericordiae* vel praestitis vel neglectis, omnes in universum Christianos, praecipue vero auditores sui admonere cupiens officii, a quibus non tam talentorum quam misericordiae erga pauperes rationem exigendam esse significat, omnem tergiversandi occasionem iisdem subtrahens. Ut simus martyres, paucorum est; ut simus doctores et columnae ecclesiae, paucorum est; at haustum frigidae aquae proximo sitienti dare nemo non potest. Quod autem non praecipue et inprimis propter apostolos, et eorum in docendi officio et divinorum charismatum participatione consortes sed propter auditores, qui per illorum praedicationem credituri erant, istaec dicta sint, apparet ex ipso verborum sono v. 40: *Quidquid fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*, et v. 45. *quod non fecistis uni de his minimis, mihi non fecistis*, ubi δεικτικὸν τούτων est valde emphaticum, digitum enim intendit in apostolos et eorum in penuria consortes, qui in hoc mundo aliorum beneficentia vel maxime indigebant. Interim ut proxime praecedentem parabolam secundario et extensive ad omnes referri posse diximus, ita quoque hoc loco sub operibus misericordiae corporalibus quaevis opera dilectionis ac proinde etiam opera misericordiae spiritualia, adeoque omnia verae fidei effecta et indicia extensive intelligi possunt. Scopus enim Christi est docere, quod judicium instituendum sit *secundum opera* tanquam externa et visibilia fidei interius in corde latentis testimonia. XIX. 196.
Ea igitur opera commemorat, quae ex dilectione individua fidei comite Gal. 5, v. 6. oriuntur, quae vel maxime ad sustentationem vitae indigenti proximo necessaria sunt, a quibus nemo se facile excusare potest, ad quae ipsa humanitas quemvis impellit, et ad quae reliqua bona opera commode reduci possunt. Euthymius d. l.: *De sola caritate disserit, non quod cetera vel justorum bona opera, vel peccatorum delicta sine examinatione vel discussione relinquenda sunt, sed confirmare volens, quod caritatem Deus maxime requirit, et hanc prae omnibus expetit, utpote Christianis maxime necessariam, cujusque enim Christiani insigne, quo dignosci potest, est dilectio, hujus autem optima pars est pauperum amor et erga proximum compassio ac misericordia, quia juxta Gregorium Theologum, nulla re inter omnes ita colitur Deus ut misericordia, neque alii cuiquam magis rependetur humanitas quam humanitati.*

Quaestio 2. An ex processus judicialis descriptione colligi possit, electis propter operum merita reddendam esse vitam aeternam.

57. Quaeritur 2. *An ex processus judicialis verbis colligi possit, electis propter operum merita tanquam debitam mercedem reddendam esse vitam aeternam.* Affirmant Pontificii urgentes tum particulam αἰτιολογικὴν γάρ. *Venite, possidete regnum, esurivi enim, et dedistis mihi cibum;* tum oppositionem electorum et damnatorum. Quemadmodum enim pro causa, propter quam impii in ignem aeternum projiciuntur, allegantur opera misericordiae ab ipsis neglecta, ita pro causa, propter quam pii ad possessionem regni coelestis vocantur, allegantur opera misericordiae ab ipsis praestita. Bellarminus lib. 5. de justificat. c. 3. Jansenius, Barradius, Maldonatus Salmeronius et reliqui omnes Pontificii scriptores in comm. c. 25. Matth. Sed respondemus 1. hypothesi de meritis operum adversatur *fidei analogia* in clarissimis Scripturae locis proposita, ut in tract. de bon. operib. §. 89. et seqq. multis ostendimus, universa Scriptura testatur, judicem non *propter opera* vitam aeternam daturum, sed *secundum opera* vel operum testimonia judicaturum, quia *χάρισμα θεοῦ est vita aeterna.* Rom. 6, v. 23. 2. Eandem validissime evertit sententia Christi definitiva in hoc ipso loco proposita: *Venite benedicti Patris mei,*

possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi. v. 35. vocat electos *benedictos*, videlicet in benedicto illo semine, in Christo per fidem apprehenso, quos coelestis Pater *benedixit omni benedictione spirituali in coelestibus* Gal. 3, v. 9. Eph. 1, v. 3. non autem benedicentes se in operum suorum meritis, inque illis confidentes. Nec dicit simpliciter *accipite*, sed *κληρονομήσατε*, *hereditate* vel *in hereditatem accipite*, tanquam paternum bonum ob *υἱοθεσίαν* vobis promissum Rom. 8, v. 17. Atqui si vita aeterna ipsis datur ut *hereditas filialis*, utique non contingit ut *merces servilis*. Per fidem obtingit piis *υἱοθεσία* Joh. 1, v. 12. Gal. 3, v. 27. etc. ergo et hereditas regni coelestis. Si autem per fidem, ergo non ex operibus; *si ex gratia, ergo non ex operum meritis*, ut oppositiones apostolicae luculente testantur Rom. 3, v. 28. c. 11, v. 6. Gal. 2, v. 16. Eph. 2, v. 8. et 9. etc. Denique regnum illud dicit ipsis *paratum esse a constitutione mundi*, per electionem scilicet factam in Christo *ante jacta mundi fundamenta* Eph. 1, v. 4. *antequam quidquam boni vel mali egissent* Rom. 9, v. 11. Jam
XIX. 197. vero praeparatio illa regni sive electio ad regnum est mere gratuita, ut suo loco multis argumentis demonstratum fuit. Ergo etiam ipsa possessio regni datur ex gratia et non ex merito. 3. Ipsimet electi immensam largitatem mirantur dicentes v. 37: *Quando te vidimus esurientem et pavimus te?* Ergo ex simplicitate cordis, non autem cum opinione meriti bona fecerunt, nec opera sua tanta remuneratione digna aestimant. 4. Adducuntur ergo opera misericordiae a Christo non ut *ποιητικά*, ut causae efficientes meritoriae regni coelestis, sed ut *σημαντικά*, ut verae fidei testimonia ac fructus, quibus exterius declararunt, se esse in Christo benedictos et electos. *Causam efficientem* Christus jam ante expresserat, videlicet gratuitam Dei misericordiam, qui in Christo nos ad vitam aeternam elegit inque filios adoptavit; jam profert electionis illius et verae fidei *τεκμήρια*, quia judicium illud visibiliter in angelorum et hominum praesentia instituetur, ideo opera producuntur tanquam indubitati testes fidei justitiam interiorem exterius demonstrantes 5. Proinde particula *γάρ* non est *causalis sed ratiocinativa*, non exprimens causam meritoriam vitae aeternae, sed dictorum consequentiam subjiciens, hoc est rationem prolatae a Christo sententiae, quia scilicet operibus misericordiae se electos, benedictos ac veros Dei filios esse demonstrarunt, hoc est non *meritum* possessionis vitae aeternae, sed *qualitas* eorum, qui vitam aeternam hereditate consequentur, hisce verbis exprimitur. 6. Eadem est ratio membri posterioris, videlicet in sententia contra damnatos prolata. Christus enim ubique propriam, immediatam et adaequatam causam damnationis constituit *incredulitatem* Marc. 16, v. 16. Joh. 3, v. 18. et 36. cum vero incredulitas illa in corde lateat, ideo producuntur opera mala, cumprimis immisericordia erga proximum, tanquam fructus et effectus incredulitatis interius in corde delitescentis 1. Joh. 3, v. 14. Causa condemnationis ratione *meriti* esset quodvis peccatum contra legem divinam commissum, quia omnia sunt aeterna morte digna; at non ratione *exsecutionis*, quia alias omnes essent damnandi. Causa igitur condemnationis est sola incredulitas, quatenus damnatio in se et *formaliter* consideratur; interim *materialiter* et ratione diversorum graduum spectatae condemnationis causa est peccatorum gravitas vel levitas. 7. Sed et inter bona ac mala opera maxima est disparitas. Mala opera perfecte talia sunt et ex se damnationem merentur, sed bona piorum opera sunt imperfecta, multis infirmitatibus contaminata, sunt Deo jam ante debita, proinde ex se et in se vitam aeternam mereri neutiquam possunt, unde apostolus Rom. 6, v. 23. *peccati stipendium* esse dicit *mortem aeternam*, sed *vitam aeternam χάρισμα, gratuitum donum, Dei in Christo* esse asserit. Confer tract. de bon. operib. §. 58. et 117.

CAPUT V.

DE FORMA JUDICII EXTREMI.

58. De *forma judicii* recte usurpari potest illud Fo[…]
Augustini lib. 20. de civit. Dei c. 30. circa fin.: jud[…] l. […]
Quo modo atque ordine illud sit futurum, magis nis
tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet die pra
consequi ad perfectum hominum intelligentia. Illud pai
tamen ex Scripturis constat, eam describi sub idea XII
augustissimi judicii visibiliter et audibiliter exercendi. Dan. 7, v. 9. Matth. 25, v. 31. Apoc. 21, v. 12. Anselmus in comm. Rom. 14: *Ut judicii species notior fieret hominibus, judicandi forma ex his, quae inter homines geruntur, assumta est etc.* Docendi causa duas ejus partes constituere possumus, 1. *solennem ad judicium praeparationem*, 2. *ipsam judicii administrationem*. Quod praeparatio quaedam ad judicium ejusdem administrationem praecessura sit, colligitur ex Apoc. 20, v. 4: *Vidi sedes et sederunt super eas et judicium datum est illis.* v. 11. *Vidi thronum magnum candidum et sedentem super eum.* Ad praeparationem illam pertinet 1. *Christi judicis in throno gloriae collocatio.* Quando Christus in secundo suo adventu ex improviso redibit gloriosus, angelorum satellitio stipatus, ab omnibus conspiciendus, tunc *sedebit super thronum majestatis* sive gloriae *suae* Matth. 19, v. 28. c. 25, v. 31. qui thronus erit tribunal judiciarium, coram quo omnes homines sunt sistendi Rom. 14, v. 10. 2. Cor. 5, v. 10. Quamvis vero exacte sciri nequeat, quis ac qualis ille thronus sit futurus, unde quidam putant per eum accipiendos esse *angelos*, inter quos quidam dicuntur *throni*, hoc est sedes, quidam de *iride* accipiunt, probabiliter tamen statuimus, hunc thronum fore partim *invisibilem*, ipsam scilicet Dei dextram, ad quam Filius hominis evectus est, quae propterea vocatur *dextra majestatis in excelsis* Hebr. 1, v. 3. quia est ipsa increata et infinita Dei virtus et majestas; partim *visibilem*, splendidam

scilicet et augustam quandam nubem, cum venturus dicatur *in nubibus coeli*, ut superius ex Scripturis docuimus. Super hunc thronum collocabit judicem Christum Pater coelestis, ut colligitur ex Dan. 7, v. 9: *Adspiciebam, donec throni positi sunt et Antiquus dierum sedit.* v. 13. *Et ecce cum nubibus coeli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit et in conspectu ejus appropinquare fecerunt eum.* v. 14. *et dedit ei potestatem et honorem et regnum etc.* Ut enim Pater *dedit Filio potestatem faciendi judicium* Joh. 5, v. 27. et *statuit diem, in quo judicaturus est orbem terrarum per virum, in quo decrevit* Act. 17, v. 31; ita quoque super thronum judiciarium eundem collocabit. Nihilo tamen minus etiam ipse Filius super hunc majestatis suae thronum se ipsum collocabit, ut colligitur ex hac Scripturae locorum collatione. Eph. 1, v. 20: *Pater collocavit Christum ad dextram suam in coelestibus.* Psalm. 110, v. 1: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* Marc. 16, v. 19: *Christus consedit a dextris Dei.* Hebr. 1, v. 3: *Purgatione peccatorum nostrorum facta per se ipsum sedit in dextra majestatis in excelsis.* Eadem est ratio collocationis in tribunal judiciarium, quae pertinet ad statum exaltationis ac gloriae, ad quam Christus secundum humanam naturam est evectus. 2. *Omnium hominum coram tribunali Christi congregatio* Matth. 25, v. 32. Rom. 14, v. 10. 2. Cor. 5, v. 10. ministerio angelorum peragenda Matth. 24, v. 31. Marc. 13, v. 27. Utitur vero apostolus d. l. duobus vocabulis maxime emphaticis. *Omnes*, inquit, in priore loco παραστησόμεθα, *sistemur* sive praesentabimur, *apud tribunal Christi* a Christo judicandi, est enim verbum forense et judiciale. Act. 23, v. 33. c. 24, v. 13. c. 27, v. 24. *Omnes nos*, inquit in loco posteriore, *oportet φανερωθῆναι, manifestari, coram tribunali Christi.* In hoc seculo homines judicio sistendi occultant se, vel etiam fuga sibi consulunt, sed in die novissimo nec occultationi nec fugae patebit locus. Impii qui-
99. dem dicent montibus et petris, *cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus irae ipsorum et quis poterit stare* Apoc. 6, v. 16. et 17. sed hoc votum erit prorsus frustraneum, *quia montes ac petrae instar cerae coram hoc judice colliquescunt* Psalm. 97, v. 5. Propter hanc universalem omnium hominum πανήγυριν in die judicii futuram, vocatur dies ista tempus ἐπισυναγωγῆς 2. Thess. 2, v. 1. non solum quia electi congregabuntur ad Christum, cum *quo semper erunt* 1. Thess. 4, v. 17. de qua congregatione proprie et specifice ibi loquitur apostolus; sed etiam quia magni et pusilli, vivi et mortui in unum quasi congregabuntur concilium et stabunt coram throno agni Apoc. 20, v. 12. quod si unus aliquis non compareret, falleretur Dei juramentum Esa. 45, v. 23. quod est prorsus ἀδύνατον. Deus omnes capillos nostros in numerato habet Matth. 10, v. 30. quanto magis omnes homines; *numerat omnes gressus* Psalm. 56, v. 9. quanto magis homines, qui ambularunt? Omnes proinde homines *omnis temporis*, *omnis conditionis*, *omnis sexus*, *omnis aetatis*, ut glossa interlinearis Matth. 25, v. 31. loquitur, coram istoc tribunali comparebunt. Neque vero majestas judicis permittet, ut absque ullo reverentiae et subjectionis signo judicandi coram ipsius tribunali consistant, sed γονυκλισίᾳ testatum reddent, se hunc judicem regem et dominum agnoscere. Rom. 14, v. 10: *Omnes statuemur ante tribunal Christi, scriptum est enim* (Esa. 45, v. 23.): *Mihi curvabitur omne genu.* Quidam de solis piis ac credentibus hoc accipiunt, qui in vera fide Deum invocant, quia additur *et omnis lingua confitebitur* Deo. Sed ex Phil. 2, v. 10. intelligitur, non solum pios sed etiam impios, quin et ipsos daemones subjectionem suam erga Christum in die judicii esse declaraturos, ideo confessio illa recte sic exponi potest, quod omnes creaturae rationales Christum pro domino sint agniturae ac rationem factorum ipsi redditurae. 3. *Congregatorum in duas partes separatio* ac quorundam ad dextram, quorundam ad sinistram collocatio. Matth. 25, v. 32: *Separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hoedis*, v. 33. *ac statuet oves quidem a dextris, hoedos autem a sinistris.* Separatio ergo illa fiet non solum *interius* secundum judicium et cognitionem Christi, sed etiam *exterius* secundum locum, utroque enim modo separatio instituetur. Conspicitur autem in ea tum *judicis omniscientia*, quod exacte noverit discrimen inter pios et impios Joh. 2, v. 24. 2. Tim. 2, v. 19; tum *aequitas et justitia*, quod inaequales separando nemini faciat injuriam Act. 17, v. 31; tum *efficax omnipotentia*, quia angelorum ministerio separationem illam instituet Matth. 13, v. 49. nec ferrent hanc separationem reprobi, nisi auctoritatem et potestatem judicis ipsimet persentiscerent. Parabolae, quibus separationem illam Christus praefigurare voluit, in historia evangelica complures exstant, utpote per ventilationem et purgationem areae Matth. 3, v. 12. per zizaniorum a tritico discretionem Matth. 13, v. 30. per piscium bonorum a putribus segregationem v. 48. ac d. l. per ovium ab hoedis ἀφορισμόν sive separationem, praedictam etiam Ezech. 34, v. 17: *Ecce ego judico inter pecudem et pecudem, arietes et hircos.* Quemadmodum in die, cum in campum mittuntur greges, oves permixtae sunt hoedis ac in agro simul pascuntur Job. 1, v. 14. sed in vespera pastor oves in propria septa colligit et ab hoedis discernit; sic tempore hujus
vitae in latissimo mundi campo bonis mali sunt per- XIX. 200.
mixti et ab eodem pastore Christo, qui omnes simul nutrit, pascuntur, sed in vespera, hoc est in fine seculi, ab invicem separabuntur. Quemadmodum pastori facillimum est oves ab hoedis separare, sic Christus judex absque ullo labore bonos a malis separare poterit. Electi comparantur *ovibus* propter mansuetudinem ac modestiam, propter simplicitatem, propter fructificationem in operibus bonis, quia lanam suam membris Christi promte impertierunt, propter patientiam, propter auditum vocis pastoris

sui, propter signaturam crucis, propter judicium mundi, a quo pro stolidis habentur etc. damnandi comparantur *hoedis*, propter immunditiem peccatorum ac foetorem, propter lasciviam ac libidinem, quia hoedus est animal lascivum ac fervens semper ad coitum, propter viarum obliquitatem, quia hoedi a recto discedunt itinere ac per praecipitia gradiuntur, propter insultus ac molestias, quas piis in hac vita exhibent Ezech. 34, v. 21. propter infrugiferam vitae conversationem, sunt enim ἄτακτοι καὶ ἄκαρποι. Hieronymus in comm. Matth. 25: *Hoedi semper pro peccato offeruntur in lege. Non dixit capras, quae possunt habere foetum et tonsae egrediuntur de lavacro omnes gemellis foetibus et sterilis nulla inter eas, sed hoedos lascivum animal et petulcum.* Theophylactus ibid.: *Dominus dicit, impiorum supplicium fore aeternum, hoc est nunquam desinens, unde et ovibus comparat justos, hoedis autem peccatores. Sicut enim hoedus nunquam fit ovis, sic nunquam peccator purgabitur et erit justus.* Ceterum ipsa collocatio praeludium quoddam erit sententiae utrique parti exspectandae. Justi enim vocabuntur ad felicitatem, laetitiam ac prosperitatem, quae *dextrae* nomine in Scripturis significatur; impii vero extremae infelicitati, tristitiae et adversitati tradentur, quae *sinistrae* nomine significari consuevit. Glossa interlinearis Matth. 25. addit: *A sinistris erunt, qui sinistra, hoc est praesentia, quamdiu vixerunt, ardenter amaverunt.* Justi a dextris collocati audient laetissimum illud invitatorium: *Venite benedicti Patris mei;* impii ad sinistram constituti audient tristissimum illud depulsorium: *Ite maledicti in ignem aeternum*, cujus diversitatis typus quidam videtur propositus Deut. 27, v. 11. ibi enim Dei auctoritate Moyses praecipit, ut filiis Israël in terram promissionis ingressis sex tribus, quarum patres sive capita, videlicet *Simeon, Levi, Judas, Isaschar, Joseph et Benjamin*, ex liberis Jacobi uxoribus, Lea scilicet et Rachele, nati erant, starent super vel juxta montem *Garizim ad benedicendum;* et sex tribus, quarum patres sive capita, *Ruben, Gad, Aser, Zebulon, Dan et Naphthali*, fere omnes ex ancillis nati erant, excepto scilicet Zabulone et Rubeno, qui quod cum ancilla patris sui uxore concubuisset, cum filiis ancillarum conjungi meruit, starent super vel juxta montem *Hebal ad maledicendum*, hoc est ut responderent Amen illi quidem ad benedictiones, hi vero ad maledictiones a Levitis pronuntiandas, quod etiam impletum legitur Jos. 8, v. 31. Pari ratione, quando Christus unicus summus novi testamenti sacerdos piis dicet: *Venite benedicti*, impiis autem: *discedite maledicti*, ac legis exsecutionem instituet, tunc *justi statuentur a dextris*, qui recte significantur per filios liberarum, quia paternam consecuturi sunt hereditatem; impii vero *a sinistris*, qui recte significantur per filios ancillarum et concubinarum, quia coelestis Pater his non deputavit propriam suam hereditatem,
XIX. 201. sed praesentis duntaxat vitae bona velut quaedam munera, perinde ut Abraham filiis ancillarum et concubinarum dabat munera, sed Isaaco ex Sara primaria uxore nato totam hereditatem relinquebat Gen. 25, v. 6. Leo serm. 4. de collect. et eleemos.: *Separabuntur ab injustis justi etc. a nocentibus innocentes, et cum praeparatum sibi regnum recensitis misericordiae operibus filii pietatis acceperint, exprobrabitur duritia sterilitatis.*

59. 2. Ad ipsam judicii *administrationem* pertinet 2. Ipsa judic. admi-strati.
1. *causae cognitio.* Quemadmodum justitia judicis terreni requirit, ut causam prius cognoscat, antequam sententiam ferat; ita quoque coelestis ille judex causam utriusque partis accurate prius inspiciet, antequam sententiam ferat. Quia vero *novit omne, quod est in homine, nec opus est ei, ut quis testimonium perhibeat de homine* Joh. 2, v. 25. ideo nullo indigebit testium examine, nec necessarium ipsi erit propriam reorum confessionem extorquere, sed *omnia nuda et aperta erunt oculis ipsius* Hebr. 4, v. 13. Interim quia in publico angelorum et hominum theatro ὁρατῶς καὶ ἀκουστικῶς judicium administrare constituit, ideo illorum causa occultorum et absconditorum manifestatio erit necessaria, sicut etiam rationes sententiae promulgatae illorum causa subjiciet, Matth. 25, v. 35. et 42. Proinde ut partis utriusque tam piorum scilicet quam impiorum, causa liquido cognoscatur, ideo coelestis judex omnia occulta et abscondita in clarissimam lucem collocabit et ut apostolus loquitur 1. Cor. 4, v. 5: *Φωτίσει τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους καὶ φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν.* Quemadmodum lux revelat omnia, quae in tenebris prius fuere a conspectu remota, sic lux divinae majestatis et gloriae, in qua Christus ad judicium veniet, quaevis occultissima revelabit; quam manifestationem per *librorum apertionem* etiam significari monuimus superius. Quidquid in occultissimis terrae cryptis et cavernis ab impiis fuit commissum, illud omne in aprica luce conspicietur, neque solum conspicietur, sed etiam impios coram tribunali Christi accusabit. Origenes tract. 7. in Matth.: *Non opus erit multo tempore, ut ponatur nobis ratio de omnibus actibus vitae nostrae etc. volens enim Deus ventilare omnium mentes, ut unusquisque sentiat proprios actus bonos vel malos, cito omnia ab omnibus omni tempore gesta singulis quibusque faciet in mente ineffabiliter quadam virtute. Nec enim sicut nos volentes in mente facere alicui ea, quae fecit, opus habemus tempore sufficienti ad consummationem eorum, quae dicuntur a nobis et in memoriam rediguntur; sic et Deus opus habet tempore volens nobis in mente facere omnia, quae gessimus in vita, ut cognoscentes universa, quae fecimus, intelligamus propter quae aut punimur aut honoramur. Si quis autem celeritati divinae virtutis circa haec omnia consummanda non credit, hic nondum intellexit Deum, qui omnia fecit et non indiguit spatio temporis alicujus ad faciendam coeli et terrae et omnium, quae in eis sunt, creaturam etc.* Basilius Magnus in hom. 13. super Psalm. 48: *Οὐδείς σου ἕτερος κατήγορος στήσεται ἢ αὐταὶ αἱ πράξεις μετὰ τῆς*

ἰδίας μορφῆς ἑκάστη παρισταμένη· ἡ μοιχεία, ἡ κλοπή, ἡ πορνεία μετὰ τῆς νυκτός, μετὰ τοῦ τρόπου, μετὰ τῶν χαρακτηριζόντων αὐτὴν ἰδιωμάτων καὶ ἁπαξαπλῶς ἑκάστη ἁμαρτία μετὰ τοῦ ἰδίου χαρακτῆρος ἐναργῆ φέρουσα τὴν ὑπόμνησιν παραστήσεται. Idem in hom. 2. ad divit. avaros: *Ὥσπερ ἡ σκιὰ τῷ σώματι, οὕτω ταῖς ψυχαῖς αἱ ἁμαρτίαι*
02. *παρέπονται ἐναργῶς τὰς πράξεις ἐξεικονίζουσαι*, quod sic expressit Agapetus in exposit. paraenet. tom. 1. orthodoxogr. p. 194: *Quemadmodum umbrae corpora sectantur, sic animas flagitia comitantur evidenti effigie actiones exprimentia, ideo non datur in judicio negare, ipsa enim uniuscujusque opera obtestabuntur, haud sane vocem emittendo, sed talia prorsus sese repraesentando, qualia jam a nobis patrata sint.* Idem in lib. de virginit.: *Non confuse aut summatim aut indigeste peccata nostra cernentur, sed singula per partes ut sese habent, velut in pictura noscentur.* Exempli causa, *quomodo ad patrandum quisque adulterium properans e lecto surrexit, quibus passibus incedens usus est, quo motu corporis lentiore ac concitatiore, quem habitum, cum procederetur, assumsit, qua ex parte irrumpens uxorem alienam violavit, quo item ordine huic mulieri ad nefarium opus sese substravit. Haec inquam omnia velut per partes diligenter expressa cernentur, nec opus tantum externum sed et intimae cogitationes.* Ephremus in lib. de die judicii c. 1: *Arbores fructiferae tempore suo primum intrinsecus concipiunt fructum, postea vero divino nutu extrinsecus proferunt secundum suam naturam et fructum et folia; sic in die illa terribili omnes homines, quaecunque in hoc seculo quasi in tempore suo occulte intrinsecus sive bona sive mala gesserunt, ibi quasi fructus proprios ante tribunal Domini proferent.* Cyrillus Alexandrinus in orat. de exit. animae et secundo Christi adventu: *Nihil accusatoribus eget judex ille, neque testibus, neque demonstrationibus, neque probationibus, sed quaecunque fecimus, diximus, decrevimus, ea in medium affert ob oculos nocentum.* Augustinus serm. 35. de verb. apost. circa med.: *Certum est, in die illa ipsum ante se hominem constituendum et ipsam sui vitam in cordis speculo demonstrandam et testes contra eam non de foris aliquando sed intus de ipsa anima proferendos. Adjicienda erunt non aliqua peregrina, sed nimium nota testimonia, id est opera sua. Ordinabuntur ante infelicem animam peccata vel crimina sua, ut eam et convincat probatio et confundat agnitio etc.* Confer lib. meditat. tom. 9. Leo serm. 5. quadrages.: *Non potest eum quidquam fallere, cui pervium est omne solidum et apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur et sine voce mens loquitur.* Damascenus in orat. de defunctis ex Athanasio: *Ἐν ἐκείνῳ τῷ πανδήμῳ θεάτρῳ, in amplissimo illo ac generali theatro, quemadmodum actiones omnium detectae, ita omnium quoque facies omnibus erunt notae atque conspicuae, quoad usque omnes extremum a se invicem sejungantur etc. Quonam enim alioqui pudore suffundentur ii, qui tum in pudore atque infamia versabuntur, si non omnibus conspicui sint? Etenim tum denique ingens et gravis pudor oboritur, cum quispiam simul et agnoscit et agnoscitur. Quisquis enim erubescit, eos demum, quibus notus est, erubescit. Quandoquidem is, qui inter ignotos ignotus versatur, in nulla propemodum infamia versatur, cum erubescit etc.* Cassiodorus in enarrat. Psalm. 50. huc accommodat verba psaltis, quae adversus impios in die judicii a Deo pronuntianda dicit: *Cur assumsisti pactum meum in os tuum, cum tamen oderis disciplinam et projeceris verba mea post te? Videbas furem, et currebas cum eo, et portio tua cum adulteris. Os tuum abundavit malitia et lingua tua concinnavit dolos. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris et adversus filium matris tuae ponebas scandalum. Haec fecisti et tacui, existimasti inique, quod ero similis tui. Arguam te et statuam contra faciem tuam. Hoc sermone* (inquit) *futuri* XIX. 208.
judicii indicata qualitas, ubi peccator videbit ante se stare, quod se putabat oblivionis beneficio praeteriisse, horrorem immensum, formidinem inaestimabilem, poenam interminabilem. Bernhardus lib. de anim. c. 2. col. 119: *Quadam vi divina fiet, ut cuique sua opera, bona vel mala, in memoriam revocentur et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam atque ita simul et singuli et omnes judicentur.* Quae citri succo scribuntur, ejus scripturae nullum apparet vestigium, at si igni admota fuerint, clare leguntur; ita in igne judicii omnia peccata apparebunt. Brumali tempore nix obtegit omnia, ut lutum a gemmis nequeat internosci, sed sol vernus retegit omnia; sic in hujus vitae bruma et caligine multa latent, quae ad solem justitiae omnia manifestabuntur. An vero manifestatio illa omnium in die judicii futura intelligenda sit *collective*, quasi omnia tam piorum quam impiorum peccata et utrorumque bona opera omnibus sint revelanda; an vero *distributive*, quod impiorum duntaxat peccata, piorum vero bona opera manifestanda sint, inferius dispicietur.

60. 2. *Causae cognitae decisio ac definitivae sententiae promulgatio.* Postquam enim justus judex utriusque partis causam omnibus praesentibus tanquam judicii testibus notam fecit, definitivam sententiam duplicem pro diversitate utriusque partis et causae feret. Prior pars sententiae erit longe jucundissima, qua piis ad dextram constitutis dicet: *Venite benedicti Patris mei, hereditario jure possidete regnum, quod paratum vobis a constitutione mundi. Tunc dicet rex*, inquit Christus. Qui se paulo ante vocaverat *Filium hominis*, quia in assumta humana natura visibiliter judicium administrabit, ac *pastorem*, quia pios ab impiis separabit, ut pastor oves ab hoedis disterminat, is *regem* sese vocat, quia regis est judiciariam ferre sententiam ac fideles subditos ad regni beneficia vocare, perduelles vero ab eodem relegare et proscribere. Tunc non dicet Pilatus, *ergone rex tu es?* tunc non

dicent Judaei, *non habemus regem nisi Caesarem*, sed omnes coram hoc rege sese humiliare cogentur. Loquetur autem ad pios vultu amico, verbis blandis, cum singulari favoris affectu, dicens: *Δεῦτε, agite huc, ad me venite*, quia in vita vestra audivistis vocem in evangelio sonantem, *Venite ad me omnes qui laboratis* Matth. 11, v. 28. ideo etiam ad regni in evangelio promissi consortium et possessionem venite. *Venite* ex procelloso mari in tranquillum portum, ex bello in triumphum, ex jactatione in quietem, ex exsilio in patriam, ex tuguriis in regnum, ex terris in coelum. In hac vita vocati sunt ad ecclesiam, *ad regnum gratiae*, jam vocantur ad possessionem hereditatis aeternae et *ad regnum gloriae. Δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, venite benedicti*, id est electi et dilecti Patris coelestis filii, quos non solum ab aeterno elegit, sed etiam in tempore *omni benedictione spirituali* replevit Eph. 1, v. 6; *venite benedicti*, in me benedicto semine, in quo benedicuntur omnes gentes; *venite benedicti* et a maledictione legis liberati, spirituales Israëlitae benedictionis a Deo facti participes. *Κληρονομήσατε, hereditatem regni coelestis adite*, non autem operum vestrorum meritum accipite. Filii Dei estis, ideo etiam hereditas vobis danda; *si filii, utique et heredes* Rom. 8, v. 17. Hereditatem crucis in vita vestra accepistis, restat ut lucis et gloriae hereditatem
XIX. 204. accipiatis. *Hereditate accipite* tanquam paternum bonum vobisque jure adoptionis debitum, quodque non ad tempus sed in perpetuum possidebitis. *Accipite incorruptibilem, incontaminatam et immarcescibilem hereditatem conservatam vobis in coelis* 1. Petr. 1, v. 4. *Accipite regnum*, possidete non quodvis bonum, sed omnium maximum, ipsum scilicet regnum coeleste et aeternum. *Venite, regnate*, utpote spirituales reges, ut quod in spe fueratis, etiam in re possideatis. *Possidete regnum* non primum paratum, ut ne recens exortum regnum putetis aliquando cessaturum, sed *paratum vobis a constitutione mundi*, imo ab omni aeternitate. Paratum est vobis illud regnum *ante constitutionem mundi*, non autem vestris meritis acquisitum. Paratum est vobis illud regnum *ab aeterno* per praedestinationem, paratum *a constitutione mundi* per creationem, paratum *in tempore* per meam passionem, per meum meritum et pretii persolutionem. Chrysostomus homil. 34. in Genes.: *Qui propter suam bonitatem, antequam esse inciperemus, haec praeparavit, quomodo non et frui concedet? Vide bonitatis excellentiam, quanta erga genus nostrum misericordia usus sit, ut et ante jacta mundi fundamenta nobis regni coelorum fruitionem praeparare dignatus sit?* Subjunget autem judex rationes decidendi: *Esurivi enim et dedistis mihi cibum etc.* non quod opera misericordiae sint vitae aeternae merita proprie dicta, sed quia sunt verae fidei fructus ac testimonia, ut superius plenius docuimus. Posterior pars sententiae erit longe tristissima et horribilissima, qua impiis ad sinistram collocatis dicet: *Ite maledicti in ignem aeternum.* Prius benedicti vocantur in regnum, quam maledicti in caminum ignis aeterni dejiciantur, *quo videlicet acrius doleant videntes, quid amiserint, ac justi videbunt et laetabuntur considerantes, quid evaserint*, Bernhardus serm. 8. in Psalm. 91. Qui habitat. Deinde ut intelligamus, judicem proniorem ad recordandum et remunerandum benefacta piorum quam ad vendicandum malefacta malorum, *πορεύεσθε* dicet *ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι.* Est in hac contra impios prolata sententia antithesis verborum prioris sententiae. Ibi enim dicitur *venite*, hic vero *discedite a me*; ibi nominantur *benedicti*, hic vero *maledicti.* Non tamen additur, *maledicti Patris mei* sicut pii vocati erant *benedicti Patris* coelestis, quia ut Origenes in comm. monet, *benedictionis quidem auctor et administrator Deus est, maledictionis autem sibi unusquisque auctor exsistit, qui maledictione digna operatur.* Deus est causa benedictionis piorum, id est tum fidei, tum operum bonorum, tum gratiae, tum gloriae; sed non est causa maledictionis impiorum, id est incredulitatis ac peccatorum, propter quae supplicio aeterno mancipantur. Chrysostomus in comm.: *Impiis dicet Dominus: Ite maledicti, non quidem a Patre, non enim ipse, sed opera eis propria maledixerunt*, quod est evidens argumentum contra figmentum Calvinianum de absoluta damnatorum reprobatione. Ibi vocantur pii ad hereditatem regni coelestis possessionem, hic vero igni aeterno adjudicantur; ibi dicitur regnum, ad quod pii vocantur ipsis paratum a constitutione mundi, hic vero ignis, ad quem impii damnantur, non hominibus sed diabolo et angelis ejus, qui in lapsu ei consenserunt, paratus dicitur, cujus diversitatis rationem pulchre expendit Irenaeus lib. 3. c. 35. *Significat*, inquit, *Christus, quod non homini principaliter paratus sit aeternus ignis, sed ei, qui seduxit et offendere fecit hominem, ei inquam, qui* XI
princeps est apostasiae, principi abscessionis, et his angelis, qui apostatae facti sunt cum eo, quem quidem juste percipient etiam hi, qui similiter ut illi sine poenitentia et sine regressu in malitiae perseverant operibus. Similia occurrunt apud Origenem, Chrysostomum et Theophylactum in comm. Matth. 25. Non ergo dicit ignem a Deo paratum injustis, sicut dixerat regnum paratum hominibus justis, ne Dei ordinationi sic adscribatur hominum condemnatio, sicut eorum salvatio; sed intelligamus, Deum neminem creasse ad perditionem, homines vero peccantes sua sponte peccatis suis se participes et obnoxios facere illis, quae inprimis et potissimum diabolo ac ipsius angelis erant parata, sane ob praevisam finalem incredulitatem et impoenitentiam Deus ab aeterno per reprobationem non minus hominibus damnatis, quam angelis malis ob peccatum inobedientiae aeternum ignem paravit. Interim diabolo et angelis ejus ignis iste paratus dicitur, non hominibus, quia daemones absque parato remedio illi sunt destinati, sed hominibus paratum est peccati remedium in Christo mediatore, per quem vera fide apprehensum debuissent ac potuissent ignem illum effugere. Nec dixit prius *regnum*, ad quod vocantur

justi, *paratum est angelis justis*, sicut nunc dicit, *ignem paratum diabolo et angelis malis*, ne similiter intelligamus, homines mereri angelorum bonorum consortium, sicut consortium malorum angelorum malis suis operibus merentur. *Ite*, inquit, *maledicti.*

Quam tristis vox est, judex cum dixerit, ite,
Tam dulcis vox est, cum dixerit ille, venite.

Mortis vel vitae breve verbum est: Ite, venite,
Dicetur reprobis ite, venite piis.

Ite maledicti, qui ob transgressionem legis maledictioni facti estis obnoxii Deuter. 27, v. 26. nec fide apprehendistis eum, qui pro *vobis factus est maledictum* Gal. 3, v. 13. *Discedite a me maledicti*, super quos manet aeternumque manebit pondus irae divinae et condemnationis legalis, maledicti primum maledictione *culpae*, nunc autem maledictione *poenae aeternae; discedite a me*, fonte vitae indeficientis, a me lumine gloriae beatificantis, a me torrente voluptatis inundantis, a me plenitudine ubertatis inebriantis; *discedite a me* in ignem aeternum, cujus flamma nunquam exstinguetur, qui paratus est diabolo et angelis ejus, ac proinde eum cum diabolo et malis ejus angelis communem habebitis, *merito enim idem supplicium habet, qui ejusdem voluntatis sunt*, ait Theophylactus in comm. *cum illo habituri estis poenae communionem, cujus elegistis facere voluntatem*, ait Leo sermon. 4. de collect. et eleemos. *discedite a me*, nunquam redituri ad me, nunquam visuri me. At Deum non videre, est omni bono privatum esse, Deum non videre omnia gehennae supplicia superat; *discedite a me*, non solum me nunquam visuri, sed etiam cum diabolo et angelis ejus in perpetuum futuri; *discedite a me*, haec est poena damni, videlicet privatio beatificae visionis; *discedite a me in ignem aeternum*, haec est poena sensus, videlicet ignis infernalis cruciatus. Subjungit et hoc loco judex rationes decidendi prioribus oppositas. *Esurivi enim, et non dedistis mihi cibum etc.* Augustinus lib. de fid. ad Petrum c. 45: *Si in ignem aeternum digne mittetur,*
206. *qui Christo in suis minimis esurienti panem non dederit, quid passurus est, qui ipsum panem, qui de coelo descendit, sibi per infidelitatis vitium ademit? Si in flammis perennibus exuretur, qui Christo in suis minimis sitienti calicem aquae frigidae non tribuit, quid ille patietur, qui renatus ex aqua et Spiritu sancto sanctum baptisma in se iterare permittit, quod ad salutem semel et ad sacramentum sanctae regenerationis accepit? Si illum credimus perennibus subdendum esse tormentis, qui Christum in suis minimis peregrinum hospitio negligit suscipere, quid passurum se putaverit, qui Dominum Christum de domo cordis sui excludens et diabolum in se caeca prorsus infidelitate recipiens de sancta ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis, haeretica circumventus falsitate discesserit? Et si ille, qui infirmos atque in carcere positos famulos Christi non visitat, igni deputatur aeterno, quid illis retribuendum dicimus, qui Dei famulos, in quibus solam persequuntur fidei veritatem, aut squalore carcerum aut exsiliorum deportatione violenter affligunt?* Idem sermon. 38. de sanctis: *Si in ignem mittetur, qui esurienti non dedit panem suum, putas ubi mittendus est, qui tulit alienum? Si in ignem mittetur, qui nudum non vestit, ubi mittendus est, qui vestitum exspoliat? Si cum diabolo damnatur, qui hospitibus non praebuit domum suam, putas ubi mittendus est, qui tollit alienam? Si periturus est, qui carcerem non visitavit, quid de illo fiet, qui forte in carcerem misit? Attendite, quam spem habere possunt, qui mala faciunt, quando illi perituri sunt, qui bona non faciunt.* Gregorius part. 3. curae pastoral. admonit. 21: *Hinc colligendum, quanta damnatione plectendi sunt, qui rapiunt aliena, si tanta animadversione feriuntur, qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendat, quo eos obliget reatu res rapta, si tali subjicit poenae non tradita. Perpendant, quid mereatur injustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa.* Dionysius Carthusianus in comm. Matth. 25: *Arguit eos potius de operibus misericordiae quam de operibus justitiae, cum tamen magis teneamur ad opera justitiae, quia opera misericordiae sunt faciliora, cum natura ad ea magis inclinet ac proinde magis arguenda, ubi deficiunt. Arguit potius de omissione quam de commissione, cum tamen majoris criminis sint commissa et ideo magis arguenda, quia puniendo quod minus est, innuit amplius faciendum de majoribus. Si enim omissa arguit, multo plus commissa. Item magis arguit de peccatis in proximum quam in Deum, quia si peccata in proximum condemnantur, multo magis peccata in Deum ut blasphemia et idololatria. Item cum sit misericordia corporalis et spiritualis, potius defectum arguit operum spiritualium quam corporalium, quia opera spiritualia sunt evidentiora.*

61. 3. *Sententiae promulgatae exsecutio.* Neque enim amica illa piorum ad regni coelestis possessionem invitatio erit inane promissum, neque horribilis illa impiorum ad ignem infernalem damnatio erit fulgur ex pelvi et vanum terriculamentum, sed sententia utrique parti lata sine ulla exceptione, dilatione, appellatione, replicatione, levatione etc. e vestigio exsecutioni dabitur, Matth. 25, v. 46. Erit ibi ut *veritas in inquisitione et nuditas in publicatione*, ita quoque *severitas in exsecutione.* Conspicietur majestas judicis *in apparendo*, auctoritas *in colligendo*, prudentia *in discernendo*, justitia *in decidendo*, potentia *in exsequendo. Et ibunt hi* (a sinistris constituti) *in supplicium aeternum, justi autem* (a dextris collocati) *in vitam aeternam.* Impii a facie Domini expulsi ibunt in aeternum supplicium, quia *radius ille igneus*, id est sententia
maledictionis, a throno Dei procedens Daniel. 7, XIX. 207.
v. 10. horribiliter instar fulminis eos in infernum prosternet et in cordibus ipsorum in omnem aeter-

nitatem sonabit. Aperietur terra divina' potentia et vivos illos deglutiet, sicut quondam Dathan et Abiran deglutivit Numer. 16, v. 31. Psalm. 106, v. 17. Justi autem ab angelis in vitam aeternam deducentur, *rapientur enim in nubibus in occursum Domini in aëra, ut semper sint cum Domino* 1. Thess. 4, v. 17. hoc est, ut vita et laetitia aeterna cum Christo perfruantur. Impii *prius* dicuntur in supplicium aeternum ituri quam justi in vitam aeternam, vel quia ordo narrationis id requirebat, eo quod proxime praecesserat de condemnatione impiorum, vel ut significetur, impios in conspectu justorum mox abituros in supplicium, quod ad augmentum gaudii et felicitatis ipsorum faciet, cum ex comparatione divinae erga se benignitatis suaeque felicitatis cum divinae justitiae erga damnatos severitate ipsorumque infelicitate, magis in se Dei gratiam agnoscant ac praedicent. Glossa interlinearis Matth. 25: *Tolletur impius, ne videat gloriam Dei.* Nimirum hoc est illud bivium, in quo olim separabuntur, qui hic promiscue vixerint; hoc illud est decretum, quo aeterna mansio et habitatio unicuique sine ulla spe mutationis assignabitur. *Nemo poterit*, ait Chrysostomus in hoc loco, *potestatem hujus judicis effugere, sapientiam fallere, aequitatem flectere, judicium retractare. Vide*, ait idem homil. 22. ad pop. Antioch., *non indutum veste nuptiali ex sponsali domo expulsum et neminem pro illo intercedentem; vide talentum habentem concreditum ac non negotiantem, quomodo pro illo nemo intercedat; respice quinque virgines exclusas et aequales pro ipsis non deprecatas.* Eusebius Emesenus hom. 2: *Unde misericordiam petiturus est primum de misericordiae contemtu judicandus?* Augustinus lib. 3. de fid. et symb.: *Ille judex nec gratia praevenitur, nec misericordia flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec poenitentia vel satisfactione mitigabitur.* Cassiodorus in Psalm. 20: *Istam sententiam, ite in ignem aeternum, consequetur, ut impii perpetua flamma devorentur. Nam jussionem Domini nulla mora subsequitur, sed mox ut discernit, impletum est.* In secundo illo adventu iratus David contra ingratum et avarum Nabal descendet dicens: Vere frustra servavi omnia, quae hujus erant in deserto. Vere frustra tot beneficia in impios contuli, ingrati et stulti homines missis a me pueris pauperibus pauxillum carnis esurientibus dare noluerunt etc. nulla tunc occurret irato regi Abigail, quae intercedat, sed avari isti Nabales sententiae damnatoriae fulmine in mortem aeternam praecipites dabuntur.

Antithesis.

62. Antithesis. Errant circa judicii exsecutionem 1. *Origenes*, qui homil. 27. in Num. disputat, *animas post resurrectionem non subito, sed per multas mansiones adscensuras ad summa, donec perveniant ad patrem luminum;* 2. quotquot de aeternitate suppliciorum, quibus damnati sunt adjudicandi, non recte senserunt, quales varios fuisse commemorat Augustinus lib. 21. de civit. Dei c. 17. usque ad finem libri. *Origeni* cum primis haec opinio tribui consuevit ac nostri temporis *Anabaptistae* eandem videntur amplecti, quibus opponimus perspicua Scripturae dicta aeternitatem suppliciorum infernalium diserte exprimentia, Esa. 66, v. 24. Dan. 12, v. 2. Matth. 3, v. 12. Luc. 3, v. 17. Joh. 5, v. 29. Marc. 9, v. 43. et 44. 2. Thess. 1, v. 9. Apocal. 14, v. 11. XIX. 2a
c. 20, v. 10. c. 22, v. 15. cumprimis vero tenorem exsecutionis sententiae tam absolutoriae quam damnatoriae Matth. 25, v. 46. ubi in utraque parte, in eodem loco, eadem sententia, eodem verbo aeternitas pronuntiatur. Si ergo statuere nolimus, impiorum sine fine futurum esse supplicium, negandum etiam erit, piorum aeternam fore vitam et gloriam. Augustinus lib. contra Priscill. et Origen. c. 5: *Moneo, ut de diaboli angelorumque ejus correctione et in pristinum statum reparatione sapere nihil audeas, non quia diabolo et daemonibus invidemus et eo modo quasi vicem malevolentiae illis rependimus, cum illi non ob aliud nisi invidentiae stimulis exagitati nostra itinera, quibus in Deum tendimus, perturbare conentur, sed quia ultimae sententiae summi et veracis judicis ex nostra praesumtione nihil addere debemus.* Sed de hac quaestione inferius in tract. de inferno plenius dicetur.

Quaesti 1. Utrum peccata piorum aeque a impiorum in judic sint pub canda?

63. Quaeritur circa formam judicii 1. *Utrum peccata piorum ac salvandorum aeque ut impiorum ac infidelium in judicio sint publicanda?* Qui affirmant, urgent 1. *generalia Scripturae pronuntiata*, tum respectu *objecti realis*, quae omnia omnino in judicio manifestanda esse asserunt. Eccles. 12, v. 14: *Omne opus adducet Deus in judicium, etiam omne occultum, sive bonum sive malum.* Matth. 12, v. 36: *De quolibet verbo otioso rationem reddent homines in die judicii.* Luc. 8, v. 17: *Nihil est occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur et in manifestam lucem veniat.* Rom. 2, v. 16: *Judicabit Deus occulta hominum secundum evangelium.* 1. Cor. 4, v. 5: *Illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium;* tum respectu *objecti personalis*, quae omnes homines judicio Dei sistendos ac proinde causam ipsorum ab omnibus cognoscendam asserunt. Rom. 14, v. 10. 2. Cor. 5, v. 10: *Omnes statuemur ante tribunal Christi.* Rom. 14, v. 12: *Quisque pro se rationem reddet Deo.* Gal. 6, v. 5: *Unusquisque onus suum portabit.* Confer ea, quae de objecto extremi judicii dicta superius §. 47. 2. *Apertionem librorum* in die judicii secuturam Dan. 7, v. 10. Apocal. 20, v. 12. illa enim omnium occultorum manifestationem divina virtute faciendam arguit. 3. *Judicis Christi justitiam;* judicabit orbem terrarum *in justitia* Act. 17, v. 31. neminem ergo inaudita causa vel absolvet, vel damnabit. 4. *Manifestationis illius commodum*, quia cedet hoc in majorem divinae bonitatis laudem et uberiorem gratiae commendationem, quod poenitentes peccatores non solum in gratiam receperit, sed etiam regni sui consortes eos facere velit. 5. *Simile exemplum*, quod hominum etiam sanctissimorum peccata in sacris literis annotata et publicata, tum ob διδασκαλίαν, ut sanctos etiam peccatorum remissione indigere

agnoscamus Rom. 15, v. 4; tum ob ἔλεγχον, ut convincantur, qui propriis meritis hominem coram Deo justificari volunt; tum ad παράκλησιν, ut qui *in peccata prolapsus est, non desperet visis tot, qui resipuerunt et ad summum virtutis apicem pervenire potuerunt* 1. Timoth. 1, v. 13; tum ad παιδείαν et ἐπανόρθωσιν, ut in vero Dei timore caute et solicite ambulemus 1. Cor. 10, v. 12. Ad hoc enim peccata magnorum virorum scripta sunt, ut ubique tremenda sit apostolica illa sententia: *Qui stat, videat, ne cadat.* Nutantibus enim columnis, quis non contre-
XIX. 209. miscat? 6. *Contrariae sententiae nocumentum.* Qui peccata quaedam in die judicii revelanda negat, securitati fomentum oblique suppeditat. 7. *Ecclesiae doctorum suffragium.* Multi ex veteribus ecclesiae doctoribus statuunt, omnia tam piorum quam impiorum facta, dicta, cogitata in die judicii esse manifestanda. Atque hanc sententiam amplectuntur non solum Pontificii (Thomas in supplem. q. 87. art. 2. Osorius tom. 1. conc. p. 8: *Dubitas, an justorum peccata revelanda sint in judicio? Licet quidam in dubium revocent, certum est tamen, revelanda esse, sed non ad confusionem, quoad hoc enim celanda sunt. Sed quomodo teguntur, si omnibus manifestuntur? respondetur verbo. Pretiosa vestis reginae facta rumpitur forte aliqua parte, num ideo rejicienda et perdenda omnino illa vestis est? absit, resumit vestem sartor et locum rupturae coaptat ibique aurum, gemmas, lapillos pretiosos apponens sic vestem ornat, ut ruptura nil indecorum videatur, nec casu factam credet, sed consulto quidem, ut tam pretiosis lapidibus splenderet. Sic justo, qui vestis est Christi, continget.* tom. 2. concion. p. 119: *Sicut cum pretiosi vasis pes fractus est, ne projiciatur et pereat omnino, ei apponitur basis aurea et majoris valoris et decoris efficitur; sic fractura bonorum non est insanabilis, sanata est poenitentia, gratia, virtutibus, quibus pulchrior redditur justus.* Barradius tom. 3. conc. evang. lib. 9. c. 18. p. 604: *Peccata etiam per poenitentiam obliterata patefient omnibus in judicio, alioqui ipsa poenitentia, per quam obliterata sunt, non patefieret, quod falsum est, ac praeterea laterent maxima Dei beneficia, nimirum auxilia, quibus lapsos justos in gratiam extulit, neque constaret judicii integritas, siquidem non venirent in judicium peccata multa, quae supplicio digna erant, nisi poenitentia abolerentur.* Josephus a Costa lib. 4. de novissim. temp. c. 24. p. 644: *Multi dubitant, an ea etiam scelera vel peccata, quae justi olim patrarunt et per Dei clementiam poenitentia legitima remissa sunt, sint eo die patefacienda in illo magno mirabilique conventu. Nam et Magister sententiarum sentit, non esse publicanda, verum puerilis est haec cogitatio et ab illa novae vitae immutatione alienissima, patebunt sane omnia, quae egimus et bona et mala, neque de bonis quidquam accipient consolationis impii, neque de malis pudoris boni*); sed etiam quidam ex nostris, ut apparet ex tractatu Jonae Heuleri, quem de hac quaestione in publicum edidit.

64. Negantem quaestionis partem statuunt plerique omnes ex nostris Rungius in 2. Cor. 5. Osiander in c. 20. Apocal. Harbartus in disp. Lipsiens. in art. de extremo judicio th. 21. etc. pro qua stabilienda adduci possunt sequentia argumenta: 1. *a processu judiciali* Matth. 25. descripto. In eo enim pii ad dextram judicis Christi collocati audiunt non peccatorum suorum publicationem sed bonorum operum enumerationem. 2. *A Dei gratuita promissione et misericordia.* Illa enim sic describitur, quod *peccatorum nostrorum nolit recordari amplius* Esa. 43, v. 25. Jerem. 31, v. 34. Ezech. 18, v. 22. jam vero quorum Deus non amplius recordatur, ea quoque non revelabit in judicio; quod *peccata nostra projiciat post tergum suum* Esa. 38, v. 17. jam vero quae Deus post tergum suum projecit et a conspectu suo quasi removit, ea non producet in angelorum et hominum intuitum; quod *projiciat peccata nostra in profundum maris* Mich. 7, v. 19. hoc est in abyssum misericordiae suae et infiniti meriti Christi;
jam vero quae in profundum maris sunt projecta, XIX. 10.
ea non iterum eruuntur et in lucem producuntur; quod *deleat ut nubem praevaricationes nostras* Esa. 44, v. 22. jam vero quae instar nubis ac nebulae dissipantur, ea non possunt amplius videri ac conspici. 3. *A Dei immutabilitate.* Quod Deus in hac vita condonavit, illud in extremo judicio non revocabit ad calculos; quod in hac vita tectum voluit, illud in die judicii non manifestabit, ipse enim *Deus est et non mutatur* Malach. 3, v. 6. *non est quasi filius hominis, ut poeniteat eum* Num. 23, v. 19. 1. Sam. 15, v. 29. Potest sane peccatorum remissio semel impetrata per peccata contra conscientiam admissa iterum fieri irrita, sed hoc in vere piis et renatis a peccatis contra conscientiam sibi caventibus vel post eorum commissionem ad Deum se convertentibus inque poenitentia et fide ad finem usque vitae perseverantibus locum non habet. Confer Feurbornum in fascic. 2. disput. 4. 4. *A judicis erga pios affectu.* Christus constitutus vivorum ac mortuorum judex veniet piis *ut redemtor* Luc. 21, v. 28. Roman. 8, v. 23. *ut salvator* Matth. 25, v. 35. Joh. 14, v. 3. *ut advocatus* Rom. 8, v. 34. 1. Joh. 2, v. 1. *ut coronae ac brabei distributor* 2. Timoth. 4, v. 8. Apocal. 2, v. 10. ergo non ut severus judex peccata piorum in publicum omnium conspectum producens et ad rigidum examen eadem vocans. Advocati enim est peccata clientis non propalare sed tegere, non accusare sed excusare, non redarguere sed patrocinari. Christus est piorum *amicus* Joh. 15, v. 15. et *frater* Joh. 20, v. 17. jam vero amici ac fratris est peccata non manifestare sed occultare; est ipsa *caritas* 1. Joh. 4, v. 8. jam vero *caritas universa operit delicta* Proverb. 10, v. 12. 1. Petr. 4, v. 8. 5. *A Christi officio.* Ipse enim utpote unicus Dei et hominum mediator peccata nostra in se recepit ac perfectam pro illis satisfactionem prae-

stitit, quam credentes vera fide sibi applicarunt, Esa. 53, v. 5. Joh. 1, v. 29. Rom. 4, v. 25. 2. Cor. 5, v. 19. et 21. 1. Petr. 2, v. 24. Atqui si piorum peccata in judicio revelaret, contra hoc officium suum ageret, quia revelaret ea peccata, quae eo fine sibi imponi passus est, ut pro illis abolendis ac tollendis sufficientissimum *λύτρον* praestaret. Ipse est verum *propitiatorium* Rom. 3, v. 25. quod peccata contra tabulas divinae legis commissa tegit et abscondit, sicut Mosaicum propitiatorium arcam foederis et decalogi tabulas in ea repositas tegebat, unde etiam כַּפֹּרֶת, *tectorium* vel *opertorium*, appellatur Exod. 25, v. 20. 6. *A conversorum exemplo.* Qui in hac vita per veram poenitentiam ad Deum fuere conversi, illis non exprobravit peccata, sed juxta promissionem suam eorum non fuit recordatus amplius, ac tractavit eos velut indulgentissimus ac mitissimus pater, qui degenerem filium ad meliorem frugem se recipientem obviis ulnis excipit nulla exprobratione prioris vitae antegressa Luc. 15, v. 20. quinimo per Siraciden praecepit, quod peccatum admissum non debeat exprobrari illi, qui serio resipiscit Eccles. 8, v. 6. 7. *A piorum conditione.* Illi enim sic describuntur, quod *non sint judicandi* Joh. 3, v. 17. quod *non sint venturi in judicium, sed transierint a morte ad vitam* Joh. 5, v. 24. quod *habeant vitam aeternam* Joh. 3. v. 36. 1. Joh. 5, v. 12. quod *nulla in ipsis sit condemnatio* Rom. 8, v. 1. quod *sint abluti, sanctificati, justificati* 1. Cor. 6, v. 11. quod *sint nova in Christo creatura* 2. Cor. 5, v. 17. quod *sint cum Christo conspiciendi in gloria, quando ipse gloriosus apparuerit* Col. 3, v. 4. quod *nullus sit, qui ipsos accusare vel con-*
XIX. 211. *demnare possit* Rom. 8, v. 33. quod peccatorum remissionem in hac vita per fidem impetraverint, in morte autem ac cinefactione a peccati fomite et radice penitus liberati sint Rom. 6, v. 7. quod resurrecturi sint cum corporibus glorificatis ab omni peccati labe purgatis ac liberis 1. Cor. 15, v. 43: *nec maculam nec rugam* amplius habentes Ephes. 5, v. 27. Quomodo igitur peccata ipsorum in judicium protrahentur, quomodo ad examen vocabuntur, quomodo revelabuntur? 8. *A norma judicii.* Pii non judicabuntur vel condemnabuntur ex lege, absolutoriam audient sententiam ex evangelio. Si enim ex lege judicandi essent, salutis participes reddi non possent, cum lex maledictionis fulmen vibret in omnes, qui non perfectam obedientiam ei praestiterunt, Deut. 27, v. 26. Gal. 3, v. 10. Jam vero non ex evangelio, *sed ex lege est peccati agnitio* Rom. 3, v. 20. in quem locum Ambrosius sic commentatur: *Per legem peccati agnitio, per evangelium abolitio.* Ergo peccata piorum in die judicii non agnoscentur, non revelabuntur, non judicabuntur. Evangelium nulla in piis agnoscit aut examinat peccata, sed eadem veste justitiae Christi tecta esse pronuntiat. Ergo etiam judicandorum juxta evangelii normam peccata in judicio non manifestabuntur. 9. *Ex consequente incommodo.* Si peccata piorum in judicio coram angelis et hominibus manifestarentur, cederet hoc in ipsorum ignominiam; fieri enim nequit, ut peccatorum conspectus atque intuitus eos non det in ruborem ac pudorem, cum non amittant suam nativam indolem, quae est, quod sint legis divinae transgressiones Deo adversae. Jam vero a piis in die judicii exsulabit omnis ignominia, resurgent enim *in gloria* 1. Cor. 15, v. 44. apparebunt cum Christo *in gloria* Col. 3, v. 4. erunt *ἰσάγγελοι* Matth. 22, v. 30. imo *Deo similes* 1. Joh. 3, v. 2. 10. *A causae necessariae defectu.* Nulla potest dari causa sufficiens ac necessaria, propter quam peccata piorum revelanda et ad examen judicii sint vocanda. Sive enim Deum respiciamus, sive judicem Christum, sive ipsos pios, nihil quidquam occurrit, quod revelationem illam peccatorum requirat. Deus non ex malis sed bonis piorum operibus in lucem producendis et gratis remunerandis laudem bonitatis, veritatis et justitiae accipiet 2. Thess. 1, v. 7. Christus impiis ad sinistram constitutis neglectum operum misericordiae exprobrabit, pios vero ad dextram constitutos ob misericordiae opera praestita laudabit. Piorum non ex malis operibus ignominia, sed ex bonis ipsorum factis tanquam verae fidei fructibus gloria revelabitur Roman. 2, v. 7. 1. Petr. 1, v. 7. Ephremus lib. de poenit. c. 5: *Deus altissime, qui solus sine peccato es, tribue mihi peccatori gratiam in illa hora propter multas miserationes tuas, ne tunc appareat, quae nunc velata est iniquitas mea coram exspectatoribus angelis et archangelis, prophetis et apostolis, justis et sanctis, sed salva me impium gratia et misericordia tua et induc me in paradisum deliciarum.* Confer Biesenthalium in enodatione hujus quaestionis Rostoch. anno 1617. edita, ubi omnia argumenta ad quatuor fontes revocat, ad causam scilicet judicii *efficientem, materialem, formalem ac finalem.*

65. Ad argumenta, quae in contrarium adducta, ex dictis respondere in proclivi est. 1. *Omnia in judicio manifestanda esse* accipiendum est non *collective*, quasi tam piorum quam impiorum peccata
sint omnibus revelanda, sed *distributive*, quod pio- XIX. 212.
rum bona opera, impiorum vero mala opera etiam sine testibus vel arbitris facta in claram lucem collocanda sint, ut ex processu judiciali Matth. 25, v. 34. et seqq. colligitur. Origenes homil. 9. in diversos: *Et peccatores cognoscent in conspectu suo sua delicta et justi manifeste videbunt semina justitiae suae, ad qualem eos perduxerunt finem. Omnes judicio Dei sistendos esse* ac rationem factorum ab ipsis exigendam, intelligendum est cum hac declaratione a Christo ipso addita, quod pii non sint in judicium damnatorium venturi nec severo examine judicandi Joh. 3, v. 18. c. 5, v. 24. *rationem ergo reddent suae villicationis* Matth. 25, v. 19. Rom. 14, v. 12. sed non male, verum bene administratae, ideo etiam *coram Filio hominis consistere poterunt* Luc. 21, v. 36. atque audient laetissimam illam *προσφώνησιν* Matth. 25, v. 21: *Euge serve bone et fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa constituam te, intra in gaudium Domini tui.* Venient

pii in judicium coram tribunali Christi *comparendo* Rom. 14, v. 10. 2. Cor. 5, v. 10. *rationem reddendo* Rom. 14, v. 12. *sententiam absolutoriam audiendo* Matth. 25, v. 34. *laudem et praemia accipiendo* Matth. 25, v. 21. 1. Cor. 4, v. 5. 2. Cor. 5, v. 10. non venient in judicium Joh. 5, v. 24. *sententiam damnatoriam audiendo, poenam sustinendo, ignominiam ex peccatorum revelatione et accusatione percipiendo.* 2. Inter libros in judicio aperiendos est *liber vitae* Apocal. 20, v. 12. cui per veram fidem pii sunt inscripti; jam vero qui in Christum credunt, illi non venient in judicium; est inter eos *liber evangelii*, juxta cujus normam judicium instituetur Rom. 2, v. 16. jam vero pii crediderunt evangelio, proinde etiam juxta scripturam hujus libri absolventur, non autem condemnabuntur, tecta erant ipsorum peccata, non revelata. Distinguenda igitur dicta legalia ab evangelicis proprie sic dictis: legale est, *rationem reddent homines in die illo de quovis verbo otioso;* evangelicum est, *qui credit, non venit in judicium;* legale est, *thesaurizas tibi iram in die revelationis justi judicii;* evangelicum est, *attollite capita vestra, quia appropinquat redemtio vestra.* 3. *Christus neminem inaudita causa absolvet vel condemnabit*, sed ex eo inferri nequit, etiam piorum peccata esse manifestanda, sed hoc tantum sequitur, quod piorum bona opera tanquam fructus et *τεκμήρια* incredulitatis in publicam lucem producturus sit ac secundum opera quemlibet judicaturus. 4. Illustrius ac manifestius divinae misericordiae testimonium in eo conspicitur, quod peccata poenitentibus tam plene ac perfecte remittit, ut ea projiciat in profundum maris, ut eorum non amplius recordetur, ut deleat ea velut nubem etc. 5. Fines, propter quos lapsus sanctorum in scripturis annotati sunt, non amplius locum habebunt in die judicii, cum nullus amplius futurus sit locus poenitentiae vel indulgentiae, *sed clausa erit janua* Matth. 25, v. 10. 6. Impii tota doctrina evangelica pessime abutuntur ad securitatem, sed abusus rei non tollit ipsam substantiam. 7. Dictis veterum opponimus illud Lombardi 4. sentent. distinct. 42. lit. D: *Si quaeritur, utrum peccata, quae fecerunt electi, prodeant tunc in notitiam omnium, sicut mala damnandorum omnibus erunt nota, non legi hoc expressum in Scriptura, unde non irrationabiliter putari potest, peccata hic per poenitentiam tecta et deleta, illic etiam tegi aliis, alia vero cunctis propalari.* 8. Pii coram Dei judicio non confident propriae justitiae, quae est vestis lacera ac disrupta, immo immunda, quia *super vestem justitiae propriae jugiter stillamus variorum peccatorum saniem*, ut ex Bernhardo et Gersone loquitur Adrianus de Trajecto, sed consistent ac Deo placebunt in pretiosissima ac purissima veste justitiae Christi, quam per fidem induerunt Galat. 3, v. 27. Apocal. 19, v. 8. c. 21, v. 2. ideoque nec macula nec ruga, multo minus ulla in hac veste apparebit ruptura Eph. 5, v. 27. sed teget universa piorum delicta, quo minus in Dei, angelorum et hominum conspectum veniant.

66. Quaeritur 2. *An pii peccatorum suorum in die judicii recordaturi sint?* Lombardus 4. sent. dist. 42. lit. D. sic respondet: *Quaedam auctoritates videntur tradere, bonos non habituros tunc memoriam praecedentium malorum, id est peccatorum vel tormentorum, ait enim Esaias: Ego creo coelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora et non adscendent super cor, sed gaudebitis in aeternum* c. 65, v. 17. Item *oblivioni traditae sunt angustiae priores et absconditae ab oculis nostris* v. 16. in quae verba sic commentatur Hieronymus lib. 18. in Esaiam: *Oblivioni tradentur priora mala, quia forsitan in futuro pristinae conversationis memoria omnino delebitur succedentibus bonis aeternis, ne sit pars malorum prioris angustiae memorari. Sed haec*, ait Lombardus, *et his similia sic accipi possunt, ut non excludant memoriam praecedentium malorum, sed ex ea molestiam et laesionem amoveant, non enim eorum memoria sanctos contristabit vel eorum beatitudinem obfuscabit, sed gratiores Deo reddet.* Augustinus lib. 22. de civ. Dei c. 30: *Voluntas beatorum oblita culparum, oblita poenarum, nec tamen ideo suae liberationis oblita, ut liberatori suo sit ingrata. Quantum ergo attinet ad scientiam rationalem, memor praeteritorum etiam malorum suorum, quantum autem ad experientis sensum, prorsus immemor. Nam et peritissimus medicus, sicut arte sciuntur, omnes fere morbos corporis novit, sicut autem corpore sentiuntur, plurimos nescit, quos ipse non passus est etc.* Gregorius in enarrat. Psalm. 88: *Quomodo in aeternum misericordias Dei canit, qui miseriae non meminit? quomodo autem plena beatitudo, si memoria reatus mentem tangit? sed saepe laeti tristium meminimus et sani dolorum meminimus sine dolore et inde amplius laeti et grati sumus.* Idem Gregorius in fine lib. 4. explanationum in Jobum c. 31. alias 42: *Quaerendum est, quomodo electorum mens perfecta esse in beatitudine poterit, si hanc inter gaudia sui reatus tangit memoria? Sed sciendum est, quod sicut saepe nunc tristium laeti reminiscimur, ita tunc transactae nequitiae sine laesione nostrae beatitudinis recordabimur. Plerumque enim incolumitatis tempore ad memoriam dolores praeteritos sine dolore reducimus et quo aegros nos recolimus, eo nos incolumes plus amamus; erit ergo in illa beatitudine culpae memoria, non quae mentem polluat, sed quae nos arctius laetitiae adstringat, ut dum doloris sui animus sine dolore reminiscitur et debitorem se medico verius intelligat et eo magis acceptam salutem diligat, quo molestiae meminit, quam evasit. In illa itaque laetitia sic tunc sine taedio mala nostra conspicimus, sicut nunc in luce positi sine ulla cordis caligine animo tenebras videmus.* Ex his apparet, quod si piorum malorum memoriam sancti habebunt in futuro, non eis tamen erit ad poenam vel gloriae derogationem, sed gratiarum actionem. Ergo nec peccatorum, quae pii in hac vita commiserunt, nec adversorum, quae per- XIX. 214.
pessi sunt, recordatio ullam piorum animis ingenerabit

Quaestio 2. An pii peccatorum suorum in die judicii sint recordaturi?

tristitiam; non illorum, quia non recordabuntur duntaxat peccatorum suorum, sed etiam condonationis eorum a divina misericordia impetratae, per quam ex gurgite illo, in quo multi sunt suffocati ac submersi, benignissime fuere liberati, quod ipsum ad majorem divinae gratiae laudem eos inflammabit; ac quamvis ex peccati recordatione non possit non oriri in piis quaedam displicentia, illa tamen nec molestiam nec dolorem nec tristitiam ipsis afferet, quia conjuncta erit cum vitae aeternae laetitia et praesentissima Dei visione, quae omnem tristitiam excludit ac instar maris absorbet; nec horum, quia *passiones gloria illa*, quam consecuti sunt, *non esse condignas* animadvertunt Rom. 8, v. 18. ideoque aeternum et infinitum *illud gloriae pondus momentaneum ac leve tribulationis penitus* in ipsorum animis deprimit 2. Cor. 4, v. 17.

Quaestio 3. An per aliquot dies protrahendum sit judicium?

67. Quaeritur 3. *An per aliquot dies protrahendum sit illud judicium?* Mahumet in Corano perquam absurde et ridicule judicii extremi continuationem *ad quinquaginta millia annorum* extendit. Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 1. ante med. in medio hanc quaestionem relinquit: *Quod in confessione ac professione tenet omnis ecclesia Dei veri, Christum de coelo esse venturum, ad vivos ac mortuos judicandos, hunc divini judicii ultimum diem dicimus, hoc est novissimum tempus. Nam per quot dies hoc judicium tendatur, incertum est, sed Scripturarum more sanctarum diem poni solere pro tempore nemo, qui illas literas quamlibet negligenter legerit, nescit.* Sed cum judicii tempus ubique in Scripturis dicatur ἡ ἡμέρα et quidem ἐσχάτη, cumque judici futuro omnia sint notissima, qui nullo indigebit vel testium examine vel reorum confessione quique sententiam latam exsecutioni mox daturus est, ideo verisimilius censemus, judicium extremum non per aliquot dies protrahendum, sed unico die divinitus determinato instituendum Actor. 17, v. 31. Neque tamen *in ictu oculi et momento* judicium sicut resurrectio instituetur (in quam sententiam inclinat Origenes tractat. 7. in Matthaeum: *Tempus futuri judicii non opus habebit spatio temporis, sed sicut resurrectio dicitur futura in momento, in ictu oculi, sic puto judicium fore*); quia Daniel 7, v. 9. Apocal. 20, v. 4. *judicium dicitur sedisse*, ac disceptatio illa, de qua Matth. 12, v. 41. et 42. ac ipsa sententiae promulgatio utrique parti ferenda moram aliquam requirere videtur. Sed frustra disputatur, an per aliquot dies duraturum sit judicium, *quia tunc instituetur, quando omnis dierum distinctio desinet.*

Quaestio 4. An sententia voce audibili proferenda?

68. Quaeritur 4. *An sententiae promulgatio voce externa ab omnibus audienda, an vero interius duntaxat in cujusque conscientia sit futura?* Quidam affirmant posterius: *Rex regum*, ait Remigius in comm. Matth. 25. *sine strepitu verborum loquetur, hoc est manifestabit conscientias et merita dicetque per collationem gloriae, venite beneficio Patris mei promoti ad obtinendum regnum vitae.* Thomas in supplem. quaest. 88. articul. 2: *Cum prope infinitum tempus requireretur in judicio universali, si per locutionem fieret vocalem, probabilius est, non per locutionem sed mentaliter futurum ultimum judicium, et quoad accusationem malorum* XIX.
et commendationem bonorum et quoad discussionem et quoad sententiam de utrisque. Non est existimandum, inquit Jansenius in harmon. evangel. c. 127. *omnia sic ad literam eventura, quae hic narrantur, ut haec verba praecise sint ultro citroque proferenda, a judice et judicandis, sed hac narratione Dominus suum sermonem nostro accommodans captui significare voluit novissimi judicii rationem. Proinde non sensibili voce necesse erit dicere, esurivi, sitivi etc. sed effectu ipso Christus haec dicet hominibus, cum singulorum hominum opera et sibi ipsis et omnibus nota faciet.* Salmeron. inter parabolas hanc evangelicam pericopen interpretatur. Argumenta pro hac sententia formari possunt hujusmodi: 1. Christus in toto capite 25. Matth. per parabolas de hoc judicio disserit. Proponit enim primo parabolam *de decem virginibus*, cui deinde subjungit parabolam *de divite rationem talentorum ipsis concreditorum a servis suis exigente*, ac tandem ad hanc de modo et forma extremi judicii concionem descendit. Hanc rationem urget Lyranus. 2. Non videtur verisimile, Christum cum damnatis in die judicii ultro citroque verba commutaturum atque ad ipsorum querelas et replicas quidquam esse responsurum. Significatur igitur, impios tunc admiraturos et re ipsa experturos, facta sua longe aliter expendenda et reputanda, quam modo ipsi ea reputabant; sicut e converso et illud, quod in parte priore justi introducuntur dicturi, *Domine quando te vidimus esurientem etc.* non est eo sensu accipiendum, quasi suam de operibus suis sententiam a Christi sententia sejungere velint, vel quasi ignoraverint, Christum in membris suis cibari ac potari, sed quod per hypothesin quandam significetur tum ipsorum *humilitas*, quod opera sua non aestiment tanta remuneratione digna, sicut et Apocal. 4, v. 10. electi sic describuntur, *quod mittant coronas suas ante thronum Agni, dicentes*, (non nos coronas illas meritis nostris obtinuimus, nec nos illis digni sumus, sed) *tu Domine Deus noster dignus es accipere gloriam et honorem et virtutem*, ut sint nobis exemplo, quam humiliter de nobis ac nostris operibus sentire, nequaquam vero ea pro causis vitae aeternae meritoriis habere debeamus; tum ex humilitate orta *admiratio*, qua stupebunt, opera sua tanti a Christo aestimari, ut sibi impensa statuat, quae se illius personae non recolent impendisse. Beda in comm.: *Sancti dicunt haec, sive gloriam Christi mirantes, sive quod parum eis tunc videtur omne bonum, quod fecerunt pro magnitudine terroris et abundantia retributionis.* Glossa ordinaria Matth. 25: *Non dissidentes de verbis Domini hoc dicunt justi, sed vel stupentes pro magnitudine majestatis Regis, vel quia parum videtur illis omne opus bonum, quod fecerunt.* 3. *Quia cogitationes hominum se invicem accusaturae vel defensurae* dicuntur *in die,*

qua judicabit Deus occulta hominum Rom. 2, v. 15. et 16. ergo causae cognitio, quae in operum quasi testium examine versatur, intus in sola mente absque vocis sono peragenda videtur. Haec ergo, quae utrobique commemorantur, pii videntur dicturi non voce sed mente; non externa verborum prolatione, sed interna mentis admiratione. 4. Dicuntur *libri aperiendi et mortui judicandi* ex his, quae scripta sunt in libris *secundum opera ipsorum* Apocal. 20, v. 12. per quos libros plerique veterum intelligunt singulorum hominum conscientias, quibus divina justitia in memoriam reducet singulorum opera eaque in publicam lucem collocabit, ut quisque juste secum actum esse intelligat. 5. Aut omnes respondebunt Christo, aut singuli. Si omnes, perturbata erit quaedam vociferatio; si vero singuli, longo opus erit temporis tractu. 6. Nonne satis erit sanctos interrogare, quorsum post datum responsum idem interrogaturi dicuntur reprobi? an non ex dato sanctis responso perspicue intelligent, Christo se non fecisse, quod pauperibus fuit denegatum?

69. Sed verisimilior nobis videtur eorum sententia, qui statuunt, si vel maxime non sint omnia iisdem verbis, quae in processu illo judiciali habentur, peragenda, quaedam tamen a judice prolatum iri verba exterius ab omnibus audienda, quibus et justos ad praemia vocet et injustos inferno adjudicet, ut hac ratione *aliquid parabolae* Christi concio contineat praesertim in parte posteriore, non autem tota etiam in priore parte sit parabolica. 1. Quia Christus a parabolis ad historicam narrationem ac propheticum vaticinium in descriptione processus judicialis descendit, nec ullo verbo significat, se parabolam quandam texere, sed historiam rei futurae exponere. 2. Sicut adventus Filii hominis in majestate, angelorum circa ipsum comitatus, sessio judicis super sedem majestatis, congregatio omnium hominum ad ipsius tribunal eorundemque in duas classes disseparatio non sunt parabolice et mystice, sed literaliter et proprie intelligenda; ita quoque sententiae definitivae promulgatio utrique parti ferenda non est in parabolam vel allegoriam transformanda, sed secundum literam accipienda. 3. Christus non tantum ut deus, sed etiam ut homo judicium illud administrabit. Ut ergo judex erit visibilis et conspicuus, ita quoque sententiam proferet audibilem. Dionysius Carthusianus in comment. c. 25. Matth.: *Judicium hoc erit et mentale interius et vocale exterius, quia judicabit Christus non tantum ut deus, sed etiam ut homo, ideo ejus judicium erit non divino tantum modo sed et humano.* 4. Sicut resuscitationem mortuorum Christus solo nutu et imperio perficere posset, interim tamen placuit ipsi vocem sensibilem tanquam efficax medium adhibere Joh. 5, v. 28. 1. Thess. 4, v. 16. ita quoque judicium illud novissimum posset interius coram conscientiae tribunali peragere, sed placuit ipsi exterius sententiam in angelorum et hominum panegyri publice promulgare. 5. Judicandi sistentur coram tribunali Christi Rom. 14, v. 10. 2. Cor. 5, v. 10. non tantum subjectione interiore, sed etiam situ coporali exteriore, *quia flectent genua sua coram Christo judice* Esa. 45, v. 23. Rom. 14, v. 11. Phil. 2, v. 10. ergo etiam judicii sententiam audient non solum interius in conscientia, sed etiam exterius in certa verborum forma. 6. Judicium hoc non absolvetur unico momento, sed tractu quodam temporis, ut in quaestione proxima ostendimus. 7. Exterior illa definitivae sententiae in voce audibili promulgatio ad majus gaudium sensibile bonorum et ad majorem dolorem sensibilem reproborum cedet, ideoque non erit frustranea. Interim tamen in his et similibus quaestionibus semper repetimus illud Augustini lib. 20. de civ. Dei c. 30: *Quo modo atque ordine judicium illud sit futurum, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet ad perfectum consequi hominum intelligentia.*

70. Quaeritur 5. *Quae futura sit judicii illius norma?* In omni judicio requiritur certa quaedam norma ac regula, juxta quam absolutoria vel condemnatoria sententia feratur. Illa in novissimo judicio erit 1. *non humanae rationis arbitrium*, juxta quod quidam ex Pontificiis et Calvinianis saniores gentiles, fide in Christum destitutos, ad dextram cum ovibus collocandos et ad consortium regni coelestis vocandos esse praepostere statuunt; 2. *nec absolutum Calvinianorum decretum*, quo absoluta Dei gratia electos ad dextram, absoluto vero odio reprobatos ad sinistram collocant; 3. *nec Pontificium bonae intentionis et meritorum humanorum commentum*, quo statuunt, quaevis opera bona intentione facta, licet verbo divino minime sint praecepta, Deo grata et vitae aeternae compensatione ex merito esse digna; 4. sed unice et in solidum *Christi verbum* Joh. 12, v. 48. Hebr. 4, v. 12. vel, quod idem est, *evangelium* Rom. 2, v. 16. Cum vero evangelii vox quandoque accipiatur γενικῶς ac *generaliter* pro toto doctrinae coelestis a Christo, prophetis et apostolis praedicatae systemate, quandoque vero εἰδικῶς ac *specialiter* pro doctrina de gratuita peccatorum remissione propter Christum credentibus promissa et oblata; ideo statim quaeritur, an in priore, an vero in posteriore significatu evangelium accipiatur, quando norma judicii statuitur. Respondemus autem, accipi in significatione priore, ita ut *verbum Christi* Joh. 12, v. 48. denotet totam doctrinam Christi ac *vox evangelii* Rom. 2, v. 16. totam doctrinam Pauli, ab ipso praedicatam et in Scripturas redactam. Cum enim duae hominum classes coram judicio comparriturae sint, quarum una absolvetur et praemiis ornabitur, altera vero condemnabitur et suppliciis afficietur, ideo pro ratione distinctarum harum classium distincta quoque erit judicii norma. Pii judicabuntur *ex evangelio* specialiter et proprie sic dicto, impii *ex lege* per evangelii lucem collustrata, id quod sequenti comprobatum et expositum damus ratione. Sententia in universali illo judicio promulganda nihil aliud est quam *manifestatio decreti* de salute finaliter credentium et damnatione finaliter impoenitentium et incredulorum

Quaestio 5. Quaenam futura sit judicii illius norma? XIX. 217

ab aeterno facti, itemque sententiae in ministerio verbi de salute et condemnatione singulorum hominum jam ante pronuntiatae. Jam vero testatur tota Scriptura sacra, decretum electionis factum esse intuitu fidei, Christum mediatorem, qui pro peccatis nostris satisfecit et salutem nobis promeruit, apprehendentis; decretum vero reprobationis factum esse intuitu finalis impoenitentiae et incredulitatis, quam lex evangelii luce collustrata arguit et damnat. Testatur eadem Scriptura, pios non verbo legis, *quia lex non est ex fide* Gal. 3, v. 12. sed verbo evangelii propter Christum fide apprehensum a peccatis fuisse absolutos ac justos pronuntiatos; impios ex lege peccata arguente et accusante fuisse damnatos. Ergo etiam pii verbo evangelii a peccatis absoluti in die judicii declarabuntur ac manifestabuntur, contra vero impii ex lege per evangelium collustrata in die judicii damnati pronuntiabuntur ac manifestabuntur. Id ipsum colligitur ex sententiae promulgatione utrique parti ferendae. Piis ad dextram constitutis Christus dicet: *Venite.* Atqui vox evangelii est amica et blanda illa vox, per quam Christus tum in hac vita, tum in die judicii nos ad se vocat: *Venite benedicti.* Atqui post lapsum benedictio *non est ex lege et ex operibus legis*, sed ex
XIX. 218. evangelio et ex fide. Gal. 3, v. 9: *Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham,* v. 10. *quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt etc. Venite benedicti Patris mei.* Atqui in evangelio paternus Dei affectus in Christo et propter Christum dilectum suum Filium nos complectentis nobis revelatur. Eph. 1, v. 6: *Ex gratia nos dilexit in dilecto. Possidete* hereditatis loco regnum. Atqui υἱοθεσία, cui hereditas coelestis conjuncta, est ex fide per verbum evangelii in cordibus accensa. *Lex autem non est ex fide* Gal. 3, v. 12. *hereditas non est ex lege* v. 18. ac regnum gloriae non per legem, sed per evangelium nobis offertur. Lex promittit quidem salutem et vitam aeternam, sed cum conditione perfectae obedientiae, quam cum in hac vita nemo praestare possit, ideo legis promissiones nobis redduntur inutiles. *Possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi,* per aeternam scilicet electionem. Atqui gratuitae illius electionis decretum non in lege sed in evangelio nobis proponitur. Ex quibus omnibus apparet, pios non ex lege, sed ex evangelio judicandos et in judicio absolvendos. Impiis ad sinistram constitutis Christus dicit: *Ite maledicti.* Atqui legis proprium est accusare, terrere, maledictionem et condemnationem annuntiare. Rom. 4, v. 15: *Lex iram operatur.* Gal. 3, v. 10: *Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt; scriptum est enim, maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis. Ite in ignem aeternum, paratum diabolo et angelis ejus.* Atqui diabolus voce legis infernali supplicio propter inobedientiam adjudicatus est. Ergo etiam impii voce legis erunt judicandi et condemnandi. Addimus et illud, quod sententia judicii absolutoria piis ferenda non sit alia et nova quaedam absolutio, sed absolutionis in terra per ministerium verbi evangelici ipsis factae solennis publicatio, promulgatio et confirmatio, ut colligitur ex dictis Christi: *Qui credit, non judicatur; quod remiseritis in terra, remissum erit in coelo.* Sicut in novissimo die credentes non demum fiunt *filii Dei et heredes vitae aeternae*, sed tales jam ante in hac vita facti per fidem publice declarabuntur et una cum corporibus suis ex pulvere terrae suscitatis et animabus redunitis in coelestis gloriae plenariam possessionem introducentur; sic ista judicis voce non demum tribuetur illis vita aeterna, quippe quam jamdum in hac vita habent Joh. 3, v. 36. c. 6, v. 40. 1. Joh. 3, v. 2. c. 5, v. 12. sed jam dudum assignata publice in angelorum et hominum conspectu manifestabitur. Sententia judicii damnatoria contra impios ferenda itidem non est alia et nova quaedam damnatio, sed damnationis in terra per legem ipsis annuntiatae solennis testificatio, propalatio et ratihabitio. Ergo non erit alia judicii norma in die novissimo, quam quae hodie viget in ministerio verbi in ecclesia praedicati; sic in ecclesia sonat haec doctrina legalis Rom. 2, v. 9: *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.* 1. Cor. 6, v. 9: *Nec fornicatores, nec idolis servientes, nec adulteri, nec molles, nec cum masculis concubentes*, v. 10. *nec fures, nec ebriosi, nec maledicti, nec rapaces regnum Dei possidebunt.* Gal. 5, v. 19: *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, luxuria*, v. 20. *idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae,* v. 21. *invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes et his similia; qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur;* juxta has propositiones apostolicas impii damnabuntur. Quod vero dictum fuit, *impios judicandos et condemnandos ex* X
lege per evangelium collustrata, id sic accipiendum: lex sola et per se considerata non novit Christum mediatorem, sed propriam satisfactionem requirit, ideo etiam sola et per se considerata non novit nec arguit incredulitatem, quae est formalis, propria et adaequata causa damnationis, sed lex luce evangelii collustrata, ut omni Dei verbo, ita quoque verbo evangelii credere jubet, et ut omnia peccata, ita quoque peccatum incredulitatis arguit. Lex ergo ponit majorem: *Qui est peccator, damnationi est obnoxius.* Subsumit evangelium: *Qui non credit in Christum, est peccator.* Concludit lex: *Ergo qui non credit in Christum, est damnationi obnoxius.* Inde promanant illa axiomata Christi, juxta quae judicium instituetur: *Qui non credit, jam judicatus est. Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum. Qui non crediderit, condemnabitur.* Sub his Christus in judicio subsumet: Vos a sinistris stantes non credidistis, id quod opera vestra manifeste testantur. Ergo estis damnati, ergo ite maledicti in ignem aeternum. Confer ea, quae superius de objecto judicii reali diximus. In ecclesia sonat etiam haec doctrina evangelica: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam* Joh. 3, v. 36. *Qui*

crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit Marc. 16, v. 16. Sub hac majore subsumet Christus in judicio: Vos fide benedictum semen estis amplexi, fide filii Dei et proinde etiam heredes regni coelestis estis facti, fide ab aeterno estis electi, sicque regnum illud vobis a Patre coelesti a constitutione mundi est paratum, quam fidem bonis operibus, cumprimis beneficentia erga pauperes tanquam indubitatis testimoniis et immediatis fructibus comprobastis. Ergo venite, possidete et accipite regnum. Ex quo facile intelligi potest, quid de Piscatoris pronuntiato vol. 1. locor. c. 22. p. 338. th. 18. statuendum, in quo *infantes secundum praedestinationem judicatum iri* asserit. Aut enim opponit hoc evangelio et fidei, ut stabiliat absolutum decretum et fidem infantibus deroget, quo sensu illud merito repudiatur; aut evangelium et fidem praedestinationis decreto subordinat, quod juxta Scripturae sententiam facere omnino debebat. Praedestinatio enim nec *evangelio* nec *fidei* nec *Christo* est opposita, neque quidquam horum excludit, sed potius arctissime includit. Quae enim gratia Dei eligentis in Christo *ante tempora secularia* nobis data est, ea *manifestata est in verbo evangelii* 2. Tim. 1, v. 8. ac electi sumus *in Christo* Eph. 1, v. 4. *in fide veritatis* 2. Thess. 2, v. 13. *secundum praescientiam Dei Patris in sanctificatione Spiritus in obedientiam et adspersionem sanguinis Christi* 1. Petr. 1, v. 2. *quos enim praescivit Deus, hos praedestinavit* Rom. 8, v. 29. Quodsi ergo infantes secundum electionem judicabuntur, utique etiam secundum evangelium, quod electionis decretum manifestat; si juxta evangelium judicabuntur et a peccatis absoluti declarabuntur, utique etiam fide praediti erunt, quia evangelium neminem a peccatis absolvit absque fide Christum mediatorem apprehendente.

III. 220.

CAPUT VI.

DE FINE ET EFFECTU EXTREMI JUDICII.

Finis extremi judicii.

71. *Finis*, propter quem instituetur universale et novissimum illud judicium, duplex est, *principalis et minus principalis*. Principalis *est Dei et Christi Salvatoris nostri gloria*, 2. Thess. 1, v. 10: *Veniet Dominus ἐνδοξασθῆναι, glorificari, in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt in die illo.* Dei gloria in illo judicio relucebit, quia manifestabit 1. *suam veritatem;* in propheticis et apostolicis oraculis promisit, futurum esse constituto tempore judicium, hujus promissi complementum divinae veritatis gloriam confirmat ac manifestat; 2. *suam justitiam;* promisit piis praemia, impiis comminatus est supplicia non temporalia duntaxat, sed etiam ac cumprimis aeterna, quando ergo in die judicii unusquisque in corpore suo reportabit operum suorum mercedem, divinae justitiae gloria ab omnibus conspicietur, unde dies judicii vocatur ἀποκάλυψις τῆς δικαιοκρισίας Rom. 2, v. 5; 3. *suam benignitatem ac gratiam*, quia pios supra condignum et supra omne meritum remunerabitur immensum gloriae et felicitatis aeternae thesaurum, adeoque se ipsum perfecte ipsis communicando. *Christi gloria* in illo die critico manifestabitur, quia notam faciet 1. *suam divinam majestatem* in glorioso ad judicium adventu; 2. *suam sapientiam* in separatione bonorum ac malorum; 3. *suam benignitatem erga pios* ad dextram constitutos, quibus tanquam membris suis gloriam suam ex parte communicabit, Col. 3, v. 4: *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria.* 2. Thess. 1, v. 10: *Glorificabitur in sanctis et mirificabitur in credentibus*, quia gloria illa, quam sanctis suis communicabit, omnem humanae rationis captum excedet; 4. *suam justitiam* in promulgatione ejusmodi sententiae decisivae, quam omnes justissimam esse agnoscent; 5. *suam potentiam* in sententiae latae exsecutione, in regni diabolici ac mortis plenaria destructione, in regni sui coelestis et aeterni confirmatione, tunc enim omnes *inimicos suos scabellum pedum suorum ponet* Psalm. 110, v. 1. *mortem destruet* 1. Cor. 15, v. 26. ac re ipsa potentissimum Satanae, mortis et inferni triumphatorem sese demonstrabit Ose. 13, v. 14. 1. Joh. 3, v. 8. contra vero imaginem divinam, ad quam homo primum erat conditus, in electis ac dilectis suis perfecte renovabit ac reformabit inque eis velut in templo suo glorioso in aeternum habitabit Phil. 3, v. 21. Apocal. 21, v. 3. etc. Nec tantum *in sensu absoluto* Dei et Christi gloria in die judicii modis hactenus expositis conspicietur, sed etiam *in sensu relativo*, quia sancti et electi in omnes nunquam finiendorum seculorum aeternitates Deum et Agnum sedentem in throno glorificabunt divinae sapientiae, bonitatis, veritatis, justitiae et potentiae gloriam gratis mentibus agnoscendo ac perpetuis laudibus prosequendo. Psalm. 84, v. 5: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.*

72. *Minus principalis finis* est vel *generalis* vel *specialis*. Generalis omnes homines concernit, ut coram tribunali Christi in suis corporibus sistantur XIX. 221.
Matth. 24, v. 31. c. 25, v. 32. ac quilibet sententiam judicis audiat *reportans prout in corpore gessit, sive bonum, sive malum* 2. Cor. 5, v. 10. qua ratione *occulta tenebrarum et abscondita consilia cordium patefient* 1. Cor. 4, v. 5. dum ex una parte fides, pietas, innocentia et bona conscientia piorum; ex altera parte incredulitas, hypocrisis, impietas et mala conscientia impiorum in publicam lucem producentur. Specialis pios et impios in specie concernit, ut scilicet illi partorum a Christo et promissorum in evangelio bonorum participes reddantur, ab omnibus malis et adversis perfecte liberentur et in amissam coelestis paradisi possessionem plene restituantur, unde dies illa vocatur dies ἀπολυτρώσεως, ἀποψύξεως καὶ ἀποκαταστάσεως τῶν πάντων Luc. 21, v. 28. Rom. 8, v. 23. Eph. 4, v. 30. Actor. 3, v. 20. et 21; hi vero a facie Dei abjecti debitas peccatorum

suorum poenas percipiant Malach. 4, v. 1. Matth. 25, v. 41. 2. Thess. 1, v. 9. 2. Petr. 2, v. 9. etc. atque hac ratione re ipsa experiantur, verbum Dei non fuisse fallax nec comminationes ejus esse inania ex pelvi fulgura, sed maximum illis inesse robur ac pondus. Jacobus de Valentia episcopus Christopolitanus in comment. Psalm. 2: *Quamvis unusquisque judicatus sit particulariter in fine vitae suae, tamen universale judicium erit necessarium propter quatuor:* 1. *ad manifestandam veritatem personae Christi omnibus gentibus,* 2. *veniet Christus ad manifestandum occulta,* 3. *veniet ad judicandum male judicata,* 4. *ad judicandum non judicata;* quae omnia ibidem fusius declarat.

73. Hisce consentaneae sunt *quinque illae causae,* quas Bellarminus libr. de beat. sanct. c. 6. ex piis veteribus adducit, ob quas instituendum sit judicium *generale,* etiamsi praecesserit judicium *particulare* in hominis vita ac morte, 1. *ut ostendatur Dei justitia et misericordia;* omnia enim Deus facit propter gloriam suam, sed tamen nunc non ita aperte ostendit, quin inveniantur, qui Deum injustitiae accusent, vel nullam eum habere providentiam credant, cum videant, bonos affligi, malos autem gaudere, ideo Deus elegit sibi unum diem, in quo coram toto mundo ostendat summam suam justitiam in impios et summam misericordiam in pios, et simul ostendat, se cum summa misericordia erga justos nulla uti crudelitate vel injustitia in impios et cum summa severitate erga impios nulla uti acceptione personarum vel iniqua liberalitate erga pios; 2. *ut clarificetur Filius hominis,* pertinet enim ad Christi gloriam, ut qui in primo adventu tanquam reus injuste judicatus est, iterum appareat gloriosus et judex; 3. *ad laudem bonorum, ignominiam vero malorum,* vult enim Deus, ut sancti qui in certaminibus suis spectaculum facti sunt mundo, angelis et hominibus; sic etiam coram toto mundo, omnibus angelis et hominibus victores pronuntientur; 4. *ut totus homo judicetur* et praemium suum recipiat, nunc enim solum animae judicantur et partem praemii accipiunt; 5. *quia nondum sunt finita opera bona et mala defunctorum,* quod Basilius in libro de virginit. ante medium colligit ex illis verbis 1. Tim. 5: *Quorundam hominum peccata manifesta sunt praecedentia ad judicium, quosdam vero subsequuntur.* Quia igitur tunc finientur opera mala et bona, quando finietur mundus, ideo tunc ultima feretur sententia. *Effectus judicii* erit consummata liberatio piorum ac finalis rejectio impiorum, unde Christus post descriptum judicialem processum Matth. 25, v. 46. subjungit: *Et ibunt hi* (impii ad sinistram constituti) *in ignem aeternum, justi vero in vitam aeternam,* de quibus beatorum praemiis et impiorum suppliciis in sequentibus uberius dicetur.

Effectus judicii. XIX. 222.

CAPUT VII.

DE ADJUNCTIS EXTREMI JUDICII.

Adjuncta judicii. 1. Locus

74. *Adjuncta* extremi judicii sunt 1. *locus,* 2. *tempus,* 3. *antecedentia et consequentia.* 1. Adventus Christi ad judicium consideratur vel ratione *termini a quo,* vel ratione *termini ad quem.* Terminus a quo est *coelum,* dicitur enim Christus *e coelo* rediturus, ad judicandum vivos et mortuos. Actor. 1, v. 11: *Hic Jesus, qui assumtus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.* Phil. 3, v. 20: *Conversatio nostra est in coelis, unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum.* In Symbolo apostolico confitemur, *Christum adscendisse in coelum, sedere ad dextram Dei, unde rediturus sit ad judicandum;* de quo coelo ubi et quale sit, in ultimo hujus articuli tractatu plenius dispicietur. Damascenus lib. 4. orthodox. fidei c. 13. statuit, *ex orientali coeli plaga Christum ad judicium venturum.* Enumerans enim causas, propter quas in precibus ad orientem nos convertimus, inter cetera sic scribit: *Christus assumtus ad orientem ferebatur, et sic ipsum apostoli adoraverunt. Et sic veniet, quemadmodum intuebantur ipsum euntem in coelum, ut angeli dixere ad apostolos et ut ipse Dominus dixit: Quemadmodum fulgur egreditur ab oriente et pervenit usque ad occidentem, sic erit adventus Filii hominis. Ipsum igitur exspectantes ad orientem adoramus.* Nos 1) fatemur haud inviti, vetustissimum in ecclesia Christiana fuisse ritum, *ut precaturi ad orientem se converterent,* cum illius mentio fiat ab antiquissimis patribus, Tertulliano in apologet. c. 16. et 30. libr. contra Valentin. non procul ab initio, Justino in quaest. et respon. ad orthodox. quaest. 118, Clemente Romano libr. 2. constitut. apost. c. 61., Epiphanio haeres. 19. quae est Ossenorum, Origine homil. 5. in Numer. Basilio libr. de Spiritu sancto cap. 27. p. 378. Athanasio quaest. 37. tom. 2. p. 285. Nazianzeno epist. 60. ad Philagrium, Gregorio Nysseno homil. 5. de orat. Dominic. etc. 2) Inde pleraque Christianorum templa tali situ exaedificata sunt, ut adyta eorum interiora seu chori orientem spectent. Commentator Damasceni dicto loco circa fin. cap. : *Sicut Judaei Christum extra portam ejecerunt, ut crucifigeretur, tanquam malefactorem et indignum, quem urbs ipsa contineret; ita et facie versa ad oppositam urbi partem eosdem ipsum crucifixisse satis veritati consentaneum videtur, tanquam minus dignum, qui urbem contueretur. Quare facie ad occidentem conversa crucifixus est. Et hinc, ut conjectare licet, in templis et basilicis nostris Dominus noster figuratum ad occidentem crucifixus, quem ubi primum templa subimus, oculis nostris objectum cernentes proni facie ad ipsum conversa orientem versus Christum adoramus.* 3) Hunc ritum nequaquam repudiamus aut damnamus, cum per se et in

XIX. 2

se verbo Dei minime adversetur, cum rationibus quibusdam non plane aspernandis nitatur, cum ipsa antiquitate sese commendet, cum absque superstitione utilis commonefactionis loco observari possit. 4) Neque tamen eam tanquam praecise necessarium et a traditione apostolica indubitata profectam urgemus, multo minus preces orientem versus facie versa ad Deum profusas efficaciores ac Deo gratiores esse statuimus, cum nullum certum locum ad orandum nobis concessum esse Psalm. 103, v. 22. Joh. 4, v. 21. 1. Tim. 2, v. 8. ac Deum omnibus in spiritu se invocantibus proximum esse noverimus Psalm. 145, v. 18. Leo sermon. 7. de nat. Domin. p. 18: *Si templum Dei sumus et Spiritus Dei habitat in nobis, plus est quod quisque fidelis habet in sua anima, quam quod miratur in coelo.* 5) Scalig. exerc. 52. et 99. recte disputat *nullum praescriptum esse vel orienti vel occidenti limitem praeter eum, quem habet respectu nostri. Ubique*, inquit, *oriens est, ubique astra oriuntur simul et occidunt eodem momento eadem, sed non iisdem.* Respectu igitur ad Hierosolymam habito plaga orientalis statuenda, at Hierosolyma non est omnibus Christianis orientalis, sed quibusdam meridionalis, quibusdam septentrionalis, quibusdam occidentalis. 6) Similitudinem Christi a fulgure petitam quidam accipiunt de dilatatione regni Christi per evangelii praedicationem. Ac si vel maxime ad secundum Christi adventum referatur, quod et nos fecimus superius, non tamen illius locus sed qualitas hisce verbis exprimitur, quod scilicet futurus sit subitus, inexspectatus, gloriosus et omnibus conspicuus. *Terminus ad quem* adventus Christi, *seu locus in quo* judicii extremi dupliciter designatur, 1. *generaliter*, 2. *specialiter*. In *genere* eum denotat Hieronymus Magius lib. 5. de exustione mundi c. 8. *Ego*, inquit, *super altiorem terrae partem, scilicet super arcticum hemisphaerium Christum appariturum et ad judicandum sessurum censuerim.* Et postea: *Videtur Christus appariturus in latere aquilonis, sinistra scilicet in orientali plaga, cui loco Dei licet incorporei et loco incomprehensibilis solium tribuit Esajas* c. 14. v. 13. quod postea uberius confirmare nititur ex libro apocrypho, quarto scilicet Esdrae et Psalm. 67.

75. In *specie* de judicii loco fabulantur *Judaei*, quod instituendum sit *in valle Josaphat*, cujus mentio fit 2. Paralip. 20, v. 26. idque colligunt ex vaticinio Joëlis 3, v. 7. et 17. Galatin. lib. 8. de arcan. c. 15: *Omnes fere rabbini nemine discrepante dicunt, quod gentes, quae jam Judaicum populum in hac captivitate supprimunt et affligunt, similiter sint propter hoc a Deo in judicio puniendae, ad quod probandum illud Joëlis adducunt: Congregabo omnes gentes et ducam illas in vallem Josaphat et disceptabo cum eis super populo meo.* Hanc opinionem non minus quam eam, quae Eliam Thesbiten in propria persona rediturum statuit, *Pontificii* fecerunt suam. Thomas in suppl. quaest. 78. art. 4. concludit, *Christum circa Montem oliveti descensurum, sicut et inde adscendit, ut nempe idem ostendatur, qui descendit et qui adscendit.* Gregorius de Valentia tom. 4. comm. in Th. p. 2329: *Locus, in quo judicium peragetur, erit in valle Josaphat, cui imminet Mons oliveti, unde Dominus in coelum conscendit. Extat siquidem ea de re manifesta prophetia Joël 3. Neque tamen erit opus, ut omnes sint intra illam vallem, sed satis implebitur prophetia, si sint partim in illa, partim circa illam vallem in vicinis locis, ut possint videre judicem sublimem vallibus sedentem.* Similia occurrunt apud Josephum a Costa lib. 4. de temp. noviss. XIX. 224.
c. 12. Lorichium in thesauro theolog. nov. Riberam in comm. Joel 3. Adrichomium in theatr. terrae sanctae fol. 172. Maldonatum in comm. Matth. 25. Jacob. Bayum libr. 1. instit. c. 255. p. 286. Christophorus a Castro in comm. Joel. 3. p. 189. addit argumentum ex Actor. 1, v. 11: *Hic Jesus, qui assumtus est, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. Ergo veniet in hunc montem, unde adscendit, ubi praedicavit hominibus et eos redemit et victor adscendit in coelum, ibi eosdem homines judicabit de sui muneris utiliter aut inutiliter obiti observatione.* Haec ratiocinatio videtur petita ex Hilario, qui can. 24. in Matth. scribit: *Digne illic claritatis adventus exspectabitur, ubi nobis gloriam aeternitatis passione corporeae humilitatis operatus est.* Sed respondemus 1) ut *tempus* judicii exactum ac determinatum soli Deo notum, ita quoque judicii *locus* in thesauris divinae sapientiae ac scientiae absconditus latet. Beda lib. 5. in Luc. c. 17: *Non potest ejus venturi tempus aut locus a mortalibus observari, qui fulguris instar omnibus coruscus et repentinus adveniet.* 2. Vallis Josaphat Hierosolymae vicina, in qua pius rex Josaphat post reportatam ab hostibus victoriam et divisa spolia cum populo suo Deum publice et solenniter praedicavit, tot hominum myriadibus capiendis quomodo sufficiet? Si ad miraculum confugias, respondebitur, non esse miracula extra et praeter Scripturam fingenda. Cornelius a Lapide in comm. 1. Thess. 4. p. 692. sic respondet: *Vallis Josaphat, in qua fiet judicium, cum campis et locis vicinis, quae longissime protendi et adeo, si opus sit, complanari possunt, capere poterit omnes homines, qui unquam fuerunt, sunt aut erunt. Nam reprobi in valle hac consistent in terra constipati a sinistris judicis circumcirca; sancti vero a dextris consistent non in terra, sed altius et judici vicinius in aëre, ita tamen ut, sicut in amphitheatris varii erant spectantium ordines per condignationem et tabulata alii aliis altiores, ita et sanctorum varii sint ordines, aliique pro meritis supra alios quasi in tabulato aëreo altius consideant, sic tamen, ut infimi longe reprobis et terra, quam in vita calcarunt et contempserunt, emineant et Christo appropinquent.* At num ad vallem Josaphat pertinent loca vicina longissime exporrecta et complanata? num vallis Josaphat se extendit per aërem usque ad coelum? 3) Vaticinium propheticum quidam malunt accipere de spirituali Christi adventu per verbum, adeoque

de vocatione gentium per praedicationem evangelii ad consortium ecclesiae; sed concedimus, ad secundum Christi adventum illud accommodari posse, dicimus ergo, Josaphat hoc loco non esse nomen proprium, sed appellativum significans *Domini judicium.* Propheticis igitur ac mysticis verbis a Joële praedicitur, quod Dominus Jesus magna cum majestate et gloria ad judicandum orbem terrarum e coelo sit descensurus, ac proinde totus terrarum orbis respectu coeli vallis Josaphat vocatur. Hieronymus in comm. tom. 5. p. 87: *Omnis qui judicatur, in valle positus est, quae appellatur Josaphat, hoc est Domini judicium. Qui enim credit in Dominum, non judicabitur, ibique disputabit cum eis non potentia majestatis, sed rationis eos veritate convincens, qui partiti sunt populum Dei et hereditatem illius disperserunt in nationibus, ut servos Dei sibi servire compellerent.* Confer eundem in comm. c. 38. Ezech. et epist. 142. ad Damas. Ni-
XIX. 225. mirum loquitur propheta phrasibus Veteris Testamenti de rebus in novissimo die eventuris ac ut *per dispersionem populi* in varias nationes συνεκδοχικῶς intelligit, quasvis persecutiones et oppressiones, adeoque omnia adversa, quae ab initio mundi ad finem usque ab hostibus ecclesiae obtigerunt; ita quoque μυστικῶς *per vallem Josaphat* intelligit locum, quem Dominus ad judicium elegerit, quicunque is tandem sit futurus. Quemadmodum enim olim in valle Josaphat Deus particulare judicium adversus hostes ecclesiae exercuit et mirabilem victoriam populo suo concessit; sic in extremo judicio Christus liberabit suam ecclesiam ab omnibus hostibus seque victorem Satanae et mortis gloriose demonstrabit. Quemadmodum in valle Josaphat populus Juda cum rege Josaphato ob victoriam divinitus concessam publica voce Deum laudavit, unde etiam *vallis benedictionis* appellatur; ita quoque pii ab omnibus suis hostibus liberati et ad regni coelestis consortium vocati aeternis praeconiis Deum celebrabunt. Videt hoc Barradius, ideo fulgore veritatis permotus tom. 3. concord. libr. 9. cap. 18. p. 606. scribit: *Potest nomen Josaphat significare quemcunque locum, in quo Dominus judicabit, verum recepta fert sententia, vallem ipsam Josaphat, quae Jerusalem urbi vicina est, hoc nomine significari.* Quidam statuunt, *per vallem Josaphat* analogice significari conspicuum et illustrem illius judicii processum, quod scilicet infideles et ecclesiae hostes in conspectu fidelium sint judicandi, quia vallis Josaphati sita fuit in ipsius Sionis et Hierosolymae conspectu. 4) Haec expositio non solum probatur *Chaldaeo interpreti*, qui vallem Josaphat exponit *per vallem divisionis judicii*, Haymoni, Alberto et Abulensi in cap. 25. Matth. quaest. 331. sed etiam confirmari potest duplici ratiocinatione. Primo, quia nomen hoc diversis vallibus est impositum, quasi sit nomen commune illis locis, in quibus Dominus suum exserit judicium. Vallis enim Josaphat communiter sic dicta est juxta urbem Jerusalem ad radices Montis oliveti. Illa autem vallis, quam rabbinus Aben Ezra et Rupertus dictam putant *vallem benedictionis*, in qua ob victoriam ab Ammonitis, Moabitis et Idumaeis reportatam populus Juda cum rege Josaphato Dominum laudavit, est remotior ab urbe Jerusalem, siquidem *filii Judae egressi sunt per desertum Thecuae ad dimicandum contra hostes* 2. Paralip. 20, v. 20. quod desertum adjacet urbi Thecuae versus mare rubrum, Thecua autem duodecim millibus ab Hierusalem distat teste Hieronymo in c. 6. Jerem. in princip. hoc est leucis tribus, et illi ceciderunt in summitate torrentis, qui erat contra solitudinem Jeruël v. 16. Secundo, quia eadem vallis, in qua propheta Dominum judicaturum praedicit, in eodem capite v. 12. vocatur *vallis* חָרוּץ, *concisionis*, quia in ea tanquam in foro judiciali ingens populorum multitudo concidenda est et perdenda, vel ut alii vertunt *vallis decisionis*, hoc est decreti ac definiti judicii, ibi enim cujusque judicium decidetur ac determinabitur, utrumque enim Hebraeum חָרוּץ significat. 5) Angeli Actor. 1, v. 11. non de τόπῳ, sed de τρόπῳ adventus Christi ad judicium loquuntur, quod visibiliter rediturus sit ad judicium, qui visibiliter adscendit in coelum. 6) Ταυτότης personae aliis argumentis quam identitate loci in adscensione et reditu ad judicium demonstrari potest. 7) Denique Christus discipulis de loco judicii sciscitantibus indeterminate respondet: *Ubi fuerit cadaver, ibi congregabuntur et aquilae* Luc. 17, v. 37.

76. 2. *Tempus* judicii extremi duplex statui potest, *inchoationis* ac *durationis*. *Inchoationis* tempus 2. Tem. XIX. 2
vocamus praecise punctum illud temporis, quo Christus e coelo rediturus ad judicandum vivos et mortuos ad vitam suscitatos ac utrosque coram tribunali suo ad audiendam definitivam sententiam mediante angelorum ministerio congregaturus. Futurum illud in die novissimo testantur sacrae literae, in quo etiam *mortuorum resurrectio* judicium antegressura et *consummatio seculi* judicium secutura peragetur Matth. 24, v. 30. c. 25, v. 31. 1. Cor. 15, v. 52. 1. Thess. 4, v. 16. Apoc. 20, v. 11. quis vero dies ultimus ac novissimus sit futurus ac proinde, quo die quave hora Christus ad judicium sit venturus, illud exacte et praecise hominum arbitramur scire posse neminem, ac proinde a temeraria et scrupulosa illius inquisitione merito esse abstinendum, 1) quia Christus eam expresse prohibuit Actor. 1, v. 7: *Non est vestrum nosse tempora.* Augustinus lib. 18. de civit. Dei c. 53. in princip.: *Frustra annos, qui huic seculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire non esse nostrum ex veritatis ore audiamus.* Et postea: *Omnium hac de re calculantium digitos resolvit et quiescere jubet ille, qui dicit: Non est vestrum scire tempora*, in quae verba sic commentatur Ludovicus Vives: *Eant nunc sive mathematici, sive divinaculi quilibet et pavidae plebeculae crassisque purpuratis admirabundis definiant tempora et articulos, quibus hic cursus rerum ordoque cessaturus est, atque etiam, si diis placet, Christo ipso docente, se id profiteantur*

facere, qui carissimis discipulis severe responderit, nihil hominibus cum scientia negotii tam reconditi et arcani. Et tamen nulla res est, de qua liberius homines mentiantur quam de venturis, quoniam nihil nos audimus libentius, etiamsi mentiri sciamus, ita favor in eos noster, qui ventura jactant praedicere, licentiam eorum irritat et alit. Usque adeo in re mirabili vel voluisse dicere, mirandum ducimus. 2) Quia apostolus in paradiso edoctus de χρόνοις ac καιροῖς adventus Dominici scribere necessarium minime censuit 1. Thess. 5, v. 1. dubio procul, quia Christus illos χρόνους καὶ καιροὺς indagare vel scire nostrum esse negaverat. Augustinus epist. 78. ad Hesychium meminit quorundam, qui ex verbis Christi, *de die illa et hora nemo scit etc.* probare voluerunt, *tempora judicii posse computari, diem vero tantummodo ipsum et horam neminem scire*, quibus Augustinus erudite hoc modo respondet: *Omitto dicere, quemadmodum soleant Scripturae diem vel horam etiam pro tempore ponere, sed certe illud de ignorantia temporum apertissime dictum est. Nam cum hinc Dominus interrogatus esset a discipulis suis, Nemo, inquit, potest cognoscere tempora, quae Pater posuit in potestate sua. Non enim dixit, diem vel horam, sed tempora, quae in brevi spatio non solent dici sicut dies vel hora, maxime si Graecum intueamur eloquium, ubi est χρόνους καὶ καιροὺς etc. Tempora ergo computare, hoc est χρόνους, ut sciamus, quando sit finis hujus seculi vel adventus Domini, nihil aliud mihi videtur quam scire velle, quod ipse ait neminem scire posse.* 3) Quia Deus hoc voluit nobis esse occultum, soli vero scientiae suae reservatum. Zachar. 14, v. 7: *Erit dies nota Domino.* Matth. 24, v. 36. Marc. 13, v. 32: *De die illa vel hora nemo scit, neque angeli coelorum, neque Filius, nisi solus Pater.* Actor. 1, v. 7: *Non est vestrum scire ea, quae Pater posuit in sua propria potestate.* Irenaeus libr. 2. advers. haeret. c. 48: *Si scientiam illius diei Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit, quod verum est, quomodo nos non erubescimus, quae sunt in quaestionibus majora, non reservare Deo? nemo enim supra magistrum est.* Athanasius serm. 4. contra Arianos: *Refrenavit curiositates nostras, ne scire aut investigare tentemus id, quod angelis est ignotum scirique non potest.* Plerique veterum illud Marc. 13, v. 32. de ἀγνοίᾳ Filii sic exponunt, *quod Christus quatenus Dei legatus ad praedicationem verbi missus tempus extremi judicii sese ignorare asserat, quia non erat a Patre missus, ut diem judicii nobis revelaret,* sed ut consilium Dei de salute nostra nobis proponeret Joh. 14, v. 31. Hilarius libro 10. de Trinitate: *Professio nescitae diei non est ignorationis infirmitas, sed tacendi dispensatio.* Ambrosius libr. 5. de fide c. 8: *Non dicit, se nescire, sed dixit, non est vestrum scire. Ignoravit aliis, non sibi.* Augustinus lib. de Trinitate c. 12. lib. 1. de Genes. contra Manich. c. 22. et in enarrat. Psalm. 6: *Hoc ideo dictum est, quia per Filium homines hoc non discunt, non quod apud se ipsum non noverit, sed secundum illam locutionem, tentat vos Dominus, ut sciat, id est scire vos faciat. Dicit, se nescire, quia in ejus magisterio non erat, ut a nobis sciretur.* Origenes tract. 30. in Matth. et Gregorius lib. 8. epistola 42. disputant, *Christum loqui non in persona sua, sed in persona ecclesiae, non juxta hoc, quod caput est, sed juxta corpus ejus, quod nos sumus.* Beda in comm. Actor. 1. ostendit, *quod ipse sciat, sed non expediat nosse mortalibus.* Epiphanius haeres. 69: *Non novit Filius diem judicii cognitione practica et experimentali, quia judicium nondum exercuit.* Athanasius in disputat. contra Arium in concil. Nic.: *Neque Filius scit adoptatus, videlicet populus Christianus.* Confer Bellarminum lib. 4. de Christi anima c. 5. Sed beatus noster Lutherus hisce glossis minime opus esse recte censet. Verum quidem est, Christum diem illum *nobis nescivisse*, interim emphasi textus hoc non satisfacit, quippe in quo diserte adstruitur, Filium hominis, hoc est *Christum secundum humanam naturam in statu profundae exinanitionis, diem illum non novisse.* Quae enim diei ultimi scientia hominibus et angelis detrahitur, eadem etiam Filio hominis denegatur, et vicissim, quae diei ultimi scientia hominibus, angelis et Filio hominis detrahitur in membro priori, eadem in posteriori oppositionis membro Patri tribuitur. Jam vero homines et angeli ignorant diem illum non solum aliis, sed etiam sibi ipsis. Pater non scivit diem novissimum ad revelandum, cum non revelaverit. Ergo etiam Filius eundem non aliis duntaxat, sed sibi ignoravit nec ad revelandum duntaxat aliis nescivit. Bellarminus libr. 4. de Christo cap. 1. et Jesuita Armandus in epistola ad Chamierum *omnes patres huic interpretationi adversari* dicunt, sed exstat apud Nazianzenum oratione 2. de Filio: γινώσκει μὲν ὡς θεός, ἀγνοεῖν δέ φησιν ὡς ἄνθρωπος. Confer ejusdem orat. 35. et 36. Athanasius orat. 4. contra Arian.: *Non Verbum quatenus Verbum ista dixit, quasi ignoraret, sed quia carnem habuerat ignorationi obnoxiam, carnaliter locutus est.* Item: *Homo jam factus haec verba protulit, ne Filium quidem scire, siquidem carne non noverat, quamvis ut deus horam illam bene cognitam haberet.* Item: *Sicuti homo cum hominibus esurit et sitit et patitur, ita ut homo cum hominibus non novit. De die et hora etc. cum divinitus omnia sciret, carnaliter tamen ob carnem ignorationi obnoxiam, dixit, ejus rei se ignarum esse. Pro hominis ratione ut homo loquebatur, non novi.* Cyrillus lib. 9. thesauri XIX. 228.
c. 10: *De se ipso ut homine loquens, nec derogans sibi ipsi ut deo, scit enim ut deus, quod ut homo ignorat.* Item: *Sicut voluit tanquam homo fame et siti ceterisque hujusmodi laborare, sic etiam ut homo diem illum ignorat.* Item: *Vere dicit, se ut hominem ignorare, infirmitates omnes nostras accepit.* Eadem est sententia Basilii epistola 1. ad Amphilochium. Ambrosius libr. de incarnatione sacrament. c. 7: *Deus perfectionem suscepit naturae humanae, suscepit sensum hominis, sed non sensu car-*

nis fuit inflatus. Sensu hominis dixit animam conturbatam, sensu hominis esurivit et rogavit, sensu hominis profecit. Item: *Profectus aetatis et profectus sapientiae non divinae, sed humanae naturae est.* Damascenus libr. 3. de orthodox. fid. c. 21: *Humana natura substantialiter non obtinet futurorum cognitionem, Domini autem animae propter ipsum ad verbum unionem et hypostaticam identitatem dives facta est cum reliquis signis etiam futurorum cognitione*, unde Maldonatus in comm. Matth. 24. fatetur, *aliquot veteres hanc interpretationem amplecti.* Quidquid sit, hoc ex verbis Christi manifestum, quod coelestis Pater exactam diei illius notitiam hominibus voluerit denegatam, suae vero scientiae soli relictam, quod expendens Augustinus epistola 78. ad Hesychium et in enarrat. Psalm. 6. *Ego*, inquit, *de Servatoris adventu, qui exspectatur in fine, tempora dinumerare non audeo, nec aliquem prophetam de hac re numerum annorum existimo praefinivisse. Quod ergo Dominus nos scire noluit, libenter nesciamus. Non appetamus habere cognitum, quod Deus voluit esse secretum*, ut loquitur Prosper 1. de vocatione gent. c. 8. Isidorus lib. 1. de summo bono c. 30. huc accommodat dictum propheticum Esaiae 63, v. 4: *Dies ultionis in corde meo.* Durandus 4. sentent. distinct. 47. quaest. 1: *Tempus judicii non potest esse alicui notum per certitudinem, cum dependeat ex mera Dei voluntate, de cujus expressione Scriptura nihil loquitur.* 4) Quia nec ipsis angelis tempus illud cognitum, ut ex iisdem Christi verbis liquet. 5) Quia temeritas eorum, qui tempus judicii exacte determinare voluerunt, subsequente eventu contrario saepiuscule fuit damnata, ut ex antithesi apparebit. 6) Quia sicut mundi principium ab omni aeternitate soli Deo, a quo factus est mundus, fuit notum, sic et finem ejus solus Deus novit, cujus potentia mundus destruetur. 7) Tempus primi adventus per hebdomadas Danielis erat patefactum, interim praecise quoad diem et horam nemo illud definire potuit; multo ergo minus tempus secundi adventus exacte quispiam praescire poterit. Augustinus epistola 80. ad Hesychium: *Voluit Dominus, ut sciremus primum sui adventum, quia illius cognitio et utilis et necessaria nobis erat, alterius vero adventus tempus noluit esse manifestum, quia non expedit nobis.* 8) Ex signis, quae judicium antegressura a Christo et apostolis praedicta sunt, verisimiliter colligi potest, tempus judicii in propinquo esse, sed annum et mensem et diem et horam determinare ab humana intelligentia est remotum, tum quia adventus Christi ad judicium erit inopinatus et insperatus Matth. 24, v. 44. Luc. 21, v. 35. 1. Thess. 5, v. 3. etc. tum quia dies, qui decurtandi sunt propter electos, in absconditis divinae scientiae thesauris occulti latent. Cum hominem senio gravatum videmus, quod brevi moriturus sit, scimus; quando vero praecise id futurum sit, nescimus; sic mundum interitui appropinquare videmus, diem autem inter-

XIX. 229. itus ignoramus. Distinguendum igitur inter notitiam *generalem et specialem, conjecturalem et certam, confusam et distinctam.* 9) Quia Deus justissimis rationibus permotus hunc diem nobis occultum esse voluit, ergo exacta temporis notitia non fuit nobis necessaria, imo nec utilis, quin potius ignoratio illius nobis utilis fuit, nimirum ut in perpetuo Dei timore viveremus; *ideo enim latet dies unus, ut observentur omnes*, nec securitatis pulvinari indormiremus. Hilarius lib. 9. de Trinitate p. 194: *Ignoratio non ad errorem fuit necessaria, sed ad perseverantiam. Nec negatum id est ad detrimentum, quod ignoratum tribuit incrementum, ne scientiae securitas negligentiam fidei dissimulatae non exerceret, sed praeparationem irremissam exspectatio indefinita retineret.* Confer eundem canon. 26. in Matth. Ambrosius lib. 5. de fid. c. 8: *Nobis scire non proderat, ut dum certa futuri judicii momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti et in quadam virtutis specula collocati peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat, non enim prodest scire, sed metuere, quod futurum est.* Augustinus epistola 80. ad Hesychium col. 35: *Deus noluit praedicari, quod videbat non utiliter sciri.* Item: *Certum est tempus carere computo, quod breviandum est a Domino, qui tempora constituit.* Gregorius homil. 13. in evangel.: *Horam ultimam Dominus noster nobis idcirco voluit esse incognitam, ut semper possit esse suspecta, ut dum illam praevidere non possumus, ad illam sine intermissione praeparemur.* Nescire, quae nesciri voluit sciendi summus magister, erudita est inscitia.

77. Antithesis. Quamvis Christus curiositatem A
apostolorum momenta temporum inquirentium paulo ante suam in coelos adscensionem redarguerit ac represserit Actor. 1, v. 7. omnibus tamen ecclesiae temporibus inventi sunt, qui extremi judicii et consummationis seculi diem definire voluerint, quorum quidam ejusmodi tempus definiverunt, quod jamdum praeterlapsum vanitatis eorum praedictionem arguit. 1. Circumfertur prophetia sub nomine *Eliae*: *Duo millia annorum erit mundus, duo millia inane, duo millia lex, duo millia dies Messiae. Et propter peccata nostra, quae multiplicata sunt, exierunt ab his, qui exierunt.* Johannes Lauterbachius eam sic expressit:

Annorum stabit tantum sex millia mundus,
Post totus misso victus ab igne ruet.
Servabunt nullam Domini duo millia legem,
Lex duo praescripta conditione reget.
Messiae solitam tribuent duo cetera laudem,
Sed cursum rumpent ob mala nostra suum.

Sed notandum, quod haec prophetia non sit traditio collegii et domus *Eliae Thesbitae*, qui floruit circa annum mundi 3040. sub rege Achabo annis ante Christum natum circiter 923, sed illius Eliae, qui vixit circiter ducentis annis ante natum Christum referente Gersone Judaeo converso in Talmud Judaico libr. 2. c. 2. Exstat autem haec traditio domus

Eliae in libro thalmudico Sanhedrin. in capite Helec, et in libro Havodazara in capite Liphne edehen. Verba Hebraea adducit Galatinus libro 4. c. 20. ubi eam vocat *thalmudisticam*, non *autem propheti-*
XIX. 280. *cam traditionem* et addit, *postrema illa verba propter peccata nostra etc.* non esse ejusdem antiquitatis cum ipsa traditione, sed a quodam rabbino Judaicam perfidiam tegere volente eidem assuta. (Rabbinus Isaac in cap. 1. Genes. observavit, literam א, quae cum duabus virgulis suprapositis *millenarii nota*, sexies in primo versiculo Bibliorum esse repetitam, qua totidem millenarii durationis mundi insinuentur, cui observationi adde, quod in ultimo Bibliorum versiculo, 2. Paralip. 36, v. 23. totidem vicibus litera א repetitur.) Quamvis vero non a propheta Elia, ut Flinspachius inscite opinatur, sed a Rabbinico quodam doctore haec traditio prodierit, tamen antiquissimis ecclesiae patribus fuit probata, qui ex dicto prophetico Psalm. 90, v. 4. et apostolico 2. Petr. 3, v. 8. *dies unus apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus*, probabilitatem quandam illi conciliare sunt conati. Irenaeus libr. 5. advers. haeres. c. 23. p. 352: *Quotquot diebus factus est mundus, tot et millenis annis consummatur. Et propter hoc ait Scriptura Geneseos: Et consummata sunt coelum et terra et omnis ornatus eorum. Et consummavit Deus in die sexto omnia opera sua, quae fecit etc. Hoc autem est et ante factorum narratio, quemadmodum facta sunt, et futurorum prophetia. Est enim dies Domini quasi mille anni. In sex autem diebus consummata sunt, quae facta sunt. Manifestum est, quoniam consummatio ipsorum sextus millesimus annus est.* Lactantius libr. 7. instit. c. 14. p. 416: *Sciant philosophi, nondum sextum millesimum annum esse conclusum, quo numero expleto consummationem fieri necesse est et humanarum rerum statum in melius reformari, cujus rei argumentum prius est enarrandum, quo ratio elucescat. Mundum Deus et hoc rerum naturae admirabile opus, sicut arcanis sacrae Scripturae continetur, sex dierum spatio consummavit diemque septimum, quo ab operibus suis requieverat, sanxit etc. Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per secula sex, hoc est annorum sex millia, manere in hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat propheta, qui dicit: Ante oculos tuos, Domine, mille anni tanquam dies unus.* Justinus in quaestionibus et responsionibus ad orthod. quaest. 71. p. 337: *Ex multis Scripturae locis conjicere licet, veros esse, qui dicunt, sexies mille annorum esse praesentis mundi status tempora, cum nonnunquam dicit, extremis hisce diebus locutus est nobis per Filium, quandoque in quos termini aetatum inciderunt, aliquando, ubi venit plenitudo temporis, omnia enim ista dicta in sexto prolata sunt millenario annorum ordine.* Similia occurrunt apud Hieronymum in enarrat. Psalm. 89. tom. 4. p. 44. et in commentar. super cap. 4. Mich. Augustinum lib. 12. contra Faustum c. 8. et Gregorium in comm. 1. Regum c. 9. tom. 2. col. 1415. quin et fama horum sex mundi millenariorum ad ethnicos dimanavit, unde celebratur versiculus Orphei: ἔκτῃ δ' ἐν γενεῇ κόσμος καταπαύσετ' ἀοιδοῖς, cujus meminit Plato in Philebo et Plutarchus in libro de εἰ apud Delph. At nec *Moysi*, nec *Petro* propositum hexaëmeron creationis cum duratione mundi conferre, sed docere, quod apud Deum spatia temporis non sint iisdem momentis metienda, quo apud homines, cum ipsi extra omnem temporis successionem posito omnia sint in simplicissimo τῷ νῦν praesentissima; lubrico igitur fundamento haec opinio nititur, ac ut primae originis ratione *thalmudica* est et *rabbinica*, ita quoque Christianis merito debet esse suspecta. Ecquis enim nos certos reddet, quod tempus consummationis se- XIX. 281.
culi aestimandum ex creationis hexaëmero? Si analogiae aliquid dandum, potius ad durationis quam inchoationis tempus ea nos deducet, quod videlicet sex dierum spatio mundus iterum sit dissolvendus, sicut sex dierum spatio ab initio fuit conditus, cumque in analysi sit primum, quod in Genesi fuit ultimum, consequens erit, primo consummationis seculi die hominem perimendum, qui ultimo hexaëmeri die fuit conditus etc. Huic opinioni affine est, quod Hilarius canon. 17. in Matth. *sex dies*, quorum evangelistae ante transfigurationem Christi meminerunt Matth. 17, v. 1. Marc. 9, v. 2. *in tot millenarios* pro aetate mundi constituenda convertit, quodque Prosper eundem numerum colligit *ex anno aetatis Noae sexcentesimo*, quo diluvium orbi inundavit, ac denique quod quidam recentiores *duodecim horas laboris* in vinea Matth. 20, v. 1. et Joh. 11, v. 9. huc accommodant ea ratione, ut cuilibet horae anni 500 assignentur. Quidam huc accommodant vaticinium *Enochi*, quod realem potius quam verbalem concionem fuisse autumant Jud. v. 14. Ut enim mors corporalis in sex priores ecclesiae patriarchas, *Adamum* scilicet, *Seth*, *Enos*, *Kenan*, *Mahaleel et Jared*, propter peccatum efficaciter dominata est, in septimum vero *Enoch* suam vim ac potentiam exserere non potuit; ita existimant eo ipso significatum, quod *per sex millia annorum*, quibus hic mundus stabit, in omnes homines mors sit dominatura, septimo autem millenario, qui initium aeternae ac coelestis vitae futurus sit, amisso aculeo eam prorsus esse abolendam, quo Judam respexisse censent, quando notanter addit, *Enochum ab Adamo septimum* de extremo judicio fuisse vaticinatum. Ejusdem rei typum videtur gessisse *Elias propheta*. Ut enim Enoch ab Adamo septimus erat generatione, sic Elias propheta ab Adamo septimus erat aetate. Nam Adam attigit Mathusalah, Mathusalah attigit Sem, Sem attigit Jacob, Jacob attigit Amram, Amram attigit Ahia, Ahia attigit Eliam prophetam. Sicut ergo omnes sex priores aetates, quae Eliam prophetam praecesserunt, morti fuere obnoxiae, ipse autem Elias septimus aetate ab Adamo mortem non gustavit, sed curru et equis igneis in coelum subvectus est: sic mors per sex millenarios in genus

humanum grassabitur, in septimo autem millenario rapiemur in nubibus in occursum Domino etc. Insuper et alios quosdam typos Veteris Testamenti ad hosce sex mundi millenarios accommodant. Agri *sex annis* colebantur, septimo autem inculti quasi feriabantur Exod. 23, v. 10. Levit. 25, v. 3. **Moyses, per quem Deus jubilaeum instituit, 120 annos vitae complevit Deuter. 34, v. 7. jam vero 120 jubilaei conficiunt annos 6000. Moyses post exitum Israëlitarum ex Aegypto, qui fuit typus spiritualis liberationis per Christum praestitae, vixit 40 annos, jam vero 40 jubilaei conficiunt annos 2000, qui respondent annis a Christo nato usque ad judicium.** Servitus Judaica *sex annis* terminabatur, septimo autem recuperabatur libertas pristina Exod. 21, v. 2. Deuter. 15, v. 12. *Septimo quoque die* erat sabbathum, quo ab operibus oeconomicis cessabant divino cultui unice vacantes Exod. 20, v. 10. Anno jubilaeo, hoc est septies septimo, tubae clangore significabatur, praesto esse exoptatum illud tempus, quo ad pristinas suas possessiones quisque redibat Levit. 25, v. 8. sic septimo mundi millenario bonorum amissorum perfectam restitutionem, libertatem coelestem, quietem sempiternam, sabbathum ex sabba-
XIX. 232. tho secuturum sperant. Jos. 6, v. 20. *septimo die* circuitus a populo Israëlitico iustituti urbs Jericho concidit. Et in libro apocrypho 4. Esdrae 7, v. 31. notanter dicitur: *Erit post dies septem, et excitabitur, quod nondum vigilat seculum.* Sed Ambrosius libro 7. comment. in Luc. traditionem illam de sex mundi millenariis ideo minus probari asserit, *quod jamdum suo tempore ab exordio mundi plus quam sex annorum millia sint exacta*, falsa chronologia procul dubio deceptus. Augustinus in enarrat. Psalm. 89. *eandem Scripturae minus congruam* censet, quippe quae neget, tempus consummationis seculi ab angelis, nedum ab hominibus praesciri posse. Beda etiam in libro de ratione temporum c. 65. et in comm. Psalm. 6. eandem libere contemnit. *Quidam erronei* (inquit) *diem judicii octavum vocarunt etc.* Ambrosius Ansbertus itidem se opposuit iis, qui *sex aetates*, hoc est sex millenarios annorum, usque ad consummationem seculi computabant, Centuriae Magdeburgenses 10. col. 653. 2. Aliam Judaeorum traditionem ex eodem libro thalmudico Sanhedrin c. Helec. recenset Galatinus dict. loco: *Dixit Elias magistro Judae, Non erit, id est non durabit, mundus minus quam octoginta quinque jubilaeis, et in ultimo jubilaeo filius David veniet,* ubi rabbini Salomonis glossa addit: *Hi jubilaei continent annos quater mille ducentos et quinquaginta,* nimirum si pro quolibet jubilaeo 50 anni computentur. Sed totidem anni a creatione mundi jamdudum effluxere. 3. Esdras sacerdos, qui olympiade 80. hoc est circa annum mundi 4740. floruit, lib. 4. c. 14. divinitus sibi revelatum testatur, *mundi aevum in duodecim partes distribui, suaque aetate partes decem jam esse praeterlapsas partisque decimae dimidium, superesse autem, quantum ejus est post dimidium decimae partis.* Instituto autem illo annorum chronologismo ab aetate Esdrae ad nostram liquido apparebit, longiora quam ab eo determinata fuere, praeterlapsa esse tempora nec interim finem mundi adventasse.

78. In ipsis Christianae ecclesiae incunabulis tempore apostoli Pauli in ecclesia Thessalonicensi quidam fanatici certum ac proxime instans tempus adventus Domini ad judicium definire voluerunt, ac ut majorem doctrinae suae auctoritatem conciliarent, 1. jactarunt *spiritum*, hoc est peculiares quasdam revelationes; 2. protulerunt *ratiocinationes* et conjecturas; 3. depravarunt non tantum genuinas *epistolas* Pauli, sed etiam supposititias ac falsas sub ipsius nomine ecclesiis obtruserunt, qua triplici via eos fuisse usos, colligitur ex 2. Thess. 2, v. 2: *Non cito moveamini a vestro sensu neque terreamini neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos etc.* Sed huic pseudodoctorum seductioni magno conatu apostolus sese opponit docens, *non venturum diem Domini, nisi prius venerit discessio ac reveletur homo peccati*, hoc est Antichristus v. 3. Ibidem apostolus tres enumerat curiosarum illarum praedictionum effectus, qui sunt *σαλευθῆναι, θροεῖσθαι καὶ ἐξαπατᾶν*. Verbum *σαλευθῆναι* ad *inconstantiam* et *periculum* respicit, naves enim in salo semper nutant modo in hanc, modo in illam partem inclinantes, deinde salo oppressae in syrtibus ab iisdem circumgyrantur et absorbentur; *θροεῖσθαι* est *ad terrorem loqui, terrorem hominum animis incutere,* qui cum sit intempestivus et verbo Dei adversus, in desperationem quandoque desinit; *ἐξαπατᾶν seductionis* manifestam significationem habet. Sed enim non obstante prae- XIX. 233.
monitione apostolica longe plurimi tempus adventus determinare ausi fuere. Cyprianus in princip. libri de exhortatione martyrii ad Fortunatum p. 244. sic loquitur: *Sex millia annorum plene complentur, ex quo diabolus hominem impugnat.* Fuit ergo tempore Cypriani pervulgata opinio, sextum mundi millenarium compleri coepisse ac proinde finem seculi instare. Philastrius de haeres. fol. 51. meminit quorundam, qui ex Esa. 61, v. 1. colligere voluerunt, *inter primum adventum Christi in carnem et alterum ad judicium fore 365 annos.* Augustinus lib. 18. de civ. Dei c. 53. memorat, quosdam fuisse, qui annos *quadringentos*, quosdam qui *quingentos*, alios qui *mille annos* ab adscensione Domini usque ad ejus ultimum adventum numerarint. *Quemadmodum autem quisque eorum* (ait) *adstruat opinionem suam, longum est demonstrare et non necessarium. Conjecturis quippe utuntur humanis, non ab eis certum aliquid de Scripturae canonicae auctoritate profertur.* Idem epistola 78. ad Hesychium refert, *Hieronymum cujusdam ἀνωνύμου opinionem temeritatis accusasse, quod ausus fuerit Danielis hebdomadas de adventu Christi futuro, non praeterito exponere.* Quicunque igitur is fuerit, existimavit, post septuaginta hebdomadas, hoc est anno a nativitate Christi quadringentesimo nonagesimo extremum judicium futurum. Lactantius lib. 7. div.

:. c. 25. p. 436: *Quando compleatur haec summa rum sex millium, docent ii, qui de temporibus serunt, colligentes ea ex literis sanctis et ex s historiis, quantus sit numerus annorum ab tio mundi; qui licet varient et aliquantum nu- eorum summa dissentiat, omnis tamen ex- atio non amplius quam ducentorum videtur rum.* Sic ergo juxta Lactantium circa annum sti quingentesimum decimum octavum extremum isset institui judicium, vixit enim Lactantius annum Christi trecentesimum decimum. octa- ac fuit Crispi, Caesaris Constantini Magni filii, ceptor, cui computationi eventum haudquaquam ndisse in propatulo est, unde Xystus Betulejus ntii commentator eam sic refellit: *Fingamus, ntium haec scripsisse anno a nato Christo tre- simo vigesimo septimo. Nam tunc Constanti- soluta Maximini et Licinii adversus Christia- tyrannide solus imperii gubernacula tenuit. us si ducentos Lactantii annos addideris, in- s, diem judicii triennium ante Justiniani im- m fuisse oportere, id est ab hinc annis mille 'ecim.* Anno Christi octingentesimo quadrage- octavo mulier quaedam Suevica nomine Theoda Moguntiae et Constantiae fines vaticinata est, *pparitionem angeli sibi revelatum fuisse, eo anno affuturum extremum mundi diem.* Aven- lib. 1. annal. Bojorum memorat, regnante Hen- IV. circa annum Christi millesimum sexagesi- secundum *constantem fuisse famam, imminere ii fatum terrarum orbi.* Abbas Joachimus ex ria diei novissimi constituit annum Christi mil- um ducentesimum quinquagesimum octavum. lixit enim Urbano III. pontifici, venturum diem simum post duas generationes, hoc est post 70. Papa vero 1188. mortuus est, quibus duae ationes sive anni 70 additi conficiunt annos Chrysostomus tempus novi testamenti adae- cum duratione veteris testamenti, quam quia ntat annis 1343. ideo etiam tot annos durationi iae novi testamenti existimat esse tribuendos. dus de Villanova praedixit, *anno salutis 1345. hristum et mundi finem adfuturum esse.* (Ni- s Eymericus de hoc Arnoldo memorat, quod a salutis 1335. fini hujus mundi praestituerit 2. quaest. 11). Bernhardinus de Bustis part. 2. i serm. 12. circa annum Christi 1495. literarum mentis prodidit, *creditum tunc esse, mundi fi- adventurum anno Christi 1500. idque concio- em quendam passim dictasse.* Heerbrandus in heolog. c. de consummat. seculi scribit, *quos- interitui mundi praefixisse annum a nato Chri- 530.* Lutherus tom. 9. German. Witteberg. 1530. in praefat. super Danielem mentionem eorum, *quibus visum fuit, statim post annum expectandum mundi finem.* Circa annum Thomas Scykerus enthusiasta in urbe S. Galli tiorum, consulem ibidem agente Joachimo Va- , per urbem currens ac horrendis gestibus clamabat, *diem Domini adesse, diem Domini venire*, referente Bullingero lib. 2. contra Anabapt. c. 1. Husitis Anabaptistis circa annum 1530. tam certum erat, *extremum diem praesentem esse, ut aliqui ipsorum omnes suas opes et facultates pro- digerent ea opinione, ut putarent, se eas vix ab- sumere posse, tam brevi enim temporis spatio se satis opum habere.* libr. ejusdem c. 6. Camerarius lib. 1. oper. subcis. c. 41. p. 192: *Notum apud nos est, quibus rationibus nostra memoria quidam pa- rochus, alioqui non indoctus et arithmeticus insignis, suis auditoribus inter concionandum non, ut arbi- tror, dolose sed nimium fidens tum suis computati- onibus, tum dicto evangelistae propter numerum annorum* VIDebVnt In qVeM pVpVgerVnt, *per- suadere conatus fuit, finem mundi adesse, diemque certum et horam hujus indicavit.* Juxta illius hy- pothesin consummatio seculi incidisset in annum 1532. Bucholzerus in chronol. ann. 1533. sic anno- tat: *Hoc anno quidam inepte vaticinatus est de ex- tremi judicii die, qui venturus esset mense Octobri, idque supputavit ex his verbis:* IesVs NazarenVs reX IVDaeorVM. Item: VIDebVnt In qVeM trans- fIXerVnt, *quorum prius, si literas colligas, continet numerum anni 1532. posterius vero annum 1533.* Intelligit autem Michaelem Stifelium pastorem eccle- siae in Lochau sub ditione Electoris Saxonici, qui in hanc devenit opinationem, *se esse septimum an- gelum apocalypticum, qui per divinam revelationem novissimum diem antegrediatur, seque habere tubam septimi angeli.* Scripsit itaque librum et compre- hendit opinionem suam 22 articulis de extremo die voluitque demonstrare, extremum diem praecise ca- dere in annum Christi 1533. mensem 10. hebdoma- dam 42. in diem Lucae evangelistae circa horam octavam, qua praedictione rusticos sic dementavit, ut nec ararent, nec sementem facerent, sed genio indulgerent ac res suas compotationibus prius ab- sumerent, antequam dies extremus ingrueret. Vide Lutherum in comm. c. 32. Gen. et in coll. mensal. c. 43. Melchior Hoffmannus anno Christi 1534. mundi finem exspectandum esse praedixit. Enthusi- astarum quidam ita temerarii fuerunt, ut circa an- num 1539. etiam tempus ac diem ipsum, quo Domi- nus venturus esset, designarent. Hi deinde tanquam furiosi circumcurrebant et per plateas clamabant: *Dies Domini, dies Domini, annuntiamus vobis diem Dominicam*, Bullingerus d. l. c. 1. Andreas Mus- culus anno 1571. scriptum edidit sub hoc titulo, *An ille puer, qui diem supremum supervicturus sit, calceos modo induerit*, id si quis affirmet, addit illis Christi annis longaevitatem unius hominis 70 aut 80 annorum, qua ratione adventus Christi inci- XIX. 295.
det in annum 1541. vel 1551. Aretius in problem. loc. 183. de adventu Christi secundo refert, quos- dam hac computatione usos fuisse. In verbis aD- VentVs DoMInI collegerunt *literas arithmeticas*, quae conficiunt 2012, de quo numero subtraxerunt eum, quem collegerunt ex verbis DIes abbreVIa- bVntVr, hoc est 517, et restabant 1495; illis addi- derunt numerum literarum aenta, hoc est quinqua-

ginta sex, quem numerum dant literae aents naturali positione in dictione *adventus*, et emergunt anni 1551; hisce addiderunt adhuc 27, hoc est numerum literarum in dictione *domini*, et exit annus 1578. Quidam annis 1495 ex verbis *adventus Domini* et *dies abbreviabuntur* dicta ratione collectis addiderunt annos 150 ex verbis *propter eLeCtos* erutos, qui confecerunt annos 1645, a quo numero abstulerunt aents, hoc est 56. quem dant hae literae in dictione *adventus*, et emergit annus 1587, initium anni 1588, de quo jam olim sic cecinerunt:

Mille annis verum, hujusmodi non fuit coelum.
Veteres dudum dixere, hoc anno omnia lugere,
Si mundi finem non habebis, permutationem magnam videbis.

Wenn man schreibt 1588,
Das ist das Jahr, so wol betracht.
Gehet dann die Welt nicht unter,
So geschicht doch sonst gros Wunder.

Tribuuntur autem hi versiculi et haec ipsa opinio *Johanni Regiomontano* mathematico, qui ob maximam conjunctionem trium superiorum planetarum Saturni, Jovis, Martis, si non finalem, tamen insignem quandam mutationem mundo imminere praesagiebat. Casparus Bruschius hos rhythmos sic vertit:

Post mille expletos a partu Virginis annos,
Et post quingentos rursus ab orbe datos,
Octogesimus octavus mirabilis annus
Ingruet, is secum tristia multa trahet.
Si non hoc anno totus malus occidet orbis,
Si non in nihilum terra fretumque ruent;
Cuncta tamen mundi sursum ibunt atque deorsum
Imperia et luctus undique grandis erit.

Alii ex alio principio hunc numerum eliciunt. Ut enim ab emigratione Israëlitarum ex Aegypto ad natum Christum praeterierunt anni 1516, sic a nato Christo ad reformationem ecclesiarum a Luthero in Germania factam totidem annos recensent, hisce addunt annos, qui a Christi nativitate ad illius baptismum numerantur, videlicet 30 et 42 annos, qui inde usque ad Hierosolymae excidium numerantur, qui simul collecti exhibent annum Christi 1588. Johannes Erasmi Arianus in libro de Antichristo hac ratione progreditur. Sumit annum Christi 328. in quem incidit concilium Nicaenum, quod ipsi videtur impium et in Deum contumeliosum, in eo statuit initium *regni bestiae sive Antichristi*, quibus annis ex Dan. 12, v. 11. addit annos bestiae 1260, qui duo numeri juncti constituunt annum Christi 1588. in quem dicit cadere finem regni bestiae et initium instare restaurationis ecclesiae et novi mundi chiliastici ac phantastici. Sed hanc blasphemiam
XIX. 236. infernali igne Deus aliquando in ipso vendicabit et ipse eventus hoc somnium falsitatis convicit. Cyprianus Leovitius et alii mathematici propter conjunctionem omnium planetarum in ariete, qualis olim circa Christi nativitatem fuit, rationes quasdam in prognosticis suis anni 1583. allegarunt, diem Domini praesenti aetati appropinquare, Bodinus lib. 1. de daemonom. c. 5. Circa finem seculi proxime elapsi editum est scriptum aliquod sub ficto nomine *Adelberti Thermopedii*, qui definivit extremo diei annum 1599. 3. Aprilis. Quidam hunc numerum collegerunt hac ratione, ut quantitatem decurtationis, quae debet fieri propter electos, a sex mille annis facerent circiter 400 annos, ut hac ratione exiret annus 1600. vel 1612. Inventi fuere, qui Christi reditum exspectandum dixerunt, quando numerus annorum congruet *ad quinque vulnera Christi* in cruce pendentis, anno scilicet mundi 5555. hac ratione exspectandus fuisset mundi finis anno Christi 1605. Quidam ex verbo *judicium*, in quo omnes literae sunt numerales, collegerunt, anno 1613. extremum judicium instituendum.

79. Sed horum omnium calculos eventus contrarius plane conturbavit, quod ipsum metuendum illis, qui certum aliquem currentis centenarii annum extremo judicio praecise assignant. Eustachius Poysselius in libro Germanico de mutatione temporum has profert conjecturas. Anno 40. post primum pascha interiit Jericho; anno 40. post Christi pascha devastatur Hierosolyma; anno 40. post Nicaenum concilium, in quo pascha tertium respectu festivitatis celebrandae constitutum est, urbs Nicaea terrae motu eversa est; anno 40. post calendarium Gregorianum anno 1581. editum, quo iterum alius terminus paschalis positus est, interibit totus mundus, sic ergo finis mundi juxta hunc auctorem incidet in annum 1621. Quidam computant annos a Moyse usque ad Christum, qui in diebus carnis suae totum cultum Mosaicum abrogavit, qui fuere 1590, illis addunt annos 40, quibus Israëlitae vagati fuere in deserto, unde emergit annus 1630. quo finem mundi exspectandum censent. Quidam annum Christi 1636. mundo fatalem et exsequialem fore incertis conjecturis persuasi arbitrantur. Quidam referente Chytraeo in comm. c. 6. Genes. hypotheseos loco in sua computatione assumunt dictum Christi Matth. 24, v. 37. Luc. 17, v. 26: *Sicut erat in diebus Noae, ita et erit adventus Filii hominis*, et quia a mundi creatione usque ad diluvium intervenerunt anni 1656, ideo totidem annos a primo Christi adventu usque ad secundum ipsius adventum intercessuros arbitrantur. Eidem principio insistit Nicolaus Cusanus in lib. de conjectur. noviss. diei. Sed quilibet videt, Christum loqui non de numero annorum, sed de conformitate vitae ac morum. Jobus Fintzelius et Casparus Goldwurm in catalogo prodigiorum memorant, anno 1556. in Transsylvania coelo sudo comparuisse has literas et haec verba. INRI. MDLVI. IAHR EIN ENDE DIESES REICHS. Ex illis colligit Adamus Nachenmoserus. diem judicii venturum anno 1656. Sic autem progreditur: Quemadmodum indicta poena diluvii Deus ad poenitentiam agendam peccatoribus annos 120 dedit; ita haud praeter rationem erit, si dixerimus, hoc prodigio

diem novissimum praenuntiari, et ideo etiam 120 superesse annos, quibus sit poenitentia hominibus agenda. Quemadmodum autem seculo Noae ad cen-
227. tum solummodo annos poenam Deus distulit; ita conjicio, tempus ultimum similiter annis tantum 20 abbreviatum iri, ut hac ratione non absurdum sit, si finem mundi constituamus in anno Domini 1656. In meletemate chronologico Gryphisw. anno 1607. edito auctor libri huic computationi probabilitatem quandam conciliare conatur ex eo, quod praedictus numerus in jubilaeos redactus producat 33 cum 6 partibus, qui numerus est annorum aetatis Christi, ut scilicet totidem jubilaeos lucretur ecclesia Christiana, quot annos singulos Christus in terris vixit, sed Cramerus theologus eximius, in exegem. de regno Christi c. 4. (in quo superiores computationes plerasque omnes recenset et refellit) p. 268. recte monet, negligi in hoc calculo 6 partes, hoc est sex annos, qui si adderentur, prodiret annus 1662. ac si aetatem Christi respiciamus, in ea superesse annum dimidium, qui exaequat dimidium jubilaeum, id est annos 25, qui superioribus additi producerent annum Christi 1682. Hiltenius monachus Isenacensis, cujus mentio fit in Apologia confessionis Augustanae, quod reformationem Lutheri praedixerit, finem mundi constituit in anno 1660. ac addit, *prius dominaturos Gog et Magog*, prius etiam fore inclinationem regni illius Turcici, postquam Germaniam oppresserunt. Philippus Nicolai in lib. 2. de regno Christi c. 8. confert invicem annos vitae Christi in his terris exactae et ecclesiae Christianae utpote corporis ipsius mystici jubilaeos ac subductis rationibus omnibus tandem concludit: *Annus Christi 1670. finis erit stadiorum mille sexcentorum Apocal. 14. finis dierum mille trecentorum et triginta quinque Dan. 12. finis horae, diei, mensis et anni Apoc. 9. finis diei mystici septemque mensium et septem annorum in unam periodum conjunctorum Ezech. 38. et 39. finis mensium quadraginta dierum Apoc. 13. finis temporis diei mystici et trium horarum Apoc. 18. finis temporis, temporum et dimidii temporis Daniel 12. finis quinque mensium Apoc. 9. finis dierum mille ducentorum sexaginta et semiquatuor horaeque unius mysticae Apoc. 11. finis temporum novi Adami cum veteris Adae temporibus collatorum ac denique finis temporum ecclesiae jubilaeorum*; interim modeste addit c. 1. p. 22: *Protestor, nolle me de arcanis soli Deo reservatis quidquam scire, quidquam affirmare vel quidquam negare, et absit ab omnibus Deum ex animo timentibus tam curiosae, impiae et prohibitae speculationis temeritas. Fieri enim potest, ut gloriosus ille extremi judicii dies anno 1670. se ostendat, quod ut affirmare non possum, sic nec obstinate infitiabor, at fieri quoque potest, ut propter electorum fidelium assiduis gemitibus votisque hunc diem exspectantium calamitates et aerumnas, quibus a mundo et Satana obruuntur, citius allabatur temporibusque omnibus finem imponat; nec minus fieri potest, ut post annum 1670. anno quodam alio nobis incognito, cum minus exspectatur, derepente illucescat et nostra opinione tardius ex insigni Dei μακροθυμίᾳ exspectantis omnium hominum conversionem adventet* Nicolaus Raimer. Ursus Dithmarsus mathematicus caesareus superioribus annis scriptum edidit, in quo conatur demonstrare, quod ab anno Christi 1606. usque ad diem extremum supersint duntaxat anni 67, qua ratione finis mundi incideret in annum Christi 1673. nititur autem hac hypothesi, de qua dictum est superius, quod periodus mundi non sit excessura sex millenarios annorum, ac nova chronologica supputatione ostendit, illa sex millia annorum
usque ad modicum residuum 67 annorum esse elapsa. XIX. 228.
Heerbrandus d. l. memorat, quosdam suspicari, quod annus Christi 1675. finem mundo sit allaturus. Philippus Melanchthon in post. dom. II. Advent. scribit: *Ego vidi veterem prophetiam, quod annus 1980. futurus sit mundi ultimus.* Quidam reditum Christi ad judicium rejiciunt in annum 1668. *ob trigonum igneum*, quem mundo fatalem futurum statuunt. Andreas Osiander definivit annum 1689. lib. edit. Norinb. anno 1544. Chytraeus in comm. Apoc. 11. memorat, quosdam praedixisse, anno 1695. futurum mundi finem. Johannes Napier Scotus scripsit patefactionem mysteriorum Apocalypseos, in qua propos. 14. vult demonstrare *et debere et posse sciri mundi finem*, ac statuit, diem judicii inter annum 1688. secundum Apocalypsin et annum 1700. juxta Danielem esse futurum. Existimat enim, in fine capitis 14. Apoc. poni numerum, qui videatur ultimi diei terminus futurus *per mille sexcenta stadia* seu cursus, quae debeant ad annorum designationem applicari. Si ergo numerentur 1600 anni a tempore, quando Johannes scripsit, puta annum Christi 97. secundum Eusebium, velt annum Christi 99. secundum Irenaeum, finis computationis incidet in annum fere 1699. constitutum inter anni 1688. et anni 1700. terminum. Selneccerus in paedagog. recenset eos, qui anno Christi 1688. mundi finem exspectandum esse statuerint. Nicolaus Cusanus assignavit annum 1700. Adamus Contzen. Jesuita defens. Bellarmini contra Paraeum editae adjunxit considerationem, *utrum annus 1711. futurus sit mundo ultimus.* Johan. Picus Mirandulanus in 900 conclusionibus: *Si qua est de novissimis temporibus conjectura humana, investigare possumus per secretissimam viam Cabalae, futuram esse consummationem seculi hinc ad annos 514 et dies 25.* Cardanus lib. 2. de rer. variet. annum 1800. determinat. Quidam obscuritatibus suas praedictiones involvunt, ut eo securius mentiantur. Franciscus Hildesheimius in epist. 1586. edita refert tale cujusdam dicterium: *Qui sciverit, quid sit denarius in arithmetica formali et cognoverit naturam primi numeri sphaerici, sciet fundamentum secuti magni jubilaei, sciet pariter secretum 50 portarum intelligentiae et millesimae generationis et regni omnium seculorum.* Sed hi ac similes prophetastri, uti recte monet Cramerus dicto loco, nec *in conclusione*, nec *in praemissis* conveniunt, alii enim alium annum mundo fatalem fore statuunt;

ac alii nituntur *occultis revelationibus*, alii *rabbinorum traditionibus*, alii *astrologorum computationibus*, alii *literis arithmeticis*, alii *chronologicis conjecturis* et temporum epilogismis, in quibus proprio arbitrio certum aliquem terminum eligant, a quo numerandi initium faciunt. Quin et multae imposturae in ejusmodi auguriis concurrunt, quibus simpliciorum animis illuditur. Johannes Tritheimius in chron. memorat, anno Christi 847. quandam mulierem finxisse, quod *angelus Domini sibi apparuerit, qui novissimum diem judicii mox instare pronuntiasset*, qua ratione multos tam ex clero, quam ex populo per dioecesin Moguntinam deceperit. Tandem vero per Rabanum archiepiscopum comprehensa confessa est, *fuisse se per consilium cujusdam presbyteri ad hoc quaestus gratia inductam.* Vide Centurias Magdeburgenses 9. col. 224. Martinus Crusius in Turco-Graecia memorat, Monachum quendam Graecum ante annos plusculos Hierosolymis Constantinopolin venisse ac ante templa in ma-
XIX. 239. gno hominum concursu, ut pecuniam colligeret, dixisse, *non procul Hierosolymis lapidem coelitus cecidisse, cui inscriptum, paucos post dies mundum interiturum,* idque literis probabat, quas se ab Alexandrino patriarcha habere ajebat, in illis promittebantur peccatorum indulgentiae omnibus, qui eas pecunia compararent, sed paulo post prudentia patriarchae Constantinopolitani detecta impostura, et monachus et ii, qui tales ab eo indulgentias emerant, excommunicati sunt. Qui imposturam confessus, amareque flens exire e templo, nisi a patriarcha in gremium ecclesiae receptus, noluit, id quod factum est, cum serio jocoque reprehensus prodromus avari papae appellatus fuisset. Nostro seculo quidam fanaticus nomine Burghans revelationes quasdam de tempore judicii jactavit, sed quas ipsa temporum experientia elusit.

80. Ad classem curiosorum ac scrupulosorum calculatorum, qui extremo judicio certum ac determinatum diem praefigunt, accedunt etiam *Pontificii*, qui utopicum suum Antichristum ex tribu Dan adhuc nasciturum exspectant, quem tres annos cum dimidio in terris regnaturum ac die post mortem ejus quadragesimo quinto judicium secuturum esse somniant, ac certo velut ex tripode pronuntiant, qua ratione per tres annos integros judicium proxime antecessuros definitum ejusdem tempus ab omnibus praesciri posse praesupponunt. Gregorius de Valentia tom. 4. comment. disputat. 11. quaest. 2. pag. 2273: *Dicendum, inter Antichristi mortem et Christi adventum ad judicium, adeoque mundi consummationem brevissimum temporis intervallum futurum, nempe quadraginta quinque dierum. Quod autem non diutius sed statim post exiguum illud temporis intervallum a morte Antichristi judicium futurum sit et mundi consummatio, patet ex Danielis c. 7. ubi postquam dixit de Antichristo, quod sanctos Altissimi conteret, et quod tradentur in manus ejus usque ad tempus et tempora et dimidium temporis, mox adjunxit: et judicium sedebit. Item ex Johanne Apocalyps. 20. qui similiter postquam dixit, oportere draconem solvi modico tempore, addit: et vidi sedes, et sederunt super illas, et judicium datum est eis.* Blasius de Viegas in comment. Apoc. p. 767. ex verbis Danielis c. 12. *a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta; beatus, qui exspectat et pervenit ad dies mille trecentos triginta quinque*, sic ratiocinatur: *Antichristi persecutio durabit tribus annis cum dimidio et praeterea decem aut duodecim diebus, sed beatus, qui mortuo Antichristo supervixerit quadraginta quinque dies, hoc est pervenerit ad dies 1335, qua re significatur, quadraginta quinque dies futuros a morte Antichristi usque ad diem judicii.* Bellarminus lib. 3. de Romano pontifice c. 8: *Antichristus non regnabit nisi annos tres cum dimidio.* c. 9. *Die quadragesimo quinto post mortem Antichristi Dominus veniet ad judicium et coronas justitiae victoribus reddet.* c. 17. *Post Antichristi mortem non futuri sunt nisi quadraginta quinque dies usque ad finem mundi.* Caspar Scioppius ab adventu Antichristi usque ad judicium praecise numerat mille trecentos triginta quinque dies. Similia occurrunt apud Pererium lib. 15. comment. in Daniel. p. 915. Josephum a Costa lib. 3. de novissimis temporibus c. 18. p. 563. Atqui haec opinio 1. pugnat *cum effato Christi*, quo diem extremi judicii a quoquam hominum praesciri posse negat Matth. 24, v. 36. Marc. 13, v. 32. Actor. 1, v. 7. cujus veri- XI
tatem comprobat ipse Bellarminus sibi contradicens lib. 4. de Christo c. 5: *Mundi finis non potest sciri.* 2. *Securitati fovendae oblique inservit.* Cum enim ex Pontificiorum hypothesi Antichristus nondum venerit, ideo mundus interea cum servo nequam dicere poterit: *Moram facit Dominus meus venire* Matth. 24, v. 48., Non est, quod quis regerat, *etiam apostolum praemonuisse, diem Domini non esse venturum, antequam Antichristus reveletur* 2. Thess. 2, v. 3. *nec ullam de suppeditato securitatis fomento dicam ipsi propterea scribi potuisse;* est enim ratio maxime dispar, quia tempore apostoli Antichristus nondum venerat, quem hoc nostro tempore revelatum ex Scriptura et experientia constat. 3. *Adversatur oraculo apostolico*, quod Dominus glorioso suo adventu Antichristum e medio sit sublaturus. 2. Thess. 2, v. 8. utique ergo non morietur 45 diebus ante Christi adventum. 4. *Confundit dies angelicos et propheticos cum vulgaribus*, Ezech. 4, v. 6: *Diem pro anno dedi tibi.* Docet apostolus 2. Thess. 2, v. 7. Antichristum jam tum suo tempore *mysterium iniquitatis operari* coepisse. Joh. 1. epist. 4, v. 3. *Antichristum jam venisse* asserit, ac res ipsa ostendit, non potuisse tantam Antichristi potentiam tam brevi tempore colligi, ut nihil dicamus de testimoniis martyrum, qui jamdudum in ecclesia Antichristum regnasse superioribus seculis conquesti sunt, ut alibi plenius docebitur. Ex quibus omnibus colligimus, in propheticis illis de duratione regni antichristiani oraculis non vulgares intelligendos esse

annos, sed angelicos et propheticos, quorum quilibet tot annos complectitur, quot alioquin dies vulgaris annus habet, nimirum 365. Summa ergo trium annorum angelicorum cum dimidio conficit annos 1260. Instituimus etiam talem vaticiniorum propheticorum collationem. Duratio regni Turcici (de eo enim, non de Antichristo specifice sic dicto ibi agitur) Daniel. 7. definitur per *tempus, tempora et dimidium temporis.* Duratio regni antichristiani Daniel. 12. itidem sic describitur, quod per *tempus, tempora et dimidium temporis* sit mansurum. Apoc. c. 13, v. 5. bestiae datur potestas bellum faciendi adversus sanctos *menses quadraginta duos*, qui annos tres cum dimidio absolvunt. Apoc. c. 12, v. 4. mulier illa, quae ecclesiam repraesentat, fugiens draconis saevitiam cum filio suo alitur in deserto *per tempus, tempora et dimidium temporis*, quod spatium versu proxime praecedente resolvitur in dies 1260; denique duo testes veritatis Apoc. 11, v. 3. obluctantur Antichristo dies 1260. quae omnia ad unum et eundem collimant scopum, quod scilicet Antichristi tyrannis tam diu sit duratura. Jam vero constat, Turcicum imperium diutius quam per tres annos vulgares cum dimidio durasse, ideo etiam duratio regni antichristiani non est ad mensuram vulgarium annorum exigendum. Nec est quod quis regerat, *Antichristo assignari tempus modicum* Apoc. 12, v. 12. brevitas enim illa accipienda est non ἁπλῶς sed συγκριτικῶς, non *absolute* sed *comparate*, breve enim erit dominium Antichristi respectu *Dei*, in cujus oculis *mille anni sunt instar hesternae diei* Psalm. 90, v. 4. 2. Petr. 3, v. 8. respectu *ecclesiae*, cujus regnum antichristiano longe antiquius et durabilius; respectu *decurtationis divinae*, quia dies *abbreviabuntur propter electos* Matth. 24, v. 21. respectu *phraseos* in Scripturis receptae, quae spatium aliquot seculorum vocat *horam novissimam*, quia novissimorum temporum et horae novissimae appel-
C. 241. latione complectitur totum illud tempus, quod a primo Christi adventu usque ad secundum ejus adventum ac seculi consummationem protenditur 1. Cor. 10, v. 11. 1. Joh. 2, v. 18.

81. Praestat igitur singulis *diebus*, imo *horis*, imo *momentis* Christi ad judicium in vero Dei timore exspectare, quam momentum temporis, quo ad judicium rediturus sit, scrupulose contra ipsius prohibitionem indagare. Quod alii tribuunt curiosae temporis indagationi, illud rectius a nobis impenditur piae ad hunc diem praeparationi, quem in propinquo esse colligitur non modo *ex manifestis Scripturae dictis* 1. Petr. 4, v. 7. Jac. 5, v. 8. 1. Joh. 2, v. 18. etc. sed etiam *ex signis a Christo et apostolis praedictis*, de quibus infra plenius. Servus nequam sic describitur, quod *in corde suo dicat: Moram facit dominus meus venire* Matth. 24, v. 48. Luc. 12, v. 45. empaectarum sunt hae voces: *Ubi est promissio adventus ejus?* 2. Petr. 3, v. 4. quibus Mahumetes in suo corano frigidam suffundit, quando azoara 80. asserit, *finem mundi quinquaginta millium annorum spatio adhuc abesse* (quamvis sibi contradicens azoara 57. eundem brevi adfuturum asserat), sed vero pii ac Spiritum Christi habentes sic describuntur, quod *parati sint ac vigilent, cum nesciant, qua hora sit venturus ipsorum dominus* Matth. 24, v. 42. et 44. Marc. 13, v. 33. 35. et 37. quod *sint lumbi ipsorum praecincti et lucernae ardentes* Luc. 12, v. 35. quod *sint similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim ei aperiant* v. 36. quod *vigilent omni tempore orantes, ut digni reddantur fugere ista omnia, quae futura sunt et stare ante Filium hominis* Luc. 21, v. 36. quod *non dormiant sicut ceteri, sed vigilent et sobrii sint* 1. Thess. 5, v. 6. quod *quotidie exspectent et properent in adventum hujus diei* 2. Petr. 3, v. 12. quod *vigilent et custodiant vestimenta sua, ne nudi ambulent et conspiciatur nuditas ipsorum* Apoc. 16, v. 15. quod *ex Spiritu cum sponsa Christi quotidie ingemiscant: Veni Domine Jesu, veni.* Apoc. 22, v. 17. et 20. Hoc animae nostrae longe salubrius ac fructuosius, quam incertis computationibus tempus poenitentiae et bonis operibus praestitutum inutiliter conterere. Non quidem improbamus pium eorum studium, qui vaticinia in scriptis propheticis et apostolicis proposita cum ipso eventu optimo vaticiniorum interprete prudenter conferunt ac diem ultimum in propinquo esse ex illo recte colligunt. Sic Cunmannus Flinsbachius Tabernaemontanus circa annum Christi 1559. librum edidit sub titulo *Conjecturae extremorum temporum*, in quo decem conjecturas recenset, quae testentur, diem novissimum proxime prae foribus esse, 1. quia quatuor monarchiae Dan. 2. et 7. praefiguratae praeterierunt atque in summo fastigio regni Turcici post quartae monarchiae labefactationem exorti vivimus; 2. Antichristus est revelatus et doctrinae reformatio divino beneficio praecessit juxta vaticinia 2. Thess. 2. et Apoc. 14; 3. vivimus in sexto millenario, qui finem mundo adferet, ut ex vaticinio Enochi colligitur; 4. sex dies creationis sex mundi aetates hoc tempore ferme exactas designant, quas aeternum insequetur sabbathum; 5. trigesimus tertius ecclesiae jubilaeus respondens 33 annis vitae Christi in his terris actae fere praeterlapsus est; 6. exacto seculo ἡγεμονικῷ ac θυμοειδεῖ jam dominatur ἐπιθυμητικόν, impietas et securitas ubique invaluere; 7. apostoli
novissimam horam vocant tempus primo et secundo XIX. 242
Christi adventui interjectum, necesse igitur est, brevius illud esse, quam fuit aetas, quae praecessit; 8. dies ab angelo Dan. 12. *definiti*, id est anni 2625 ab aetate Danielis, fere effluxerunt; 9. tempus aetatem Esdrae antegressum ac tempus eandem secuturum talem dicuntur ab angelo habere proportionem, qualis *est inter ignem magnum et exiguum, inter pluviam magnam et exiguam* 4. Esdr. c. 6. jam vero ultra mille annos ab aetate Esdrae usque ad nostra tempora praeterierunt; 10. tertia mundi aetas in dicto Eliae praefinita Messiae fini jam appropinquat. Has, inquam, et similes conjecturas non omnino repudiamus, interim eas utpote ex apocryphis libris

et magnam partem ex incertis principiis deductas apodicticas et immotas esse negamus ac serio prohibemus, ne quis ad *καθέκαστα* descendat ac annum vel diem judicii praecise determinare annitatur. Atque haec dicta sint de tempore, quo judicium novissimum inchoabitur, de *durationis tempore* in quaestionibus de forma judicii dictum fuit superius, transitum ergo facimus ad quaestiones.

Quaestio 1. An Christus nocte media paschatos festum antecedente sit venturus.

82. Quaeritur hoc loco 1. *Quid de conjectura quorundam statuendum, qua Christum nocte media paschatos festum antegrediente ad judicium rediturum credunt?* Quosdam illa nacta est ex antiquitate patronos. Lactantius lib. 7. div. institut. c. 19. in princ.: *Tunc aperietur coelum medium intempesta et tenebrosa nocte, ut in orbe toto lumen descendentis Dei tanquam fulgur appareat, quod Sibylla his versibus locuta est:*

— — *ὅπποτ' ἂν ἔλθῃ*
πῦρ, ἔσται σκότος ἐν τῇ μέσσῃ νυκτὶ μελαίνῃ,

hoc est nox, quae nobis propter adventum regis ac Dei nostri pervigilio celebratur, cujus noctis duplex ratio est, quod in ea et vitam tum recepit, cum passus est, et postea orbis terrae regnum recepturus est. Idem in epit. divin. instit. c. 8. circa med.: *Tunc coelum intempesta nocte patefiet et descendet Christus in virtute magna et antecedet eum claritas ignea et virtus inaestimabilis angelorum.* Hieronymus in comment. Matth. 25. in explicatione verborum *media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit: Dicamus aliquid, quod forsitan lectori utile sit. Traditio Judaeorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem Aegyptii temporis, quando pascha celebratum est et exterminator venit et Dominus super tabernacula transiit et sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt, unde reor, et traditionem apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum paschae ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, exspectantes adventum Christi, et postquam illud tempus transierit, securitate praesumta festum cunctos agere diem, unde et psalmista dicebat: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tuae.* Confer Cassiodorum in Psalm. 118. Albertus Patavinus communi suffragio Christianorum hoc receptum esse tradit. Conantur autem huic opinioni probabilitatem quandam conciliare 1. *ex parabolis et similitudinibus Christi.* 1) de *fure irrumpente.* Matth. 24, v. 43. Luc. 12, v. 39: *Si sciret paterfamilias, qua vigilia fur venturus esset, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam; ideo et vos estote parati, quia qua non putatis hora Filius hominis venturus est.* Apoc. 16, v. 15: *Ecce venio sicut fur*, quod imitatus apostolus 1. Thess. 5, v. 2: *Scitis exacte, quod dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Jam vero fures noctu hominibus stertentibus in aedes irrumpere solent alienas. XIX. 248.
2) *De sponso ad nuptias veniente.* Matth. 25, v. 6: *Media nocte factus est clamor, ecce sponsus venit.* Moris erat apud Judaeos, ut sponsus comitatus adolescentum societate accederet sponsae suae aedes celebraturus cum ea nuptias, ac tum e sponsae domo virgines quaedam sponsae assidentes, ipsamet domi remanente et sponsi adventum exspectante, prodirent obviam sponso deducturae illum cum lampadibus in domum sponsae et nuptialibus gaudiis cum ipsa perfruiturae. Hoc vero omne in magnificis nuptiis ad multam usque noctem protrahi solebat. 3) *De patrefamilias domum ex itinere redeunte.* Marc. 13, v. 34: *Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam et dedit servis suis potestatem cujusque operis et janitori praecepit, ut vigilet.* v. 35. *Vigilate ergo, quia nescitis, quando dominus domus veniet, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* 4) *De hero ex nuptiis revertente.* Luc. 12, v. 36: *Estote similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertetur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei.* v. 38. *Si venerit in secunda vigilia et si in tertia vigilia venerit et invenerit servos vigilantes, beati erunt servi illi.* Jam vero ex nuptiis sub multam noctam convivae domum reverti consueverunt. 5) *De duobus in lecto*, quorum unus assumitur, alter relinquitur, Luc. 17, v. 34. 2. *Ex typo paschatis Judaici.* Quemadmodum angelus Domini *nocte media* pascha Judaicum proxime antegressa percussit omne primogenitum in Aegypto Exod. 12. quod fuit judicium Dei particulare adversus Aegyptios; sic verisimile apparet, Christum eodem tempore ad universale judicium, cujus praeludium in eo praecessit, esse rediturum. 3. *Ex cognatione corporis mystici.* Quemadmodum Christus ecclesiae caput nocte pascha Christianum immediate praecedente ex mortuis resurrexit; sic probabile videtur, eodem tempore Christum corporis sui mystici membra ex mortuis excitaturum ac ad tribunal suum evocaturum. Corn. Jansenius in harmon. evang. c. 124. p. 856: *Creditur a quibusdam non improbabiliter, resurrectionem omnium fore in crepusculo sole exsistente in oriente et luna in occidente, quia in tali dispositione sol et luna creduntur esse creata, ut sic eorum circulatio compleatur penitus per reditum ad idem punctum, unde de Christo creditur, quod illa hora resurrexerit.* Sed enim 1) est haec traditio *Judaica* teste Hieronymo dicto loco, proinde etiam suspecta; 2) est *ἄγραφος* ac proinde certum fidei fundamentum exhibere nequit. Parabolae et similitudines adductae non *tempus* sed *qualitatem* gloriosi illius adventus determinant, quod videlicet futurus sit subitus et inopinatus. Christus nequaquam dicitur *venturus nocte, sicut fur*, sed dicitur *venturus, sicut fur nocte venit*, proinde *προσδιορισμὸς ἐν νυκτί* non ad Christi sed ad furis adventum proprie pertinet. Addi potest, *noctis* nomine etiam hoc significari, quod tempore illius ultimi adventus tristis omnium rerum facies sit futura. Ex typis argumenta apodictica elici nequeunt, nisi ipsa Scriptura monstret applicationem. Analogia capitis et membrorum in corpore Christi mystico certis includenda est limitibus, neque quidvis ex ea temere inferendum. 3) Si morose urgeatur

et velut certa obtrudatur, erit *ἀντίγραφος*, quia Christus expresse asserit, *se venturum ea hora, qua non putetur*. Et quomodo nocte media certo ac determinate adventus Christi exspectari potest, cum
4. diserte testatus sit, *nesciri, an rediturus sit vesperi, an medio noctis, an gallicinio, an crepusculo* Marc. 13, v. 35? 4. Repugnat physicis principiis sicque est *ἀντιφυσική*. Neque enim in omni terrarum climate uno eodemque tempore media nox est, sed quando sol nobis occidit et sub nostrum horizontem descendit, tunc antipodibus oritur et in ipsorum horizonte adscendit, ex quo circulari solis motu accidit, ut quando sol a nostro zenith sive puncto verticali longissime distans mediam noctem efficit, tunc ad antipodum zenith sive punctum verticale proxime accedens mediam diem ipsis efficiat. Palaestinae igitur, in qua Christus docuit, non autem vel Germaniae vel aliarum provinciarum, in quibus Christiani degunt, respectu accipiendum foret, Christum media nocte ad judicium rediturum. At hac ratione respectu nostri non media nocte, sed interdiu vel diluculo adventus ejus exspectandus esset. 5) Rabanus lib. 5. de universo contrariam traditionem recenset. *Christus*, inquit, *eadem hora, qua resurrexit, ad judicium venturus est*. Ostendimus autem in harmon. de resurrectione c. 1. Christum non media nocte, sed diluculo ex mortuis surrexisse. Scotus 4. sent. distinct. 43. quaest. 5: *Ea forte hora in comparatione ad illam regionem Christus redibit ad judicium, et mortui resuscitabuntur, qua ipse resurrexit; vel ea hora, qua morti adjudicatus est a Pilato, vel ea, qua exspiravit in cruce. Siquidem de hoc certum non habemus ex Scripturis et quodcunque illorum ponatur, exponendum est illud media nocte pro incertitudine.*

stio quo tem- Chri- s re- rus?
83. Quaeritur 2. *An praesciri possit, quo anni tempore Christus ad judicium sit rediturus?* Quidam existimant, *tempore verno* adventum Christi esse exspectandum, 1. quia eodem tempore mundus conditus, ut ex Exod. 12, v. 2. et rationibus quibusdam probabiliter colligit Ambrosius lib. 1. hexaëm. c. 4. 2. Quia etiam alia Dei opera maxima et singularia verno tempore facta, ut eversio Sodomorum, Israëlitarum ex Aegypto liberatio et transitus per Mare rubrum, redemtio humani generis per passionem Christi etc. 3. Christus Luc. 21, v. 29 utitur similitudine ficus gemmas protrudentis, cui signa novissimi diei comparat. Constat autem, ficus veris tempore progerminare. 4. Ver novam mundi faciem nobis exhibet, herbae emortuae reviviscunt, coeli temperies fit blandior etc. verisimile igitur est, etiam illo tempore ossa nostra instar graminis in resurrectione progerminatura, Es. 66, v. 14. Sed verisimiliter haec cogitari, certo autem et apodictice affirmari nequeunt. Ut enim *de die et hora* adventus nemo novit, ita quoque de *anni tempore* in Scripturis nihil revelatum exstat.

stio rus le- sts
84. Quaeritur 3. *An Lutherus propterea pro pseudopropheta habendus sit et fides doctrinae ejus in universum deroganda, quod praedixerit, diem novissimum esse in propinquo, qui tamen nondum advenerit?* habendus sit. In colloqu. mensal. tom. f. 48: *In Apocalypsi usque ad equum album mundus pervenit, non diu stabit mundus, non ultra centum annos.* Pontificii et cumprimis Tannerus in anat. August. conf. part. 1. demonstr. 4. affirmant argumenti loco adducentes legem divinam Deut. 18, v. 22: *Quod propheta in nomine Domini praedixerit et non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit, et idcirco non* XIX. 245.
timebis eum. Respondemus: 1. Lutherus nunquam et nuspiam certum aliquem annum vel diem adventui Christi novissimo praefinivit, sed ab hac curiositate Stifelium et alios serio dehortatus est. Neander in theol. Christ. p. 695. de ipso commemorat, quod *tum antea saepe, tum paulo ante obitum suum crebro usurpaverit hanc vocem:* Ich will den Jüngsten Tag nicht erleben, aber meine Kinder sollen ihn erleben. Verum in postill. eccles. dom. II. Advent. mentem suam sic exponit: Ich will niemand zwingen noch bringen mir zu glauben, ich will mirs auch wiederum niemand nehmen lassen, daß ich halte, der Jüngste Tag sey nicht fern. In comment. cap. 11. Genes. tom. 2. fol. 2: *Si conjicio, Deum certo suo consilio in Abrahamo 60 annos voluisse intercidere, ne ex annorum mundi certa ratione quisquam de fine mundi certi aliquid praedicere praesumeret. Ostendit quidem signa novissimi diei et ea exstare et conspici vult, sed hanc diem non vult sciri, imo ne quidem annum, ut pii perpetuo in exspectatione hujus gravissimae lucis exercerent fidem et timorem erga Deum.* 2. Neque ex spiritu prophetico vel enthusiasticis revelationibus praedictionem de die novissimo proxime instante sese proferre jactitavit, sed ex signis extremi judicii in verbo annotatis. 3. Distinguenda igitur sunt omnia a propheticis vaticiniis. Illa sunt duntaxat quaedam praesagia, quibus non indubitato ac perpetuo respondet eventus; haec vero, nisi conditionem aliquam annexam habeant, semper implentur. Lutheri de die novissimo praedictiones prioris, sed non posterioris generis sunt censendae. 4. Vaticinium de die novissimo proxime instante non pertinet ad capita religionis, quae ex certo et immoto Dei verbo unice demonstranda esse constanter docuit Lutherus, sed ad probabiles conjecturas, quae ex signis antegressis petuntur, ut ad poenitentiam et timorem Dei auditores eo magis iisdem excitentur. 5. Sicut Christus dicit, *abbreviandos esse dies propter electos* Matth. 24, v. 22. ita Petrus asserit, *Deum μακροθυμεῖν, cum nolit aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti* 2. epist. 3, v. 9. Ergo si vel maxime Deus ex *μακροθυμίᾳ* diem extremi judicii differat, ut plures convertantur et salventur, nihil tamen ex eo praedictionibus de propinquitate hujus diei decedit. 6. Non omnis, qui venturas mundo poenas denuntiat, quae postmodum non sequuntur, pseudopropheta loco habendus est, alias etiam Jonas foret pseudopropheta, qui Ninivitis excidium Dei jussu praedixit. Confer Jerem. 18, v. 7. Luc. 13, v. 3.

sed is demum pseudopropheta censendus, qui ad confirmationem novi cujusdam dogmatis extra et praeter verbum excogitati vaticinium profert, cui eventus non respondet, quod a Luthero factum esse nunquam demonstrabunt Pontificii.

8. Antecedentia judicii sunt signa. 1. remota. 85. 3. *Antecedentia* judicii sunt signa diem novissimum antegressura. Quemadmodum enim mors hominis, qui est עוֹלָם קָטָן, ut eum vocat D. Kimchi in comment. Zach. 2, v. 1. ac *μικρόκοσμος*, ut eum appellat Philosophus lib. 8. physic. text. 17. et certis quibusdam prognosticis ab Hippocrate et Galeno enumeratis praenosci potest; sic ultimam mundi panolethrian certa quaedam signa praecessura esse Christus et apostoli docuerunt. Ea vero in duas dispesci possunt classes. Quaedam enim sunt *remota ac communia*, quaedam vero *propinqua ac propria*.
XIX. 246. *Remota ac communia* voco, quae tum excidii Hierosolymitani, tum consummationis seculi fuere praevia.
1. Haeresium multiplicatio. Ea vero sunt 1. *Haeresium multiplicatio* Matth. 24, v. 5: *Multi venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, et multos seducent.* v. 11. *Multi pseudoprophetae surgent et seducent multos.* v. 23. *Tunc si quis dixerit vobis, ecce hic est Christus, ecce illic, nolite credere;* v. 24. *surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi.* Confer Marc. 13, v. 6. 21. et 22. Luc. 21, v. 8. Quaesiverant apostoli conjunctim, *quando illa sint futura*, quae de eversione templi praedixerat, *et quodnam signum adventus ejus et consummationis seculi sit futurum* Matth. 24, v. 3. Marc. 13, v. 4. Luc. 21, v. 7. existimabant enim, in secundo demum Christi ad judicium adventu destruendam esse Hierosolymam et templum ac cum ea totum mundum, adeoque omnium rerum finem futurum, ac tum demum omnibus innovatis Messiam novum suum regnum auspicaturum. Christus igitur ad utrumque quaestionis membrum distincte respondet, ac primo quidem de Hierosolymae vastatione concionatur, deinde vero de suo adventu, eo ipso significans, haec non ejusdem temporis sed diversorum fore. Quamvis ergo ea, quae in priore responsi parte a Christo proferuntur, ad tempora excidium Hierosolymae praecedentia proprie ac principaliter pertineant, ut ex serie textus recte observavit Chrysostomus, tamen quae de adventu pseudoprophetarum ac reliquis malis Hierosolymae devastationem antegressuris ibidem praedicuntur, secundario et consequenter ad statum temporum, quae judicium extremum praecedunt, commode referri possunt. 1) Quia excidium Hierosolymae fuit typus universalis excidii universo orbi destinati. Unde etiam ea, quae de temporibus Hierosolymae excidium antegressuris hic a Christo dicuntur, in aliis Scripturae locis ad tempora finem mundi antecessura accommodantur. Confer Dan. 12, v. 1: *Erit tempus tribulationis, quale non fuit etc.* cum Matth. 24, v. 21. et 2. Petr. 3, v. 9. cum Matth. 24, v. 22. Quemadmodum igitur referente Gamaliele Act. 5, v. 36. et 37. Josepho libr. 2. de bell. Judaico c. 7. 12. et 17. libr. 5. c. 7. libr. 18. antiquit. c. 1. et 2. libr. 20. c. 4. 11. et 14. Eusebio libr. 4. hist. c. 6. Galatino libr. 4. de arcanis c. 21. Weidnero in praefat. tractat. de praecipuis fidei artic. Christ. Gersone in talm. c. 9. etc. ante Hierosolymae *πανολεθρίαν* plurimi pseudoprophetae surrexerunt et veluti continuata quadam serie sibi successerunt, Theudas, Judas Galilaeus, pseudopropheta Aegyptius, Ben Chuziba et alii, qui se *populi liberatores ac salvatores* fore polliciti sunt, ac vaticinium Christi Joh. 5, v. 43. editum affatim impleverunt; sic ante seculi finem copiosa erit pseudodoctorum messis. 2) Quia vaticinio de pseudoprophetarum seductoribus *αἰτιολογικῶς* subjungitur: *Nolite illis credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente et apparet usque in occidentem, ita et erit adventus Filii hominis* Matth. 24, v. 27. quae verba quamvis de spirituali Christi adventu per praedicationem evangelii ac instaurationem doctrinae coelestis non immerito accipiantur, tamen ad ultimum etiam Christi adventum accommodari posse evidenter colligitur ex vers. 28. Luc. 17, v. 24. diserte additur, *sic erit adventus Filii hominis in die sua.* Jam vero dies novissimus peculiariter dicitur *dies Christi.* 3) Multi interpretes XIX. 24
haud improbabiliter censent, in v. 23. *Tunc si quis dixerit vobis etc.* Christum non amplius de signis excidium Hierosolymitanum antegressuris, sed de futuro ante diem extremum statu proprie et principaliter agere, cum prophetia ex Daniele citata v. 15. et subjecta Christi sententia transitum quendam ad novissima tempora contineat, cumque immediate subjungat Dominus v. 29. *εὐθέως, statim, post tribulationem dierum illarum sol obscurabitur*, ut sic remotis extremi judicii signis proxima subjungantur ac miseria illa spiritualis, quae futura erat invalescentibus erroribus antichristi, his verbis praedici innuatur. Hieronymus in comment. Matth. 25: *Tunc secundum quosdam denotat tempus devastationis Hierosolymae, nam multi tempore captivitatis Judaicae principes exstitere, qui Christos se esse dicerent, sed melius de consummatione seculi intelligitur.* 4) Quia de copia pseudodoctorum mundi finem antegressura similia exstant in Scripturis vaticinia. Dan. 11, v. 38: *Faciet rex juxta voluntatem suam, deum patrum suorum non reputabit, deum autem Mausim ipsius loco venerabitur etc.* hoc Paulus 2. Thess. 2, v. 4. sic exponit: *Antichristus, qui adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur, in templo Dei sedebit ostendens se, quod sit Deus.* Luc. 18, v. 8: *Filius hominis veniens, num putas inveniet fidem in terra?* Quidam accipiunt de *candore et fidelitate*, sed series textus ostendit, rectius accipi de *fide salvifica*, quae est precum anima. Postquam enim ad constantiam ac *προσκαρτέρησιν* in precibus Christus exemplo viduae nos fuerat exhortatus, subjungit querelam de paucitate vere credentium circa mundi finem, cujus causa non potest dari alia quam varietas et multitudo corruptelarum ac haeresium diluvii instar in ecclesiam inundantium. 2. Thess. 2, v. 10:

Quia caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, v. 11. *mittet illis Deus efficaciam errorum.* 1. Tim. 4, v. 1: *Spiritus manifeste dicit, quod in novissimis temporibus descendent quidam a fide attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum etc.* 2. Tim. 4, v. 3: *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed juxta desideria sua coacervabunt sibi doctores prurientes auribus.* 1. Joh. 2, v. 18: *Novissima hora est, et sicut audivistis, quod Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt, inde scimus, quia novissima hora est.* 2. Petr. 2, v. 1: *Erunt magistri mendaces, qui introducent haereses perditionis*, v. 2. *et multi sequentur eorum luxurias;* ubi notandum, conferri ab apostolo tempora excidium Hierosolymae antegressa cum temporibus finem seculi praecessuris. *Fuerunt* (inquit) *et pseudoprophetae in populo* (Judaico), *sicut et in vobis erunt ψευδοδιδάσκαλοι.* Apoc. 13, v. 8: *Adoraverunt bestiam omnes, qui inhabitabant terram.* v. 14. *Seducit habitantes in terra propter signa, quae data sunt illi facere.* Apoc. 14, v. 8: *Babylon vino fornicationis suae potavit omnes gentes.* Apoc. 16, v. 13: *De ore draconis et de ore bestiae et de ore pseudoprophetae procedunt spiritus immundi.* v. 15. subjungitur vaticinium de ultimo Christi adventu. Apoc. 17, v. 2: *Cum meretrice magna fornicati sunt reges terrae.* v. 15. *Aquae, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt et gentes et linguae.* Apoc. 18, v. 3: *De vino fornicationis ejus biberunt omnes gentes et reges terrae cum illa fornicati sunt.* Apoc. 19, v. 2: *Meretrix illa magna corrupit terram in praestitutione sua.* Haec omnia praenuntiant quandam universalem paene seductionem ab Antichristo et haereticis ante diem novissimum metuendam. 5. Idem demonstrat novissimorum temporum conditio. Praedictum est a Christo et apostolis, circa finem mundi supinam quandam et *paene universalem securitatem atque impietatem* invalituram, ut postea demonstrabimus. Atqui hanc securitatem et impietatem Deus ea ratione punire consuevit, ut corruptelis et haeresibus liberum grassandi spatium relinquat Matth. 13, v. 25. 2. Thess. 2, v. 11. etc. Circa vesperam lux solaris obscurior redditur, sic circa mundi vesperam lux doctrinae coelestis obscurabitur. Augustinus tract. 25. in Joh.: *Quoniam accedit finis mundi, crescunt errores, crescit iniquitas et infidelitas.* Gerson. in lib. contra sect. se flagell.: *Mundus senescens patitur phantasias variorum errorum ac falsorum miraculorum, non secus ac senex variis deluditur somniis.*

86. 2. *Totius orbis per bella, seditiones, pestilentias et terrae motus conturbatio.* Matth. 24, v. 6: *Audituri estis bella et rumores bellorum, videte ne turbemini, oportet enim haec fieri, sed nondum est finis.* v. 7. *Consurget enim gens adversus gentem et regnum adversus regnum, et erunt pestilentiae et fames et terrae motus per loca.* v. 8. *Haec autem omnia initia sunt dolorum.* Confer Marc. 13, v. 7. et 8. Luc. 21, v. 9. 10. et 11. Proprie, principaliter et κατὰ ῥητόν itidem hoc loco Christus agit de temporibus ante Hierosolymitanum excidium ac praedicit mala Judaeis ante vastationem eventura, cujus prophetiae complementum Josephus libr. 2. de bell. Jud. c. 11. et seqq. lib. 20. antiquit. c. 6. et Eusebius lib. 3. histor. c. 8. late describunt, interim ad statum novissimorum temporum hoc ipsum referri posse, iisdem argumentis, quibus in priore signo usi sumus, demonstrari potest. Si quis enim recte attendat, Christus in praedictione hujus signi ita loquitur, ut ad tempora extremum judicium antegressura digitum intendat. Neque enim *specialiter* duntaxat ac *determinate* de Judaico populo loquitur, quod sit in varias sectas et factiones dividendus, sed *generaliter et absolute* pronuntiat, *consurget gens adversus gentem et regnum contra regnum*, id quod de angustiis Palaestinae limitibus non satis commode accipi potest, quippe in quibus nec plures gentes nec plura regna locum habuere. Constat quidem ante Hierosolymitanum excidium Caesareae, Scythopoli, Ptolemaide, Alexandriae, Damasci, adeoque in tota Syria et vicinis regnis varias seditiones, tumultus et bella exstitisse, sed generalis Christi locutio a typo ad antitypum nos revocare videtur. Eodem sensu accipi potest, quod apud Lucam c. 21, v. 11. additur, *terrores et signa magna a coelo erunt.* Notum est ex Josepho libr. 7. de bell. Jud. c. 12. et Eusebio libr. 3. c. 8. cometam et alia signa in coelo ante Hierosolymae devastationem apparuisse, sed cum apud Lucam in eod. cap. v. 25. inter propria diei novissimi signa referantur *prodigia in sole, luna et stellis*, ideo haec ipsa collatio ostendit, signa Hierosolymae excidium antegressa tanquam typus signorum diem novissimum praecedentium considerari non immerito posse.

87. 3. *Horribilis piorum persecutio.* Matth. 24, v. 9: *Tradent vos in tribulationem et occident vos et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* v. 10. *Et tunc scandalizabuntur multi et invicem tradent et odio habebunt invicem.* Marc. 13, v. 9. *Videte vos ipsos, tradent enim vos in concilia et in synagogis, vapulabitis et coram praesidibus ac regibus statuemini propter me in testimonium illis.* v. 12. *Tradet autem frater fratrem in mortem et pater filium et consurgent filii adversus parentes et morte eos afficient*, v. 13. *et eritis odio omnibus propter nomen meum.* Confer Luc. 21, v. 12. 13. 16. et 17. Christus postquam praedixerat mala Judaeis in genere ante vastationem obventura, jam in specie alloquitur apostolos ac piis praedicit persecutiones et adversa ab ipsis Judaeis metuenda, sperabant illi regnum, divitias, honores et gloriam in mundano quodam regno, sed Christus eorum loco praedicit ipsis persecutionem, crucem, ignominiam, scandala ob multorum a fide deficientium apostasian oborta et omnis generis pericula. Proprie igitur et principaliter ad apostolos a Judaeis et gentibus varias persecutiones ante et post Hierosolymae excidium passos haec verba Christi pertinent, interim recte accommodari possunt ad statum ecclesiae, qualis est in hoc mundo omnibus fere temporibus,

3. Horribilis piorum persecutio.

XIX. 249.

maxime vero novissimis, finem mundi antegressuris. De Antichristi enim *occidentalis* ante novissimum diem longe lateque dominaturi tyrannide praedictum Dan. 11, v. 44: *Veniet cum indignatione magna, ut deleat et interficiat plurimos.* Apoc. 11, v. 7: *Bestia quae adscendit de abysso, faciet adversus prophetas bellum et vincet eos et occidet eos.* Apoc. 14, v. 4. et 13. Draco persecutus est mulierem, quae ecclesiae typum gerit. Apoc. 13, v. 7: *Datum est bestiae bellum facere cum sanctis et vincere eos* Apoc. 17, v. 6: *Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Jesu.* Apoc. 18, v. 24: *Sanguis prophetarum et sanctorum inventus est in civitate illa magna.* Apoc. 19, v. 2: *Vendicavit Deus sanguinem servorum suorum de manibus ejus* [meretricis illius magnae]. Apoc. 20. v. 4: *Vidi animas decollatorum propter testimonium Jesu et propter verbum Dei.* De *orientalis* Antichristi tyrannide et persecutione sub nomine Gog et Magog vaticinatur propheta Ezechiel c. 38. et 39. Nimirum diabolus est *mendax et homicida* Joh. 8, v. 44. ideo etiam circa finem mundi *parum temporis adhuc superesse sciens* Apoc. 12, v. 12. multiplicabit et haereses et persecutiones, ut quos blanditiis haeresium inescare nequeat, eos terrore persecutionum frangat. Augustinus in enarrat. Psalm. 9: *Prima persecutio ecclesiae violenta fuit, cum proscriptionibus, tormentis, caedibus Christiani ad sacrificium cogerentur; altera persecutio fraudulenta est, quae nunc per haereticos et falsos fratres agitur; tertia superest per Antichristum ventura, qua nihil perniciosius, quoniam et violenta et fraudulenta erit, vim habebit in imperio, dolum in miraculis.*

4. Supinae securitatis inundatio.

88. 4. *Supinae securitatis et projectae impietatis inundatio atque extrema morum conceleratio* Matth. 24, v. 12: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* Quidam specialiter accipiunt de caritate, quae in Deum fertur, ut significetur, plerosque propter invalescentem pseudoprophetarum et persecutorum iniquitatem defecturos a caritate Dei, quem per fidem diligere coeperant, additur enim, *qui autem perseveraverit usque ad finem, salvus erit.* Sed potest in genere accipi de caritate Dei et proximi, quae *refrigescet*, hoc est exstinguetur vel certe diminuetur, quia caritas est ignis spiritualis divinitus in corde accensus, quando illius calor refrigescit, tunc caritas exstinguitur, contra
XIX. 250. vero ἀνομία eidem opposita, id est omnis generis delicta ubique invalescent. Et sane in Judaeis, de quibus peculiariter et principaliter Christus hic loquitur, abunde illud fuit completum, quia de Hierosolyma Egesippus et Eusebius testantur, quod ante devastationem fuerit *sentina omnium flagitiorum.* Ut autem superiora vaticinii membra ad statum novissimorum temporum secundario et consequenter accommodari possunt, ita quoque de hoc ipso oraculo statuendum. Duo igitur novissimis temporibus eventura praedicit Salvator, quae invicem eo modo connexa sunt, ut posterius ex priore sequatur. Prius spectat *malorum operum incrementum*, quia per ἀνομίαν, quae praedicitur, multiplicanda ac dilatanda omnis generis atrocia delicta, contra primam et secundam decalogi tabulam commissa, intelliguntur 1. Joh. 3, v. 4. Posterius concernit *bonorum operum et omnis pietatis decrementum*, quia caritas, cui frigus obventurum praedicitur, est legis impletio Matth. 22, v. 40. Rom. 13, v. 8. 1. Tim. 1, v. 5. caritatis ergo frigus est pietatis et bonorum operum diminutio. Similia vaticinia de impietate et securitate consummationem seculi antegressura in aliis Christi et apostolorum concionibus occurrunt. 1) Matth. 24, v. 37: *Sicut erat in diebus Noae, ita et erit adventus Filii hominis.* v. 38. *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptum dantes ad eum usque diem, quo ingressus est Noa in arcam,* v. 39. *et non cognoverunt, donec venit diluvium et tulit omnes; ita et erit adventus Filii hominis.* Confer Luc. 17, v. 26. et 27. Nimirum sicut Deus flagrantes libidinis flammas diluvii aquis exstinxit, sic refrigescentem et paene exstinctam circa finem mundi caritatem igni coelesti succendet 2. Petr. 3, v. 10. 2) Luc. 17, v. 28: *Sicut erat in diebus Loth, edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et aedificabant;* v. 29. *qua die autem exiit Loth e Sodomis, pluit ignem et sulfur de coelo et perdidit omnes.* v. 30. *Secundum haec erit, qua die Filius hominis revelabitur.* In Graeco verba ἤσθιον, ἔπινον, ἐγάμουν, ἐξεγαμίζοντο, ἠγόραζον, ἐπώλουν, ἐφύτευον, ᾠκοδόμουν, ἀσυνδέτως posita sunt, ut supinam hominum ante diluvianorum et Sodomitarum securitatem pressius arguant. 3) Luc. 18, v. 8: *Veruntamen Filius hominis veniens num putas inveniet fidem in terra?* Loquitur Salvator, ut superius monuimus, de vera et salvifica fide, quae oblata in verbo evangelii beneficia fiducialiter amplexa per seriam orationem, sinceram caritatem et omnis generis bona opera sese exserit Gal. 5, v. 6. Jac. 2, v. 18. ejus circa finem mundi ante ultimum suum adventum magnam in terris praedicit fore penuriam, ac proinde etiam pietatis studium diminutum iri, quia deficiente fonte rivuli solent exsiccari. 4) 2. Thess. 2, v. 7. apostolus Antichristo per apparitionem adventus Christi destruendo tribuit, quod *operetur mysterium τῆς ἀνομίας*, ac v. 8. ipsum vocat ἄνομον, non doctrinae tantum, sed etiam vitae respectu; tum quia ipse prorsus exlex esse volet Dan. 9, v. 36. omnis ἀνομίας et ἀταξίας in mundo auctor erit. 5) 2. Tim. 3. v. 1. homines circa finem mundi in terris victuri graphicis coloribus depinguntur. *Scito, quod in novissimis temporibus instabunt tempora periculosa,* v. 2. *erunt enim homines* φίλαυτοι, φιλάργυροι, *proprii honoris et divitiarum cupidi, jactabundi, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti,* v. 3. ἄστοργοι, ἄσπονδοι, *calumniatores, incontinentes, immites,* ἀφιλάγαθοι, v. 4. *proditores, protervi, inflati,* φιλήδονοι μᾶλλον XII. 2
ἢ φιλόθεοι, v. 5. *habentes formam aliquam pietatis, sed virtutem ejus abnegantes.* Dicti hujus apostolici

explicationem vide disp. 1. de studio pietatis §. 6. 6) Petrus 2. epist. 3, v. 3. homines extremis mundi temporibus victuros sic describit: *Venient in novissimis diebus empaectae juxta proprias concupiscentias ambulantes* v. 4. *ac dicentes, ubi nunc promissio adventus ejus?* 7) Et quid crebrae illae Christi et apostolorum exhortationes ad vigilantiam aliud innuunt, quam quod supinus quidam carnalis securitatis carus ac lethargus totum paene mundum ante finale ejus excidium sit oppressurus? quod ipsum clarissime ex sequentibus etiam vaticiniis colligitur. Matth. 24, v. 44: *Qua hora non putatis, Filius hominis venturus est.* Matth. 25, v. 5: *Moram facicnte sponso dormitaverunt omnes et dormierunt.* Marc. 13, v. 33: *Nescitis, quando tempus sit.* Luc. 21, v. 35: *Tanquam laqueus superveniet dies illa in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae.* 1. Thess. 5, v. 3: *Cum dixerint pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus sicut dolor in utero habenti et non effugient.* 8) Id ipsum repetunt scriptores ecclesiastici. Lactantius lib. 7. institut. c. 15. p. 419: *Ita justitia rarescet, ita impietas et avaritia invalescet, ita cupiditas et libido crebrescent, ut si qui tum forte fuerint boni, praedae sint sceleratis ac divexentur undique ab injustis, soli autem mali opulenti sint, boni vero in omnibus contumeliis atque in egestate jactentur. Confundetur omne jus et leges interibunt. Nihil quisquam tunc habebit nisi aut quaesitum aut defensum manu, audacia et vis omnia possidebunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit, atque ita neque securitas, neque regimen, neque requies a malis ulla.* in epit. div. institut. c. 11: *Cum coeperit mundi finis ultimus appropinquare, malitia invalescet, omnia vitiorum et fraudum genera crebrescent, justitia interibit, fides, pax, misericordia, veritas non erit.* Auctor imperf. operis in Matth. hom. 1: *Cum sanctus perit de terra, perire debebit et mundus, quia sancti homines medulla sunt mundi. Sicut enim arbor paulatim marcescendo siccatur, cum in illa medulla deficit aut sana non est, sic et mundus praesens casurus est, cum sancti homines in illo deficere coeperint.* Chrysostomus hom. 33. in cap. 4. Joh.: *Non longe a fine absumus, sed jam mundus properat etc. hoc exstincta caritas significat.* Theophylactus in comm. Matth. 24: *Quia multiplicabitur iniquitas per imposturas Antichristi, exasperabuntur et efferi erunt homines, ita ut nec cum familiarissimis ullum servent caritatis vinculum, sed mutuo sese tradant.* **Wernerus in fasciculo temporum, secundum millenarium Christi vocat tempus effeminatum, in quo fides Christiana coepit deficere et declinare a pristina virilitate.** Vincentius Ferrarius de Valentia in opusc. de fine mundi statuam Danielis c. 2. ad statum ecclesiae accommodat: *Caput statuae,* inquit, *quod erat auri puri, significat principium ecclesiae, id est tempus apostolorum et martyrum, quoniam tunc ecclesia erat de auro puro, id est quod Christianitas erat in perfecta vita spirituali et in ardore devotionis et supernae caritatis. Nam sicut aurum excellit omnia metalla, sic vita spiritualis perfecta omnes vitas etc. Istud tempus durat quadringentos annos, et postea descendit Christianitas de auro ad argentum, quod minus valet. Tunc enim surrexerunt Ariani et alii haeretici in ecclesia, qui loquebantur errores et falsas opiniones circa fidem, ita quod per eos fere totus mundus fuit corruptus hujusmodi erroribus etc. Illud tempus duravit ultra quingentos annos, et* XIX. 252
post illud tempus statua, id est ecclesia, descendit de argento ad ventrem et femora, quae sunt aerea et minus valent. Nam ut aes volvitur et revolvitur ad quamcunque partem et male sonat; sic tunc Christianitas volvebatur modo a parte dextra contra fidem per falsos errores, modo a parte sinistra contra virtutes per turpissimos mores et turpe sonuerat, quia verbum Dei non praedicabatur, et tunc erat Mahumetus, qui corrupit totam Barbariam etc. Hodie vero statua, id est ecclesia, descendit de aere ad tibias ferreas. Et istud est tempus, in quo sumus modo. Nam ut ferrum est durum, asperum, implicabile et rigidum per se et non potest mutari nisi per ignem et malleorum percussionem; sic est ad praesens Christianitas. Nemo enim est, qui se emendare velit de vita sua mala, nec per praedicationes, nec per exempla, nec per miracula, nec per prodigia, nec per tormenta etc. Itaque implicabiles sunt nunc Christiani, quod non videntur homines sed daemones insani. Etenim sunt asperi sibi invicem sine ulla pietate et benignitate, crudeles sine misericordia, usurarii et avari sine ulla largitate, duri sine ulla devotione, amatores hujus seculi sine ullo Dei timore, contemtores regni Dei sine ullo amore, et sic sunt asperiores et implicabiliores et duriores ferro Christiani istoc tempore. Lutherus in exposit. Psalm. 101. tom. 6. Jenens. German. fol. 156: Es ist eine alte Weissagung unter den Bildern vom Endechrist, die sagt, daß am Ende der Welt, wenn des Endechrists Triegerey entdecket seyn wird, werden die Leute wild und roh werden, von allem Glauben fallen und sagen, es sey kein Gott mehr, und also leben in allem Muthwillen nach eigenen Lüsten, solche alte Bilder bewegen mich warlich sehr und treffen zumal gleich zu ꝛc. Post obitum Lutheri in bibliotheca ipsius ab illis, qui ad inquirendam eam ab electore Saxoniae missi fuerant, inventum est tale vaticinium propria Lutheri manu exaratum: *Adest tempus olim praedictum, quod post revelatum Antichristum essent homines futuri, qui sine Deo viverent, unusquisque secundum suas concupiscentias et illusiones. Nam papa quidem fuit supra Deum, nunc sine Deo omnes agere volunt. Et cum nostri a legibus papae liberi sint, volunt etiam a lege Dei liberi esse, nihil nisi politica sequi. Sed dum nos fingimus, illos abesse longius, de quibus talia praedicta sint, nos ipsi sumus, qui talia facimus. Sicut Judaei finxerunt et fingunt, longe alios esse, qui Christum suum promissum repudient.* Refert Wolffius cent. 16. memorabilium p. 78. Joh. Wilhelmus Stuckius in lib.

antiquit. conviv.: *Mundi immundissimi et ad occasum interitumque suum appropinquantis decrepita atque delira senectus talis est, ut videamus, avaritiae, ambitioni, crapulae et ebrietati etiam cultui divino consecratos, addictos ac mancipatos esse, ac licet in fide et religione semper fere dissentiant, conspicimus tamen, in Cereris, Bacchi et Pluti cultu concordissimos esse.* Causam illius universalis quasi securitatis et extremae impietatis circa mundi finem invalescentis in disp. 1. de studio pietatis §. 8. exposuimus quadruplicem, quarum duae priores sunt remotae, duae posteriores propinquae. Prima est *justa divini judicii exsecutio* 2. Thess. 2, v. 12; altera est *Satanae rabies et seductio* Apoc. 12, v. 12; tertia *mundi senescentis conditio et extrema humanae naturae corruptio* 1. Cor. 10, v. 11; quarta *variarum haeresium et corruptelarum introductio.*

8. Universalis per totum orbem evangelii praedicatio. XIX. 253.

89. 5. *Universalis per totum terrarum orbem evangelii praedicatio.* Matth. 24, v. 14: *Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus et tunc veniet consummatio.* Marc. 13, v. 10: *In omnes gentes oportet primum praedicari evangelium.* Postquam mala plurima et gravissima Hierosolymae eversionem antecessura Christus enumerasset, subjungit hoc bonum eandem praecessurum, videlicet quod evangelium *universo orbi*, id est per synecdochen Scripturae usitatam maximae orbis parti, omnibus gentibus cognitis et in circuitu Jerusalem quaqua versum habitantibus, sit praedicandum Actor. 1, v. 8. ac proinde quod Deus novum sibi populum ex omnibus gentibus per evangelii praedicationem collecturus sit, antequam veterem, Judaicum puta, in ultimo illo excidio abdicasset, quod ipsum etiam ad majorem fidei Christianae confirmationem faciebat, quia propter repudiatum Messiam et ejus evangelium tantae cladi gentem Judaicam subjici ab apostolis docebatur. Quod autem de excidio Hierosolymitano dictum, antegressuram illud esse universalem evangelii in omnes gentes praedicationem, illud etiam ad consummationem seculi accommodari potest, eam ipsam quoque praecessuram esse quandam doctrinae coelestis repurgationem ac generalem quandam per lucem evangelii ex antichristianis tenebris erumpentis et incredibili celeritate totum mundum collustrantis visitationem. Id enim colligitur 1. *ex vaticiniis propheticis*, Dan. 11, v. 44: *Turbabit Antichristum fama ab oriente*, id est sincera evangelii praedicatio, quae Christum *justitiae solem* Malach. 4, v. 2. *ex alto orientem* Luc. 1, v. 78. mundo illucescere faciet, et *ab aquilone*, id est illi, qui sub regis aquilonis Antichristi potestate fuerunt, evangelii doctrinam spargent. Quidam literaliter accipiunt *de ecclesiis orientalibus*, quae tyrannidi papali semper contradixerunt, et de luce evangelicae doctrinae ex locis septentrionalibus postremo mundi tempore emicante, sed res eodem redit. Confer Gesnerum in comment. c. 12. Dan. Zach. 14, v. 6: *Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus et gelu, neque dies, neque nox, et in tempore vespertino erit lux.* Sub regno papali non erat lux verae cognitionis Christi, obscurata erat doctrina evangelii, deerat viva et solida consolatio, caritas in cordibus refrixerat, regnabat confusio philosophiae cum theologia, ut vere nec dies, nec nox appareret, donec per Dei gratiam sub vespera mundi lux doctrinae evangelicae iterum est exorta. Confer Balduinum in comment. Zach. 14. 2. *Ex verbis Christi* Matth. 24, v. 27. Luc. 17, v. 24: *Sicut fulgur exit ab oriente et apparet usque in occidentem, sic erit etiam adventus Filii hominis.* Quamvis enim hoc vaticinium ad ultimum Christi adventum, qui et lucidus, id est gloriosus et inopinatus ac subitus erit, accommodari possit, tamen haud immerito etiam de spirituali Christi adventu per evangelii praedicationem accipi potest, quia apud evangelistas praecedit: *Si dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite credere; dicent vobis, ecce hic aut ecce illic, nolite ire nec sectemini. Nam sicut fulgur exit etc.* id est, non credite falsis prophetis regnum meum certo loco alligantibus, quia regnum meum non est corporale aut mundanum, nec certo loco inclusum, sed sicut fulgur coruscans ab una regione, quae sub coelo est, in alteram collustrat omnia, quae sub coelo sunt, sic regnum meum spirituale per totum terrarum orbem dilatabitur per evangelii praedicationem, quod est vera lux omnes errorum tenebras dispellens. Promittitur igitur instauratio doctrinae coelestis incredibili celeritate ante mundi finem praedicatione verbi perficienda. 3. *Ex oraculo apostoli* 2. Thess. 2, v. 8: *Tunc revelabitur ille ἄνομος, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui et destruct eum illustratione adventus sui*, id est Christus armis spiritualibus, gladio scilicet verbi, Antichristum interficiet, Esa. 11, v. 4. excitabit viros pios et doctos, qui corruptelas doctrinae per ipsum introductas ex verbo Dei pure praedicato refellant, tandem vero in die novissimo eum penitus destruet. 4. Idem colligi potest ex ipsis hujus oraculi verbis: *praedicabitur evangelium regni, donec veniat* τὸ τέλος, ubi absolute de consummatione Christus loquitur, nec addit in specie ac determinate hujus vel illius, innuit ergo ante ultimam totius mundi consummationem eandem evangelii praedicationem in omnes gentes exspectandam. Confer Hilarium can. 25. in Matth. Cyrillum catech. 15. et Theodorum 2. Thess. 2.

90. Pontificii inter cetera epicheremata, quibus Antichristum nondum venisse probare satagunt, etiam hoc proferunt, *quod signum illud novissimi diei a Christo praedictum nondum sit impletum, cum evangelium nondum sit in toto orbe praedicatum.* Bellarminus lib. 3. de pont. Rom. c. 4: *Prima demonstratio, quod Antichristus nondum venerit, sumitur ex eo, quod Scripturae testentur in toto mundo praedicatum iri evangelium, antequam veniat ultima persecutio, quae excitabitur ab Antichristo. Jam vero etiam nostro tempore non esse praedicatum evangelium in toto mundo, docet experientia. Inventae enim sunt in oriente et occidente regiones

vastissimae, in quibus nulla exstat memoria evangelii. Respondemus: 1. opponimus Bellarmino Jansenium episcopum Gandaviensem, Salmeronem et Barradium Jesuitas. Jansenius in concord. ev. c. 122. p. 834 in h. l. sic commentatur: *Plerique existimant, Dominum hic locutum de malis consummationem seculi praecessuris; sed Chrysostomus refert ad tempora apostolorum et consummationem Hierosolymae propter connexionem cum praecedentibus, et quia in sequentibus Dominus subjungit: Cum ergo videritis abominationem desolationis, per quam desolatio Hierosolymitana intelligenda etc. Ante vastationem Hierosolymae evangelium in toto orbe praedicatum esse, probat Chrysostomus ex Paulo Rom. 10, v. 18. Col. 1, v. 6. erit igitur synecdoche Scripturae usitata omnibus gentibus, id est bonae parti gentium etc. Marcus habet: et in omnes gentes oportet primum praedicari evangelium, ubi dictio* primum *non potest commode referri nisi ad consummationem Hierosolymae, siquidem Marcus non commemorat, apostolos quaesivisse de consummatione seculi, sed tantum quando futura essent, quae Dominus praedixit de templo et Hierusalem, et quod esset signum, quando illa essent consummanda.* Barradius tom. 3. conc. ev. lib. 9. c. 2. p. 558: *Haec quoque verba, praedicabitur evangelium in universo orbe, pertinent ad tempus praecedens excidium Hierosolymorum. Praedixerat Dominus gravem in discipulos persecutionem, ea vero non obstante nunc docet, evangelium toto orbe ab illis praedicandum, post praedicationem autem evangelii consummationem, i. e. finem, fore et eversionem Solymorum, quae est sententia Chrysostomi, Theophylacti, Euthymii et Hilarii.* Haec Jansenius et Barradius, quibus similia occurrunt apud Salmeronem, cum quibus Bellarminus prius transigat. 2. *Proprie* et *principaliter* Christus de tempore excidium Hierosolymitanum antegressuro loquitur, quo jamdum ad omnes gentes evangelii praedicatio per
255 apostolos propagata erat. Matth. 28, v. 19: *Docete omnes gentes.* Marc. 16, v. 15: *Praedicate evangelium omni creaturae,* cui mandato ipsos obsequentes fuisse apparet ex Rom. 10, v. 18: *Numquid non audiverunt? imo in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.* Col. 1, v. 6: *Verbum evangelii pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est et fructificat sicut in vobis.* v. 23. *Evangelium, quod audivistis, praedicatum est in universa creatura, quae sub coelo est.* Paulus Rom. 15, v. 19. de se solo testatur, *quod ab Jerusalem et circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum omnia evangelio impleverit,* ac v. 24. *etiam in Hispaniam excurrere* gestit. *Quod si unus tanta orbis parte praedicavit,* ait Chrysostomus d. l. *cogita, quid a reliquis apostolis factum fuerit.* Justinus in dial. cum Tryphone p. 270: *Ne unum quidem est genus mortalium, sive barbarorum, sive Graecorum, sive etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine, vel Hamaxobiorum, vel Nomadum domo carentium vel in tentoriis viventium et pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen crucifixi Jesu supplicationes et gratiarum actiones Patri et fabricatori rerum omnium non fiant.* Irenaeus lib. 2. adv. haer. c. 2. p. 35: *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata et ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem etc.* c. 3. p. 37: *Hanc fidem ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans etc. Neque hae quae in Germania fundatae sunt, ecclesiae aliter credunt, neque hae quae in Hiberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Libya, neque hae quae in medio mundi sunt constitutae etc.* Tertullianus lib. adv. Judaeos c. 7. p. 96: *In quem alium universae gentes crediderunt nisi in Christum? cui enim et aliae gentes crediderunt? Parthi, Medi, Elamitae et qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam et incolentes Pontum et Asiam et Pamphyliam, immorantes Aegyptum et regionem Africae, quae est trans Cyrenem, inhabitantes, Romani et incolae, tunc et in Hierusalem Judaei et ceterae gentes, ut jam Gaetulorum varietates et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini et Galliarum diversae nationes et Brittanorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytharum et abditarum multarum gentium et provinciarum et insularum multarum nobis ignotarum et quae enumerare minus possumus, in quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit, regnat.* Ambrosius in comm. c. 10. Rom.: *Ubique audita est et in omnem locum pervenit praedicatio nominis Christi. Ubi enim praedicantis hominis praesentia defuit, sonus tamen et fama pervenit.* Hieronymus in c. 24. Matth.: *Non puto, aliquam remansisse gentem, quae Christi nomen ignoret. Et quamquam non habuerit praedicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare.* Similia habet Chrysostomus hom. 76. in Matth. hom. 18. ad Rom. et hom. 4. ad Col. 3. Consequenter et secundario ad statum novissimorum temporum vaticinium Christi referri potest. Jam vero constat, lucem doctrinae evangelicae, a Pontificiis et antichristianis tenebris reformatae, superiori seculo longe lateque sparsam, quod agnoscit ipse Bellarminus praef. tom. 1. contr. et in orat. tom. 4. cont. praefixa. Vide tract. de eccl. tom. 5. loc. c. 2. §. 189. 4. Nuspiam vero Christus vel apostoli docuerunt, ante adventum utopici illius Antichristi, quem Pontificii adhuc exspectant eundemque singularem aliquam personam ex tribu Dan nasciturum
statuunt, per universum terrarum orbem evangelium XIX. 256.
esse praedicandum et hanc evangelii praedicationem fore signum Antichristi proxime adventantis, qua de re alibi plenius agitur.

2. Propinqua et propria. 1. Insignis quartae monar-

91. Propinqua et propria diei novissimi signa sunt: 1. *Insignis quartae monarchiae labefactatio.* Dan. 2, v. 31. regi babylonico sub figura statuae ostenditur successio quatuor monarchiarum, quarum

chiae labefactatio. ultima duratura sit usque ad novissimum Christi adventum, in quo omnia hujus mundi regna destruentur. De tibiis illius statuae v. 33. dicitur, *quod pedum quaedam pars futura sit ferrea, quaedam fictilis;* illud Daniel v. 41. sic exponit: *Regnum divisum erit, et tamen de plantatione ferri erit in eo, secundum quod vidisti ferrum mistum testae ex luto*, v. 42. *et digitos pedum ex parte ferreos, ex parte fictiles, circa finem regnum illud erit ex parte validum et ex parte fragile.* v. 43. *Quod autem vidisti ferrum mistum testae ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhaerebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testae.* Sensus est, quod circa finem mundi posterior hujus monarchiae pars multo infirmior sit futura priore, quodque imperatores juncturi sint affinitates cum regibus, qui non amplius imperio Romano adhaerent, sperantes, se hoc modo pristinam imperii majestatem reparaturos, sed affinitates illas non futuras esse firmas, verum majoribus odiis et simultatibus occasionem daturas. Dan. 7, v. 8. quarta monarchia depingitur sub imagine *bestiae terribilis et fortis habentis cornua decem*, id est decem provincias, quarum quaelibet regnum constituet, sed ex medio illorum oritur *cornu parvulum, quod tria ex illis decem cornibus evellit*, quia Turca ab exiguis initiis ad tantam potentiam progressus Asiam, Graeciam et Aegyptum, quae Romano imperio olim subjectae fuerunt, in suam potestatem redegit. Sed statim subjungit propheta v. 9: *Adspiciebam, donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit*, i. e. inter imperii labefactationem per tyrannidem Turcicam et extremum judicium nulla insignis rerum mutatio in imperio continget, sed Christus novissimo suo adventu Turcicam tyrannidem delebit. 2. Thess. 2, v. 3: *Non venit dies Domini, nisi prius venerit ἡ ἀποστασία.* Quidam, ut Irenaeus lib. 5. advers. haeres. p. 328. Augustinus 20. de civ. Dei c. 19. Damascenus lib. 4. orthod. fid. c. 27. Lyranus in comm. 2. Thess. 2. Adrichomius in chron. p. 285. hanc defectionem exponunt sensu *ecclesiastico* de quadam horribili et paene universali *defectione a fide* 1. Tim. 4, v. 1. quae in Oriente per Mahometicas blasphemias, in Occidente per papisticas corruptelas contigit, sed Tertullianus in apol. c. 32. Lactantius lib. 7. institut. cap. 15. et 25. Cyrillus Hierosolym. catech. 11. Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus in comm illius loci, Hieronymus in q. 11. ad Algas. Nicolaus Oremiano in oratione coram Urbano V. pontifice et cardinalibus anno 1364. habita et alii complures accipiunt in sensu *politico* de insigni imperii diminutione, quam jamdum secutam esse, postea monstrabitur. Sic enim videtur apostolus ipse v. 7. declarare: *Mysterium jam peragitur iniquitatis, tantum qui nunc obstat*, obstabit, *usquedum e medio sublatus fuerit*, ubi de imperio Romano tanquam de uno homine loquitur, sicut etiam regnum antichristianum sub nomine unius
XIX. 257. hominis denotaverat. Quamdiu imperator Romanus pristinam imperii majestatem ac potentiam retinuit et in urbe Roma sedem habuit, nec orientalis nec occidentalis Antichristus ecclesiam invadere potuit. Proinde terror, potentia et magnitudo Romani imperii e medio erat tollenda ac imperator Romanus ex Roma et Italia occultis artibus removendus et in alium locum transferendus, in qua significatione phrasis ἐκ μέσου γενέσθαι usurpatur Act. 23, v. 10. 1. Cor. 5, v. 2. 2. Cor. 6, v. 17. Quidam συνεκδοχικῶς exponunt, *e medio auferetur imperium Romanum*, id est ita minuetur, ut respectu prioris potentiae ac majestatis paene sublatum videatur, vel ut Johannes exponit Apoc. 13, v. 3. *letaliter vulnerabitur*, non tamen penitus exstinguetur; ita premetur, ut videatur non esse et tamen adhuc sit. Eam imperii diminutionem et labefactationem jamdum factam esse, historiae et experientia testantur. Sub Phoca defectio illa coepit et sequentibus seculis continuata est. Ita namque de eo scribunt Eutropius lib. 17. histor. Otto Frisingensis lib. 5. c. 8. et Nauclerus referente Wolffio tom. 1. memoral. p. 63: *Imperatoris desidia hostes Romani imperii potentiores sunt facti. Etenim in parte occidentali Germaniam cum insulis, Galliam, Hispaniam et bonam Italiae partem, sed et Pannonias et Mysiam tum abstulere cum bona Africae parte. In Oriente vero Iberos, Armenos, Arabes et Dardanos et mediterranea Macedoniae et Graeciae Cacanus Thrax rex Hunnorum pervagabatur, Assyriam vero totam fere Persae occuparunt, Aegyptum Saraceni vastarunt. Proh dedecus! nostrae vires adeo defecerunt per luxum et avaritiam libidinemque, ut imperium Romanum solo tantum nomine constaret*, quae omnia sunt Naucleri verba. Atque hic est ille Phocas imperatoricida, qui episcopo Romano titulum oecumenici episcopi concessit, quo quisquis utitur, *eum in elatione sua Antichristum praecurrere* Gregorius lib. 6. epist. 30. asserit. Sub Heraclio Phocae successore plenius fuit continuatum, quod sub Phoca erat coeptum. Saraceni enim omnia longe lateque occuparunt ab Aegypto usque ad Euphraten, referente Eutropio lib. 18. Seculis succedentibus defectio illa eo modo crevit, ut de pristina Romani imperii majestate vix *magni nominis umbra* manserit reliqua. Aventinus lib. 7. annal.: *Romani majestas populi, qua olim orbis regebatur, sublata est de terris.* Cum olim sub potestate urbis orbis imperium remansisset, ut loquitur Orosius libr. 1. hist. c. 1. hodie *vix tenuis quaedam umbra magni nominis restat.* Sleidanus in lib. de quat. monarch. Quid? quod ipse Thomas in comment. 2. Thess. 2. *imperium vere Romanum de temporali in spirituale commutatum esse*, id est in papam Antichristum translatum esse, asserit. Dominicus a Soto 4. sent. dist. 46. q. 1. art. 1: *Discessio ab imperio civili et temporali jam facta est, quia in potestatem sedis Romanae temporale illud imperium fuit commutatum, ut auctor est Leo papa serm. de apostolis.*

92. 2. Antichristi revelatio. Cum enim per pseudo- 2. Antichristi revel. apostolos in ecclesia Thessalonicensium sub doctrinae apostolicae nomine ac praetextu sparsa esset

fama, quod dies novissimus proxime instet, monet Paulus Thessalonicenses, ne falsae isti opinioni fidem habeant, revelandum enim prius esse Antichristum, antequam veniat dies Domini. 2. Thess. 2, v. 3: *Ne quis seducat vos ullo modo, quoniam nisi vene-*
58. *rit primum apostasia et reveletur homo peccati* (id est Antichristus, non veniet dies Domini), v. 8. *quem Dominus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui.* De hac Antichristi revelatione et expugnatione per praedicationem evangelii agunt etiam alia Scripturae oracula. Daniel 8, v. 25. c. 11, v. 14. Jerem. 51, v. 48. Malach. 4, v. 5. Apoc. 14, v. 6. c. 18, v. 2. quorum explicationem et accommodationem vide tract. de eccles. §. 291. Junilius Africanus in Genesin: *Sextae diei* (inquit) *vesperam jam nunc appropinquare cernimus et cum abundante per omnia iniquitate refrigescet caritas multorum, adveniet autem multo tenebriosior ceteris, cum apparente homine peccati filio iniquitatis* (*qui extollitur atque elevatur super omne, quod dicitur deus aut quod colitur*) *tanta fuerit tribulatio, ut in errorem inducantur* (*si fieri potest*) *etiam electi. Et subsequente statim hora universalis judicii, de qua scriptum: Veruntamen Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra? perseverabit inde sabbatismus animarum sanctarum usque ad finem seculi et cum ultima aetas seculi post vesperam suam, de qua praefati sumus, finem interfecto per Dominum nostrum Jesum Antichristo perceperit.* Quemadmodum autem signa Hierosolymitanum excidium antegressa tanquam typi signorum ultimum judicium praecedentium considerari possunt, ut superius ostendimus, ita quoque inter propria et proxima excidii illius signa aliquod habetur, quod fuit typus proprii hujus et proximi signi diem novissimum antecessuri. Illud vero est *abominatio desolationis stans in loco sancto* Dan. 9, v. 27. Matth. 24, v. 15. Marc. 13, v. 14. Quidquid enim tandem per illam abominationem desolationis intelligatur, cum diversae de ea exstent interpretum sententiae, illud tamen certum est, τυπικῶς eandem ad Antichristi tyrannidem ante finem mundi in ecclesia invalescentem accommodari posse, quia apostolus verbis ex oraculis Danielis prophetae et Christi quasi petitis de Antichristo sic loquitur 2. Thess. 2, v. 4: *Sedens in templo Dei ostendit se ipsum, quod sit Deus*, unde Irenaeus lib. 5. advers. haeres. c. 21. per hanc abominationem intelligit ipsum *Antichristum*, cujus explicationis meminit etiam Hieronymus in comm. sed distinguendum erat inter expositionem hujus oraculi *literalem*, qua ad statuam aliquam templo a Romanis illatam, quae erat desolationis proxime instantis signum, verba Christi referri debebant et accommodationem ejusdem *mysticam ac typicam*, qua ad Antichristi regnum non injuria eadem accommodari possunt.

93. 3. *Variorum signorum in omnibus totius universi partibus observatio.* Matth. 24, v. 29: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stellae de coelo cadent et virtutes coelorum movebuntur*, v. 30. *et tunc apparebit signum Filii hominis in coelo, et tunc plangent omnes tribus terrae.* Marc. 13, v. 24: *Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur et luna non dabit splendorem suum* v. 25. *et stellae coeli erunt decidentes et virtutes, quae in coelis sunt, movebuntur.* Luc. 21, v. 25: *Et erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium per dubitationem, sonitus maris et fluctuum*, v. 26. *extabescentibus hominibus prae timore et exspectatione eorum, quae supervenient universo orbi, nam virtutes coelorum movebuntur.* Quod Christus in his verbis de propriis et proximis diei novissimi signis a communibus et remotis illis, de quibus hactenus egerat, di- XIX. 259.
stinctis loquatur, illud colligitur tum ex *antecedentibus*, tum ex *consequentibus*. Antecedentia sunt εὐθέως μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων, ut habet Matthaeus vel ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις μετὰ τὴν θλῖψιν ἐκείνην, ut habet Marcus. Quidam *per hosce dies et tribulationem horum dierum* intelligunt urbis vastationem et excidium gentis Judaicae; quidam vero, inter quos etiam est Chrysostomus, revelationem Antichristi, ut sic tribulationem illorum dierum accipiatur totum illud tempus, quo antichristiana tyrannis ecclesiam oppressit. Qui priorem sententiam amplectuntur, verba praecedentia: *tunc si quis dixerit vobis, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere* ad tempora vastationem Hierosolymae antegressa in sensu literali referunt; qui posteriorem, eadem ad descriptionem status ecclesiae sub Antichristi regno applicant, quippe in quo Christus cum suo merito et cultu ad claustra monachorum et eremitarum fuit alligatus. Priori expositioni obstare videtur particula εὐθέως apud Matthaeum, neque enim *statim* post excidium Hierosolymitanum contigerunt signa judicium proxime antegressura, sed huic difficultati triplici ratione occurri potest. Primo quidem *ex Christi scopo et intentione*, quod scilicet Christus data opera de re procul adhuc distante quasi jamdum proxime imminente vaticinatus fuerit, ut vere pios in perpetua vigilantia contineret et novissimum illum adventum quotidie exspectandum esse doceret. Secundo *ex comparatione ad calculum divinum*, quod illud εὐθέως non sit metiendum juxta nostrum computum, quo illud εὐθέως dicimus fieri, quod paucis mensibus aut diebus aut horis interjectis perficitur, sed juxta computum divinum, in quo *mille anni sunt instar unius diei* Psalm. 90, v. 4. 2. Petr. 3, v. 8. Tertio *ex loquendi consuetudine in Scripturis recepta*, qua totum illud tempus, quod a passione Christi et primo ejus adventu usque ad secundum se extendit, vocatur *ultimum*, imo *novissima hora* 1. Cor. 10, v. 11. Phil. 4, v. 5. 2. Thess. 2, v. 7. Hebr. 10, v. 37. Jac. 5, v. 8. 1. Johan. 2, v. 18. quia nulla insignis rerum mutatio intercessit. Sed hae duae interpretationes non pugnant invicem, utrumque enim verissimum est, quod post devastationem Hierosolymitanam et tribulationem antichristianam signa illa novissimi diei sint secu-

tura, ac ostendimus superius, vaticinium de pseudochristis et pseudoprophetis non tantum ad tempora Hierosolymae excidium antegressa, sed etiam ad novissima tempora judicium extremum praecessura rectissime referri posse. Quamcunque igitur verborum illorum interpretationem quis amplectatur, illud evidenter ex eis colligitur, quod Christus non amplius agat de signis communibus ac de statu temporum ante Hierosolymae excidium, sed jam incipiat agere de signis extremi judicii propriis ac de statu temporum Hierosolymae devastationem secutorum; quia expresse dicit *post tribulationem illam* sive *post tribulationem illorum dierum*, de qua scilicet hactenus egerat. Idem apparet *ex consequentibus*, quia post enumerationem signorum ac prodigiorum in coelo, terra marique futurorum immediate subjungit, *et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute et gloria magna*, quae verba de secundo ipsius adventu agere nemini dubium esse potest. Quod enim Augustinus epistola 80. ea de *spirituali Christi adventu* accipi posse arbitratur, omni prorsus probabilitate caret.

XIX. 260. 94. Certum igitur esto, Christum de *propriis et proximis extremi judicii signis* hic agere; certum etiam illud, quod *in omnibus totius universi partibus* signa illa eventura praedicantur, quia totum universum sic describitur, quod complectatur *coelum, terram, mare et omnia, quae sunt in eis* Exod. 20, v. 11. Nehem. 9, v. 6. Psalm. 135, v. 6. etc. jam vero Christus in coelo, terra et mari ejusmodi signa futura praedicit. Sed quae et qualia illa signa sint futura, de eo plurimum variant interpretum sententiae, quas in certas distribuemus classes. 1. Quidam existimant, haec signa *immediate* consummationem seculi antecessura, adeoque *illo ipso demum momento*, quo Christus ad judicium veniet, eventura. Cum enim destructio coeli ac terrae in die novissimo secutura a Petro sic describatur 2. epist. 3, v. 10: *Coeli magno cum impetu transibunt, elementa vero aestuantia solventur terraque et quae in ea sunt opera, exurentur;* v. 12. *coeli igne incensi solventur et elementa aestuantia liquescent;* ideo statuunt, initium hujus conflagrationis et destructionis in hisce signis in coelo, terra marique eventuris proponi. Origenes suspicatur, *nubes fumi ex mundi extremo incendio excitatas hanc caliginem in sole et luna effecturas.* Sensus igitur verborum Christi foret ejusmodi: frustra cogitant homines, se in ipso die novissimo poenitentiam adhuc posse agere, tunc enim ita erunt exanimati et consternati, ut de poenitentia cogitare neutiquam possint; omnia namque tunc erunt funesta et terribilia, coeli transibunt, elementa colliquescent, terra igne exuretur etc. Haec interpretatio probari posset 1) *ex vaticiniis prophetarum*, in quibus iisdem fere verbis, quibus Christus hoc loco utitur, dies novissimus describitur. Esaiae 24, v. 23: *Erubescet luna et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Sion etc.* c. 34, v. 4: *Tabescet omnis militia coelorum et complicabuntur sicut liber coeli, et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu.* Joël 3, v. 3: *Dabo prodigia in coelo et in terra, sanguinem et ignem et vaporem fumi;* v. 4. *sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* v. 19.: *Juxta est dies Domini in valle concisionis*, v. 20. *sol et luna obtenebrabuntur et stellae retrahent splendorem suum.* 2) *Ex ipsis Christi verbis.* Dicuntur enim *stellae de coelo casurae* Matth. 24, v. 29. Marc. 13, v. 25. jam vero quando stellae ab orbibus coelestibus removebuntur, tunc coeli terraeque ruina immediate erit conjuncta. Dicuntur *commovendae coelorum virtutes*, jam vero quando coelum loco movebitur, id est quando *magno cum impetu transibit*, ut Petrus interpretatur, tunc omnia necesse est conturbari ac commoveri, quia coelum sua virtute omnia elementa in suo ordine continet. In ovo vitellus concluditur albumine et testa, fracta autem testa omnia diffluunt; ita quoque coelis transeuntibus ac igne dissolutis nec terra, nec mare suum amplius obtinebunt locum. Quod apud Lucam dicuntur *homines exanimandi prae timore et exspectatione eorum, quae supervenient universo orbi*, id apud Matthaeum sic exponitur, *tunc apparebit signum Filii hominis in coelo, et tunc plangent omnes tribus terrae;* jam vero in ipso adventus Christi momento hic planctus vel maxime audietur. Apocal. 1, v. 7: *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus et qui pupugerunt eum, et plangent se super eum omnes tribus terrae.* Addi potest illud, quod immediate cum his signis adventus Christi ad judicium videtur con- XIX.
jungi, *καὶ τότε, et tunc, videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli*, quodque apud Lucam dicitur *his fieri incipientibus attollite capita vestra, quia appropinquat redemtio vestra.* 3) *Ex interpretatione Apocalypseos.* Johannes Apoc. 6, v. 13. et seqq. videtur signa a Christo hic praedicta ad ipsum novissimum diem applicare. Postquam enim apertum fuisset *sigillum sextum*, vidit, *quod sol factus fuerit niger tanquam saccus cilicinus et luna tota sicut sanguis, quod stellae ceciderint super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur*, mox vero immediate secuta fuit coeli terraeque destructio, *quia coelum recessit sicut liber involutus, et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt.* Huic explicationi affinis est expositio Hieronymi, Chrysostomi, Theophylacti, Euthymii et Bedae in comm. c. 25. Matth. qui verba Christi accipiunt *comparate*, quod Christi ad judicium adventus tantam lucem sit allaturus, *ut solis ac lunae splendor ea quodammodo obscuretur*, quia majus lumen obscurat minus. Augustinus serm. 130. de temp.: *Tanta erit eminentia splendoris in Christo, ut etiam clarissima coeli luminaria prae fulgore luminis divini abscondantur.* Agnoscimus sane, non omnino nullum in hisce argumentis esse robur, proinde etiam non negamus, *quaedam ex his signis* immediate cum ipso Christi ad judicium adventu conjuncta fore; interim tamen judicamus, si non

omnia, tamen quaedam ex his signis paulo ante judicium extremum, paucis scilicet annis ac diebus illud praecedentibus, eventura. 1. Ut enim signa excidii Hierosolymitani in priore responsi parte a Christo proposita non fuere omnia immediate cum ipso excidio conjuncta, sed aliquot annis ac diebus illud praecesserunt; ita verisimile est, in posteriore responsionis parte ejusmodi signa die novissimi enumerari, quae proxime quidem, non tamen immediate illud antecedant. 2. Christus dicit, *his signis fieri incipientibus* ἐγγύζειν, *appropinquare, nostram redemtionem ac regnum Dei* Luc. 21, v. 28. et 31. id quod non eo accipiendum esse sensu, quasi immediate cum illis signis nostra ἀπολύτρωσις et adventus regni gloriae futurus sit conjunctus, colligitur ex similitudine ducta *a ficu* ramos, folia et grossos proferente, quia inter folia et flores hujus arboris ac inter aestatem, quam prope adesse nuntiat, temporis aliquod spatium est interjectum. 3. Lucas dicit, quod signis illis in sole et luna exsistentibus et mari fluctibusque sonantibus *homines arescent prae timore et exspectatione eorum*, quae sint ἐπερχόμενα τῇ οἰκουμένῃ, illis ergo praesentibus nondum completus erit Domini adventus. 4. Joël 3, v. 4. expresse dicitur, quod *sol convertendus sit in tenebras* ac prodigia illa in coelo conspicienda, *antequam veniat dies Domini magnus et terribilis*, ad quem locum propheticum Christus videtur allusisse. 5. Scopus Christi est, praedicatione horum signorum hominibus excutere veternum securitatis et exhortari eos ad poenitentiam, preces et vigilantiam, ut constat ex subjecta παραινέσει Matth. 24, v. 42. Marc. 13, v. 37. Luc. 21, v. 36; itemque consolationem efficacem suppeditare afflictis, ut sciant, in propinquo adesse tempus finalis ac plenariae redemtionis Luc. 21, v. 28. Atqui in ipso adventus momento nullus amplius relictus erit exhortationi ad poenitentiam ac vigilantiam locus, nec indigebunt pii consolatione, quando jamdum in nubibus judex advenit, quia *in momento, in ictu oculi immutabuntur* et corpora
82. glorificata accipient 1. Cor. 15, v. 52. 6. Consummatio seculi, id est coeli terraeque destructio, judicium extremum sequetur, ut superius ostendimus, jam vero signa a Christo praedicta judicium praecedent. Ergo illa non sunt ipsum consummationis initium. Unde Lutherus in post. domest. opinionem illorum, qui non alia putant describi signa, quam quae cum mundi interitu immediate cohaerent, manifeste improbat.

95. 2. Quidam ergo haec signa statuunt *ante diem novissimum* apparitura, quod tum *supra nos* in sole, luna et stellis, creaturis coelestibus, tum *intra nos* in creaturis rationalibus, tum *infra nos* in creaturis elementaribus certa quaedam novissimi diei appropinquantis signa sint exspectanda. *Quemadmodum enim impulsae ad casum arbores frangores motusque praemittere solent indicia; sic termino appropinquante quasi paventia nutant ac tremunt elementa*, quae est similitudo Bedae in comm. Lucae 21. Sed in eorum explicatione iterum in diversas abeunt sententias. 1) Quidam enim haec signa exponunt ῥητῶς καὶ κυρίως, *proprie et literaliter* 2) quidam vero τροπικῶς, et horum quidem aliqui accipiunt μεταφορικῶς, aliqui vero ἀλληγορικῶς. Qui *metaphorica* interpretatione delectantur, progrediuntur hoc modo. Mos est in Scripturis sacris *per obscurationem solis, lunae ac stellarum* et similia, quae a Christo hic praedicuntur, μεταφορικῶς significari divinae irae ac ultionis tempestates atque ex his ortas animorum humanorum confusiones, ut docet Gregorius in comm. c. 18. Jobi. Sic Esa. 13, v. 10. *de Babylonis onere* sive ultione ac poena inter cetera sic dicitur: *Stellae coeli et splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo et luna non splendebit in lumine suo*, in quae verba sic commentatur Hieronymus: *Sensus est, quod cum dies Domini advenerit et furor ejus universa vastaverit, quod timoris magnitudine mortalibus cuncta tenebrescant, ut sol ipse, luna astraque rutilantia suum videantur negare fulgorem, unde et coelum sacco induitur, quod scilicet tenebrae cuncta operiant et prementibus malis nihil aliud sentiant homines, nisi quod mens videre compellit.* Ezech. 32, v. 7. de ultione Pharaonis his verbis propheta Dei nomine vaticinatur: *Operiam, cum exstinctus fueris, coelos et nigrescere faciam stellas ejus, solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum*, v. 8. *omnia luminaria coeli maerere faciam super te et dabo tenebras super terram tuam.* Poena gravissima, quae Judaeos manebat, a prophetis sic describitur Jer. 4, v. 23: *Adspexi terram, et ecce vacua erat et nihili, et coelos, et non erat lux in eis.* c. 15, v. 9: *Infirmata est, quae peperit septem, defecit anima ejus, occidit ei sol, cum adhuc esset dies.* Joël 2, v. 10: *A facie ejus contremuit terra, moti sunt coeli, sol et luna obtenebrati sunt et stellae retraxerunt splendorem suum.* Amos. 8, v. 9: *Erit in die illa, dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie et tenebrescere faciam terram in die luminis et convertam festivitates vestras in luctum.* De poena pseudoprophetarum Mich. 3, v. 6. dicitur: *Occumbet sol super prophetas et obtenebrabitur super eos dies.* Haec omnia non possunt accipi ῥητῶς, sed explicanda sunt μεταφορικῶς, quod sol illis obscuretur non ἀληθῶς sed φαινομένως, non ὄντως sed οἰομένως, non *physice ac realiter* sed *metaphorice ac spiritualiter*. Qui enim in summa angustia constituti sunt, illis sol videtur obscurari, luna esse sanguinea, stellae lucem suam retrahere, terra tremere, mare fremere, totus mundus perturbari et omnia ruinam minitari, non quod re vera XIX. 263.
sic accidat, sed quod hominibus anxiis et coangustatis ita videatur, ac si illa omnia acciderent. Confer omnino Chrysostomum homil. 2. ad popul. Antioch. ubi in magna civitatis maestitia iisdem metaphoris propheticis utitur. Cum ergo particularia illa Dei judicia, quae adversus Babylonios, Aegyptos et ipsos Judaeos exercuit, fuerint specimina et praeludia extremi judicii, ideo existimant, iisdem verbis *metaphorice* acceptis, quibus particularia illa

judicia a prophetis fuere descripta, universale et ultimum judicium a Christo hoc loco describi.

96. *Allegoricam* horum signorum explicationem quidam ex veteribus sectantur. Ambrosius lib. 10. in Luc. p. 151: *Tunc sol obscurabitur etc. Plurimis enim a religione deficientibus clara fides obscurabitur nube perfidiae, quia mihi sol ille coelestis mea fide vel minuitur vel augetur. Quemadmodum si plurimi radios mundani solis adspiciant, pro captu videntis aut pallidior sol videtur, aut clarior; ita pro devotione credentis unicuique spirituale lumen infunditur. Et quemadmodum menstruis cursibus lunae vel terrae opposita, cum fuerit e regione solis, vanescit; sic et sancta ecclesia, cum lumini coelesti vitia carnis obsistunt, fulgorem divini luminis de Christi radiis non potest mutuari. Namque in persecutionibus lucem Dei solus plerumque amor vitae hujus excludit. Cadent stellae, illi utique resurrectionis gloria jam micantes, illi viri sicut luminaria in seculo verbum vitae continentes, illi viri, de quibus Abrahae dictum est, quia sicut coelum fulget et stellae, sic et semen ejus. Excident ergo hominibus patriarchae, excident prophetae, si persecutionis acerbitas convalescat etc. Ergo varii animorum aestus ita graves erunt, ut delictorum multitudine male consciis futuri judicii metu sacri in nobis ros fontis arescat, aret enim perfidia, fides rorat etc. sunt virtutes coelorum, quae enarrant gloriam Dei, et quae pleniore Christi infusione moveantur, virtutes spirituales, quae vident Christum.* Chrysostomus hom. 34. oper. imperf.: *In duodecima hora sumus, unde putas, quia candor justitiae jam recessit de mundo et sol radios gratiarum suarum in se recolligens revocavit et totam terram nigredo iniquitatum ac mendaciorum quasi nox fusca cooperuit, nisi quia jam et ipsa duodecima hora finiatur etc.* Augustinus epist. 80. ad Hesych. circa med.: *Haec signa in ecclesia melius existimo intelligi, ne Dominus Jesus appropinquante secundo adventu suo ea pro magno praedixisse videatur, quae huic mundo et ante primum ejus adventum consueverant evenire, et irrideamur ab eis, qui haec, quae velut novissima et omnium maxima horrescimus, plura in historia gentium et multo majora legerunt. Ecclesia est enim sol et luna et stellae, cui dictum est: Speciosa sicut luna, electa sicut sol, ab hac adoratur Joseph noster in hoc mundo velut in Aegypto ex humillimo sublimatus etc. Quando enim sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum et stellae cadent de coelo et virtutes coelorum commovebuntur, sicut ab aliis duobus evangelistis hic locus commemoratus est, ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum saevientibus et remoto timore tanquam arridente mundi felicitate dicentibus pax et securitas. Tunc stellae cadent de coelo et virtutes coelorum commovebuntur, quoniam multi, qui gratia fulgere videbantur, persequentibus cedent et cadent et quidam fideles firmissimi turbabuntur.* lib. 20. de civ.
XIX. 264. Dei c. 24. pronuntiat, verisimilius esse, quod *tropica sit locutio, qua stellae coelo dicuntur casurae.* Similia occurrunt apud Origenem tract. 28. in Matth. Posset huic allegoricae interpretationi robur aliquod conciliari ex eo, quod Christus vocatur *sol justitiae* Mal. 4, v. 2. Luc. 1, v. 78. ecclesia confertur *lunae* Cant. 6, v. 9. ecclesiae doctores *stellis* Apoc. 1, v. 16. etc. ideoque eam non simpliciter repudiamus, interim propriam et literalem horum signorum explicationem per eam minime excludi debere dicimus, 1) quia ut signa Hierosolymitani excidii sermone proprio Christus praedixerat, ita eodem sermonis genere in percensendis novissimi diei signis ipsum fuisse usum haud injuria credimus. 2) Absque cogente necessitate a litera non est discedendum. Juxta metaphoricam interpretationem nullum plane *in sole et luna* erit judicii signum, quia utrumque luminare fulgorem suum retinebit, dicuntur autem obscurari, quia hominibus omnia tenebricosa et maesta videbuntur. At Christus expresse dicit, *erunt signa in sole et luna,* ac hominum angorem ab illis signis distinguit. 3) Prophetae et apostoli verbis propriis cum Christi concione magnam affinitatem habentibus et signa diei novissimi et ipsum diem novissimum describunt Psalm. 75, v. 3. et 4. Hagg. 2, v. 7. (confer Hebr. 12, v. 16.) Joël 3, v. 20. 2. Petr. 3, v. 10. et 12. etc. 4) Allegorica illa veterum interpretatio pro mystica hujus loci expositione accipi potest, non autem est propria, genuina et praecipua. Lucas enim dicit, *et in coelis et in terra* quaedam futura signa. Cumque dixisset, *homines exanimatum iri prae timore et exspectatione* eorum, quae *orbi superventura,* αἰτιολογικῶς subjicit, *nam et virtutes coelorum movebuntur,* significans, commotionem virtutum coelestium causam fore illius angoris, ac *gentes* dicit propter *mirabilem maris commotionem fore anxias.* 5) Verisimile est, non in ecclesia solum mystice et spiritualiter, sed in tota rerum universitate proprie et literaliter signa illa fore complenda. Quemadmodum enim *vestimentum* prius veterascit, antequam penitus dissuatur, sic verisimile est, totam rerum universitatem insigne decrementum prius accepturam, antequam ultimo igne penitus deflagret Psalm. 102, v. 27: *Coeli peribunt et omnes sicut vestimentum veterascent,* v. 28. *sicut indumentum mutabis eos et mutabuntur.* Quemadmodum *in senio hominis* omnia prius fiant languida, antequam homo moriatur, oculi caligant, aures obsurdescunt, manus ac pedes tremunt, vires deficiunt, animus maeret Eccl. 12, v. 2. et seqq. sic appropinquante mundi interitu tota coeli terraeque machina ob vetustatem, quam contraxit, movebitur ac mutabit, luminaria coelestia obscurabuntur, virtutes coelorum movebuntur, erunt crebri terrae motus, homines prae angore ac tristitia deficient. Ambrosius in c. 21. Luc.: *In occasu seculi sumus, praecedunt quaedam aegritudines mundi, aegritudo mundi est fames, aegritudo mundi est pestilentia, aegritudo mundi est persecutio.* Confer Chrysostomum homil. 33. in Joh. Quemadmodum *patrefamilias irato* omnes domestici lugent, ac omnia

sunt in domo turbata ac tristia, sic quando in propinquo est, ut coelestis paterfamilias *exsurgat ad loquendum cum ecclesiae hostibus in ira sua et in furore suo illos conturbandos* Psalm. 2, v. 5. tunc totus mundus, qui est Dei domus, conturbabitur, creaturae omnes lugebunt, coeli luminaria pullis vestibus ami-
265. cientur ac omnia erunt dira ac tristia. Auctor oper. imperf. homil. 49. in Matth.: *Patrefamilias moriente tota ejus domus turbatur, omnis familia plangit, et conscissis tunicis suis nigris se cooperiunt vestimentis; sic humano genere circa exitum constituto totus contristatur mundus, universa coeli ministeria lugent et candore deposito luctuosis tenebris vestiuntur.* 6) Matth. 24, v. 29. dicit Christus: *Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur*, ubi inter tribulationem et signa illa discrimen facit. Ergo per obscurationem solis et lunae non potest *μεταφορικῶς* tantum tribulatio intelligi.

97. Qui τῷ ῥητῷ verborum insistunt, iterum in duas abeunt classes. 1. Quidam enim signa a Christo praedicta accipiunt de *prodigiis* quibusdam prorsus *hyperphysicis* et *antiphysicis* ante novissimum diem adhuc exspectandis. Cum enim astronomi causas naturalium eclipsium ex scientiae suae principiis arcessant, cumque jam inde a mundi primordiis solis et lunae eclipses non minus, quam hoc nostro tempore frequentes fuerint, ideo existimant, eclipses illas, quae inter signa diei novissimi a Christo referuntur, non posse de vulgaribus, ordinariis et naturalibus solis ac lunae defectibus accipi, sed exspectandas esse quasdam singulares et supernaturales eclipses cum die novissimo proxime cohaerentes, ut quia peculiaris earum debeat esse significatio, ideo etiam peculiaris earum statuatur natura et generatio. Et sane non magnopere refragabimur, quo minus prodigia quaedam hyperphysica et antiphysica ac proinde etiam quaedam inusitatae, praeternaturales et prorsus prodigiosae eclipses diem novissimum proxime antegressurae statuantur, cum experientia superiorum temporum ostenderit, anno 1572. prorsus novam stellam in ipsa regione aetherea in signo Cassiopeae conspectam fuisse. Interim cum in futuro eventu adeoque in occultis divinae omniscientiae thesauris illud adhuc lateat reconditum an talia prodigia et tales eclipses prorsus antiphysicae et extraordinariae certo adhuc sperandae vel potius metuendae sunt, ideo 2. Lutherus in post. domest. nequaquam absurdum censeri debere asserit, si signa novissimi diei, quae h. l. enumerantur, ita comparata statuantur, ut si non omnia, tamen *quaedam* ex ipsis causis videantur habere naturales, quo nomine etiam ab impiis et empaectis contemnantur, qui nullam significandi vim illis inesse judicabunt, ac proinde etiam sine ullo judicii divini metu in securitate et improbitate sua pergent. 1) Quemadmodum enim *iris*, quamvis causas naturales habeat, nihilo tamen minus propter divinam ordinationem est *signum foederis* et gratiae divinae Genes. 9, v. 15. ita quoque eclipses *et gemitus creaturarum* tam ἐπουρανίων quam ὑπουρανίων possunt esse signa adventantis diei novissimi et irae divinae adversus impios, quamvis ex causis naturalibus originem ducere videantur. Quemadmodum *morbi corporis* sunt signa mortis suo tempore secuturae, etiamsi infans, puer, adolescens etc. ex morbo interdum convalescat, neque immediate morbos mors consequatur; sic eclipses et alia signa a Christo commemorata non desinunt esse signa consummationis seculi, quamvis illis toties jam conspectis mundus nondum finem habeat. 2) Inter *signa excidii* Hierosolymitani, quae typum gerunt signorum diem novissimum praecedentium, numerantur etiam ea, quae causas habent morales ac naturales, ut persecutiones, bella, pestilentiae, fames etc. 3) *Sonitus* XIX. 266.
maris, qui inter signa judicii a Christo connumeratur, non minus quam fluxus ac refluxus maris causas naturales habere a physicis creditur. 4) Christus praevia illa signa non vocat *τέρατα* sed *σημεῖα*, quod est nomen generale. 5) Non unicum duntaxat signum per se et absolute, sed omnia simul sumta erunt *συντελείας τοῦ κόσμου* signa. Ergo non procedit argumentum. Eclipses naturales non possunt esse diei novissimae signa, quia jam olim fuerunt. Hanc Lutheri et aliorum sententiam, utut non improbabilem judicemus, nihil tamen praejudicatum volumus vel futuro eventui, vel aliorum interpretationibus fidei analogiae congruis.

98. 1. De signis *supra nos* in creaturis coelesti- 1. Supra nos.
bus Christus sic loquitur: 1. *Erunt signa in sole et* 1. In sole et luna.
luna Luc. 21, v. 25. id reliqui evangelistae sic exponunt: *sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum*, Matth. 24, v. 29. Marc. 13, v. 24. Primum igitur signum est *solis ac lunae defectus*. 1) Quidam accipiunt de *eclipsi una vel pluribus prorsus prodigiosis et praeternaturalibus*, cum naturales eclipses nec ratione frequentiae, nec ratione ordinationis divinae signa judicii extremi esse possint. Non prius, cum naturalium eclipsium omnium sit eadem et aequalis ratio, ut astronomi demonstrant; non posterius, quia jam inde a mundi exordio tales eclipses contigerunt, cum tamen Christo propositum sit, talia extremi judicii signa proponere, quae illud proxime antecedant. Quemadmodum igitur ante eductionem populi Israëlitici ex servitute Aegyptiaca praecesserunt *horribiles et miraculosae tenebrae* Exod. 10, v. 22. ita finalem piorum ex Aegypto hujus mundi liberationem eclipses quaedam praeternaturales videntur antecessurae. Antequam Israëlitae ex Aegypto educerentur, superliminaria sanguine tingebantur; sic ante finalem piorum liberationem *luna fiet sicut sanguis* Apoc. 6, v. 12. Luc. 21, v. 25. Quemadmodum Hierosolymitanum excidium eclipsis solis prorsus miraculosa et prodigiosa in passione Christi antecessit, ut ostendimus in harmonia evangelica cap. 16. p. 767. ita finale totius mundi excidium una vel plures eclipses prorsus miraculosae et praeternaturales praecessurae videntur. Alphons. Salmeron. tract. 40. tom. 4. p. 672: *Ante judicium Deus miraculose subtrahet soli lumen, atque ita obscurabitur interjectione corporum inter*

coelum et nos a Deo facta, ut in passione factum nonnulli putant, et per tres vel quatuor horas[,] *ut in passione, non multo plus, ne omnia viventia pereant, nec minus, quia non intrarent per motum luminaria omnium hemisphaeria etc.* Gregorius de Valentia tom. 4. comm. p. 2304: *Haec obtenebratio non est futura per eclipsin aliquam, cum haec non possit contingere simul in sole et luna, ideo dicamus, divina virtute privatum iri suo lumine solem et lunam vel obscuratum iri, ne illustret aërem et nos, vel quod aliqua densissima nubes opposita soli et lunae omnimodas tenebras oculis mortalium offusura sit in toto orbe etc.* Similia occurrunt apud Barradium lib. 9. c. 10. p. 587. et Osorium tom. 5. conc. ad Luc. 21. Sed quid de hac hypothesi statuendum, jam ante exposuimus. 2) Quidam ergo *de naturalibus eclipsibus* Christi vaticinium accipiunt. Quamvis enim tales eclipses habeant causas suas naturales, unde astronomi certum earum tempus
XIX. 267. praedicere possunt, nihilo tamen minus possunt esse signa irae divinae et adventantis extremi judicii. Primo quia eclipses pugnant cum natura et proprietate luminarium illorum coelestium, quippe quae divinitus hoc fine condita sunt, *ut luceant in firmamento coeli et illuminent terram* Genes. 1, v. 15. quando ergo lux eorum mundo intercipitur, tunc aliquid praeternaturale quasi ipsis obtingit, unde Poeta de illis sic canit:

Defectus Solis varios lunaeque labores.

Secundo quia experientia comprobatum est, quod eclipses multa et magna mala in terris sequantur, unde versiculi:

οὐδεμί' ἔκλειψις καὶ οὐδείς ἐστι κομήτης,
ὅς μὴ ἀνθρώποις ἄλγεα πολλὰ φέρει.

Tertio: Quia sol et luna sunt instar cujusdam speculi, in quo et hominum improbitas, et futurae poenae relucent, quemadmodum Genes. 18, v. 20: *Clamor Sodomiticorum peccatorum in coelum adscendisse* dicitur. 3) Quidam exponunt *mystice et allegorice* de luce doctrinae in ecclesia per corruptelas obscurata. Christus enim est sol justitiae, laetitiae et vitae, a qua ecclesia, quae est luna, omnem splendorem ac lucem accipit, obscurata igitur coelestis doctrinae luce per traditionum humanarum et corruptelarum haereticarum tenebras, spirituales eclipses in ecclesia sequi necesse est. Sol obscuratur, quando luna inter ipsum et oculos hominum interponitur; sic inordinatus amor rerum terrenarum, quae instar lunae sunt mutabiles, lucem interioris agnitionis in cordibus hominum intercludit. Luna obscuratur, quando terrae interpositione lumen solis ipsi adimitur; sic anima, cum lumini coelesti vitia terrenae carnis obsistunt, fulgorem divini luminis de Christi radiis non potest participare. Joel 3, v. 4. praedictum, quod ante magnum et horribilem diem Domini *luna convertenda sit in sanguinem*, id allegorice ad sanguinolentas ecclesiae persecutiones accommodari potest. 4) Ad solis et lunae eclipses a quibusdam referuntur *parelii ac paraselenae*, quando plures soles ac plures lunae conspiciuntur, quando haec luminaria apparent sanguinolenta, quando *soles nocturni* conspiciuntur; interim ea, quae ex causis prorsus naturalibus oriuntur et significationes duntaxat naturales obtinent Matth. 16, v. 2. a propriis diei novissimi signis prudenter sunt discernenda.

99. 2. Erunt signa *in stellis* Luc. 21, v. 25. id 2. I
a reliquis evangelistis sic exponitur, *stellae de coelo cadent* Matth. 24, v. 29. Marc. 13, v. 25. 1) Qui signa Christi ad judicium adventum *immediate* antecessura, adeoque in ipsa judicii hora demum eventura hic praedici statuunt, illi hanc stellarum *ἔκπλωσιν κατὰ ῥητόν* et proprie accipiunt, quod stellae ab orbibus suis movebuntur et Christo judici in nubibus venienti quasi cedent. Chrysostomus hom. ad Neoph. tom. 5: *Quid sibi vult, sicut cadunt folia de ficu, stellae cadent de coelo? Sicut vites, cum uvarum fructibus praegravantur, foliorum exposcunt auxilium necessarium, ut protegantur, cum autem deposuerint fructum, necesse est, ut foliis nudentur; sic se habet hoc seculum, quamdiu habuerit in se humanum genus, tenebit et coelum stellas, sicut et vitis folia. Nam nocte pereunte sine dubio stellarum utilitas simul cum nocte deficiet.* 2) Qui *allegorias* sectantur, accipiunt de magnorum ecclesiae doctorum et aliorum etiam Christianorum, qui prius XII. 268
velut luminaria per verae doctrinae confessionem et sanctam vitae conversationem fulserant Phil. 3, v. 15. multiplici apostasia. Apoc. 8, v. 10: *Cecidit de coelo stella magna ardens tanquam facula.* v. 12. *Tertia pars stellarum fuit obscurata.* Apoc. 12, v. 4: *Cauda draconis trahebat tertiam partem stellarum coeli.* Dan. 8, v. 10. de Antiocho ecclesiae persecutore, Antichristi typo, dicitur: *Dejecit de exercitu coeli et de stellis et conculcavit eas*, in quem locum sic commentatur Gregorius lib. 30. moral. c. 12: *Nonnullos et luce justitiae resplendentes et virtute operis robustos Antichristus franget.* 3) Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 24. accipit *de exhalationibus* in aëre accensis et post conflagrationem decidentibus. *Quod scriptum est*, inquit, *stellas de coelo esse casuras, praeterquam quod potest multo probabilius et aliter intelligi* (quam proprie de stellis in firmamento coeli fulgentibus), *magis ostendit, mansuros esse illos coelos, si tamen stellae inde casurae sunt, vel cum tropica sit locutio, quod est credibilius, vel in isto imo coelo futurum sit, utique mirabilius quam nunc fit, unde et illa Vergiliana* stella facem ducens multa cum luce cucurrit *et Idaea se condidit sylva*, in quem locum sic commentatur Ludov. Vives: *Aristoteles lib. 1. meteor. has stellas gigni dicit ex halitu in media aëris regione a superiore igne accenso, qui si longitudinem tantum habeant, δαλοί dicuntur, id est lampades. Eaedem sunt faces Plinio libr. 2. Emicant, inquit, et faces non nisi cum decidunt visae, qualis Germanico Caesare gladiatorum spectaculum edente praeter ora populi meridiano transcurrit. Duo*

genera earum, lampades vocant plane faces, alterum bolidas, quale Mutinensibus malis visum est. Distant, quod faces vestigia longa faciant priore ardente parte, bolis vero perpetua ardens longiorem trahit limitem. Cadent ergo stellae, id est videbuntur cadere; vel cometae in aërea regione accensi decident. Angeli ejaculabuntur tot fulgura et ignitas exhalationes stellarum formam referentes, ut stellae ipsae ruere videantur. 4) Qui *prodigiosa prorsus et portentosa* in stellis signa adhuc exspectant, splendorem earum imminuendum ac debilitandum, quin a quibusdam plane abolendum ante diem novissimum exspectant. Joel. 3, v. 20: *Stellae retrahent splendorem.* Cadent ergo de coelo non ratione substantiae sed lucis, quia lumen suum retrahent, ut quasi e coelo cecidisse, non amplius in eo esse videantur. 5) Quidam *figurate* et *comparati* accipiunt, hoc sensu, tanta erit totius machinae coelestis concussio, ut stellae ipsae e coelo cadere putentur. Eventus ac dies Domini omnium optime illa explicabit.

3. 100. 3. *Virtutes coelorum*, sive quae in coelis sunt, *movebuntur.* Matth. 24, v. 29. Marc. 13, v. 25. Lucae 21, v. 26. Tertium igitur signum erit *virtutum coelestium motus.* In Graeco est σαλευθήσονται, quod proprie significat *concutientur, conquassabuntur* instar maris a fluctibus conturbati, ac *concutiendo periclitabuntur.* Usurpatur enim de *calamo a ventis quassato* Matth. 11, v. 7. Lucae 7, v. 24. De *mensura concussa* Luc. 6, v. 38. De *fundamentis aedium motis* Luc. 6. v. 48. Actor. 4, v. 31 c. 16, v. 26. ac metaphorice de *rerum instabilium abolitione ac mutatione* Hebr. 12, v. 26. et 27. ut et de *animi conturbatione* Actor. 2, v. 25. 2. Thess. 2, v. 2. Haec virtutum coelestium commotionem ac concussionem varie exponunt interpretes. 1) Qui ad signa judicium immediate antecedentia vaticinium
169. Christi referunt, hanc commotionem sic exponunt, quod ipsum firmamentum coeleste ex suis cardinibus revellendum in die novissimo sit transiturum. 2) Qui ad signa judicium antecessura illud referunt, eorum quidam κατὰ ῥητόν et proprie id accipiunt, quidam vero metaphoras et allegorias sectantur. Ex priore classe quidam *de virium coelestium decremento* accipiunt. Quemadmodum enim vestis a prima sua integritate paulatim mutatur ac quotidiano usu et vetustate deteritur; ita quoque *coeli instar vestimenti* veterascentes Psalm. 102, v. 27. viribus suis, quas in sublunaria obtinent, deficient. Testatur enim experientia, superiorum corporum coelestium efficaciam in haec inferiora non esse tantam, quanta fuit superioribus seculis. 3) Quidam per virtutes coelorum ipsum firmamentum ac stellas, omnem coeli militiam, planetas omnes, adeoque ipsos coelos fortes ac robustos intelligunt, ut *virtutes coelorum* sint per hypallagen Hebraeam coeli virtutum, id est virtutibus pollentes seu firmissimi, quos dicunt *commovendos*, id est e superiore et naturali loco demittendos, existimant enim machinam coeli aliquot milliaribus hodie inferiorem esse, quam fuerit tempore Ptolemaei. Tradunt quidam mathematici, eccentricitatem solis, id est intervallum, quo a centro mundi, id est terra, distat, minorem esse fere quarta parte, quam fuerit Ptolemaei seculo, ex quo colligunt, solem hodie nobis viciniorem esse 9976 milliaribus Germanicis. 4) Quidam per *virtutes coelorum* intelligunt stellas, quia coelum per stellas in certo ordine ac cursu dispositas virtutem suam in haec inferiora exserit ac stellae progrediuntur in sua virtute sicut homo libere in terris obambulans. Quando destituitur homo virtute, tum concidit, ita quoque quando virtutes coelorum infirmabuntur, tunc stellae de coelo cadent. 5) Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus in comm. Augustinus serm. 130. de temp. per *virtutes coelorum* intelligunt angelos, qui Hebraeis dicuntur צְבָאֹת הַשָּׁמַיִם, hi ergo *commovebuntur*, id est admiratione et horrore concutientur, cum videbunt, maximam naturae mutationem fieri. Sicut filius tremit, quando patrem iratum in servos animadvertere videt, Lombardus 4. sentent. dist. 48. Sed quia Lucas pro causa anxiae trepidationis et exspectationis hominum subjicit, *nam virtutes coelorum commovebuntur*, ideo angelorum invisibilium invisibilis admiratio vix potest intelligi, adde quod commotio illa virtutum diem judicii sit praecessura, angeli autem in ipso judicio dicuntur terrore commovendi. 6) Quidam angelorum commotionem sic exponunt, quod *ad judicium sese praeparabunt*, cum Christus venturus sit in gloria cum omnibus angelis. Sed Christo propositum est visibilia novissimi diei signa tradere. 7) Bessaeus conc. 2. de extremo judicio: *Virtutes coelorum commovebuntur, id est motores angeli coelos deserent erraréque sinent.* Similiter Barradius dicto loco. Sed hypothesis de intelligentiis orbium coelestium motricibus nondum est demonstrata. 8) Cum per *coelum naturae* a coelo gratiae et gloriae distinctum in Scripturis intelligatur tota regio aërea et aetherea, quae ab aquis et terra usque ad lunae orbem sese exporrigit, ideo per *commotionem virtutum coelestium*, id est coelorum firmissimorum, quidam intelligunt insignem aliquam in coelo aethereo et aëreo mutationem et mirabilem ejus faciem, ut sic denotentur inusitata chasmata, cometae turbines, ventorum grandines, pluviae sanguineae, horribiles tem- XIX. 270.
pestates, novae stellae infausti et horrendi adspectus, adeoque omnia, quae in aetherea et aërea regione extraordinaria, insolita ac praeternaturalia contingunt. 9) Qui *allegorias* sectantur, virtutum spiritualium in coelo gratiae, id est in ecclesia, motionem intelligunt. Confer Ambrosium lib. 10. in Luc. pag. 151. Secundam et octavam expositionem reliquis probabiliorem esse judicamus.

101. 4. *Et tunc apparebit signum Filii hominis in coelo* Matth. 24, v. 30. Quartum igitur σημεῖον erit *signi Filii hominis in coelo conspectus.* 1) Quidam per *signum Filii hominis* intelligunt ipsum Filium hominis tanquam signum certissimum adventus ejus ad judicium, sicut Abraham dicitur accepisse *signum circumcisionis*, id est ipsam circum- 4. Signum Filii hominis.

cisionem Rom. 4, v. 11. cui interpretationi probabilitatem quaerunt ex eo, quod loco hujus signi apud reliquos evangelistas Marc. 13, v. 26. Luc. 21, v. 27. dicitur: *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube*, ac quod in Scripturis novum non sit, Christum vocari *signum*, Esa. 7, v. 14. Luc. 2, v. 34. Origenes tractat. 30. in Matth. *ipsam Christi redeuntis majestatem et gloriam signi loco futuram* arbitratur. 2) Quidam per *signum Filii hominis* intelligunt et ipsum Filium hominis, sed phrasin aliter explicant; *apparebit signum Filii hominis*, id est Filius hominis signatus, corpus Christi vulneribus signatum, apparebunt signa passionis, videlicet cicatrices vulnerum in latere, manibus, pedibus glorificati Christi corporis, *videbunt enim eum, quem pupugerunt* Zach. 12, v. 10. Apoc. 1, v. 7. Confer auctorem imperf. operis in Matth. hom. 49. Sed Matthaeus distincte dicit: *Apparebit signum Filii hominis in coelo, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli.* 3) Quidam accipiunt de speciali quadam claritate ac radio quodam igneo, qui immediate Christi adventum praecedet et in momento per universum orbem sese extendet. Hieronymus in comment. Matth. 24. ait, fore *aliquod vexillum victoriae triumphantis*, cui affinis est sententia Chrysostomi homil. de cruce et latrone, quae Augustino tribuitur et est sermo 130. de temp. *Sicut imperatorem* (ait) *regalis pompa praecedit et militaris ordo praeeundo vexilla humeris portare consueverunt, et his ejus declaratur adventus; sic Domino de coelo veniente angelorum coetus et archangelorum multitudo illud signum portant humeris excelsis et regalem nobis adventum nuntiant.* 4) Quidam signum accipiunt pro significatione, ut sit sensus, fideles hisce prodigiis esse excitandos et admonendos, ut Filium hominis e coelo reducem exspectent. Sed Christus aliquod distinctum a prioribus signum exponere videtur. 5) Quidam hoc sensu accipiunt, *quod Christus denuntiet, se ultimo illo adventu palam emersurum, ut coelesti potentia praeditus quasi signo in sublime erecto ad se convertat totius mundi intuitum, sicut principes seculi in pugnam egressuri signa proferunt, ad quae milites spectent.* Sed haec expositio quoad sensum coincidit cum prima et secunda. 6) Plerique veterum hoc accipiunt *de signo crucis*, quod cum summa claritate sole et luna obscuratis in coelo appariturum statuunt, tum *in consolationem fidelium*, quia agnoscent signum victoriae, quo sunt redemti; tum *in condemnationem infidelium*, ut agnoscant, injuste se Christum crucifixum rejecisse. Hippolytus mar-
XIX. 271. tyra in orat. de consummat. mundi et Antichristo, Methodius in orat. de mund. consumm. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 15. Chrysostomus homil. 77. in Matth. Hilarius, Hieronymus, Theophylactus, Euthymius et Beda in comm. c. 24. Matth. quin et Ephraemus peculiarem orationem scripsit *de apparitione crucis tempore judicii*, ac Sibylla libr. 6. oracul. ita canit:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,
Nec te terra capit, sed coeli tecta videbis,
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Chrysostomus d. l.: *Crucem secum habet, ut peccatum Judaeorum sine accusatore condemnetur. Veluti si quis lapide percussus ipsum lapidem vel cruentas vestes in testimonium ostendat.* Thomas in comm. Matth. 24. addit, *crucem ideo in judicio conspiciendam, ut significetur, judiciariam potestatem per crucem esse comparatam et ut indicetur*, eum esse judicem, *qui a Judaeis crucifixus est.* Nec injuria quis cogitare possit, crucem apparituram tanquam fontem omnis gloriae, quae in die judicii piis obtinget, quia Christi in cruce passio et ignominia est summa piorum gloria. 7) Quidam de *nova et insolita stella*, adventus Dominici praenuntia, hoc intelligunt. *Si scrutemur*, ait Hunnius in comm. Matth. 24. *quodnam fuerit signum Filii hominis in primo adventu ejus, cum Filius Dei fieret hominis filius, certe stellam fuisse omnino fatendum est, quae in aetherea regione fulgens humanae ipsius nativitatis fuit nuntia. Cum ergo hoc fuerit signum Filii hominis in primo adventu, a vero non alienum est statuere, quod secundi adventus signum itidem futurum sit miraculosa quaedam stella. Ejusmodi vero nova stella anno 1572 et 1573. in sidere Cassiopeae apparuit ac copia sui luminis omnes firmamenti stellas superavit, quod tantum fuit miraculum, quantum a mundi inde exordio in aetherea regione vix fuit conspectum.*

102. 2. De signis *intra nos* Christus sic loqui- 2. Intr nos.
tur: *Erit in terris pressura gentium prae stupore* Luc. 21, v. 25. *exanimatis hominibus prae timore et exspectatione eorum, quae orbi superventura* v. 26. *Συνοχή* proprie est *coarctatio, angustia et anxietas ἀπὸ τοῦ συνέχειν*, quod est *constringere, continere, coarctare;* 2. Cor. 2, v. 4. *θλῖψις καὶ συνοχὴ καρδίας* conjunguntur. Verbum *συνέχεσθαι* usurpatur de *afflictione corporis* per morbos Matth. 4, v. 24. Luc. 4. v. 38. Actor. 28, v. 8. de *coangustatione urbis* per obsidionem undique cinctae Jerem. 52, v. 4. Luc. 19, v. 43. de *custodia captivorum* Luc. 22, v. 63. et de *angustia atque anxietate animi* Luc. 8, v. 37. c. 12, v. 50. Phil. 1, v. 23. Sensus igitur est, quod talis futura sit hominum anxietas, qualis est eorum, qui arcta obsidione cinguntur, ut non pateat fugae locus, qui in carcere conclusi a custodibus diligenter observantur, ne fuga sibi consulant, qui febrium calore aestuantes in lectulo se circumvolvunt etc. In maestitia cor quasi constringitur ac comprimitur, ideo ingens animi consternatio *συνοχή* hoc loco appellatur. Nonnulli codices pro *συνοχῇ* legunt *ἀνάγκη*, quod necessitatem ac vim illatam denotat; Syrus reddidit per אולצנא *angustia, molestia*, a rad. אלץ *constrinxit, afflixit, molestavit, cruciavit*, ac paraphrastice addidit *complosionem manuum*. *Ἀπορία* proprie significat *perplexitatem,* XIX.
consilii penuriam, dubitationem ac desperationem;

Syrus reddidit per *stuporem ac terrorem;* quidam ad sequentia referunt ἐν ἀπορίᾳ ἠχούσης θαλάσσης, ut sit sensus prae *desperatione resonante mari et fluctu et arescentibus hominibus*, qua ratione per quandam prosopopoeiam ἀπορία mari tribueretur. Sed praestat referre ad praecedentia, ex illa enim συνοχῇ, qua homines ante novissimum diem opprimentur, orietur ἀπορία, ut nesciant, quo se vertere quidve agere debeant. Ἀποψύχειν proprie est *exanimari*, ac semel tantum in tota Scriptura hoc loco usurpatur, ut peculiaris anxietas significetur. Thucydides libr. 1. histor. c. 134. de Pausania: καὶ μέλλοντος αὐτοῦ ἀποψύχειν, *cum prope esset, ut exanimaretur;* Sophocles in Ajace: ἀπέψυξε βίον, *efflavit animam.* Syrus perquam emphatice: *Et tremor extrudens animas filiorum hominis prae metu etc.* Potest etiam pressura ἐν ἀπορίᾳ, *in dubitatione vel desperatione*, sic accipi: *erit pressura maxime angusta*, adeo ut ad desperationem propemodum inducat, juxta canonem Hebraici idiotismi: *Substantivum post praepositionem saepe ponitur pro adjectivo.* Sensus igitur est, quod homines paene exanimandi sint prae metu malorum, quae orbi superventura erunt. Ad hanc συνοχὴν, ἀπορίαν καὶ ἀπόψυξιν referri etiam potest, quod apud Matthaeum c. 24, v. 30. additur, *et tunc plangent omnes tribus terrae*, quia planctus ille non tantum complectitur horribilem illum ploratum impiorum, qui ad conspectum Christi judicis in die novissimo ita trepidabunt, ut ex terroribus illis se recolligere nequeant, de quo Zachar. 12, v. 11. Apocal. 1, v. 7. c. 6, v. 17. sed etiam tristem et ancipitem illam malorum exspectationem, quae orbi superventura esse ex horribilibus illis signis homines colligent, sic enim apud Matthaeum verba ordinantur: *Et tunc apparebit signum Filii hominis in coelo, et tunc plangent omnes tribus terrae et videbunt Filium hominis venientem etc.* quamvis quidam conjunctionem καί causaliter exponant, *plangent, quia videbunt Filium hominis.* Verbum κόψονται ingentis doloris et plangoris significationem habet, sensus enim est, quod homines tanto dolore afficiendi sint, *ut plangant*, id est ipsimet sese et *femora sua feriant*, quod in gravissimo luctu apud Judaeos fieri solebat Jerem. 31, v. 19. κοπετός dicitur *planctus* in funere Stephani Actor. 8, v. 2. Syrus utitur verbo רקד, *subsiliit* prae dolore et moestitia, nam pedibus terram percutere vim doloris significat. Homerus Odyss. σ. de Iro: *Compressit autem dentes* λακτίζων ποσὶ γαῖαν, *pedibus terram calcitrando pulsans.* Ambrosius libr. 10. in Luc. p. 151. hunc interiorem dolorem et planctum exteriorem in impiis duntaxat locum habiturum existimat. *Varii*, inquit, *animorum aestus ita graves erunt, ut delictorum multitudine male conscii futuri judicii metu sacri in hominibus fontis ros arescat, aret enim perfidia, virtus rorat.* Ambrosium hac in parte sequitur Bartscius domin. II. Advent. p. 92. et Bernhard. Textor Calvinianus, sed alii, inter quos familiam ducit noster Lutherus in post. domest., rectius statuunt, ne pios quidem ab hac animi anxietate et metu prorsus immunes futuros, id quod ex causis procatarcticis ejusdem colligi potest. Causae enim erunt 1) *irae divinae severitas*, quam horribilibus illis signis novissimum diem praecessuris magis magisque patefecit. Sapient. 5, v. 18: *Accipiet armaturam zelus ejus et armabit creaturam ad ultionem inimicorum.* Rom. 1, v. 18: *Revelatur ira Dei de coelo super impietatem etc.* XIX. 273.
2) *Diaboli tyrannis ac crudelitas.* Is enim, quia novit, pauxillum temporis sibi adhuc restare, omnia in mundo conturbare ac ima summis permiscere annitetur Apocal. 12, v. 12. excitabit horrendas persecutiones, bellorum tumultus, odia privata etc. 3) *Extrema hominum impietas*, quia *abundabit iniquitas, refrigescet vero caritas* Matth. 24, v. 12. *non erit veritas, non misericordia, non scientia in terris* Oseae 4, v. 2. *erunt illusores dicentes, ubi nunc promissio adventus?* 2. Petr. 3, v. 4. etc. In hanc deploratam mundi perversitatem et supinam hominum securitatem pii animum suum defigentes, non poterunt non magnopere commoveri scientes, μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλας εἶναι τιμωρίας. Sicut de Sodomitis dicitur, *quod justam animam Lothi iniquis suis operibus cruciaverint* 2. Petr. 2, v. 8. 4) *Poenarum congeries et multiplex calamitas*, qua universus orbis premetur. Cumulabuntur enim mala tum *publica*, ut persecutiones, proelia, tumultus; tum *privata*, eaque tam *interiora*, ut angores animi, pavores, anxiae solicitudines etc. quam *exteriora*, ut conjugum dissidia, liberorum et domesticorum inobedientia, ἀστοργία, perfidia, omnium rerum penuria; turbabitur status ecclesiasticus per haereses et schismata, per contemtum ministerii ac verbi, per negligentiam ecclesiae doctorum et inobedientiam auditorum; status politicus per seditiones et bella, per contemtum magistratus, per rapinas ac fraudes publicas; status oeconomicus per rei familiaris difficultates, per contemtum parentum, per negligentiam in domestica educatione etc.

103. 3. De signis *infra nos* in creaturis elementaribus dicitur: *Erit sonitus maris et fluctuum* Luc. 3. Infra nos.
21, v. 25. Ἦχος proprie est *sonitus repercussus* sive resonans; proinde ἦχος θαλάσσης καὶ σάλου erit sonus ex commotione et repercussione fluctuum in tempestate et ventorum procellis exortus. Σάλος Graecis proprie est ora maris, in qua stant naves ad ancoras, quae ad littus accedere non possunt, ab ἅλς, mare, inde Latinorum *salum*, quod non tantum usurpatur pro subjecto, videlicet ipso mari, sed etiam pro adjuncto, videlicet pro *tempestate maris*, in qua fluctus a procellis ventorum agitati allidunt scopulis ac littori, unde illud Poetae:

Perque undas superante salo.

Euripides in Iphigenia Taur. de terrae motu usurpavit,

Χθονὸς δὲ νῶτα σεισθῆναι σάλῳ,

telluris autem dorsa fuisse quassata motu, quia post terrae motus sequi solent tempestates in mari.

Quidam, ut superius etiam monuimus, conjungunt haec verba ἠχούσης θαλάσσης cum praecedenti ἀπορίᾳ, ut per προσωποποιίαν mari tribuatur, quod prae anxietate moveatur ac fluctuet, sicut homo in anxietate discurrit. Sapient. 5, v. 23: *excandescet in illos aqua maris et flumina concurrent duriter.* Sicut terra concussione sui testatur, se nolle amplius ferre peccatorum molem; sic mare horrendis fluctibus testatur, quod nolit in posterum commerciis hominum nil nisi carnales voluptates sectantium sese idoneum et aptum praebere. Gregorius libr. 21. moral. cap. 16: *Tempestas cum oritur, prius lenes undae et postea flumina majora concitantur, ad extremum fluctus se in alta erigunt et navigantes quosque ipsa sua altitudine subvertunt; sic illa extrema properat tempestas animarum, quae mundum subruat. Nunc enim bellis et cladibus quasi quibusdam un-*
XIX. 274. *dis sua nobis exordia ostendit, et quanto ad finem quotidie propinquiores efficimur, tanto graviora irruere tribulationum flumina videmus. Ad extremum vero commotis omnibus elementis superveniens judex finem omnium apportat, quia videlicet tunc tempestas fluctus in coelum levat.* Eo nimirum omnia illa signa a Christo praenuntiata collimant, quod tota rerum universitas ante diem judicii sit commovenda, turbanda, coangustanda, sicut homo morti propinquus ejusmodi commotiones et perturbationes sentit. Atque hi sunt *gemitus illi creaturarum*, de quibus apostolus Rom. 8, v. 19 et seqq. disserit. ἡ ἀποκαραδοκία, inquit, *solicita exspectatio, creaturae*, vehemens et anxia illa exspectatio, qua velut exserto capite omnes creaturae exspectant, *revelationem filiorum Dei* ἀπεκδέχεται, *desiderat adventare.* v. 22. *Scimus, quod omnis creatura nobiscum ingemiscat ac parturiat,* συστενάζει καὶ συνωδίνει. Cum enim die novissimo repentinus super impios venturus sit interitus *sicut dolor parturientem inexspectato apprehendit* 1. Thessal. 5, v. 3. ideo apostolus universis creaturis tales ὠδῖνας tribuit, quibus diem novissimum tacita quadam voce exposcunt, in quo regeneratio filiorum Dei subsequetur, Matth. 19, v. 28. Luc. 20, v. 36. Omnes creaturae erunt velut quidam praecones homines ad tribunal Christi citantes et futuram mundi πανωλεθρίαν per suas angustias denuntiantes. *Multa enim debent praecedere mala, ut malis malum valeant sine fine nuntiare,* ait Gregorius homil. 34. super evang. Sicut post solis occasum circa vesperam *horror magnus et tenebrosus* Abrahamum invadebat, quo significabantur afflictiones et anxietates posteritatis Genes. 15, v. 12. sic circa mundi vesperam omnes creaturas, praesertim rationales, quidam stupor et horror invadet. Eucherius Lugdunensis libr. 2. in Genesin cap. 20: *Significat jam, in fine seculi per ignem judicandos esse carnales. Sicut enim afflictio civitatis Dei, qualis antea nunquam fuit, quae sub Antichristo futura speratur, significatur tenebroso timore Abrahae, sic circa solis occasum, id est ad ipsum jam finem, significatur isto igne dies judicii dirimens carnales per ignem salvandos et in igne damnandos.* Sicut liberationem Israëlitarum ex Aegypto multa praecesserunt prodigia, ita finalem filiorum liberationem in die novissimo secuturam similia signa antecedent, Lactantius lib. 7. institut. cap. 15. quorum collationem cum plagis Aegyptiacis ostendimus in postill. dominica II. Advent. Sicut primum Christi in carnem adventum antecesserunt tempora luctuosa, sic ante secundum ejusdem ad judicium adventum in omnibus vitae ordinibus erit status moestissimus ac turbatissimus.

104. Atque haec sunt novissimi diei praenuntia signa, quae Christus fine eo praedixit, ut essent 1 *sui erga nos amoris demonstrativa.* Amici ac benevoli animi indicium est de futuris malis aliquem praemonere; cum ergo Christus de futuro judicio concionetur, antequam ingruat, et signa ejusdem prognostica nobis exponat, eo ipso suam φιλανθρωπίαν et animum salutis nostrae cupidum demonstrare voluit. Ex Scripturis discimus, Christum triplici modo gladium mysticum gestare. Primo quidem *accinctum* Psalm. 45, v. 4. secundo *in ore* Apocal. 1, v. 16. tertio *in manu* Psalm. 7, v. 13. quo significatur Dei in puniendo progressus. Primo enim habet gladium accinctum *ostendendo suam potentiam*, ut terreat; deinde gladium in ore ponit *comminando*, ut deterreat; tandem vero cum neutrum XII.
sufficit, gladium vagina exuit ac vibrat, *ut percutiat* Exod. 15, v. 9. Ezech. 5, v. 12. Sic ergo etiam hoc loco, quando Christus signa judicii pronuntiat, *ex ore ejus gladius progreditur*, quia ex amore prius praemonet ac deterret, quam gladium ultionis vibret, minatur, antequam feriat, terret, priusquam percutiat; qua de re Basilius in expos. Psalm. 7. eleganter sic disserit: *Comminatorius sermo est, non statim minatur vulnera, plagas, mortes, sed armorum vibrationem velut praeparationem quandam ad ultionem intentat. Quemadmodum ergo qui arma abstergunt ac poliunt, pugnae mox ineundae acrem affectum et alacritatem significant; sic et sermo hic Dei motum ad ultionem ostendere volens, gladium illum vibrare dixit.* Pii veteres etiam hoc observant, quod Apocal. 1, v. 16. et 20. *gladium in ore*, sed *stellas in manu* Christus gerat, quia promtior est ad benefaciendum quam puniendum, ac supplicia comminatur, beneficia autem re ipsa confert. 2. *Securitatis expulsiva.* Audimus, secuturum esse judicium, si verbis illis fidem habere nolumus; intueamur signa, quae in oculos omnium incurrunt et diem illum censorium in propinquo esse evidenter demonstrant. Quaecunque a prophetis de primo Christi adventu ejusdemque circumstantiis praedicta, ea in novi testamenti exordio omnia sunt completa; credamus igitur, etiam ea, quae de secundo Christi adventu in propheticis et apostolicis scriptis praedicta exstant, suo tempore certo esse complenda, cum signa inter oculos et manus omnium versentur. Gregorius homil. 1. in Evangel.: *Quid terrores, quos cernimus, nisi sequentis irae praecones dixerimus? unde et considerare necesse est, quia ab illa tribulatione ultima*

Car stus si prae ri

anto sunt istae tribulationes dissimiles, quantum a potentia judicis persona distat praeconis. Confer Augustinum epistol. 42. ubi eodem modo contra empaectas et Epicureos concludit. Neque solum ex illis signis futurum aliquando judicium discimus, sed etiam in propinquo illud esse intelligimus. Quando ficus emittit folia et grossos, aestatem prope adesse cognoscimus; ita cum signa a Christo et apostolis praedicta quotidie magis magisque impleri videamus, noverimus, quod venturae vitae *aestas sit in januis* Matth. 24, v. 32. et 33. Marc. 13, v. 28. et 29. Luc. 21, v. 29. 30. et 31. *Faciem coeli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis,* dicebat olim Christus ad Pharisaeos signa primi in carnem adventus sui non observantes Matth. 16, v. 3. eodem modo ad Epicureos et illusores dicere possumus. Faciem terrae dijudicare nostis, signa autem novissimorum temporum non consideratis. Omnis certe excusationis praetextus horum signorum praedictione impiis est ademtus, cum diu ante fuerint a Christo praemoniti, antequam ad judicium compareerint hisce praeconibus citati. 3. *Περιεργίας alexipharmaca.* Signa judicii prognostica Christus praedixit, sed certum judicii diem determinare noluit; illud proficit ad expellendam ex animis nostris *securitatem,* ne decretorium ac censorium istum diem longe adhuc abesse cogitemus; hoc vero ad tollendam *curiositatem,* ne id quod Deus in sua potestate ac scientia posuit, temere scrutari audeamus. Quemadmodum mors certa est, sed incerta mortis hora; sic novissimum judicium aliquando secuturum certum est, sed hora judicii incerta est et hominibus ignota. *Veniet Filius hominis ea hora, qua non putabitur venturus* Matth. 24, v. 44. Luc. 12, v. 46. frustra igitur certum diem et horam definimus, qua eum venturum speremus. *Quando homines dicent pax et securitas,* id est interprete Augustino epistol. 80. ad Hesychium, quando remoto omni timore, arridente mundi felicitate in peccatis secure pergent ac judicii tempus procul adhuc abesse cogitabunt, *tunc repentinus illius superveniet interitus* 1. Thessal. 5, v. 3. huic hominum securitati pulvinar substernunt, quotquot calculis suis nimium confisi diem judicii in aliquot secula rejiciunt. 4. *Μικροψυχίας remedia.* Hisce *fieri incipientibus,* inquit Christus Luc. 21, v. 28. *ἀνακύψατε, respicite, et attollite capita vestra, scientes, quod appropinquet redemtio vestra.* In terris omnia tunc erunt turbata et confusa, e coelo igitur liberationem exspectate. Ipsa mala, quae vos affligent ac prement, proxime instantis liberationis signa erunt. Quemadmodum pressura Israëlitarum in Aegypto quo magis augebatur et intendebatur, eo propius liberationem adesse significabat; sic quo plura et terribiliora mala piis obtingunt, eo magis diem *ἀπολυτρώσεως καὶ ἀναψύξεως* accelerant. Atqui hi sunt fines primarii, propter quos novissimi diei signa a Christo praedicta; secundarii eorum fines statui possunt, quod sint verae deitatis Christi et salutaris ejus officii, quin et divinae providentiae testimonia, irae divinae praenuntia adversus crucis et sectarum scandalum munimenta et argumenta evidentia absolutum decretum reprobatorium confutantia.

105. Antithesis. Hisce signis a Christo et apostolis traditis quidam non contenti praeter et extra Scripturam alia diei novissimi signa proferunt. 1. *Judaei* referente Hieronymo, Abulensi q. 325. in Matth. Thoma in supplem. q. 73. art. 1. Richardo 4. sent. dist. 48. artic. 1. q. 3 *quindecim signa* quindecim distinctis diebus judicium antegressura recensent: *1. Omnia maria exaltabuntur quindecim cubitos super montes; 2. Omnia aequora prosternentur in profundum, ita ut vix videri queant; 3. redigentur in statum antiquum; 4. beluae omnes et alia, quae moventur in aquis, congregabuntur et lavabunt capita super pelagus more contentionis invicem mugientes; 5. omnes volucres coeli congregabuntur, in campis invicem plorantes, non gustantes aliquid nec bibentes; 6. flumina ignea surgent contra firmamentum, ab occasu solis usque ad ortum corruentia; 7. omnia sidera errantia et fixa ex se spargent comas sicut cometae; 8. erit magnus terrae motus, ut omnia animalia prosternantur; 9. omnes plantae sanguineum dabunt rorem; 10. omnes lapides parvi et magni dividentur in quatuor partes, unaquaque aliam collidente; 11. omnes colles et mo tes et aedificia in pulverem redigentur; 12. omnia jumenta venient ad campos de sylvis et montibus rugientia et nihil gustantia; 13. omnia sepulcra ab ortu solis usque ad occasum patebunt cadaveribus ad resurgendum; 14. omnes homines de tabernaculis recedent non intelligentes neque loquentes neque discernentes; 15. omnes morientur et resurgent cum mortuis longe ante defunctis.* Haec dubio procul pii Judaeorum majores de ipso judicii die, in quo et mortuorum resurrectio et totius mundi consummatio sequetur, praedixerunt, sed posteri in alienum sensum detorserunt, quasi diem judicii ea omnia sint antecessura, unde etiam Thomas *parum verisimilitudinis* illis signis inesse censet. Thomae vestigiis insistit Richardus 4. sent. dist. 48. artic. 1. quaest. 3. *Quamvis,* inquit, *incertum sit, utrum signa praedicta praecessura sint judicium, cum ibi sint quaedam, quae parum habent verisimilitudinis; tamen certum est, quod aliqua signa sint praecessura.* XIX. 277. Lutherus in comm. cap. 8. Genes. tom. 1. fol. 141: *Hic textus (cunctis diebus terrae non cessabit sementis) tamen notandus est contra vulgatas opiniones de signis praecessuris extremum diem. Ibi enim nescio quot dierum eclipses fingunt, nugantur, toto septennio nullam mulierem parituram etc. sed manebunt istae vices naturae, neque ulla unquam eclipsis totum diem hominum oculis adimet.* Chemnicius vocat *fabulas* ad alendam in animis hominum securitatem excogitatas. Ex eodem Judaicae traditionis fonte promanant signa, quae in quarto libro Esdrae, qui ipsorum etiam Pontificiorum saniorum consensu apocryphus est, cap. 6. v. 20 et seqq. commemorantur. *Cum supersignabitur seculum, quod incipiet pertransire, haec signa faciam. Libri ape-*

Antithesis.

rientur ante faciem firmamenti et omnes videbunt simul; v. 21. *et anniculi infantes loquentur vocibus suis et praegnantes immaturos parient infantes trium et quatuor mensium et vivent et suscitabuntur;* v. 22. *et subito apparebunt seminata loca non seminata et plena promtuaria subito invenientur vacua;* v. 23. *et tuba canet cum sono, quam cum omnes audierint, subito expavescent;* v. 24. *et erit in illo tempore, debellabunt amici amicos ut inimici; et expavescet terra cum his, et venae fontium stabunt et non decurrent in horis tribus;* v. 25. *et erit omnis, qui derelictus fuerit ex omnibus istis, quibus praedixi tibi, ipse salvabitur et videbit salutare meum et finem seculi vestri;* v. 26. *et videbunt, qui recepti sunt homines, qui mortem non gustaverunt a nativitate sua, et mutabitur cor inhabitantium et convertetur in sensum alium;* v. 27. *delebitur enim malum et exstinguetur dolus;* v. 28. *florebit autem fides et vincetur corruptela et ostendetur veritas, quae sine fructu fuit diebus tantis.*

106. 2. *Sibyllae* in suis oraculis similia fere signa judicii enumerant. Eusebius libr. 5. de vita Constantini cap. 18. f. 226. et Augustinus libr. 18. de civ. Dei cap. 23. in princ. adducunt vaticinium *Sibyllae Erythraeae* cujus *ἀκροστιχίς*, hoc est primarum in versibus literarum series, hanc exhibet sententiam *ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ.* Graeca apud Eusebium sic habent:

Ἱδρώσει γὰρ χθὼν, κρίσεως σημεῖον ὅτ᾽ ἔσται,
Ἥξει δ᾽ οὐρανόθεν βασιλεὺς, αἰῶσιν ὁ μέλλων,
Σάρκα παρὼν κρῖναι πᾶσαν καὶ κόσμον ἅπαντα.
Ὄψονται δὲ θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι,
Ὕψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο,
Σαρκοφόρον, ψυχὰς δ᾽ ἀνδρῶν ἐπὶ βήματι κρινεῖ,
Χέρσος ὅτ᾽ ἄν ποτε κόσμος ὅλος καὶ ἄκανθα γένηται,
Ῥίψωσίν τ᾽ εἴδωλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα,
Ἰχνεύων ῥήξει τε πύλας εἱρκτῆς ἀΐδαο·
Σὰρξ τότε πᾶσα νεκρῶν ἐς ἐλευθέριον φάος ἥξει,
Τοὺς ἁγίους ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει,
Ὁππόσα τις πράξας ἔλαθεν, τότε πάντα λαλήσει,
Στήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωστῆρσιν ἀνοίξει.
Θρῆνος δ᾽ ἐκ πάντων ἔσται καὶ βρυγμὸς ὀδόντων,
XIX. 278. *Ἐκλείψει σέλας ἠελίου ἄστρων τε χορεῖαι.*
Οὐρανὸν εἱλίξει, μήνης δέ τε φέγγος ὀλεῖται.
Ὑψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ᾽ ὑψώματα βουνῶν,
Ὕψος δ᾽ οὐκ ἔτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται.
Ἰσά τ᾽ ὄρη πεδίοις ἔσται καὶ πᾶσα θάλασσα
Οὐκ εἰς πλοῦν ἥξει, γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ,
Σὺν πηγαῖς ποταμοὶ καχλάζοντες λείψουσι.
Σάλπιγξ δ᾽ οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει,
Ὠρύουσα μύσος μέλλον καὶ πύματα κόσμου.
Ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῖσα,
Ἥξουσιν δ᾽ ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες·
Ῥεύσει δ᾽ οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς ἠδέ γε θείου.

Judicii signum tellus sudore madescet,
E coelo rex adveniet per secla futurus,
Scilicet ut carnem praesens et judicet orbem,
Omnis homo fidusque Deum infidusque videbit
Una cum sanctis excelsum fine sub aevi.
Sede sedens animas censebit corpora et ipsa.
Chersos erit mundus, spinas feret undique tellus.
Rejicient simulacra homines et munera Ditis.
Inquirens portas infringet carceris atri,
Sic etenim veniet lux cunctae libera carni.
Tunc sanctis: Ignis sontes aeternus aduret.
Occultos actus omnes tunc quisque loquetur,
Sed tenebrosa Deus collustrans pectora pandet.
Threnus erit cunctis et stridor dentis adesi.
Effugiet solis jubar astrorumque choreae.
Omne poli lumen solvetur et aurea luna.
Valles extollet collesque a vertice perdet.
Usquam nec celsum mortalibus aut grave quidquam.
Inde aequi montes campis, hinc coerula ponti
Omne ratis spernent onus, hiscet flumine tellus,
Sic fontes simul arescent et fluminis alvei.
Stridula tum querulum sonitum tuba fundet Olympo,
Orbis grande malum rugiens et damna futura.
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.
Et venient omnes reges Domini ante tribunal,
Refluet et coelo tunc sulfuris amnis et ignis.

Alia horum versuum paraphrasis Latina exstat apud Augustinum d. l. in qua literae initiales non exprimunt illud, quod Graeca acrostichis designat. Wolffg. Musculus in editione Latina Eusebii itidem aliam adornavit versionem, in qua series literarum initialium hanc exhibet sententiam: *Jesus Christu[s] Dei Filius Servator.* Similes versiones vide apud Onophrium Panvinum in lib. de Sibyllis et Sibyllarum carminibus et Godefridum Viterbiensem in lib. de omnibus Sibyllis.

107. 3. *Patres* itidem peculiaria quaedam judicii signa tradunt. Irenaeus libr. 5. cap. 30: *Cum vastaverit Antichristus omnia in mundo regnans annis tribus et mensibus sex et sederit in templo Hierosolymitano tunc veniet Dominus de coelis.* Lactantius lib. 7. institut. cap. 15: *Romanum nomen, quo nunc regitur orbis, tolletur de terra e[t] imperium in Asiam revertetur, ac rursus Oriens dominabitur atque Occidens serviet.* libr. ejusdem c[ap.] 19: *Priusquam Christus ad judicium descendat, ho[c] signum dabit: Cadet repente gladius e coelo, u[t] sciant justi, ducem sanctae militiae descensurum, e[t] descendet comitantibus angelis in medium terrae e[t] antecedet eum flamma inexstinguibilis et virtus angelorum tradet in manus justorum multitudinem illam quae montem circumsederit, et concidetur ab hor[a] tertia usque ad vesperum et fluet sanguis more torrentis, deletisque omnibus copiis impius solus effugie[t] et peribit ab eo virtus sua. Hic est autem, qu[i] appellatur Antichristus, sed se ipse Christum men[]tietur et contra verum dimicabit et victus effugiet*

bellum saepe renovabit et saepe vincetur, donec quarto proelio confectis omnibus impiis debellatus et captus tandem scelerum suorum poenas luat etc. Severus Sulpicius in vita Martini et Bonfinius lib. 5. decad. 1. referunt, Martinum de fine seculi consultum respondisse, *Neronem et Antichristum prius esse venturos, ad Occidentem alterum, alterum ad Orientem late dominaturum, Neronem ad occasum decem reges subacturum, ut colant idola, Antichristum Hierosolymis imperaturum, urbem cum templo restituturum, Christianos insectaturum, ut a fide Christi deficiant seque Christum Dei Filium credant, Neronem totumque orbem huic sane cessurum et eo usque regnaturum, donec a Christo adveniente proteratur.* Augustinus libr. 20. de civit. Dei cap. 30: *In illo judicio vel circa illud judicium has res didicimus esse futuras, Heliam Thesbiten, fidem Judaeorum, Antichristum persecuturum, Christum venturum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremtionem, mundi conflagrationem ejusdemque renovationem; quae omnia quidem ventura esse credendum est, sed quibus modis et quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad perfectum hominum intelligentia. Puto tamen eo, quo a me commemorata sunt, ordine esse ventura.* Plura ejusmodi occurrunt apud Hippolytum de consumm. secul., Methodium de rebus, quae ab initio mundi contigerunt ac deinceps contingere debent, Ephraemum lib. de consummat. seculi et Antichristo. Andream Caesariensem in comm. Apocal. et alios. Sed de his et similibus patrum conjecturis notandum 1) quod *vaticinia, antequam habeant efficaciam,* hoc est priusquam ipso eventu explicentur, *hominibus sint aenigmata et ambiguitates, cum autem venerit tempus et evenit, quod prophetatum est, tunc liquidam et certam habent expositionem,* ut ex Jerem. 28, v. 1. loquitur Irenaeus lib. 4. adv. haeres. cap. 43. *In novissimis diebus,* inquit Dominus apud Jeremiam cap. 23, v. 20. *intelligetis intellectum.* Danieli in specie praecipitur cap. 12, v. 4. *ut claudat sermones suos et obsignet librum usque ad tempus statutum.* Facile igitur piis veteribus condonandum, quod de Antichristo et fine mundi tam dubia et incerta tradiderint. 2) Quod ipsimet suis conjecturis hac in re haud multum tribuant. Augustinus lib. 20. de civit. Dei cap. 19: *Nos qui nescimus, quod illi* (Thessalonicenses) *sciebant, pervenire cum labore ad id, quod sensit apostolus, cupimus nec valemus, praesertim quia et illa, quae addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem. Nam quid est, jam mysterium iniquitatis operatur, tantum qui modo tenet, teneat? Ego prorsus, quid dixerit, fateor me ignorare. Suspiciones tamen hominum, quas vel audire vel legere de hac re potui, non tacebo. Quidam putant de imperio dictum fuisse Romano etc. sed multum mihi mira est haec opinantium tanta praesumtio etc.* in quem locum Ludov. Vives notat, *patrum hac in re fuisse duntaxat leves conjecturulas.* Idem Augustinus libr. ejusd. c. 23. sine circuitione scribit: *Vereri me sane fateor, ne in decem regibus, quos tanquam decem homines videtur inventurus Antichristus, forte fallamur, atque ita ille inopinatus adveniat, non exsistentibus tot regibus in orbe Romano.* 3) Quod posteriores sine diligenti examine opinionum ad Scripturae normam instituta priores fuerint secuti, ut res ipsa ostendit. 4) Quod plurimi ex illis chiliasticum aliquod regnum ante mundi finem exspectaverint, id quod Pontificiis nuda patrum auctoritate Scripturae suffragio destituta nos premere cupientibus merito opponitur.

108. 4. Hasce incertas patrum conjecturas et opiniones extra ac praeter Scripturam excogitatas cupide amplectuntur *Pontificii* ac pro immotis fidei articulis ecclesiae eas obtrudunt, unde ante novissimum judicium multa adhuc exspectant, quae cum nondum fuerint impleta, ideo procul adhuc illud abesse somniant. Prodromi illi ante novissimum diem secundum ipsorum hypothesin secuturis temporibus exspectandi hi sunt: 1) *universalis evangelii praedicatio.* Recte quidem inter signa judicii hoc refertur, ut superius ostendimus, sed Pontificii duobus modis circa hoc signum a veritatis tramite aberrant, primo quidem, quod talem praedicationem somniant, quae futura sit *absolute universalis,* ita ut nullus sit in toto terrarum orbe futurus angulus, in quo non uno eodemque tempore ipso actu evangelium praedicetur; secundo quod evangelium nondum in toto mundo praedicatum ac proinde etiam hoc signum nondum completum esse asserunt. Bellarminus libr. 3. de pontif. Roman. cap. 5: *Quod Antichristus nondum venerit, probatur ex signo antecedente Antichristum. Scripturae testantur, in toto mundo praedicandum evangelium, antequam veniat ultima persecutio, quae excitabitur ab Antichristo. Atqui nostro tempore non esse praedicatum evangelium in toto mundo, experientia docet etc.* Et postea: *Si non proprie sed per synecdochen deberet praedicari evangelium in toto mundo, nihil valeret illud signum, quia eo modo primis viginti annis fuit praedicatum evangelium ab apostolis in toto mundo.* Sed ostendimus superius §. 90. hoc signum jamdum esse completum. 2) *Imperii Romani omnimoda desolatio.* Statuunt Pontificii, Romanum imperium penitus prius abolendum, adeo ut nec nomen imperii vel imperatoris Romani maneat reliquum, antequam Antichristus veniat et mundi finis succedat, id quod ex Daniel. 7. et 2. Thess. 2. et Apoc. 17. probare conantur Bellarminus lib. 3. de pontif. Rom. cap. 5. Scioppius in syntagm. de Antichristo p. 45. Josephus a Costa lib. 2. de noviss. temp cap. 2. p. 462. et reliqui omnes. Respondemus: distinguendum inter *insignem Romani imperii labefactationem et omnimodam ejusdem desolationem.* Prius antecessurum concedimus ac jamdum factum esse superius ostendimus, posterius vero ante diem novissimum adhuc exspectandum esse negamus. Fa- XIX. 281.
tetur ipse Bellarminus, Daniel. 2. describi *successionem quatuor regnorum sive monarchiarum,* quarum successio futura sit usque ad finem mundi; quomodo ergo quarta monarchia ante mundi finem penitus

abolebitur? Propheta diserte asserit, duraturum regnum ultimum, *donec lapis a monte sine manibus abscissus comminuat ac consumat universa regna.* Quae de *cornu parvulo* ex cornibus decem enato Daniel. 7. praedicuntur, per Turcicam tyrannidem jamdum sunt completa, ut Joh. Annius Viterbiensis, Vatablus et Hector Pind. recte exponunt. De loco 2. Thess. 2. dictum fuit superius. Apocal. 17, v. 3. *mulier* notat Antichristum, *bestia* Romanum imperium, at mulier insidet bestiae, ergo Romanum imperium ante adventum mulieris sive Antichristi non est destruendum. Minuetur quidem imperii potentia et majestas, non tamen prorsus abolebitur, v. 8: *Bestia erat et non est*, *et tamen est.* 3) *Terrae sanctae recuperatio.* Scioppius in synt. de Antich. p. 45. scribit, *ante tempora Antichristi, et sic etiam ante Christi ultimum adventum, Turcicum imperium penitus exstinctum iri terramque sanctam rursus a Christianis secure habitatum iri.* Sed haec opinio ex chiliastarum de mundano Christi regno et Judaeorum de reductione in terram Canaan somnio exorta pugnat cum Scripturae oraculis, quae Hierosolymam negant esse reaedificandam, Dan. 9, v. 27: *Decretum est, quod perseverabit desolatio.* Jerem. 19, v. 11: *Sic conteram populum istum et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari;* v. 12. *sic faciam loco huic, ait Dominus, et habitatoribus ejus et ponam civitatem istam sicut tophet.* Esa. 25, v. 2: *Posuisti civitatem in tumulum, ut non sit civitas et in aeternum non aedificetur.* (Quidam hoc vaticinium de excidio Babylonis rectius accipi arbitrantur, sed in cap. praeced. de poenis Judaeorum expresse agitur.) Matth. 23, v. 38: *Relinquetur domus vestra deserta.* Quomodo Judaei jussu apostatae Juliani Hierosolymam pristino loco reaedificare conantes divino miraculo fuerint repressi, notum est ex Eusebio lib. 4. histor. cap. 6. Socrate libr. 3. cap. 20. Sozomeno libr. 5. cap. 22. 4) *Enochi et Eliae praedicatio.* Bellarminus lib. 3. de pont. cap. 6: *Enoch et Elias ad hoc vivunt, ut venienti Antichristo sese opponant, electos in fide Christi conservent et tandem Judaeos convertant, quod tamen nondum est impletum.* Pro qua opinione stabilienda adducit dicta quaedam Scripturae Malach. 4. Sir. 44. et 48. Matth. 17. Apoc. 11. Blasius de Viega in comm. cap. 11. Apoc. sect. 6. p. 451: *Non potest absque errore in fide negari, venturos Enoch et Eliam temporibus Antichristi.* Similia occurrunt apud Costerum in conc. dom. IV. Adv. part. 2. p. 75. Respondemus: haec opinio est 1. ἄγραφος, quae enim pro ea adstruenda afferuntur Scripturae dicta, in alienum detorquentur sensum. Malachias loquitur *de Johanne Baptista*, spiritu Eliae instructo, ut angelus nativitatem ejus nuntians Luc. 1, v. 17. et Christus ipse Matth. 11, v. 14. exponunt. Siracides est extra canonem ac loquitur secundum receptam illius temporis opinionem. Adde quod cap. 44, v. 16 in versione vulgata minus commode textus Graecus sit redditus, qui sic habet: Ἐνὼχ εὐηρέστησε τῷ Κυρίῳ καὶ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας. Matth. 17, v. 11. **Elias dicitur adhuc** ***venturus***, sed statim subjicitur: ***Dico vobis, Heliam jam venisse, at fecerunt ei, quaecunque voluerunt.*** Apoc. 11. ***duorum testium*** in genere, non autem Eliae et Enochi in specie fit mentio. 2. Est ἀντίγραφος, quia quos Deus ad paradisi gaudia transtulit, illos velut in carcere quodam ad mortem sustinendam reservari praesupponit; quos Deus participes fecit coelestis gloriae, illos obnoxios fore statuit morti ignominiosae ab Antichristo ipsis inferendae. 3) *Destituitur unanimi veterum suffragio.* Hilarius can. 20 in Matth. et Victorinus in cap. 11. Apoc. negant, *Enochum* futurum secundi adventus Christi praecursorem. Substituunt autem illis *Moysen et Jeremiam.* Hippolytus martyr in orat. de consumm. seculi, Dorotheus Cyri episcopus et Simeon Metaphrastes in vita Johannis Enocho et Eliae conjungunt *Johannem Theologum.* 4) *Est Judaica.* Hieronymus in cap. 4. Malach.: *Judaei et judaizantes haeretici ante ἠλειμμένον suum Eliam putant esse venturum et restituturum omnia, unde et Christo in Evangelio proponitur quaestio, quid quod Pharisaei dicunt, quod Elias venturus est? quibus ille respondet, Elias quidem veniet, et si creditis, jam venit, in Elia Johannem intelligens.* 5) *Ab ipsis Pontificiis sanioribus repudiatur.* Jansenius in comm. c. 44. Ecclesiastici, Sixtus Senensis in Bibl. sancta p. 576. etc. Catharinus in comm. cap. 2. Gen. et Johannes Arboreus lib. 11. theosophiae cap. 11. conjungunt illis *Moysen*, quem una cum Enocho et Elia secundi adventus Christi praecursorem fore statuunt. Inde Joh. Frider. Lumnius de vicin. extrem. judicii lib. 1. cap. 14. p. 80. de Eliae socio dubitanter loquitur. *Pro certo*, inquit, *tenere debemus, quod Elias cum Henoch vel cum Moyse, ut quidam opinantur, venturus sit.* Augustinus Eugubinus in recogn. V. T. in cap. 2. Gen. ut et Catharinus in opusc. de consummata gloria Christi *Enochum et Eliam beatifica visione frui et in corporibus gloriosis in coelo regnare* asserunt. Atqui stante hac hypothesi non potest dici, quod ab Antichristo sint occidendi. 6) *Sibi ipsi non constat.* Quaerunt enim patroni hujus opinionis, *an Enochus et Elias sint in statu merendi?* Pererius lib. 7. comm. in Gen. utramque partem tuetur, Suarez in Thom. part. 3. q. 59. art. 6. disp. 55. sect. 1. probabilius existimat, *eos jam esse extra statum merendi;* illi magno conatu se opponit Blasius de Viega in cap. 11. Apocal. comm. 5. sect. 5. p. 445. Quaerunt, *an in terrestri paradiso illi adhuc vivant?* Scholastici communi suffragio affirmant, quos sequitur Bellarminus, sed Eugubinus d. l. Jansenius in conc. evang. cap. 143. Hieronymus ab Oleastro in Genes. Catharinus d. l. Genebrardus lib. 1. chronol. aetat. 1. Benedictus Pererius tom. 1. in Genes. lib. 3. disp. 1. q. 5. et lib. 7. quaest. ult. Suarez d. l. Blasius de Viega in Apoc. p. 447. contrarium defendunt, videlicet *paradisum jam non exsistere, sed aquis diluvii obrutum et plane dissipatum periisse, neque adeo Enoch et Eliam in eo esse.* Sed hac de re alibi plenius agetur. 5) *Urbis Romae ac totius orbis*

a pontifice defectio. Dominicus a Soto 4. sent. dist. 46. q. 1. art. 1. per ἀποστασίαν, de qua apostolus 2. Thess. 2, v. 3. loquitur, disputat, *accipiendam esse duplicem discessionem, unam ab imperio civili et temporali, alteram a potestate spirituali et ecclesiastica, quam Romanus pontifex obtinet*, ac priorem discessionem jam extare asserit, cum temporale Romanae urbis imperium jam cessaverit, posteriorem adhuc exspectari per defectionem totius orbis a sede Romana. Sed hujus signi nulla in Scripturis exstant vestigia. Defectio *a fide apostolica* inter signa ultimi adventus numeratur 1. Tim. 4, v. 1. quo sensu etiam quidam acci-
283. piunt vaticinium Pauli 2. Thess. 2, v. 3. sed defectionem *a sede Romana* esse Antichristi vel diei novissimi signum, nuspiam legimus. Interim probe notari jubemus, quod Dominicus a Soto fateatur, *defectionem ab imperio Romano per translationem potestatis civilis in Romanum pontificem jamdum esse factam.* 6) *Antichristi cujusdam utopici ac imaginarii praesentatio.* Pontificii longe alium Antichristum exspectant quam eum, qui a Christo, Daniele, Paulo et Johanne vivis coloribus nobis est depictus. Somniant enim de eo 1. quod sit futurus singularis quaedam persona; 2. quod sit nasciturus ex tribu Dan, adeoque natione futurus Judaeus ac proinde circumcidendus; 3. quod ex fornicaria muliere, non autem ex legitimo matrimonio sit nasciturus; 4. et quidem in Babylone; 5. quod educandus sit in Chorazin et Bethsaida; 6. quod sit regnaturus in Capernaum. Quidam tamen probabilius censent, quod *Hierosolymis* sedem regni sit habiturus ac templum Salomonis reaedificaturus; alii initia regni ejus in Babylone quaerunt; alii tradunt, quod palatium suum exstructurus sit juxta Nicopolin seu Emaus inter Lacum asphaltitem et Mare mediterraneum, atque inde ad verticem Montis oliveti progressurus, ut Hierosolymam occupet et solium imperii sui in ea figat; 7. quod praecursorem habiturus sit eloquentissimum quempiam concionatorem; 8. quod regnum ejus futurum sit amplissimum, opulentissimum ac potentissimum omnium regnorum mundi, quae unquam fuerunt; 9. interim tamen idem fore brevissimum, quia regnabit duntaxat annos tres cum dimidio; 10. quod sacrificium missae et omnes publicas Christianae religionis ceremonias sit aboliturus; 11. quod gravissimam et manifestissimam persecutionem adversus Christianos sit exerciturus, cum in exercitu ejus omnes impii sint futuri et aperto Marte ecclesiam oppugnaturi; 12 quod nomen et character ejus sint ignota; 13. quod a Judaeis pro Messia sit recipiendus; 14. quod persuasurus sit mundo, Jesum Salvatorem nostrum non esse verum Christum, se vero esse verum Christum in lege et prophetis promissum, quodque affirmaturus sit, se esse Deum et pro Deo colendum; 15. quod futurus sit magus et occulte diabolum adoraturus; 16. quod secundum literam facturus sit, ut ignis coelo descendat, utque imago bestiae loquatur, ac quod simulaturus sit, se mori et resurgere; 17. quod pugnaturus sit cum tribus regibus, nimirum Aegypti, Libyae et Aethiopiae, atque eorum regna illis devictis occupaturus, itemque quod subacturus sibi sit alios septem reges et eo modo monarchiam totius mundi occupaturus, quin et cum innumerabili exercitu toto orbe Christianos oppugnaturus ac persecuturus; ac inter eos Enochum et Eliam interfecturus: 18. quod tandem dehiscente oliveti Monte ab archangelo Michaële ligatus in infernum vivus sit praecipitandus; 19. quod die post Antichristi mortem 45. Christus ad judicium e coelis sit rediturus. Hasce Pontificiorum de utopico Antichristo ineptias ex parte probat Hieron. Zanchius, quando in tract. de fine mundi tom. 7. operum col. 85. sic scribit: *Etsi non nego, regnum papae esse regnum Antichristi, quatenus in eo permulta defenduntur, quae ex diametro pugnant cum doctrina Christi, ac proinde etiam non inficier, ipsum papam, dum regnum illud pugnans cum Christi regno defendit et doctrinae Christi sese pertinaciter opponit, esse Antichristum; negari tamen non potest, tanquam scilicet probabile,* XIX. 284.
quin sub finem seculi futurus sit quidam homo in ecclesia Christi, qui reliquos omnes Antichristos malitia, potentia etc. superet, quique editurus sit miracula, et de hoc homine aliquis contendere poterit vaticinium illud Johannis Apoc. 11. adde et Danielis de tribus annis cum dimidio Dan. 11. quibus ille regnaturus dicitur, intelligi posse. col. 88. addit, *quod in novissimo illo Antichristo, qui sub finem seculi venturus est, habitaturus sit Satan seu omnis plenitudo malitiae, sicut in Christo habitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Sed de anilibus istis Pontificiorum nugis in quaestione de Antichristo ex professo tractatur. 7) *Ligni crucis redintegrati in coelo apparitio.* Thomas Waldensis tom. 3. de sacrament. lib. tit. 20. cap. 158. disputat, *eandem illam crucem ligneam, cui Christus affixus fuit et quae nunc in minimas particulas toto orbe divisa est, iterum divinitus reformandam et in coelo apparituram.* Hanc opinionem amplectuntur Gregorius de Valentia tom. 4. comm. col. 3313. Bessaeus conc. 4. de extremo judicio part. 5. Joh. Osorius tom. 2. conc. p. 915. Blasius de Viega in cap. 1. Apoc. p. 42. atque ad eam accommodant, quod in festo inventionis crucis ecclesia Romana canit: *Hoc signum crucis erit in coelo, cum Dominus ad judicandum venerit.* Nec crucis duntaxat lignum, sed et alia passionis Dominicae instrumenta ac monimenta, *ut columnam, clavos, funes, coronam spineam etc.* ab angelis tunc ferenda statuunt. Thomas in opusc. 2. cap. 244: *Veniente Domino ad judicium signum crucis et alia passionis insignia demonstrabuntur.* Viguerius cap. 21. § 2: *Dicunt contemplari, quod inferiores angelorum ordines Christum praecedent et alii sequentur secundum dignitatem suam. Primus infimi ordinis portabit crucem in hac processione; primus angelus secundi ordinis portabit funes, quibus ligatus fuit Dominus; primus tertii ordinis feret flagella et virgas; primus quarti feret columnam; primus quinti ordinis vestem, qua illusus est; primus sexti clavos; primus septimi spongiam; primus octavi hastam; primus noni coronam spineam etc.* Petrus Thy-

raeus lib. de glorios. Filii Dei apparit. cap. 12. putat, *angelos in judicio portaturos crucem, clavos et similia passionis Christi instrumenta,* idque egregio confirmat argumento, *pictorum* scilicet *arte.* Non deest, qui statuat, *crucis signum in frontibus omnium justorum tunc appariturum,* sed hujus rei nullum in Scripturis occurrit testimonium. Barradius tom. 3. conc. evang. lib. 9. cap. 12. dicta veterum pro hac opinione allata *de signo crucis* rectius accipi disputat ac tandem concludit: *Certius est, crucem ex aëre vel nube splendidissima effectam in coelo apparituram supra locum judicii magnitudinis tantae, ut ab omnibus possit cerni.* 8) Denique *mundi conflagrationem* immediatum et proximi judicii signum fore statuunt, qua de re quid statuendum sit, in principio tractatus de morte in quaest. de ord. novissim. dictum fuit. Coronidis loco notetur, quod Josephus a Costa lib. 4. de novissim. cap. 5. *duo signorum genera* constituat. Unum, *quod omnibus hominibus futurum sit obvium et expositum, quod non tam signum interitus sit quam initium certum et inchoata mors mundi, quo in genere sint coelestium luminarium illa tristissima obvelatio, maris fluctus efferatissimi ceterorumque intolerabilis furor in genus humanum atque omnium maxime ignis illius undique grassantis immanitas, quae cum mortales intuebuntur, etiam tardissimi et sceleratissimi diem irae et furoris adesse ignorare nullo pacto poterunt;* alterum genus eorum esse dicit, *quod soli docti probi-*
XIX. 285. *que perspicient, quale sit regnum Antichristi, praedicatio Eliae, caedes illius ferae etc.* Atqui 1. Christus omnibus tam indoctis quam doctis, tam impiis quam piis, tam infidelibus quam fidelibus eadem adventus sui signa proposuit, perinde ut apostolus Rom. 1, v. 14. *se insipientibus ac sapientibus* idem verbum praedicasse asserit, ac 2. generalem conclusionem subjecit Marc. 13, v. 37: *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* 3. Finis praedictionis ad omnes pertinet, ut scilicet erga hoc judicium sese praeparent. Ergo praedictio etiam ad omnes spectat. 4. Ac si Antichristi persecutio ex hypothesi Pontificiorum erit non solum gravissima, sed et notissima ac manifestissima, utique ergo etiam indocti non minus quam docti Antichristum advenisse cognoscent. 5. Signa judicii duntaxat a sapientibus, id est piis et Deum timentibus, observantur, illi enim iis admoniti ad diem novissimum sese per preces et vigilantiam praeparant, reliquis in impoenitentia et impietate secure stertentibus; sed ex eo inferri non debet, quod ipsa signorum praedictio duntaxat sapientes et pios respiciat.

Quaestio I. An Judaei ante diem novissimum in terram Canaan reducendi sint?

109. Quaeritur hoc loco 1. *An Judaei ante diem novissimum a suo exsilio in terram Canaan reducendi sint?* Deus Abrahae et ipsius posteritati terram Canaan hoc fine promiserat, ut esset *Messiae* ex illo populo nascituri *hospitium et vitae aeternae* piis propter Christum promissae quidam typus ac *praeludium.* Prius constat ex eo, quod in promissione Abrahae, Jacobo et Isaaco data haec duo perpetuo conjunguntur: *Semini tuo dabo terram hanc et in semine tuo benedicentur omnes gentes* Genes. 12, v. 3. et 7. cap. 18, v. 18. cap. 22, v. 18. cap. 26, v. 4. cap. 28, v. 13. et 14. hoc est ideo posteritati tuae dabo terram Canaan, ut Messias, in quo et propter quem benedictio omnibus gentibus offeretur, certum nativitatis suae hospitium habeat, ac constet, ex quo populo Messias sit exspectandus. Posterius manifestum ex Psalm. 95, v. 11. ubi Israëlitis in terram promissam jamdum introductis alius in requiem aeternam ingressus obedientibus promittitur, ex quo epistola ad Hebraeos cap. 4, v. 9. erudite colligit, *sabbatismum quendam populo Dei adhuc esse reliquum,* cujus proinde typus ac praeludium duntaxat in introductione in terram Canaan praecesserit. Factum inde, ut postquam Messias juxta promissionem exhibitus a Judaeis repudiaretur, Deus ex antiquis illis et patriis sedibus eos extruderet et regionem illam sub alienorum potestatem redigeret, ut publicum de exhibitione Messiae exstaret testimonium. Aequum igitur erat, ut Judaei exemplo majorum suorum admoniti Christum vera fide reciperent et abjecto terrenae patriae amore ad coelestem Hierosolymam credentibus in Christum promissam toto corde adspirarent; sed ipsi praeconceptis opinionibus de terreno quodam et carnali regno per Messiam in his terris inchoando fascinati sperant, per ipsum ex suo, in quo ultra mille et quingentos annos oberrarunt exsilio, in terram Canaan sese esse reducendos. Judaicam illam opinionem ex parte fovent Pontificii, dum Antichristum in *templo Hierosolymitano* sessurum et Christianos in terra sancta secure habitaturos sperant, ut et Brightmanus in notis apocalypticis. Sed huic somnio opponimus 1) *oracula prophetica,* quae testantur, Judaeos a facie Dei propter contemtum Messiae ita abjiciendos esse, ut nunquam in patrias sedes reducantur, nec Hierosolymam reaedificare possint, sicut in liberatione ex XIX.
Babylonica captivitate erat factum. Esa. 24, v. 19: *Confractione confringetur terra, admodum male habebit terra et dissipabitur terra, commotione commovebitur terra,* v. 20. *agitatione agitabitur terra sicut ebrius et auferetur quasi tabernaculum unius noctis, et gravabit eam iniquitas sua, et corruet et non adjiciet, ut resurgat.* cap. 25, v. 2: *Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in palatium alienorum, ut non sit civitas et in sempiternum non aedificetur.* cap. 30, v. 14: *Comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio aut hauriatur parum aquae de fovea.* (Rationem metaphorae pulchre exponit Galatinus lib. 9. de arcan. cap. 4.) Jerem. 6, v. 30: *Argentum reprobum vocate eos, quia reprobavit eos Dominus.* cap. 7, v. 14: *Faciam domui huic, super qua vocatum est nomen meum, sicut feci Siloh;* v. 15. *projiciam vos a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros, universum semen Ephraim* (ubi per *semen Ephraim* intelliguntur decem tribus, quia rex earum Jeroboam erat ex tribu Ephraim; constat autem, eas ex captivitate non fuisse reversas). c. 9, v. 11: *Dabo Jerusalem in acervos lapidum et cu-*

bilia draconum et civitates Judae in desolationem, ut non sit habitator. c. 19, v. 11: *Sic conteram populum istum et civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, quod non potest ultra instaurari;* v. 12. *sic faciam loco huic, ait Dominus, et habitatoribus ejus et ponam civitatem istam sicut tophet.* Daniel. 9, v. 26: *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus cum inundatione erit, et post finem belli statuta est desolatio.* v. 27. *et decretum est, quod stillabit super desolationem.* Oseae 9, v. 15: *Propter malitiam adinventionum eorum de domo mea ejiciam eos, non addam, ut diligam eos.* v. 17. *Abjiciet eos Dominus Deus meus, quia non audierunt eum, et erunt vagi in gentes.* Amos. 5, v. 2: *Cecidit et non adjiciet, ut resurgat virgo Israël.* Zach. 11, v. 6: *Ecce ego tradam homines unumquemque in manum proximi sui et in manum regis sui, et concident in terram et non eruam de manu eorum.* 2) *Propriam Judaeorum confessionem.* Chaldaica paraphrasis Jonathae Oseae 9, v. 15. sic habet: *Propter malitiam operum eorum de domo sancta expellam eos nec adjiciam misereri super eos.* In thalmud in libro יבמות, hoc est Fratriarum, in cap. quod incipit הארץ, hoc est terra, sic legitur ad verbum: *Traditum est in libro* סדר עולם, hoc est *ordinis mundi, scriptum esse Deut. 30: Et introducet te Dominus Deus tuus in terram, quam possederunt patres tui et possidebis eam. Possessio namque prima et secunda fuit eis, tertia autem non erit.* Hoc ipsum in eodem libro Seder olam hoc modo quoque habetur: *Scriptum est Deut. 30: Et introducet te Dominus Deus tuus in terram, quam possederunt patres tui et possidebis eam. Poteritne fieri, ut sit tertia possessio in futuro? docet, quid sit ad hoc dicendum id, quod ait, quam possederunt patres tui et possidebis eam. Possessionem enim primam atque secundam habituri erant, possessio autem tertia non erit eis.* Haec traditio, ex qua Galatinus lib. 9. de arc. cap. 5. sic colligit: *Cum Judaei terram quondam suam bis tantum possessuri essent, ut ex his traditionibus aperte liquet, et eam jam olim bis possederint, nam primo quidem a tempore Josuae usque ad primi templi eversionem, secundo vero a Zerubabelis et Esdrae temporibus usque ad ultimi templi incendium vel usque ad Hadriani Caesaris tempora eam possederunt, ut ex eorum Scripturis multipliciter patet, ipsamque tertio traditionibus praemissis attestantibus haudquaquam sint possessuri; ipsimet concedant necesse est, se nunquam amplius terram suam possessuros esse et consequenter nec ad eam reversuros. Tertia terrae eorum possessio, quam ipsi frustra praestolantur, Saracenis in eorum opprobrium ad tempus danda erat. Sic enim Ezech. 7, v. 24. praedictum: Et adducam malos gentium,* hoc est Saracenos, *et possidebunt terras eorum et cessare faciam superbiam fortium et hereditabunt sanctificata eorum.* Thalmud in libro Sanhedrin cap. 11. tradit, *decem tribus damnatas esse et nullam partem habere in seculo venturo.* Quomodo ergo a Messia reducentur in terram Canaan? Rabbinus Samuel Marochianus in lib. de adventu Messiae cap. 6. sic scribit: *Propheta Amos ponit expresse quartum scelus venditionem justi, propter quod fuimus in captivitate; de qua loquitur Deus comminans, quod non reducet nos ultra in terram promissionis, cum dicit: Et super quarto non transferam eos, quoniam vendiderunt justum pro argento. Et manifeste apparet mihi, quod nos super illo peccato quarto venditionis justi juste sumus puniti. Jam sunt mille anni et ultra, in quo tempore nihil proficimus inter gentes, nec est spes proficiendi amplius. Expavesco, Domine mi, et timeo, quod iste Jesus, quem colunt Christiani, sit ille justus venditus pro argento secundum Amos prophetam.* 3) *Pontificiis* ex N. T. opponimus duo vaticinia. Prius est Christi Matth. 23, v. 38: *Relinquetur domus vestra deserta,* v. 39. *dico enim vobis, non videbitis me, donec dicatis, benedictus, qui venit in nomine Domini,* h. e. politia ac templum vestrum manebunt eversa ac desolata usque ad finem mundi, quo venturus sum ad judicium, quem adventum nonnulli ex vobis, per fidem scilicet ad me conversi, mihi gratulabuntur. Chrysostomus homil. in Psalm. 117. Euthymius et Theophylactus in comm. c. 23. Matth. ad Judaeos incredulos referunt, ut sit sensus, *tunc etiam contra voluntatem vestram cogemini agnoscere, me esse eum, cui debetur honor iste, quem pueri in templo vestro mihi exhibuerunt quemque mihi invidistis.* Confer Matth. 26, v. 64. Praedicitur ergo hoc loco Judaeis perpetua et ad finem usque mundi duratura templi ac totius regionis vastitas. Posterius est apostoli 1. Thess. 2, v. 16: *Pervenit super illos* (Judaeos) *ira Dei usque in finem.* Quidam sic exponunt, occupavit eos ira ad extremum usque, h. e. divinitus exitio sunt destinati, adversus Dei iram, ideo extremum ipsis brevi imminet exitium; sed commodius redditur, pervenit in illos *ira extrema*, sive ad extremum, hoc est implacabilis et nunquam desitura. 4) *Somnii hujus Judaici originem et absurditatem.* Origo et fons ejus est opinio de terreno et carnali Messiae regno, cui non solum fortissime adversatur Scriptura, sed etiam vetustiores rabbini. Nam in Keli iakan c. 34. aperte docetur, *omnia quae ad Messiae officium spectant, coelestia esse et non corporalia.* Absurditas ejus tanta est, ut opinionem illam recitasse sit eandem refutasse. Somniant enim, Messiam aliorum monarcharum more in terris regnaturum, omnes gentes debellaturum et Judaeos in terram Canaan reducturum ibique omni rerum copia et affluentia eos beaturum, cumprimis vero insigni quodam convivio excepturum, quod parandum sit de *Leviathan pisce et Behemoth tauro*, utroque mirae magnitudinis (Leviathan enim causam terrae motus credunt, si vel paulum in mari sese moverit) et vino de *Gan eden* seu paradiso, quod ibi reconditum servetur a mundi
initio, itemque fructibus paradisiacis aliisque deli- XIX. 288.
ciis. Rabbinus Elias insuper addit *avem mirae magnitudinis*, quam appellari dicit *Bar juchne* in

libro Thisbi. Exacto vero longissimo vitae spatio atque imperio, auri, argenti voluptatumque abundantia splendidissimo, mortem obiturum, relictis successoribus regni in perpetuum. Targum Cantic. 8, v. 2 et Aben Ezra ac Raschi in Pauschim tradunt insuper, demortuos Judaeos tunc resuscitatum iri, ut fiant gaudii hujus participes, eo tamen discrimine, ut qui in terra Israël sive Canaan mortui fuerint, absque dolore resurgant, qui vero alibi, necesse habeant magnis cruciatibus per loca subterranea devolvi usque in terram Canaan, tunc Judaeos dicunt possessuros bona gentium, quae ultro sint venturae ac ipsos curribus pensilibus in terram Israël deportaturae, atque omnia servitia ad nutum praestiturae, ut haec et similia deliria ex Abcath rochel, h. e. libro specierum aromaticarum, prolixe describit Helvicus elench. 3. contra Judaeos in capite secundo de offic. Messiae regio §. 1. et seqq.

110. Urgent autem pro adstruendo hoc somnio quaedam Scripturae dicta. Levit. 26, v. 41: *Inducam illos in terram hostilem, tunc humiliabitur cor eorum incircumcisum*, v. 42. *et recordabor foederis mei, quod pepigi cum Jacob et Isaac et Abraham.* v. 44. *Attamen etiam cum essent in terra hostili, non penitus abjeci eos; neque sic abominatus sum eos, ut consumerentur, et irritum facerem pactum meum cum eis; ego enim sum Dominus Deus eorum.* (In hoc textu mire tripudiant Judaei, quem vocant *simiam auream*, propterea quod v. 44. incipiat ab Hebraea dictione אַף, quae Germanis *simiam* sonat, et ex eo firmissime concludi posse arbitrantur, quod in terram Canaan aliquando sint reducendi.) Deut. 30, v. 3: *Reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua ac miserebitur tui et rursum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante dispersit.* v. 4. *Si ad cardines coeli dissipatus, inde te colliget Dominus Deus tuus* v. 5. *atque assumet et introducet te in terram, quam possederunt patres tui, et obtinebis eam.* Esa. 11, v. 12: *Levabit Deus signum in nationes et congregabit profugos Israël, et dispersos Iuda colliget a quatuor plagis terrae etc.* Respondemus: 1. ostendimus ex vaticiniis propheticis et ipsorum rabbinorum confessione, post secundam ejectionem e terra Canaan Judaeos tertia vice nequaquam in illam reversuros esse. 2. Necessario igitur hae et similes promissiones de reductione in Canaan terrenam datae intelligendae sunt cum hac exceptione, quamdiu scilicet Judaei erunt populus Dei et quamdiu politia Judaica durare debuit, videlicet usque ad exhibitum Messiam, ac implevit Deus has promissiones per liberationem Judaeorum ex captivitate Babylonica et eorum in pristinam terram sub Esdra et Nehemia restitutionem. Hodierni autem Judaei non amplius sunt Dei populus, quia Messiam divinitus exhibitum repudiarunt, quo exhibitio politia Judaica finem habere debuit. 3. Cumprimis vero de spirituali reductione, qua per evangelii praedicationem Judaei in regnum Christi sunt collecti et coelestis Hierosolymae cives facti sunt, hae promissiones sunt accipiendae, quod probatur tum *ex conditione et natura regni Messiae,* quale enim illud, talis etiam speranda reductio, sed regnum Messiae est spirituale, ut suo loco demonstratur, ergo et reductio; tum *ex qualitate ipsarum promissionum*, quia Zachar. 2, v. 4. Hierosolyma tem- XIX.
pore Messiae *sine muro* seu instar illarum praedicitur habitanda non ratione munitionis, sed *prae multitudine inhabitantium,* id quod de nulla terrena civitate dici potest, cum nulla unquam urbs tam vasta fuerit, ut muro circumdari non potuerit, unde v. 5. diserte additur, quod Dominus futurus sit *civitatis illius murus in circuitu*; tum *ex phrasi loquendi prophetica*, quia prophetis in more positum, beneficia Messiae coelestia et spiritualia describere et adumbrare rebus corporalibus ac mundanis, adeoque de rebus Novi Testamenti vaticinari verbis Veteris Testamenti, sicut etiam de cultu spirituali N. T. loquuntur verbis ad legalem cultum pertinentibus Es. 19, v. 20. c. 56, v. 7. c. 60, v. 7. Malach. 1, v. 11. etc. tum *ex ipso complemento promissionum*, quia ne quidem in reductione ex captivitate Babylonica omnes corporalis hujus beneficii facti sunt participes, cum multi in exsilio fuerint mortui; tum *ex aliorum locorum collatione*, Oseae 3, v. 4: *Per dies multos sedebunt filii Israëlis sine rege et sine principe et sine sacrificio*, v 5. *et post haec revertentur, et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum*, hoc est Messiam, a quo spiritualia beneficia, veram scilicet ac salutarem veri Dei cognitionem, peccatorum remissionem, Spiritus sancti donationem et regni coelestis possessionem, accipient; tum denique *ex ipsorum rabbinorum confessione.* Reperiuntur enim nonnulli inter ipsos rabbinos, qui absurditate literalis sensus permoti agnoverunt, דרך משל, hoc est *per modum parabolae* seu allegorice, illa dicta esse intelligenda, ut videre est ex rabbino Moyse Maimonide, quem Rambam vocant, ex rabbino Abraham et rabbino Kimchi in Esa. 11. et Raschi sive Iarchi super Esa. 2, v. 2. 4. In promissionibus illis *conditio poenitentiae* expresse additur, qua conditione negata non sit speranda exauditio, jam vero Judaei ultra mille quingentos annos non sunt exauditi, ut reductionem in terram Canaan impetrarent, utique ergo conditio promissionibus addita nondum est impleta. Constat autem, quod per tot secula multa poenitentiae opera fecerint, adeo ut majorem poenitentiam in Judaismo sese non posse agere fateantur, unde post recitatas multas precationes in libro precum suarum dicunt: *Domine Deus, nescimus, quid porro amplius nobis praestandum sit*, quin et solennem annum *poenitentialem* anno Christi 1502. instituerunt, quo omnes Judaei per totum orbem magna devotione poenitentiam egerunt et tamen nihil impetrarunt. Agnoscant igitur, poenitentiae suae aliquam necessariam et essentialem partem deesse, videlicet veram in Christum fidem, ac proinde ad eum sese in vera poenitentia convertant, ita recipientur a Deo in foedus gratiae ac spiritualium Messiae beneficiorum reddentur participes, qua responsione adversus Judaeos uti-

tur Helvicus in append. 4. elench. Judaic. §. 22. Confer Galatinum lib. 5. de arcan. c. 9.

Quaestio 2. An universalis quaedam conversio Judaeorum ante diem novissimum expectanda?

111. Quaeritur 2. *An universalis quaedam vel certe insignis Judaeorum conversio ante diem novissimum sit expectanda?* Affirmant 1. *multi ex veteribus*, Hilarius libr. 11. de Trinit. et in Psalm. 58. Origenes in comm. Rom. 11. Augustinus libr. 2. quaest. evangel. quaest. 33. Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Haymo, Lyranus in cap. 11. Rom. etc.;
XIX. 290. 2. *multi ex nostris*, Hunnius, Winckelmannus in comm. Rom. 11. Hafenrefferus in templ. Ezechiel. pag. 313. Menzerus in anal. istius capitis §. 63. Balduinus in comm. 11. Rom. part. 2. quaest. 3. Meisnerus libr. 4. de legibus sect. 1. quaest. 18. etc.; 3. *Pontificii fere omnes*, Joh. Ferus in cap. 21. Genes. pag. 395. Socolovius libr. 2. de eccl. cap. 5. Seraphinus Firmianus in enarrat. c. 14. Apocal.; 4. *ex Calvinianis* Brocardus de Christi adventu, Beza, Paraeus, Piscator et alii in comment. Rom. 11. Quidam Ungarus, qui se vocat Stephanum Pannonium Belogradensem, ann. 1608. scriptum edidit sub titulo *de circulo operum et judiciorum Dei*, in quo inter cetera sic scribit: *Initium hujus circuli operum et judiciorum Dei Judaeis inceptum, in iisdem finiendum. Judaeos, qui in ἀπειθείᾳ, hoc est contumacia, nunc versantur, ubi plenitudo gentium introierit, convertendos ad fidem Christianam, id quod fiet ante ultimam mundi ἀπιστίαν, h. e. incredulitatem, quae demum sub finem mundi post conversionem Judaeorum sequetur, reformationem Christianismi in oriente futuram, prodromus conversionis Judaeorum etc.* Heurnius in libr. de legat. evang. ad Indos c. 4. fol. 144. et ex eo Christ. Besoldus in pentade diss. theolog. cap. 4. adducit plurima loca, utpote vaticinium Jacobi Genes. 49, v. 17. 18. 19. et 26. quos versus sic exponit, quod Jacobus annuntiet *dispergendis decem tribubus collectionem*, quodque tandem possessores suos sint possessuri, quod ab ethnicis Judaei in captivitatem sint ducendi, sed tandem captivantes se captivos ducturi, armis scilicet spiritualibus Dei ac Messiae. Item vaticinium Bileami Numer. 23, v. 23: *Temporibus suis dicetur Jacobo et Israëli, quid operatus sit Deus.* Deuter. 4, v. 30: *Invenient te illa omnia in novissimo dierum, et reverteris ad Dominum Deum tuum;* v. 31. *quia Deus misericors est, non deseret te nec obliviscetur pacti.* cap. 30, v. 3: *Et reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam et miserebitur tui, reducet et congregabit te ex omnibus populis, quo dispergere te fecit Dominus Deus tuus illuc;* v. 6. *et circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum et cor seminis tui ad diligendum Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota onima tua;* v. 8. *et tu reverteris et obedies in voce Domini et facies omnia praecepta ejus.* (Hoc inquiunt in reductione ex captivitate Babylonica nondum impletum, ergo in conversione Judaeorum adhuc implendum restat.) cap. 32, v. 20: *Abscondam faciem meam ab eis et considerabo novissima eorum.* v. 36. *Judicabit Dominus populum suum et in servis suis miserebitur.* Esa. 11, v. 11: *Et erit in die illa, adjiciet Dominus secundo manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod remanebit ab Assur et ab Aegypto etc.* v. 12. *et elevabit vexillum gentibus et colliget expulsos Israël et dispersos Juda congregabit e quatuor plagis terrae.* c. 27, v. 12: *Et vos colligemini ad unum sigillatim filii Israël,* v. 13. *et erit, in die illa clangetur in tuba magna, et venient, qui perditi fuerant in terra Assyriorum et qui ejecti fuerant in terram Aegypti, et adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem.* cap. 43, v. 5: *Ab oriente adducam semen tuum et ab occidente congregabo te.* v. 6: *Dicam aquiloni, da, et austro, noli prohibere, affer filios meos de longinquo et filias meas ab extremis terrae.* cap. 45, v. 22: *Respicite ad me, et salvi eritis omnes fines terrae.* v. 25. *In Domino justificabitur et glorificabitur omne semen Israël.* cap. 52, v. 8: *Oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion.* c. 59, v. 20: *Veniet ad Sion redemtor et ad redeuntes ab iniquitate in* XIX. 29
Jacob. cap. 60, v. 1: *Surge, illuminare, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est etc.* Jerem. 16, v. 14: *Ecce dies venient, dixit Dominus, et non dicetur ultra: vivit Dominus, qui adscendere fecit filios Israël e terra Aegypti,* v. 15. *sed vivit Dominus, qui adscendere fecit filios Israël de terra aquilonis et de terris universis, in quas expellere fecit eos.* cap. 23, v. 3: *Ego congregabo reliquias pecoris mei de omnibus terris, quo expuli eas, et suscitabo super eas pastores, et pascent eas et non timebunt ultra.* cap. 30, v. 3: *Ecce dies venient, inquit Dominus, et convertam captivitatem populi mei Israël et Juda etc.* v. 9. *et servient Domino Deo suo et David regi suo* (Chaldaeus *Christo, filio David, regi suo).* cap. 31, v. 1: *In tempore illo, dicit Dominus, ero in Deum universis familiis Israël, et ipsi in populum mihi erunt.* v. 4. *Rursum aedificabo te, et aedificaberis virgo Israël.* c. 32, v. 37: *Ecce ego congregabo eos de universis terris, ad quas ejeci eos in furore meo etc. reducam eos ad locum istum et habitare eos faciam confidenter,* v. 39. *et dabo eis cor unum et viam unam, ut timeant me universis diebus etc.* Ezech. 36, v. 26: *Dabo vobis cor novum et auferam cor lapideum.* Hos. 1, v. 11: *Et congregabuntur filii Juda et filii Israël pariter et ponent sibi caput unum et adscendent de terra, quia magnus dies Izrehel sive seminis divini.* cap. 2, v. 7: *Israël sequetur amatores suos, et non apprehendet eos, quaeret eos, et non inveniet et dicet: Vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc* (hunc locum cumprimis urget Origenes). c. 3, v. 4: *Dies multos sedebunt filii Israël sine rege et principe, sine sacrificio et sine altari;* v. 5. *et post haec revertentur et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum et reverenter colent Dominum et bonitatem ejus in novissimo dierum* (Targum Jonathanis *parebunt Christo filio Davidis regi suo*). Amos 9, v. 14: *Convertam captivitatem populi mei Israël, et aedificabunt,* urbes desolatas ac inhabitabunt, *et plantabo eos super*

humum suam et non evellentur ultra. Mich. 2, v. 12: *Congregando congregabo Jacob totum te, congregando congregabo residuum Israël.* cap. 4, v. 6: *Congregabo claudicantem et eam, quam ejecero, colligam et quam afflixeram, consolabor* v. 7. *et ponam claudicantem in reliquias et eam, quae laboraverat, in gentem robustam, et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in aeternum.* Sophon. 3, v. 10: *Ultra flumina Aethiopiae supplices mei filiam dispersionis meae offerent mihi in sacrificium* (Chaldaeus: *e regionibus ultra flumina Indiae per misericordiam revertentur exsules populi mei, qui abducti fuerant, eosque adducent velut oblationes*). Zachar. 12, v. 10: *Effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum, et adspicient ad me, quem confixerunt.* Malach. 4, v. 5: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis,* v. 6. *et convertet corda patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum, ac veniam et percutiam terram anathemate.* Addunt etiam 4. libr. Esdrae cap. 13, v. 32: *Erunt, cum fient haec et contingent signa, quae ante ostendi tibi, tunc revelabitur filius meus Jesus.* v. 39. *Colligat ad se multitudinem pacificam.* v. 40. *Hae sunt decem tribus, quae captivae factae sunt de terra sua in diebus Osiae regis etc.* Praecipuum hujus sententiae robur petitur ex dicto apostolico Roman. 11, v. 25: *Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis inter vos ipsos sapientes, quia coecitas ex parte contigit Israëli, donec plenitudo gentium intraret* v. 26. *et sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum*
XIX. 292. *est, Veniet ex Sion, qui eripiat ac avertat impietatem Jacob.* In his verbis praedici insignem aliquam et paene universalem Judaeorum conversionem probant 1) *ex appellatione.* Apostolus hoc suum oraculum vocat *mysterium.* Atqui si nomine Israëlis vel tota ecclesia ex Judaeis et gentibus collecta significaretur, vel pauci quidam ex gente Israëlitica oriundi, apostolus nullum revelasset mysterium, quia aliquos ex Judaeis quotidie converti in propatulo erat. 2) *Ex scopi consideratione.* Propositum est apostolo gentilium contra Judaeos insolescentium fastum deprimere, contra vero Judaeos peculiari quodam encomio ornare et speciali consolatione erigere, ergo nomine Israëlis non intelligit Israëlitas secundum spiritum sed secundum carnem. 3) *Ex termini ampliatione.* Diserte dicit apostolus, *ut totus Israël salvus fieret,* ergo non loquitur de parte quadam exigua populi Judaici, sed de tota gente Israëlitica. 4) *Ex vaticiniorum propheticorum allegatione.* Quae enim v. 26. et 27. ex Veteri Testamento vaticinia adducuntur, ea non de singularibus quibusdam Judaeis, sed de ipsa multitudine populi loquuntur. 5) *Ex temporis descriptione. Coecitas,* inquit apostolus, *ex parte contigit Israëli, donec plenitudo gentium intraret.* Ergo postquam plenitudo gentium intravit, coecitas a populo Israëlitico per universalem quandam conversionem auferatur, quia particularis quorundam conversio etiam illo tempore, quo gentium plenitudo intrat, quotidie contingit. Huic loco apostolico conjungunt etiam *alia Novi Testamenti oracula.* Luc. 21, v. 24: *Jerusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora gentium.* (Hunc locum urget Beda in comm. *Jerusalem,* inquit, *calcabitur ab his, qui non sunt Judaei, donec impletum fuerit tempus, intra quod gentes ad fidem sunt vocandae, nec temere sperandum, Israëlitas post tempora gentium impleta coelestis Hierosolymae cives fore;* juxta hanc interpretationem particula *donec* in verbis Christi sumitur *determinative.*) 2. Cor. 3, v. 16: *Cum ad Dominum se converterit Israël, auferetur velamen.* Apocal. 7, v. 4. videtur revelata fuisse sub extremis temporibus futura Israëlis plena conversio, quando *quatuor angeli prohibentur nocere terrae et mari, donec obsignentur centum quadraginta quatuor millia servorum Dei in frontibus suis ex omnibus tribubus filiorum Israël.* Quod enim Israëlitae secundum carnem ibi intelliguntur, colligitur ex eo, quia Israëlitae signati discernuntur a signatis gentibus, populis et linguis reliquis v. 9. Subjungunt denique *rationes.* Neque enim verisimile est, Deum non fore tandem memorem foederis cum majoribus Judaeorum, sanctis scilicet patriarchis, initi, eosque odio perpetuo adversaturum. Adde quod ex populis antiquissimis soli Judaei in tam variis casibus, captivitate et dispersione servantur religione et qualicunque politiae forma ab omnibus gentibus separati, quod videtur arguere, eos ad futuram aliquam insignem conversionem et salutem servari. Contra vero Lutherus tom. 8. Jen. Germ. f. 119. tom. 8. f. 54. tom. 7. f. 44. Cramerus de regno Christi part. 2. c. 4. q. 6. et alii negant, ejusmodi universalem quandam Judaeorum conversionem ante novissimum diem esse exspectandam 1. *propter triplicem maledictionem,* cui Judaei sunt subjecti, primum *generalem* Deut. 27, v. 15. deinde *propriam* sponte attractam verbis illis: *Sit sanguis ejus super nos et filios nostros* Matth. 27, v. 25. ac denique *ipsius Christi* per os Davidis prolatam Psalm. 69, v. 23. Psalm. 109, v. XIX. 293
17. 2. *Propter pertinacem mediorum conversionis ac salutis rejectionem.* Christum enim in suis synagogis blasphemant, vocantes eum *thalui* et facta ejus mentione subjiciunt *deleatur nomen ejus,* et in terram ter exspuunt, liberos suos jam inde a prima pueritia assuefaciunt ad maledicendum Christo ac Virgini deiparae, si quis ex verbo Dei ipsorum errores refellit, aures obturant etc. 3. *Propter Pauli praedictionem,* quod revelatio Antichristi futurum sit ultimum Dei opus maxime memorabile ante mundi finem 2. Thess. 2, v. 8. at si inter Antichristi revelationem et mundi finem universalis Judaeorum conversio intercedere deberet, apostolus non exposuisset proximum adventus Christi signum. 4. *Propter durationem vocationis gentium,* quae Luc. 21, v. 24. et 25. usque ad mundi finem videtur extendi. Euthymius in comm. *per tempora gentium* intelligit ea, *quae durabunt usque ad consummationem gentium totiusque mundi,* ut significetur, Jerusalem nunquam recuperandam esse a Judaeis, sed eam possidendam

a gentibus, quamdiu erunt gentes super terram, h. e. usque ad finem mundi. Juxta hanc interpretationem particula *donec* in verbis Christi accipitur *exclusive*. 5. *Propter paritatis rationem* in convertenda Judaeorum et gentium plenitudine. Ut enim conversio gentium non est facta simul et semel sed successive, sic Judaei sparsim et successive videntur convertendi, quodsi omnes, qui a Christianis praesertim in Graecia convertuntur, connumerentur, multitudinem haud contemnendam constituent. Cum anno Christi 1412. Hieronymus de Sancta Fide, quondam Judaeus sed ad Christum conversus, coram pontifice Benedicto XIII. et cardinalibus in frequentissimo Christianorum et Judaeorum conventu librum adversus Judaeos a se scriptum publice in Hispania recitaret, ultra 5000 Judaeorum ad Christum sunt conversa, ut in frontispicio libri memoratur. 6. *Propter Christi et apostolorum praedictionem* de paucitate credentium et multitudine haeresium et corruptelarum sub finem mundi, qua de re diximus superius. Hisce rationibus permoti textum apostolicum Rom. 11, v. 25. accipiunt *de particulari quadam Judaeorum conversione* tempore novi testamenti perpetuo durante, ut sit sensus, quod gratuita Dei electio non solum ad conversos ex gentibus sed etiam ad Judaeos spectet. Quod attinet particulam universalem *omnis*, illam dicunt respicere ad diversa et inter se distincta tempora, videlicet ad tempus veteris testamenti, ad primitivam ecclesiam et ad ecclesiam, quae remotioribus ab apostolorum seculo temporibus futura est, ut significetur, hisce ultimis et proxime antegressis seculis Judaeorum aliquem accessum ad ecclesiam Christianam esse futurum, non minus quam id factum jam erat apostolorum tempore, ut hac ratione *omnis Israël*, h. e. tam ille, qui fuit in antiquis veteris testamenti temporibus, quam ille, qui in primitiva ecclesia vixit, imo et iste qui nostris, h. e. ultimis seculis, victurus est, atque ita omnis omnium temporum Israël continuo ecclesiae incremento salvandus et ad Christi agnitionem perducendus sit. Quid ergo hac de re statuendum? 1) Talis Judaeorum conversio, qualem *Chiliastae* sperant, futura non est, ut suo loco plene demonstrabitur; 2) sed nec talis speranda, qualem *Pontificii* per Henochi et Eliae praedicationem exspectant, futura est; 3) *nec absolute universalis* omnium omnino Judaeorum sperari potest conversio. Ut enim plenitudo gen-
XIX. 294. tium non notat singulas et universas gentes ac singula earum individua, sed ingentem numerum ex gentilium populo; sic etiam *per omnem Israëlem* non significatur universus populus Judaicus et omnia illius individua, sed insignis quaedam Judaicae gentis multitudo. 4) Qualis et quanta praecise futura sit Judaeorum conversio ante oraculi hujus complementum, apodictice sciri nequit. Origenes in comm. Rom. 11: *Quis sit iste omnis Israël, qui salvus fiet et quae erit ista plenitudo etiam gentium, unus solus novit et unigenitus ejus etc.* Atque haec dicta sint de signis judicium antecessuris, quibus hoc addendum, quod proximum et immediatum antecedens judicii futurum sit *mortuorum resurrectio et vivorum immutatio*, de qua in proximo articulo egimus.

112. 4. Consequentia judicii sunt 1. *piorum in* 4. Consequentia judicii.
coelum subvectio, *impiorum vero in infernum detrusio*, quae superius etiam ad effecta referri posse diximus. 2. *Coeli terraeque conflagratio.* 2. Petr. 3, v. 10: *Adveniet dies Domini ut fur, in quo coeli magno impetu transibunt, elementa calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur.* v. 12. *Properantes in adventum diei Dei, per quam coeli igne accensi solventur et elementa ignis ardore tabescent.* Apocal. 20, v. 11: *Vidi thronum magnum candidum et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit coelum et terra, et locus non est inventus ejus.* 3. *Principatuum ac regnorum terrenorum destructio.* Dan. 2, v. 45: *Lapis de monte abscissus sine manibus comminuit et testam et ferrum et aes et argentum et aurum.* 1. Cor. 15, v. 24: *Cum evacuerit omnem principatum et potestatem et virtutem.* (Quidam de spiritualibus Christi et ecclesiae hostibus potissimum accipiunt, *cum aboleverit omne imperium*, h. e. cum subjecerit sibi omnes hostes abolita eorum potentia, videlicet Satanae, mundi, peccati et mortis. Sed potest utraque expositio commode conjungi. Laurent. Justinianus de contemt. mundi c. 36: *Tunc evacuabuntur principatus seculi, potestates principum, dignitates regiae, pontificales infulae, opiniones hominum, favores populorum et omne quod est altum et decorum.*) 4. *Plenaria mortis abolitio.* Esa. 25, v. 8: *Absorbebit mortem in sempiternum.* Oseae 13, v. 14: *Ero mors tua, o mors.* 1. Cor. 15, v. 26: *Novissimus hostis destruetur mors.* v. 54. *Cum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors in victoria.* 5. *Regni Christi in manus Patris traditio.* 1. Cor. 15, v. 24: *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri;* v. 28. *cum autem omnia illi subjecta fuerint, tunc et ipse Filius subjicietur ei, qui subjecit ipsi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Haec traditio regni non est accipienda sensu Photiniano, quasi per eam desiturum sit spirituale et coeleste Christi regnum, Socinus in miscell. p. 63. (in quo patrem suum Photinum sequuntur, videatur Nicephorus lib. 9. eccles. hist. c. 11.), id quod pugnat cum expressis Scripturae dictis aeternitatem regni Christi adstruentibus Dan. 7, v. 14. Luc. 1, v. 33. etc. sed intelligenda 1) vel οἰκονομικῶς, *de modo administrandi regnum*, qualis in hac vita observatur. Non cessabit ipsum regnum, sed modus regnandi, postquam Christus subjecerit sibi omnes hostes, desinet *eo modo* regnare, quo nunc regnat, in medio scilicet hostium. Hilarius lib. 2. de Trinit.: *Ante omnia quaerendum est, an finis apud Paulum significet defectionem, traditio amissionem, subjectio infirmitatem, quia apostolus dicit, deinde finis erit, cum tradiderit* XIX. 26
regnum Deo et Patri etc. ibi autem finis non significat defectionem, quia finis est immobilis manendi

ad quem tendimus statum. Deinde traditio regni non est amissio, quod ex ipsius Christi verbis probatur, ait enim: omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Ergo si dedisse caruisse est, Pater quoque iis caruit, quae dedit, sed Pater tradendo non caret, igitur nec Filius intelligi potest cariturus his, quae Patri tradit. Subjectio non significat infirmitatem vel subjectionem tanquam servitutem dominatui, sed dispensationem temporis et sacramenti. Augustinus lib. 1. de Trinit. c. 8: *Justos, in quibus fide viventibus nunc regnat Christus, perducturus est ad speciem, quam idem apostolus vocat visionem a facie ad faciem. Ita dictum est, cum tradiderit regnum Deo et Patri, ac si diceretur, cum perduxerit credentes ad contemplationem Dei et Patris.* Confer Theophylactum in comm. 1. Cor. 15. Quidam distinguunt inter regnum Christi *essentiale* et *oeconomicum;* illud cum Patre et Spiritu sancto in omne aevum obtinet, hoc vero Patri tradet, postquam ecclesia non opus habebit in hac vita isto auxilio, quippe tunc erit cum suo capite. Sed rectius distinguitur inter regnum ipsum, quod manebit in aeternum, et regnandi modum, qui mutabitur, quia electi ex regno gratiae in regnum gloriae transferentur. Quidam distinguunt *inter regnum Dei et Christi*, quam distinctionem peti posse censent ex Eph. 5, v. 5. *Regnum Christi* vocant formam regiminis, quae nunc viget in terris; *regnum autem Dei*, prout futurum est in coelis. Sed res eodem recidit, modo accurate observetur, regnum Christi a regno Dei non re, sed modo duntaxat rei differre. Sunt qui hoc modo exponunt, *cum tradiderit regnum Patri*, hoc est cum declaraverit, modum illum regnandi per ministerium verbi cessasse, quia apud Hebraeos *verba actionem significantia pro declaratione seu notificatione actionis saepius usurpantur* Genes. 41, v. 13. Levit. 13, v. 3. Esa. 6, v. 10. Jerem. 1, v. 9. etc. sed haec explicatio non videtur sufficiens, Christus enim modum illum regiminis non solum cessasse declarabit, sed etiam re vera abolebit. Quidam censent, *esse metaphoram a rebus humanis ductam*, ut si rex quispiam filium cum imperio in aliquam sui regni provinciam mittat ad compescendum rebelles, quibus domitis et subjugatis ille domum reversus tradit patri imperium illud, id est resignat ac deponit. Sed Filius non vicaria ac delegata, sed *αὐτοκρατορικῇ* potestate regnum suum in ecclesia administrat, Pater per eum regnat et ipse cum Patre regnabit in aeternum, modus duntaxat regni utrobique variat, hic enim regnat in medio hostium, tum vero regnabit omnibus hostibus devictis. 2) Vel intelligendum *μετωνυμικῶς*, quod Christus in die novissimo electos, in quibus regnum spirituale et coeleste obtinet, Patri coelesti sistet dicens ex Joh. 17, v. 12: *Quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex illis periit.* v. 24. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Ephes. 5, v. 27: *Ἵνα παραστήσῃ, ut exhiberet, sibi ecclesiam gloriosam, non habentem maculam aut rugam.* Lutherus in expositione hujus capitis 15. prior. ad Corinth. anno 1533. tradita utramque explicationem conjungit: Christus wird den Glauben vnd das verborgene Wesen beyseit thun, vnd die Seinen darstellen vor Gott dem Vater, vnd vns also offenbarlich setzen in das Reich, das er angerichtet hat, daß wir jhn sehen werden ohne Deckel vnd dunckel Wort. Quod *de fine* in textu apostolico additur, non *de fine regni Christi*, *sed de* XIX. 2
fine mundi accipiendum, ex contextu manifestum est. *Subjectionem*, qua Filius dicitur in die novissimo Patri subjiciendus, Photiniani eo sensu accipiunt, *quod Christus in coelis regnans non sit subjectus Patri usque ad diem judicii, tunc vero utpote Patre inferior, sit ipsi plenarie subjiciendus*, Schmaltzius in refutat. eorum, quae Smiglecius examini 100 errorum objecerat p. 55. Sed verba apostoli sunt manifesta v. 27: *Cum dicat, quod omnia ei sunt subjecta, manifestum, quod praeter eum, qui subjecit ipsi omnia.* Ergo Christus secundum humanam naturam etiam ante diem judicii Patre est inferior, unde etiam dicitur *Christi caput* 1. Cor. 11, v. 3. Rectius ergo pii veteres hunc locum exponunt tum de *subjectionis declaratione*, quia quando Christus tradet regnum Deo Patri, omnibus in augusto illo angelorum et hominum conspectu manifestum fiet, ipsum esse Patri subjectum, secundum humanam scilicet naturam, Epiphanius haeres. 69; tum *de subjectionis continuatione*, Theodoretus in comment. prior. ad Cor. 15: *Tunc*, hoc est *etiam in magno illo triumpho, Christus ratione humanae naturae erit Patri subjectus;* tum vel maxime (quam expositionem reliquis praeferimus) *de subjectione corporis mystici.* Scriptura enim duplex corpus Christo tribuit, *personale*, quod in *Λόγου ὑπόστασιν* assumsit, et *spirituale sive mysticum*, quod spiritus sui vinculo sibi copulavit, cujus corporis membra sunt omnes vere credentes. De hoc mystico corpore apostolus proprie loquitur, quando Christum Patri suo in die novissimo subjiciendum asserit, ut sit sensus, *tunc cum tradiderit regnum Patri, futurum est, ut ecclesia plane et plene Deo sit subjecta sublatis ex felicissimo et beatissimo illo regno omnibus culpis et poenis*, ratione quarum militans ecclesia non videbatur illi plene subjecta. Origenes homil. 7. in cap. 10. Levit. p. 138: *Donec ego non sum subjectus Patri, nec ipse dicitur Patri esse subjectus, non quod ipse subjectione indigeat apud Patrem, sed pro me, in quo ipse opus suum nondum consummavit, ipse dicitur non esse subjectus. Ego nunc subjectus sum Deo secundum spiritum, hoc est proposito et voluntate, sed quamdiu in me caro concupiscit adversus spiritum et nondum potui carnem plene et perfecte subjicere spiritui, subjectus quidem sum Deo, verum non ex integro sed ex parte.* Confer Nazianzenum orat. 4. de theol. Cyrillum libr. 1. thesauri c. 18. Ambrosium libr. 5. de fide c. 6. Quidam id ipsum sic efferunt: Christus duplici ratione consideratur, primo *ratione suae personae*, secundo *quatenus unum corpus cum fidelibus constituit.* Ratione suae personae habet secundum huma-

nam naturam in die adscensionis super omnes coelos ad dextram Patris exaltatam omnes creaturas plenissime sibi subjectas Eph. 1, v. 20. c. 4, v. 10. etc. quatenus autem cum electis unum corpus constituit, nondum dicitur esse completa illa universorum subjectio, quia fidelibus adhuc imminet et dominatur mors, haec cum abolebitur, consummata erit illa subjectio. Hunnius in comment. 1. Cor. 15. 6. *Ministerii ecclesiastici abrogatio.* Jerem. 31, v. 34: *Non docebit ultra vir proximum suum* (vide explicationem hujus dicti in tract. de ministerio eccles. §. 46.). 1. Cor. 13, v. 10: *Cum venerit quod perfectum, evacuabitur quod ex parte est.* v. 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem.* 2. Cor. 5, v. 7: *Per fidem ambulamus et non per speciem.* Haec abrogatio ministerii
LIX. 297. ecclesiastici sequitur ex traditione regni Christi in manus Patris coelestis, quia illa regni traditio non est ipsius regni abolitio, sed modi regnandi mutatio. 7. *Beneficiorum Christi, quae in hac vita inchoantur, consummatio,* tunc enim renovatio piorum, quae de die in diem crescit, erit consummata, tunc fidei succedet visio, spei perfecta fruitio etc. 8. *Omnium laborum et aerumnarum, quas sancti propter Christum in hac vita tolerarunt, largissima compensatio.* Sed de his in artic. de vita aeterna plenius dicetur. 9. *Creaturae a servitute corruptionis liberatio* Rom. 8, v. 20. qualis vero illa liberatio sit futura, an per annihilationem, an per renovationem, suo loco dispicietur. 10. *Novi coeli ac novae terrae creatio.* Esa. 65, v. 17: *Ecce creo coelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora et non adscendent super cor.* Confer c. 66, v. 22. 2. Petr. 3, v. 13. Apocal. 21, v. 2. 11. *Aeterna Dei glorificatio.* Postquam enim justum suum judicium adversus persecutores et hostes ecclesiae Deus exercuit, ac Satanas et omnes impii a Christo prorsus debellati, mors penitus abolita, electi ad Patrem coelestem traducti et aeterna gloria coronati, tunc ipsius gloria ab angelis et electis in omnem aeternitatem voce consona praedicabitur. Apocal. 18, v. 20: *Exsulta super Babylonem, coelum et sancti et apostoli et prophetae, quoniam judicavit Deus judicium vestrum de ea.* c. 19, v. 1: *Audivi quasi vocem turbarum multarum in coelo dicentium: Alleluja, laus et gloria et virtus Deo nostro,* v. 2. *quia vera et justa sunt judicia ejus, qui judicavit de meretrice magna.* v. 3. *Et iterum dixerunt: Alleluja etc.* 12. *Impiorum planctus et blasphematio,* de qua inferius.

CAPUT VIII.

DE COGNATIS EXTREMI JUDICII.

Cognata extremi judicii.

113. *Cognata* extremi judicii sunt 1. *judicium Dei*, quod adversus *angelos apostatas*, originem suam relinquentes, statim post ipsorum lapsum exercuit, quando infernalibus suppliciis propter apostasiam et inobedientiam eosdem adjudicavit 2. Petr. 2, v. 4. Jud. v. 6. (Quidam huc referunt dictum Christi Luc. 10, v. 18: *Videbam Satanam sicut fulgur de coelo cadentem,* et Johannis Apoc. 12, v. 9: *Projectus est draco e coelo in terram,* sed ibi proprie agitur de efficacia et virtute praedicationis evangelii, per quam potestas, quam in animas hominum obtinet, ipsi adimitur Joh. 12, v. 31. Quidam adducunt locum propheticum Esa. 14, v. 12: *Quomodo cecidisti de coelo, lucifer,* sed κατὰ ῥητόν et in sensu literali de interitu regis Babylonici ibi agitur.) Interim tamen inter judicium Dei *adversus diabolos* et extremum judicium est discrimen 1) *ratione causae efficientis,* quia illud immediate a Deo fuit institutum, hoc vero Christus in assumta natura humana administrabit; 2) *ratione objecti,* illud adversus angelos duntaxat, hoc adversus angelos et homines instituetur; 3) *ratione modi,* illud invisibile fuit, hoc visibile erit; 4) *ratione temporis,* illud praecessit, hoc sequetur; 5) *ratione effectus,* illud aliquam grassandi licentiam diabolis adhuc permittit, hoc vero omnem eorum potestatem in pios evacuabit et infernali carcere eos concludet.

114. 2. Judicium, quod *in paradiso post lapsum* XIX. 298.
protoplastorum Deus instituit, ubi ad causam dicendam et sententiam audiendam ab ipso fuere citati. Cogitet quilibet, quantus in Adamo et Eva fuerit terror, quanta consternatio, cum audirent vocem Dei in horto ambulantis ac dicentis, *ubi estis?* Genes. 3, v. 9. sed longe major consternatio in die judicii novissimi impios opprimet, quando ad tribunal summi judicis vocabuntur et horribili illo fulmine, *discedite a me maledicti,* prosternentur. Illud enim judicium, quod in paradiso Deus exercuit, fuit misericordia contemperatum propter intercessionem Filii, qui sese ut μεσίτην καὶ ἱκέτην inter Deum iratum et lapsum genus humanum interposuit; sed novissimum illud judicium sine ullo misericordiae temperamento summo justitiae rigore adversus impios et incredulos exercebitur.

115. 3. *Particularia judicia,* quae Deus in toto mundo, cumprimis vero in ecclesia exercet, quando in hac vita persecutores et hostes ecclesiae coërcet, conatibus ipsorum obsistit, gravibus suppliciis eos punit et quendam aeternorum cruciatuum praegustum ipsis exhibet; post hanc vitam ipsorum animas Satanae cruciandas et usque ad diem judicii custodiendas tradit; contra vero pios in hac vita defendit, praemiis afficit, vel etiam errantes castigat et in viam revocat, quae paternae castigationes κρίματα τοῦ θεοῦ vocantur 1. Cor. 11, v. 31. 1. Petr. 4, v. 17. post hanc vitam animas ipsorum angelis in sinum Abrahae deportandas tradit Luc. 16, v. 22. Interim discrimen est inter haec judicia et ultimum seu novissimum judicium, 1) quia illa sunt particularia, hoc vero est universale; 2) illa quotidie exercentur, hoc vero adhuc futurum exspectamus; 3) illa sunt duntaxat quaedam judicii divini inchoatio, hoc vero erit plena ejusdem exsecutio, cum praecipua praemia ac praecipuae poenae differantur ad censorium ac pantocriticum illum diem. Augustinus

lib. 1. de civit. Dei c. 8: *Si nunc omne peccatum manifesta plecteretur poena, nihil ultimo judicio reservari putaretur; rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, nulla esse providentia divina crederetur.*

116. 4. Judicium, quod exercet Deus mediate tum *in ecclesia per verbum*, Genes. 6, v. 3: *Non judicabit spiritus meus in homine in aeternum.* Esa. 2, v. 4: *Judicabit inter gentes et arguet populos multos.* Ezech. 34, v. 17: *Ego judicans inter pecus et pecus.* Matth. 16, v. 19. c. 18, v. 18. Joh. 20, v. 23: *Quae in terra solveritis ac remiseritis, erunt in coelis soluta et remissa; quae in terra ligaveritis et retinebitis, erunt ligata et retenta in coelo;* tum *in politia per magistratum*, 2. Paral. 19, v. 6: *Non hominis judicium exercetis, sed Domini.* Quilibet animadvertit, quantopere cohorrescant facinorosi, quando ad tribunal terreni judicis deducti sententiam mortis in se ferri audiunt, sed ineffabiliter major erit pavor et horror in impiis, quando damnationis sententiam a Christo judice adversus se pronuntiari audient. Discrimen tamen est inter judicia ecclesiastica et politica in hac vita, et judicium extremum post hanc vitam, 1) *ratione causae efficientis*, illa exercet Deus per nudos homines, hoc vero per Christum θεάνθρωπον; 2) *ratione materiae circa quam sive objecti*, tum *personalis*, ibi homines duntaxat judicantur, hic vero angeli et homi-
XIX. 299. nes; tum *realis*, quia in illis notoria et manifesta duntaxat judicantur, in hoc vero occulta cordium et abstrusissimae cogitationes; in illis unum aliquod peccatum, in hoc vero omnia; 3) *ratione formae*, ibi in processu judiciali instituitur inquisitio, requiritur, ut reus fateatur vel convincatur; sed hic nulla opus erit *inquisitione*, cum omnia futura sint manifesta, nec *testium productione*, cum non possint impii flagitia sua negare. Aberit ergo ab hoc judicio molestus et diuturnus judicii strepitus articulis *inquisitionalibus*, *interrogatoriis*, *replicis*, *duplicis*, *triplicis*, *testium examinibus*, *conventionibus*, *reconventionibus* constans, quia cum judex sit καρδιογνώστης, omnia coram oculis ejus sunt aperta; 4) *ratione finis et effectus*, in judiciis humanis praemia et supplicia temporalia, sed in divino aeterna distribuentur; 5) *ratione quantitatis sive amplitudinis*, multa delicta, praesertim occulta, effugiunt judicium humanum, sed nihil quidquam effugere poterit judicium illud divinum. *Judicium mundanum*, inquit Lutherus tom. 4. Jenens. Latin. pag. 366. *est vix alphabetum illius ultimi;* 6) *ratione accidentis*, in illis saepe regnat προσωποληψία, favor praeposterus, occulta odia, iniquitas et injustitia, sed in hoc extremo judicio omnes δικαίως καὶ ἀπροσωπολήπτως judicabuntur.

117. 5. Denique *occultum judicium*, quod *in conscientia* cujusque hominis, quam Nazianzenus recte vocat τὸ ἔνδον βῆμα, *domesticum tribunal*, exercetur. In ea enim *cogitationes sese invicem accusant aut etiam defendunt* Rom. 2, v. 15. Discrimen tamen est inter utrumque, 1) conscientiae judicium est *occultum et internum*, sed novissimum judicium erit *manifestum et externum;* 2) illud multi conantur subterfugere conscientiae suae vim inferendo, quos apostolus vocat ἀπηλγηκότας Ephes. 4, v. 19. huic vero omnes cogentur sese sistere; 3) illi non conjungitur statim exsecutio per poenarum externarum irrogationem, sed sententia in novissimo die promulganda e vestigio paratam habebit exsecutionem, et impii in tenebras exteriores statim abjicientur; 4) illud mutari adhuc potest, quia vermis conscientiae in hac vita per veram poenitentiam potest exstingui, hoc vero erit prorsus immutabile et invariabile, quia post latam in extremo judicio sententiam *vermis impiorum non morietur* Esa. 66, v. 24. Marc. 9, v. 44.

CAPUT IX.

DE PUGNANTIBUS CUM EXTREMO JUDICIO.

118. *Pugnantia sive contraria sunt:* 1. *Epicureas* Pugn
cogitationes ac voces empaectarum nullum judicium sive trari
fore statuentium 2. Petr. 3, v. 3. Jud. v. 18. ad quo- trem dicii
rum consortium pertinent omnes impoenitentes, peccatis secure indulgentes, adeoque omnes hypocritae, qui verbis quidem fatentur, se credere secuturum aliquando universale judicium, sed factis et vita impia illud negant Tit. 1, v. 16. Profanas illas cogitationes per accidens confirmat mora, quae ipsis intercedere videtur, quo minus statim sequatur judicium. Esa. 56, v. 12: *Venite, sumamus vinum et impleamur ebrietate, et erit sicut hodie, sic et cras*
et multo amplius. Eccles. 8, v. 11: *Quia non fit* XIX.
judicium malorum cito, propterea implentur corda hominum, ut operentur malum. 2. Petr. 3, v. 4: *Ubi nunc promissio adventus? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae.* Sed huic objectioni jampridem Spiritus sanctus solidum opposuit responsum Rom. 2, v. 4. 2. Petr. 3, v. 9. 2. *Corruptelae eorum*, qui circa causas vel objectum hujus judicii a veritatis tramite aberrant, quas suo loco enumeravimus superius. 3. *Curiositas eorum*, qui certum diem ac annum huic judicio praefinire voluerunt verbis Christi Actor. 1, v. 7. directe contradicentes, hominum vero securitatem oblique foventes. 4. *Temeritas eorum*, qui vero Dei timore vacui temere et secure ad judicium illud provocare non verentur, de quibus Amos cap. 5, v. 18. 5. *Supina eorum securitas*, qui diem novissimum longissime adhuc abesse opinantur dicentes cum servo nequam in corde suo: χρονίζει ὁ κύριός μου ἐλθεῖν Matth. 24, v. 48. *Pax et securitas* 1. Thess. 5, v. 3. Sed mirabili Dei providentia contingit, ut dum decretorium istum diem procul adhuc abesse dictitent, eo ipso eum in propinquo esse demonstrent, quia inter signa novissimi diei appropinquantis supina hominum securitas refertur, ut superius §. 88. ostendimus.

CAPUT X.

DE USU HUJUS LOCI.

u- eo- a- 119. *Usus* hujus loci est 1. θεωρητικός, 2. πρακτικός. *Theoreticus* est 1) διδασκαλικός, ut fidem nostram de futuro judicio extremo Scripturae dictis probe muniamus et primum Christi adventum in humilitate ab altero Christi adventu in gloria et majestate probe distinguere discamus; 2) ἐλεγκτικός, ut fide cordis et confessione oris nos separemus ab omnibus, qui vel extremum judicium fore praefracte negant, vel ὀρθοξίαν de eo in Scripturis traditam et hactenus fideliter expositam pertinaciter impugnant. Detestemur ergo Epicureas irrisiones empaectarum dicentium, *ubi nunc promissio adventus ejus?* 2. Petr. 3, v. 4. refellamus errores Judaeorum, qui distinctos hosce Messiae adventus in prophetis praedictos conciliare nescientes commenti sunt duos diversos Messias, unum appellantes *filium Joseph seu filium Ephraim*, alterum *filium Davidis*, et quaecunque humilia de Messia in scriptis propheticis invenerunt, ea attribuerunt filio Josephi, quae vero augusta et sublimia, filio Davidis, quod somnium hodierni Judaei adhuc fovent, ut constat ex libro Abcath rochel part. 1. ac contradicamus quibusvis corruptelis, quae de causis ac circumstantiis hujus judicii in ecclesia vel olim sparsae sunt, vel adhuc
Practicus. Generalis. propugnantur. *Practicus* est, vel *generalis*, vel *specialis*. *Generalis*, ut gloriosi hujus adventus Christi ad judicium et novissimi hujus diei, in quo de omnibus prioribus sententia feretur, omni die memores simus. Oblivio hujus judicii est mater securitatis, quotidiana vero recordatio seriae pietatis. Inter proprietates impiorum etiam haec refertur, *quod judicia Dei sint ab ipso procul remota*, hoc est quod non
301. cogitent, instituendum esse aliquando judicium. Psalm. 10, v. 5. *Praecepit nobis Deus*, ait Petrus Actor. 10, v. 42. *praedicare populo et testificari, quia ipse est, qui constitutus a Deo judex vivorum et mortuorum.* Ergo praecipua pars officii ecclesiae doctoribus commissi in eo consistit, quod judicii extremi memoriam auditoribus suis sedulo inculcare debeant. *Μνημονεύετε, memores estote, uxoris Loth*, inquit Christus Luc. 17, v. 32. cum tempora Sodomiticum excidium antegressa cum novissimis temporibus invicem conferret innuens, vere piorum proprium esse et praeteritorum Dei judiciorum particularium in vero timore recordari et futuri illius universalis judicii perpetuo meminisse, qua de re apud pios veteres praeclarae exstant sententiae. Nilus episcopus in gnomis: νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν πρὸς τὴν ἡμέραν τὴν ἐσχάτην ἀποβλέπετε. Hippolytus in orat. de consumm. seculi: *De illo judicio soliciti cogitemus quotidie, hoc diu noctuque meditemur, in domibus, in plateis, in ecclesiis, ne in horrendo illo judicio, in quo nulla est personarum acceptio, abjecti ac tristes adstemus condemnati, sed cum actione, vita, conversatione, confessione pura etc.* Hilarius in enarrat. Psalm. 118: *In omni vitae nostrae genere memoria divini judicii nobis inserenda et continenda est, ut cum aliquid agimus, residente in nobis judicii memoria vel nunquam potius abeunte praeceptis Dei opera nostra famulentur. Beatus erit, quisquis non sine memoria divini judicii omnia gesserit.* Gregorius Nyssenus orat. in Psalm. 6: *Quis terribilis judicii Christi recordatus non statim in conscientia sua quasi convellitur ac terrore et angore non constringitur? Atque etiamsi vitae melius quam deterius actae sibi conscius sit, attamen ad exactam diligentiam et rigorem judicii respiciens, in quo minimae quoque culpae in quaestionem adducuntur, consternatur ac prorsus exspectatione terribilium poenarum perhorrescit, ignorans, quisnam sibi judicii exitus et eventus futurus sit.* Ephraemus in serm. paraenet. de secundo adventu Domini: *Qui universo renuntiasti mundo, ne aliam admittas solicitudinem neque aliud certamen aut cogitationem praeterquam diei illius horribilis, semperque cor et lingua tua de extremo judicio meditentur. Sive igitur operi sive orationi intentus sis, sive ambules sive sedeas, sive comedas sive jejunes, sive in cubili tuo vigil jaceas sive quid aliud agas, non desistat mens tua cogitare et os tuum loqui de judicio.* Chrysostomus homil. 44. in Joh.: *Invicem et nobiscum semper dicamus, resurrectio erit et horrendum illud nos manet judicium, sufficiens enim hoc verbum est, quod omni medicina animam nostram vehementius curet. Est enim resurrectio non longe sed in portis, adhuc modicum, jamjam veniet et non tardabit.* Gregorius Nazianzenus in orat. excusatoria: Τούτῳ καὶ νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν σύνειμι, καὶ οὐκ ἐᾷ με ἀναπνεῖσθαι ἡ ἐκεῖθεν δόξα καὶ τὰ ἐκεῖ δικαστήρια. Hieronymus in regul. monachorum c. 30: *Sopitae somno quietis et pacis exspectetis sponsum et judicem vestrum, exspectetis magnum et terribilem diem judicii etc. semper tuba illa terribilis vestris obstrepat auribus, surgite mortui, venite ad judicium.* Augustinus epist. 3: *Semper ante oculos versetur ultimus dies, et cum diluculo surrexerimus, non ad vesperam nos confidamus pervenire, et cum in lectulo membra nostra deposuerimus, de lucis non confidamus adventu.* Epist. 80: *Tunc unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus est in die illo. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum invenerit suae vitae hujus ultimus dies.* Idem sermon. XIX. 302.
35. de verb. apost.: *Quotidie cogitemus, quales erimus in die judicii purissimis angelorum conspectibus offerendi et aeterno judici rationem de libro conscientiae reddituri remotis probationibus.* Gregorius Magnus hom. 39. in evang.: *Si quae est praesentis temporis, ita agenda est laetitia, ut nunquam amaritudo sequentis judicii recedat a memoria.* Caesarius homil. 27: *Cogitemus illius judicis incessanter adventum, qui utinam sic nos paratos inveniat, quomodo nemo potest dubitare, quod veniat.* Johannes Climacus gradu 20: *Sicut impossi-*

bile est, ut qui esurit, non recordetur panis; ita fieri non potest, ut qui salvari cupit, exitus sui extremique judicii obliviscatur. Quidam anachoreta quaesitus, *cujus libri lectione potissimum delectaretur*, respondit, *nullius nisi trifoliaris*, *cujus folio nigro moneretur mortis, candido beatitudinis, rubro judicii.* Ad hanc quotidianam et perpetuam extremi judicii memoriam nos excitet *Dei praecipientis auctoritas, venturi judicis majestas, inopinata adventus hujus celeritas, multiplex illius recordationis utilitas, periculi, quod securos et incautos manet, gravitas.*

2. Specialis. 1. Informatorius, isque 1. Correctorius. 120. *Specialis* est vel παιδευτικός, *informatorius*, vel παραμυθητικός, *consolatorius.* Παιδευτικός est vel ἐπανορθωτικός, *correctorius*, vel παραινετικός, *exhortatorius.* Ἐπανορθωτικός usus in eo consistit, quod meditatio extremi judicii vitam et mores nostros corrigit, dum revocat nos 1. *in genere* ab *impietate* et *securitate.* Fieri enim nequit, quin vero et serio Dei timore percellamur ac a peccatis desistamus, si memoria hujus judicii animum nostrum intime subeat. Sive enim ipsum judicem, sive judicis adventum, sive praesentiam eorum, coram quibus hoc judicium exercebitur, sive judicii materiam, sive processum judicii, sive exsecutionem sententiae promulgatae respiciamus, ubique occurrit, quod timorem cordibus nostris instillare possit. Eccles. 12, v. 13: *Deum time et mandata ejus observa;* v. 14. *cuncta, quae fiunt, adducet Deus in judicium.* Apoc. 14, v. 7: *Timete Dominum, quia venit hora judicii ejus.* 1. *Judex* 1) adveniet *gloriosus*, non humilis et abjectus, sicut in primo adventu, sed cum virtute et gloria magna. Quodsi tantopere exhorruerunt homines unico duntaxat angelo viso, quid futurum in die novissimo, quando regem et dominum angelorum cum omnibus angelis ad judicium videbunt venturum? Si Israëlitae in promulgatione legis non potuerunt gloriam Domini in monte Sinai apparentis intueri, quomodo poterunt homines plenam divinae gloriae lucem, in qua judex conspicietur, perferre? 2) Est *omniscius*, omnia *nuda et aperta sunt oculis ejus* Hebr. 4, v. 13. In Graeco est τετραχηλισμένα, cujus metaphorae rationem pulchre explicat Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 94. *Haec verba*, inquit, *translatione ducta a victimis, quae ad sacrificium adhibentur; a Paulo ingentis sapientiae viro scripta sunt. Quemadmodum enim illae, cum pelles detrahuntur, omni conspicuo indumento spoliantur abditarumque interne partium statum et affectionem indicant, atque ad ossium omnium et membrorum indagationem, ut omnia ob rei, cui adhibentur, puritatem expurgentur; eodem modo in magno illo Domini die actionum nobis incognitarum et obscurarum patefactio cuncta denudabit dissectionique similis apparebit. Neque enim quis-*
XIX. 303. *quam latere poterit, verum omnes in apertum adducentur.* 3) Est *justissimus*, *reddet unicuique secundum opera*, Apoc. 22, v. 12: *Ecce venio cito, et merces mea mecum reddere unicuique secundum opera sua.*

Expavesco miser multum
Judicis severi vultum,
Quem latebit nil occultum,
Qui relinquet nil inultum.

4) Est *potentissimus*, imo omnipotens, omnes enim homines vel solo nutu ad tribunal suum congregabit et sententiam promulgatam exsecutioni statim mandabit. Nemo hunc judicem poterit fallere, quia est ipsa *sapientia;* nemo poterit delicta sua occultare, quia pollet *omniscientia;* nemo poterit judicii sententiam flectere, quia est ipsa *justitia;* nemo poterit effugere, quia est ipsa *omnipotentia.* Bonaventura serm. 72. de temp.: *Summae sapientiae erit mala discutere, justitiae erit sententiam inferre, potentiae erit exsecutioni mandare.* 2. *Adventus judicis* erit non tantum gloriosus et majestaticus, sed etiam *repentinus et inopinatus*, *veniet sicut fur in nocte* Matth. 24, v. 43. Luc. 12, v. 39. Apoc. 16, v. 15. *quando homines dicent, pax et securitas* 1. Thess. 5, v. 3. at quis non timeat audiens, *quod venturus sit Filius hominis hora ea, qua non speratur?* Matth. 24, v. 44. Quodsi enim venturus est hora ea, qua non speramus, metuendum, ne nos imparatos inveniat. 3. Administrabitur hoc judicium *in praesentia omnium angelorum et hominum*, in panegyri omnium rationalium et aliarum creaturarum. Ecquis vero non reformidet, in angelorum et hominum peccata sua venire conspectum? 4. *Materia sive objectum judicii* sunt omnia dicta, facta, cogitata; ibi minutissimae cogitationes, quae apud nos usu viluerunt, indiscussae non manebunt. Quam longa fuit vita nostra, tam lata erit judicii materia, *omne tempus nobis impensum requiretur, qualiter sit expensum, non peribit capillus de capite nec momentum de tempore.* Caveamus ergo quidquam hic committere, quod nolimus in die illa coram omnibus angelis et hominibus manifestari. 5. *Processus judicii* juxta normam aequitatis et justitiae instituetur. Judex ille *nec flectetur donis, nec falletur verbis.* Nulla ibi locum habebit *excusatio*, quia ipsa conscientia accusabit, cujus testimonium nemo negare poterit, Matth. 22, v. 12; nulla *tergiversatio*, quia impius se ipsum accusabit et condemnabit; nulla *provocatio* vel *appellatio*, quia judex est supremus et infallibilis, Sap. 6, v. 8; nulla *culpae translatio*, quia cujusvis peccata in clara et manifesta luce collocabuntur; nulla *leuteratio*, quia aequitas sententiae omnibus erit manifesta; nulla *deprecatio*, quia non acquiescet judex cujusquam precibus nec suscipiet pro redemtione dona, Prov. 6, v. 35. nulla *dilatio*, quia 6. sententia promulgata statim *exsecutioni* mandabitur; aderunt ibi angeli boni ad coelum deducentes, angeli mali ad infernum trahentes. Unicum momentum aeternam mansionem unicuique homini assignabit, nec frangetur damnatrix sententia adversus impios lata, si quot homines judicium hoc adituri sunt, in tot Bartolos Baldosve transformarentur. *Haec mala qui pavet, cavet, qui negligit, incidit.* Hac de re sic loquuntur pii vete-

lemens Romanus lib. 9. recognition.: *Sicut sol stellas splendore sui fulgoris obtundit et it, ita et mens per scientiae lucem omnes conentias animae inefficaces reddit, futuri jumemoriam tanquam radios suos emittens, ita apparere quidem ultra in anima queant.* s in comm. Psalm. 33: *Beatus, qui in die i, quando venerit Dominus ad illuminandum ndita tenebrarum et manifestare consilia corausus erit sub luce illa redargutionum con- intrepidusque ac sine verecundia conscientiam aminatam ac a vitiis liberam prae se feret. ero male fecerint, in probrum et verecundiam ent, in se ipsis turpitudinem et formas eorum, peccarunt, conspicientes. Insuper quod ipsis ie et igne perpetuo erit horribilius, verecunoperientur, quam omnino sustinebunt, vestigia ritorum malorum, quae admiserunt, velut aliindelebilem eorum memoriae permanentemque am ante oculos habentes.* Cyrillus Hierosolyas catech. 15: *Tremendum est judicium, ita ea etiam, quae de illo nuntiamus, timor inur, nam regnum coelorum proponetur et ignis ius praeparabitur.* Ephraemus serm. de extr. et compunctione: *Vere formidabilis erit illa nnctis peccatoribus, qui voluntatem Domini alute sua exercere noluerunt. Nihil nobis in ora proderit praeter bona, quae hinc detule-, opera. Futurum enim est, ut unusquisque m propria dicta ac facta ante incorrupti atemendi judicis tribunal deferat. Mihi sane emit ac renes immutantur, dum cogito de n omnium manifestatione cogitationumque ac num exacta discussione, quae ibi fiet. Magnus rit timor, o fratres carissimi, et magnus treo amici mei. Quis ergo non perhorrescat aut on lugeat ac ploret? quoniam omnia ibi maniida erunt, quae unusquisque in occulto et obhic egerit. Horrendum ibi erit judicium, in tiam absque testibus cuncta erunt manifesta, atque sermones, cogitationes atque animorum ubi etiam adsistent millia millium et decies millia archangelorum et angelorum, Cherubin raphin, justorum et sanctorum, prophetarum apostolorum chori.* Hieronymus in epist. ad m, quem instituit in scientia divinae legis tom. *ce si umbrato repente coelo solis claritas noadspectibus denegetur et productis in nostram itatem nubibus pluviae terris immineant, si otis, ut assolet, elementis in rotam sui currus ua concitentur et hinc inde fulgurum jacula bris terribiliter objecta coruscent, quanquam suetudine illa contingant, pavemus, contrenus et proni ad terram deposita superbia cersubmittimus; quid faciemus in illa die miseri, lo revoluto coelo cum angelicis virtutibus igneus nus totus adveniet? quando cadentibus desutellis sol in tenebras et in sanguinem luna itur? quando montes sicut cera liquescent? lo terra ardebit et arescent flumina et maria siccabuntur, et contra rerum naturam consumto divinitus humore ariditatem in aquis ignis operabitur? quando peccatores dicent montibus, cadite super nos?* etc.

Gregorius Nazianzenus jamb. 19:

Nam dormientem me labor pungit quoque,
Ac si soporis quidpiam capio, gemo.
Nam spectra noctis asperae metum afferunt,
Censura, judex, statio, cui comes tremor.
Hinc fons perennis bulliens flammae, impias
Sine fine mentes vermis hinc morsu petens,
Haec inter animus conscius, scelera arguens
Ullo absque scripto etc.

Idem orat. 15. quae est in plagam grandinis: *Quid* XIX. 305.
faciemus in die divinae ad nos expostulationis, cum nos coarguet atque ex adverso stabit, peccata nostra, hoc est acerbos atque amarulentos accusatores, nobis in faciem statuens acceptaque beneficia cum iis, quae inique admisimus, ex adverso conferens et cogitatione cogitationem verberans et actione actionem examinans et imaginis vitio contaminatae atque confusae dignitatem a nobis exposcens, postremo nos abducet a nobismetipsis condemnatos hucque adductos, ut ne id quidem dicere queamus, nos inique supplicio affici, quod quidem hic apud eos, qui poenas luunt, nonnunquam hanc vim habet, ut eorum condemnationem et cruciatum leniat? Illic autem quis patronus? quae causificatio? quae falsa defensio? quod artificiosum verborum lenocinium? quae consilii solertia tribunal illud circumscribet ac rectum judicium eludet? quod omnia omnibus in statera collocat, actionem, sermonem, cogitationem virtutesque cum vitiis ex adverso expendit, ut quod propendet, victoriam obtineat etc. Chrysostomus homil. 42. in Genes. in princ.: *Quoties nos affectio quaepiam perturbat, si volumus pia religiosaque mente cogitare judicium diei illius terribilis et non ad praesentem voluptatem spectare, sed ad cruciatus, quos propter illam feremus, statim ab anima nostra resiliet ac revolabit.* homil. 5. in epist. Rom. c. 3. et 48. ad popul. Antioch.: *Tremendum illud subsellium, horrendum tribunal, tremore plena judicia, ignis funditur fluvius, frater non redimit, redimet homo? Recordare siquidem, quae dicuntur in evangelio, circumcurrentium angelorum, sponsalis thalami clausi, exstinctarum lampadum, potestatum in fornaces detrahentium. Et illud pensa, quodsi cujus ex nobis factum occultum in medium hodie coram sola produceretur ecclesia, quomodo non perire et sibi terram hiscere precaretur potius quam tot malitiae testes habere. Quid tunc ergo patiemur, cum in medium coram mundo cuncta promentur, in theatro tam claro et illustri et nobis notis et incognitis omnia spectantibus* etc.*? Si mille dixeris gehennas, nihil illius par dices doloris, quem sustinet anima, dum totus terrarum orbis convolvitur, canentibus tubis, angelis praecurrentibus primis, tum secundis, mox tertiis, demum innumeris*

ordinibus in terram se fundentibus, insuper autem et Cherubim, multa vero sunt haec et infinita, et Seraphim in illa ineffabili gloria ipso veniente occurrentibus his, qui venerint et in medium electos agant etc. homil. 22. ad popul.: *Vide non indutum veste nuptiali ex sponsali domo expulsum et neminem pro ipso intercedentem; vide talentum habentem creditum et non negotiantem et quomodo pro illo intercedit nemo; respice mihi quinque virgines exclusas et aequales pro ipsis non deprecatas* etc. epist. 5. ad Theodorum lapsum tom. 2: *Tunc aperientur omnes coelestium fastigiorum portae, tunc omnia stupore conferta erunt et horrore et metu; tum etiam angelos ingens metus occupabit, propterea quod conservi judicium subituri sunt de peracta in mundo vita* etc. homil. 38. in Joh.: *Non in praesenti vita finis nobis est, formidoloso judicio aderimus* etc. *Hoc judicium semper prae oculis habeamus, ita semper virtuti vacare poterimus. Nam sicut qui diei illius obliviscitur, tanquam freno abjecto in praecipitium fertur, ita quem continuus hic percellit timor, modeste viam vivendi ingreditur.* Basilius Seleuciensis in orat. de transfig. Christi: *Si repentinam non ferimus fulguris coruscationem, sed ea eum, qui cernit, in humum saepe dejicit, quid dixerit quispiam exorientem eum videns, qui fulgurat? quando sonitus tubarum vocabunt mortuos e sepulcris, quando rumpentur capsae monumentorum vinctos emittentes, quando judicabuntur*
XIX. 306. *proposita facta et cogitata* etc.? Augustinus lib. 6. confess. c. 6: *Non me revocabat a profundiore voluptatum carnalium gurgite nisi metus mortis et futuri judicii.* epist. 3: *Semper ante oculos versetur ultimus dies* etc. *ita facillime poterimus corpus nostrum a vitiis et concupiscentiis refrenare.* lib. 3. de symb.: *Judex ille nec gratia praevenietur, nec misericordia flectetur, nec pecunia corrumpetur, nec satisfactione aut poenitentia mitigabitur. Cessabit tunc misericordia et locum habebit justitia.* serm. 4. de temp.: *Exspectatur dies judicii, aderit ille aequissimus judex, qui nullius potentis personam accipiet, cujus palatium auro vel argento nemo corrumpet; adstabunt omnes animae, ut referat unaquaeque secundum ea, quae per corpus gessit; praesto erit adversarius diabolus, recitabuntur verba professionis nostrae, et si talis fuerit quisque, ut debitor ex hac vita migret, exsultabit ille adversarius in conspectu serenissimi judicis, superiorem se esse declamans agensque talem causam apud Christum judicem: Aequissime judex judica; justitia et judicium praeparatio sedis tuae, judica, meum esse, qui tuus esse noluit; meus est, mecum damnandus est. Post renuntiationem ut quid invasit pannos meos? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renuntiaverat? quid intemperantia, quid avaritia, quid ira, quid superbia, quid cetera mea? Postremo aequissime fugientem a me confugientem ad te, postea cum meis, quibus renuntiaverat, apprehendi, invasorem detinui, in ipsa quodammodo mea possessione apprehensus est. Meus esse voluit, mea concupivit. Judica, judica aequissime, quoniam quem tu dignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare.* serm. 54. de temp.: *In die illa erit fletus et stridor dentium, erit ululatus et lamentatio et tarda poenitentia. Ibi movebuntur fundamenta montium et ardebit terra usque ad inferos deorsum, quando coeli ardentes solventur, quando virtutes coelorum movebuntur* etc. *Ubi se tunc impii videbunt? ubi adulteri, ubi ebriosi, ubi maledici se recognoscent? ubi amatores luxuriae, ubi raptores, ubi superbi et invidi apparebunt? Quid infelices pro sua defensione dicturi sunt, quos toties admonitos et tamen imparatos dies illa repererit?* etc. serm. 67. de temp.: *Quid faciemus, carissimi, in illo metuendo judicii die, cum tremente mundo Dominus praecinentibus angelorum buccinis in illo majestatis suae throno circumdatus coelestis militiae luce consederit ibique de terrae gremio et antiquo pulvere suscitato humano genere, adstante testimonio conscientiae singulorum, positis in conspectu peccatorum poenis justorumque praemiis, rationem vitae coeperit postulare et plus jam justus quam misericors severitate judicis contemtae misericordiae reos coeperit accusare et dicere: Ego te, o homo, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum* etc. *irridentium palmas et sputa suscepi, acetum cum felle bibi, flagellis caesus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, ut tu eripereris morti* etc. *cur quod pro te pertuli, perdidisti? cur ingrate redemtionis tuae munera renuisti?* serm. 120. de temp.: *Irremediabile periculum est, sic aliquem vitiis et cupiditatibus frena laxare, ut rationem Deo se non meminerit redditurum. Puto quod magna sit jam peccati poena, metum ac memoriam futuri perdidisse judicii.* Petrus Chrysologus serm. 59: *Si credimus venturum judicem, innocentes judici nos praeparemus; judicem negat esse, advenire non credit, judicandum se satis iste diffidit, qui male vivit.* Caesarius homil. 27: *Prima erit in reos intoleranda sententia reverendarum praesentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sumus, quando contra illius crucifixi Domini livores notae peccatorum nostrorum et maculae libidinum proferentur? aut quo putas vultu respiciet redemtio nostra perditionem nostram? Tantum graviora erunt humana delicta, quantum majora se ostenderint divina beneficia* etc.

Fortunatus lib. 4. carmin.:

Felices, quos nulla gravant de morte secunda
Nec faciunt poenis subdita membra feris,
Dulcibus illecebris qui non sibi condit amarum
Nec per carnem animam vult sepelire suam.
Infelix, quisquis maculosis actibus usus
Arte Redemtorem se laqueasse studet.
Nubibus invectus cum venerit arbiter orbis
Et tuba terribilis commovet arma poli etc.
Tunc ibi quis terror coeli assistente senatu?
Quid dicturae animae judicis in facie?

Mox aut poena manet miseros aut vita beatos,
Quisque suae vitae semina jacta metet.

Gregorius homil. 12. in evangel.: *Pensate, fratres carissimi, ante conspectum tanti judicis qui in illo die terror erit, quando jam in poena remedium non erit? Quae illa confusio, cui reatu suo exigente continget in conventu omnium angelorum hominumque erubescere? Qui pavor eum, quem et tranquillum mens humana capere non valet, etiam iratum videre?* lib. 8. moral. c. 13: *Justorum mens semper solicita venturo examini intendit, omne enim quod agunt, metuunt, dum considerant, ante quantum judicem stabunt* etc. lib. 24. moral. c. 7: *Quid facient tabulae, quando tremunt columnae? aut quomodo virgulta immobilia stabunt, si hujus pavoris turbine etiam cedri quatiuntur?* Anselmus lib. de miseria hominis: *In toto me angustiae, hinc erunt peccata accusantia, inde terrens justitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus judex, intus urens conscientia, foris ardens mundus. Justus vix salvabitur, peccator sic deprehensus in quam partem se premet? constrictus ubi latebo? quomodo apparebo? latere erit impossibile, apparere intolerabile.* Franco Affligeniensis de gratia Dei tom. 9. bibl.: *Timeat homo tremendi judicii futuram discussionem, in qua cum memorata fuerint praerogata nobis dona pietatis, districta animadversione exigendum est a nobis et debitum congruae servitutis. Commemorabuntur ante tribunal judicis dignitas conditionis, caritas redemtionis, effusio pretiosi sanguinis, adoptio filiorum, promissa beatitudo regni coelorum; commemorabuntur et ad implenda praecepta, collata subsidia, hostis imbecillitas, nostra desidia. O quanta tunc erit confusio trepidante conscientia!* Bernhardus serm. 8. in Psalm. Qui habitat: *Quid tam pavendum, quid tam plenum anxietatis et vehementissimae solicitudinis excogitari potest, quam judicandum adstare illi tam terrifico tribunali et incertam adhuc exspectare sub tam districto judice sententiam? horrendum est, ait apostolus, incidere in manus Dei viventis* etc. serm. de undecim oneribus: *Qui tempus misericordiae negligit, judicii tempus formidet, quia is qui per misericordiam nos redemit, per justitiam judicabit.* serm. 55. in Cant.: *Time scrutinium judicis, time oculos capreae, time illum, qui per prophetam Sophoniam c. 1. dicit: Et erit in die illa, et ego scrutabor Jerusalem in lucernis. Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus ejus, scrutabitur renes et corda, ipsaque cogitatio*
308. *hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, si Hierusalem manet scrutinium?* lib. de interiori domo c. 38: *Ipse judex erit districtus accusator tuus. Omnes etiam spiritus boni et mali coram Deo te accusabunt cum eo, boni, quia Deo debent aequitatem, mali, quia tuam servant iniquitatem. Tot judicibus et populis adstabis, quot praecesserunt te in opere bono; tot arguentibus confunderis, quot tibi praebuerunt bene vivendi exemplum; tot convinceris testibus, quot te monuerunt bonis sermonibus et justis actionibus. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuae et cunctis agminibus patebunt universa scelera tua, non solum actuum, verum etiam cogitationum et locutionum. Multa vero peccata tunc proruent ex improviso, quasi ex insidiis, quae modo non vides et forsitan plura et terribiliora his, quae nunc vides. Undique erunt tibi angustiae, hinc erunt accusantia peccata, inde terrens justitia* etc. *In tanto discrimine torquebit te tua conscientia male sibi conscia, cruciabunt cordis arcana. Cogente etiam conscientia tu ipse eris accusator et judex tuus. Convictus teste propria conscientia et testibus oculis ipsius judicis fugere non poteris, sed tremens et anxius stabis suspensus ad gravissimam sententiam in angusto periculo et in periculosa angustia, tanquam illico recepturus, quod in perpetuum amittere non poteris. Judex tunc erit vehementer iratus et terribiliter districtus, sententia ejus semel lata erit immutabilis, tortores horribiles, qui nunquam miserentur, erunt parati, ut data sententia te damnatum ad tormenta rapiant* etc. Innocentius lib. 2. de contemtu mundi c. 15: *O quantus tunc erit timor et tremor, quantus erit fletus et gemitus! Nam si columnae coeli contremiscunt et pavent ad nutum ejus et angeli pacis amare flebunt, peccatores autem quid facient? Si justus vix salvabitur, impius et peccatores ubi comparebunt? Propterea clamat propheta: Ne intres in judicium cum servo tuo Domine etc. Quis enim non timeat judicem potentissimum, sapientissimum et justissimum? Potentissimum, quem nemo potest effugere; sapientissimum, quem nemo potest latere; justissimum, quem nemo potest corrumpere. Si fortitudo quaeritur, robustissimus est, sapiens corde et fortis robore; si aequitas judicii, nemo audebit pro me testimonium reddere* etc. Dionysius Carthusianus in lib. de quat. noviss. art. 16: *Hoc judicium multo terribilius est ipsa morte corporali ac temporali, imo et poenis inferni ad tempus, prout sanctus Job dixit: Quis mihi tribuat, ut in inferno protegas et abscondas me, donec pertranseat furor tuus? Tanta est, ut dixit S. Macarius, terribilitas divini judicii, quod si quis digne illud perpendat, ossa ejus carni suae prae timore vix adhaerebunt.* Lutherus tom. 4. Jenens. Lat. fol. 365: *O quantum erit istud consistorium, quod majestate divina apparente et tot millibus angelorum celebrabitur? et quanto majoris majestatis tanto majoris terroris et horroris erit impiis.* Confer ea, quae de forma judicii, cumprimis de manifestatione omnium operum et accusatione diaboli in judicio dicta sunt superius §. 59.

121. 2. *In specie* revocat nos novissimi adventus Christi et extremi judicii meditatio 1. *a crapula et ebrietate. Attendite vobis*, ait Christus de hoc judicio disserens Luc. 21, v. 34. *ne graventur corda vestra crapula et ebrietate, ac superveniat in vos dies illa repentina*, v. 35. *tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis*

terrae. Conjungit Salvator *μέθην καὶ κραιπάλην*, quod Lutherus reddidit Fressen und Saufen. *Μέθη* est ebrietas adhuc durans et molestia carens, in qua ebrii adhuc luxuriantur et lasciviunt; *crapula*
XIX. 309. designat mala, quae ex antegressa ebrietate homines divexant, qualia sunt dolor capitis, eructatio, vomitus, foedus anhelitus etc. Est enim *κραιπάλη*, ex qua crapulae nomen formatum, proprie gravedo illa capitis ex nimio potu, qua caput quasi vibratu quodam concutitur, dicta ex eo, quod *τὸ κάρα πάλλει*, notante Galeno in comm. aphor. Hippocr. ut sic ex consequente antecedens et ex effectu causa intelligatur, ac nomine *crapulae* nimia cibi potusve ingestio prohibeatur. Syrus reddidit אַסוֹטוּתָא, quae vox exponitur per Hebraicam זוֹלְלוּת, *comessatio*, sicut et Galat. 5, v. 21. *μέθαι καὶ κῶμοι* conjunguntur, ac vox illa Syriaca ut plures aliae mutuo sumta est a Graecis et formata ex voce *ἀσωτία*, ut colligitur ex Eph. 5, v. 18. Quidam exponunt per figuram *ἓν διὰ δυοῖν cavete ab ebrietate et crapula*, hoc est ab ebrietate, quae gignit crapulam. Quare vero notanter et in specie ac ebrietate Christus nos dehortetur, ejus rei causam in ipsa prohibitione exponit. *Attendite*, inquit, *vobis ipsis, ne corda vestra graventur crapula.* Per ebrietatem cor nostrum velut pondere quodam gravatur, ne per preces et devotionem ad Deum sese elevare possit, cum tamen in debita ad diem judicii praeparatione vel maxime requiratur precatio. Sicut avicula, cui grave aliquod pondus est alligatum, non potest se sursum elevare, sic cor gravatum crapula non potest Deo appropinquare. *Sicut erat in diebus Noë, edebant et bibebant*, hoc est comessabantur ac pergraecabantur, *ita quoque erit adventus Filii hominis* Matth. 24, v. 38. ex quo intelligitur, quod crapula et ebrietas ante diem novissimum futura sint maxime vulgaria, Christus igitur dilectos suos serio praemonere voluit, *ne mundo sese conformarent* Rom. 12, v. 2. *sed ab eo immaculatos sese servarent* Jac. 1, v. 27. Ad dextram in die novissimo statuentur, qui esurientes paverunt, sitientes potarunt, vel in fame et esurie patientes fuerunt; sed ad sinistram collocabuntur, quos in voracitate et ingluvie, in comessationibus et ebrietate dies novissimus deprehendet. *Quemadmodum non possumus duobus dominis servire, Deo et mammonae* Matth. 6, v. 24. *sic non possumus spiritu pariter impleri et vino,* ait Hieronymus in c. 3. Eph. Ceterum quia ratio praecepto Christi addita generalis est, *ne graventur corda*, ideo sub crapulae et ebrietatis nomine recte prohibitae intelliguntur libidines lasciviae, voluptates carnales, quae ebrietati sunt connexae vel eandem etiam sequuntur, *quia venter mero aestuans cito despumat in libidinem*, quibus non minus cor gravatur, quam crapula et ebrietate. 2. *A cura victus et rerum terrenarum aviditate.* Luc. 21, v. 34: *Attendite vobis, ne corda vestra graventur curis hujus vitae.* Per *τὰς μερίμνας βιωτικάς* intelligit Christus omnes illas curas, quae nos distrahunt ac divexant in vita vel *conservanda*, ut est cura de victu et amictu Matth. 6, v. 25. vel *ornanda*, ut avaritia, ambitio, superbia etc. Basilius in *ἀσκητ.*: *πᾶσα μέριμνα κἂν μηδὲν ἔχειν δοκῇ τῶν ἀπηγορευμένων, μὴ συντελῇ δὲ πρὸς θεοσέβειαν, βιωτική ἐστιν, omnes curae, etiamsi nihil eorum, quae vetita sunt, habere videantur, non proficiant tamen ad pietatem et cultum divinum, vitae hujus curae sunt. Sicut erat in diebus Noae et Lothi, nubebant et nuptui dabantur, emebant, vendebant, plantabant et aedificabant*, hoc est curis hujus vitae penitus immersi erant et de vita corporali conservanda, producenda, exornanda, in deliciis et voluptatibus peragenda unice soliciti erant;
ita quoque erit adventus filii hominis Matth. 24, v. XI
38. Luc. 17, v. 27. et 28. Quemadmodum senectutis vitium proprium est avaritia, sic cupiditas divitiarum et rerum terrenarum desiderium in effeta mundi senecta vel maxime crescet, sed hisce curis corda non minus quam crapula et ebrietate gravantur, quo minus per preces et desiderium coelestium ad Deum elevari possint. *Amor rerum terrenarum est viscus spiritualium pennarum.* Contra vero sponsa Christi *oculos habet columbarum* Cant. 4, v. 1. Si esca proponatur columbae, edit quidem granum unum post alterum, sed comesto uno grano oculos semper elevat in altum; sic pius homo, qui in Deo dives est, quoties Deus ipsi benedicit et novum donum confert, oculos cordis ad Deum elevat, quo pertinet verbum *ἀνακύψατε* a Christo usurpatum Luc. 21, v. 28. *Mementote uxoris Loth*, dicit Salvator noster Luc. 17, v. 32. ea enim in statuam salis, cum retrospiceret, conversa moneat nos, ne illicito desiderio ad terrena respiciamus. Augustinus in Psalm. 75: *Facta est statua salis, ut illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non sint fatui, non retrospiciant.* 3. *Ab immisericordia et crudelitate.* Terreant nos hoedi ad sinistram constituti, non quia rapuerunt, sed quia non paverunt. Si in die judicii inter hoedos numerandi sunt, qui esurientes non cibarunt, multo magis inter eos computandi erunt, qui proximum defraudarunt ac panem suum ipsi abstulerunt. Confer ea, quae de forma judicii dicta sunt superius §. 60. 4. *Ab injustitia et iniquitate.* Si tanta percussione digna est pietas non impensa, perpende, quid mereatur injustitia illata? Bernhardus epist. 1. ad Robertum: *Veniet, veniet, qui male judicata rejudicabit, illicite jurata confutabit, qui faciet judicium injuriam patientibus, qui judicabit in justitia pauperes et arguet in aequitate pro mansuetis terrae. Veniet pro certo, qui per prophetam minatur in psalmo dicens: Cum accepero tempus, ego justitias judicabo. Quid faciet de injustis judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit? Veniet, inquam, veniet dies judicii, ubi plus valebunt pura corda quam astuta verba, et conscientia bona quam marsupia plena, quandoquidem judex ille nec falletur verbis, nec flectetur donis. Discedite a me,* dicturus est judex, *discedite omnes, qui operamini iniquitatem* Matth. 7, v. 23. veniet enim, *ut ferat judicium adversus omnes et arguat impios omnes*

de omnibus operibus impietatis eorum epist. Jud. v. 15. *tunc fiet unicuique retributio manuum suarum* Esa. 11, v. 3. *et qui injuriam fecit, recipiet id, quod inique gessit* Col. 3, v. 25. 5. *Ab hypocritica calliditate.* Eccur

Astutam vapido gestas sub pectore vulpem,
Ore aliud referens, aliud sub pectore condens?

Christus judex justus vulpinam tibi aliquando detrahet et consilia cordium secretissima in apertam lucem collocabit etc.

:hor- ius. 122. 2. Usus παραινετικός sive *exhortatorius* itidem duplex est, *generalis et specialis.* 1. In genere meditatio extremi judicii excitet nos 1) *ad poenitentiam,* Psalm. 7, v. 12: *Deus judex justus, Deus minitans per singulos dies;* v. 13. *nisi conversi fueritis, gladium suum acuit, arcum suum tetendit et adaptavit illum.* Actor. 17, v. 30: *Annuntiat Deus omnibus ubique hominibus, ut agant poenitentiam,* v. 31. *eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem terrarum in aequitate.* Insperatus
L. 311. ac repentinus erit judicis adventus, eccur igitur poenitentiam de die in diem differimus? Sola poenitentia est, quae nos judici reconciliat, quae peccatorum condonationem impetrat, quae damnationis sententiam avertit. In hac vita patent adhuc conversionis portae, quae in die judicii erunt clausae. Chrysostomus homil. 48. ad popul. Antioch.: *Unusquisque vestrum, carissimi, suam ingressus conscientiam et peccata reputans diligenter a semetipso poenas exigat, ne quandoque cum orbe terrarum condemnemur.* homil. 5. de poenitent.: *Responde judici, priusquam in praetorium veniat. An ignoras eos, qui judicem mitigare volunt, non ipso in examine causae, sed priusquam judicii ingrediatur locum, benevolum sibi faciunt vel amico mediatore, vel praesule, aut modo alio sibi judicem conciliant? Igitur et Deo non sessionis tempore suadendum erit judici, ante judicii tempus mitigabilis est judex, hic eum exorabimus et placabimus* etc. Hieronymus in Psalm. 49: *Utinam nos in hoc seculo poneremus ante nos peccata nostra et non Deus ea in judicio statueret ante faciem nostram, ubi jam non castigatio, sed judicium mortis accedet.* Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 188: *Si coelum instar libri convolvitur et astra cadunt et Orion et terra et omnia, quae ipsius complexu coërcentur, igne conflagrant cunctaque nuda et aperta magno illi Dominicae praesentiae diei praeparantur, ecquid incuria laboras ac non ut rationes redditurus te praeparas, verum ut criminum expers atque incognitus futurus poenitentiam differs?* Augustinus in Psalm. 51: *Hodie te corrige, qui vivus es, nam qui judex tuus futurus est, ipse hodie advocatus tuus est.* sermon. 35. de verb. apostol.: *Bene nobiscum ageretur, si jam nunc sic poeniteremus super malis nostris, quomodo tunc sine ullo remedio poenitebimus; si foeditates et confusiones nostras quemadmodum tunc visuri sumus, sic jam eas videre et horrere possemus.* Confer eundem in enarrat. Psalm. 127. Gregorius lib. 14. moral. c. 30: *Vitari terror judicis non nisi ante judicium potest, modo non cernitur, sed precibus placatur. Cum vero in illo tremendo examine sederit, et videri potest et placari jam non potest, quia facta pravorum, quae diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus.* homil. 1. in evang.: *Illum diem, fratres carissimi, tota intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, perpetrata autem fletibus punite. Adventum namque aeterni judicis tanto securiores quandoque videbitis, quanto nunc districtionem illius timendo praevenitis.* Bernhardus sermon. 8. in Psalm. Qui habitat: *Judicemur interim fratres et terribilem illam exspectationem praesenti studeamus declinare judicio. Non judicabit Deus bis in id ipsum.* sermon. 55. in Cantic.: *Si nosmetipsos dijudicaverimus, non utique dijudicabimur. Bonum judicium, quod me illi districto divinoque judicio subducit et abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis. Volo vultui irae judicatus praesentari, non judicandus. Judicabo proinde mala mea, judicabo et bona, scrutabor vias meas et studia mea, quo is, qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me sine discussione inveniat.* Hugo lib. 1. de anim. c. 2: *Quanto diutius nos Deus exspectat ut emendemus, tanto districtius judicabit, si neglexerimus.* Peccatorum desideria, vitiosi affectus, concupiscentiae carnis sunt vulpeculae, illae per memoriam novissimorum cum flamma ultrice colligatae immittantur in segetes peccantium, ita exurentur et vindicta de diabolo et carne erit sumta, Jud. 15, v. 5. 2) *Ad vigilantiam.* Christus multoties ingeminavit illud suum *γρηγορεῖτε καὶ ἀγρυπνεῖτε* Matth.
24, v. 42. c. 25, v. 13. Marc. 13, v. 35. et 37. Luc. XIX. 312.
21, v. 36. Apoc. 3, v. 2. c. 16, v. 15. ac diserte addidit: *Quod vobis* (apostolis) *dico, omnibus dico, vigilate.* Ex ore Christi seriam illam exhortationem ad vigilantiam repetiverunt apostoli 1. Thess. 5, v. 6: *Non dormiamus sicut ceteri, sed vigilemus et sobrii simus* etc. 1. Petr. 4. v. 7: *Omnium finis appropinquavit, σωφρονήσατε οὖν καὶ νήψατε εἰς τὰς προσευχάς.* 1. Petr. 5, v. 8: *Sobrii estote, vigilate.* Basilius in moral.: *ἴδιον Χριστιανοῦ τὸ ἐφ᾽ ἑκάστης ἡμέρας καὶ ὥρας γρηγορεῖν καὶ ἐν τῇ τελειότητι πρὸς θεὸν εὐαρεστήσεως ἕτοιμον εἶναι, εἰδότα, ὅτι ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖ, ὁ κύριος ἔρχεται.* Complectitur autem vera vigilantia 1. *quotidianam temperantiam. Νήφειν* et *vigilare* et *sobrium esse* significat, quia ebrietati ac somno et sobrietati cum vigilia est maxima cognatio. 1. Thess. 5, v. 7: *Qui dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.* Quando igitur Christus et apostoli vigilantiam praecipiunt, eadem etiam opera temperantiae studium praescribunt, unde *νήφειν καὶ γρηγορεῖν* arctissimo nexu conjunguntur 1. Petr. 5, v. 8. 2. *In precibus constantiam.* Luc. 21, v. 36: *Vigilate orantes.* In nobis ac nostris viribus non est in judicio illo consistere, a Domino igitur hanc gratiam impetremus, sed medio alio impetrare non possumus quam fideli

precatione, quia fluenta divinae gratiae non nisi per canales orationis ad nos descendunt. Ad serias vero preces animi ardor ac cordis vigilantia requiritur. 3. *Solicitam curam ac providentiam*, qua Satanae et mundi insidiae ac carnis peccatricis illecebrae vitentur. *'Ανακύψατε, sursum respicite*, ait Salvator Luc. 21, v. 28. In quo verbo est pulcherrima metaphora ducta ab aviculis, quae cibum capientes identidem sursum respiciunt, ne ab accipitre invadantur; sic pii cum noverint, se infernalis accipitris insidiis esse expositos, sursum ad Dominum cor suum elevare et solicite ambulare debent. *Videte, quomodo ἀκριβῶς, caute, exacte et solicite, ambuletis*, inquit apostolus, *non ut insipientes sed ut sapientes* Eph. 5, v. 15. Col. 4, v. 5. *scientes, quod dies novissimus instar laquei superveniet in omnes, qui sedent super faciem universae terrae* Luc. 21, v. 35. Quando rete aucupis expanditur, aviculae advolant, cantillant, secure grana legunt, sed subito et inexspectato reti concluduntur; sic in impios terrenis rebus unice affixos, securos et timoris Dei vacuos dies novissimus instar laquei superveniet et inextricabili malo ipsos involvet, quae enim laqueo tenentur, insolubiliter captivari videntur. Haec Christi verba sunt profecto horribilia tonitrua adversus securitatem; metuamus ergo fulmen igneum, quod in die judicii adversus impios erit vibrandum. *Ninivitae nisi timuissent, subversi fuissent; generi Loth, quia non timuerunt, perierunt.* 4. *Securitatis fugam.* Securitas est animae quidam lethargus, vigilare igitur dicitur, qui excusso securitatis veterno adventum Domini vigilanter exspectat. Gregorius homil. 13. in evang.: *Vigilat, qui ad adspectum veri luminis mentis, oculos apertos tenet; vigilat, qui servat operando, quod credit; vigilat, qui a se torporis et negligentiae tenebras pellit.* Hoc modo vigilantiam interpretatur ipse Christus Matth. 24, v. 44: *Estote parati.* Luc. 12, v. 35: *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes*, v. 36. *et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis, ut, cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant illi* etc. 1. Thess. 5, v. 8: *Nos qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei et caritatis et galeam spem salutis.* Sicut milites
XIX. 313. in excubiis constituti arma sua non suspendunt ex pariete, sed induunt; sic pii spiritualibus armis induti in perpetuis consistant excubiis.

123. 2. In specie prodest meditatio judicii 1) *ad beneficentiam.* Qui esurientes paverunt, sitientes potaverunt et fidem suam fructibus caritatis ac beneficentiae testatam reddiderunt, illi ad dextram judicis constituti audient: *Venite benedicti, possidete regnum* etc. Confer ea, quae superius ex veteribus adducta §. 56. 2) *Ad debitam in laboribus vocationis diligentiam.* Qui talento divinitus sibi concredito fuerit plurimum lucratus, is dulcissimam illam vocem audire poterit: *Euge serve bone et fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* Matth. 25, v. 21. et 23. Luc. 19, v. 17. *Unusquisque propriam accipiet mercedem secundum suum laborem* 1. Cor. 3, v. 8. Gersonius part. 1. consid. 9. an monachus pro studio possit negligere divina: *In hoc judicio non interrogabimur, quantum fuerit intellectus noster acutus et eruditus, sed qualis fuerit affectus noster ad Dominum Deum nostrum, h. e. quam simplex, quam rectus, quam pius, humilis et devotus quamque spontaneus et fidelis in Dei servitio secundum eam vocationem, quam vocatus fuerit divinitus.* 3) *Ad fraternam concordiam.* Oves pacificae ad dextram, sed petulci ac pugnaces hoedi ad sinistram judicis statuentur. Non poterunt in die judicii ad hereditatem Domini pervenire, qui testamentum concordiae et pacis a Domino traditum in terris noluerint observare. 4) *Ad deprimendam in propria merita fiduciam.* Psalm. 143, v. 2: *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Hieronymus lib. 2. adv. Pelag.: *Nullus intrepidus vadit ad judicium Domini habens conscientiam peccatorum* etc. *Luna erubescit, sol confunditur, coelum operitur cilicio, et nos intrepidi atque laetantes, quasi omni careamus vitio, occurremus judicis majestati, quando tabescent montes, erecti videlicet in superbiam, et omnis militia coelorum vel astra vel angelicae dignitates et complicabuntur sicut liber coeli et omnis exercitus eorum instar foliorum defluet?* in comment. c. 5. Amos: *Vae desiderantibus diem Domini. Decutitur confidentia superborum, qui ut apud homines justi appareant, solent diem exspectare judicii et dicere, utinam veniat Dominus etc. Cum igitur nemo possit de Dei judicare judicio et de otioso quoque verbo reddituri simus rationem et Job quotidie pro filiis suis obtulerit hostias, quae temeritas est audire cum Corinthiis, sine nobis regnatis.* Augustinus in libro de praefect. justit. contra Coelestin. tom. 7: *Quis gloriabitur, castum se habere cor? Proverb. 20. Hoc dixit, quoniam praecessit, cum rex justus sederit in throno. Quantalibet enim justitia sit praeditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, cum rex justus sederit in throno, cujus cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa, de quibus dictum est: delicta quis intelligit? Quis ergo tunc gloriabitur, se castum habere cor aut mundum se esse a peccato?* in enarrat. Psalm. 6: *Regius vates in die judicii nec argui vult nec corripi.* Gregorius lib. 8. moral. c. 9.: *Justi perituros se absque ambiguitate praesciunt, si remota pietate judicentur, quia hoc ipsum quoque, quod juste videmur facere, culpa est, si culpam nostram dum judicat, hanc apud se divina misericordia non excusat. Bene ergo justi voce dicitur, oculi tui in me, et non subsistam, hoc est si subtili examinatione discutior, ad perferendum judicium non assurgo.* Bernhardus sermon. 27. in Cantic.: *Si iniquitates in die judicii observaverit, etiam electorum quis sustinebit? Astra non sunt munda* XIX.
in conspectu ejus et in angelis suis reperit pravitatem.

[C]onsola-[t]orius. 124. Usus *παραμυθητικός* sive *consolatorius* duplex est, 1. *ad confirmandam spei et salutis nostrae fiduciam*, 2. *ad roborandam patientiam.* Hunc usum demonstramus 1. *a suavissima hujus diei denominatione.* Vocatur enim dies *ἀπολυτρώσεως* Luc. 21, v. 28. Roman. 8, v. 23. Ephes. 4, v. 30. (quia tum demum plena et perfectio a peccato et omnibus malis a peccato ortis *liberatio* per Christum continget); tempus *ἀναψύξεως* Actor. 3, v. 19. *ἀναψύχειν* est *refrigerare*, *eventilare*, *desiccare* et per metaphoram *recreare* animique deliquio cessante se recolligere et iterum quasi animari Exod. 8, v. 15. Psalm. 65, v. 12. Oseae 12, v. 8. Jerem. 49, v. 31. (significatur igitur, quod in die novissimo corpora animabuntur, lacrymae ab oculis piorum abstergentur, quies a labore et refrigerium ab aestu tentationum et persecutionum continget, et haec *ἀνάψυξις a facie Domini* orietur, quia adspectus judicis erit impiis formidabilis et terribilis, piis vero amabilis et instar cujusdam refrigerii sive etesiarum in aestu suaviter spirantium desiderabilis); tempus *ἀποκαταστάσεως πάντων*, cap. ejusdem v. 21. (Oecumenius *τὸ ἀποκαθιστάνειν* interpretatur *εἰς πέρας ἐλθεῖν*, quam interpretationem sequi videtur Syrus paraphrastes, reddidit enim לְמוּלָיָא, *complementum.* Graecis *ἀποκατάστασις* est ejus rei *in integrum restitutio*, quae jam olim decus suum misere deformata et destructa perdiderat ac velut simulacrum quoddam miseriae et vanitatis longo tempore exstiterat, verbi gratia si aedificii cujusdam incendio aliove casu destructi *ἐρείπια* ac rudera ruinarum materiam architectus aliquis industrius initio tollat ac deinde labore improbo, artificio singulari, sumtibus maximis arcem regalem eo loco aedificet, vel si exanime hominis corpus a latronibus miserandum in modum laniatum revocata quasi postliminio anima et vulneribus curatis demiurgus ille rerum omnium instauret et vivificet. Dies ergo novissimus erit tempus *ἀποκαταστάσεως πάντων*, quia *animabus* corpora e terrae pulvere suscitata restituentur ac reunientur, *piis* restituentur plene ac perfecte bona omnia, quae per lapsum Adami fuere amissa, *parentibus* restituentur liberi per mortem praemissi, *Deo* restituetur honor et gloria, quam princeps hujus seculi imminuere voluit Apocal. 12, v. 10. *angelorum ruinae* per beatam illam *ἀποκατάστασιν* implebuntur, ac piis restituetur regnum, cujus finis non erit futurus.) 2. *A consolatoria hujus diei descriptione.* Luc. 21, v. 31: *Cum videritis haec fieri, scitote, quoniam prope est regnum Dei* (intelligitur *regnum gloriae* in vita aeterna, in cujus plenariam possessionem pii per hanc Christi *παρουσίαν* introducentur. Exordium hujus regni praecedit in hac vita, unde ecclesia saepius vocatur *regnum coelorum*, sed complementum et perfectio succedet in die novissimo, quia beata illa quies et gloria sempiterna piis promissa sub spe abscondita est in ultimum usque diem Col. 3, v. 4. 1. Joh. 3, v. 2.). Apocal. 19, v. 7: *Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae agni* (sicut desponsationem suo tempore sequuntur nuptiae ac deductio in domum, sic Christus ecclesiam sponsam, quam per Spiritus sancti arrham in hac vita sibi desponsavit, in die novissimo in coelestia tabernacula introducet). Col. 3, v. 4: *Cum Christus apparuerit* (in ultimo suo adventu, qui *ἐπιφάνεια, ἀποκάλυψις καὶ φανέρωσις* vocatur, ut in *ὀνοματολογίᾳ* fuit demonstratum), *vita vestra* (a quo non tantum naturalem sed etiam spiritualem vitam accepistis, qui aeternae vitae promissionem vobis dedit), *tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (quia *transfigurabit corpus vestrum humile, ut conforme illud reddat corpori suo glorioso).* Phil. 2, v. 16: *Ut gloriari possim in die Christi, quod non in vanum cucurrerim.* 1. Thess. 2, v. 19: *Quae est nostra spes aut gaudium aut corona gloriae? nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis in adventu ejus?* Ergo fideles ecclesiae doctores de conversione multorum in die novissimo laetabuntur ac gloriabuntur. 2. Tim. 1, v. 18: *Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in die illa.* Ergo dies illa piis erit dies gratiae et misericordiae, impiis autem dies judicii et justitiae. 2. Tim. 4, v. 8: *Coronam gloriae reddet Dominus in illa die omnibus diligentibus adventum suum.* Ergo dies illa est piis dies coronae, non autem irae (qui bonum certamen certarunt ac victoriam reportarunt, non metuunt agonothetam, sed diligunt, coronam enim sibi ab ipso paratam sciunt; sed qui ab adversario victi sunt, judicium formidant, quia non coronam sed ignominiam se reportaturos norunt). 1. Joh. 3, v. 2: *Nunc filii Dei sumus* (per fidem), *et nondum apparuit, quid futuri simus; scimus autem, quod cum apparuerit* (Christus Salvator noster), *tunc similes ei erimus* (*κατὰ ποιόν*, non *κατὰ ποσόν*), *quia videbimus eum, sicut est.* 3. *A Christi jussione.* Luc. 21, v. 28: *Attollite capita vestra* (non debetis ex moerore et tristitia caput dimittere, sed prae desiderio ac laetitia potius attollere). Per *τὸ ἐπαίρειν τὰς κεφαλάς* intelligitur non solum *debita ad hunc diem praeparatio*, quod pii cor suum a terrenis mature avertere, Christi reditum quotidie exspectare et sancta vitae conversatione sese praeparare debeant, sed etiam *laeta ejusdem exspectatio*, quod in vera fiducia omnia bona a Christo exspectare ac fidenti animo ad desideratam salutem anhelare debeant. Qui animo sunt moesto ac demisso, caput dejiciunt, qui laeto ac hilari, elevant. Gregorius homil. 1. in evang.: *Cum plagae mundi crebrescunt, cum terror judicii ostenditur, levate vos capita vestra, hoc est exhilarate corda.* 4. *A piorum conditione.* Pii *non sperant tantum in hac vita in Christum* 1. Cor. 15, v. 19; *sed ipsorum πολίτευμα est in coelis* Phil. 3, v. 20. *ideo cupide desiderant reditum Christi ad judicium* 2. Tim. 4, v. 8. diligunt ejus adventum, *exspectant beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris Jesu Christi* Tit. 2, v. 13. *exspectant et properant in adventu diei Domini* 2. Petr. 3, v. 12. Apocal. 6, v. 9 et 10. animae interfectorum propter verbum Dei subter altare anxie desiderant judicium extremum et vindicias sui sanguinis. *Spiritus et Sponsa dicunt, veni* Apocal. 22, v. 17. hoc

XIX. 315.

est quaevis vere fidelis anima, utpote Christi sponsa, quae arrhabonem Spiritus accepit, cupide desiderat sponsi coelestis adventum, sciunt enim, imo quotidie experiuntur vere pii, quod in hac vita velut in quodam carcere captivi teneantur, sed in die novissimo sequetur liberatio. Ut Christus ipsis in hac vita fuit *sapientia* ratione verbi, *justitia* respectu sanguinis et meriti sui, *sanctificatio* ratione Spiritus, quem in eos effudit opulente; sic etiam erit ipsis in die judicii *redemtio* respectu plenariae liberationis a peccati sensu, a corruptione corporis et ab omnibus periculis atque adversis. Hieronymus libr. 3. in comment. epist. ad Tit. c. 2: *Sicut impietas magni Dei reformidat adventum, sic pietas illum*
XIX. 316. *praestolatur.* 5. *A quotidiana precatione.* Christus salutis nostrae magister sic orare nos docuit, *adveniat regnum tuum* Matth. 6, v. 10. per hoc regnum intelligitur non tantum *regnum gratiae* in hac vita, sed etiam ac cumprimis *regnum gloriae* in futura vita. Orare nos docuit, *libera nos a malo* cap. ejusdem v. 13. haec liberatio plene et perfecte fit in die novissimo, quare cum in oratione Dominica quotidie petamus, adventum Christi ad judicium accelerari, ideo etiam gratum, exspectatum et consolatorium eum esse oportet, unde pie et graviter Lutherus pronuntiat tom. 5. Jenens. German. fol. 507: *Non potest esse verus Christianus nec recitare orationem Dominicam, qui non toto corde hunc diem desiderat.* 6. *Ab omnium causarum consideratione.* Causa efficiens judicii erit Christus in assumta natura humana ab omnibus conspiciendus, is vero est noster redemtor, mediator, salvator, advocatus, sponsus, caput, rex, sacerdos etc. Quomodo vero perderet populum suum *rex* clementissimus? quomodo sponsam suam damnaret *sponsus* benignissimus? quomodo membra sua dissiparet *caput* mitissimum? quomodo clientes suos accusaret *patronus* faventissimus? *Quis accusabit electos Dei? Deus est qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus Jesus est qui mortuus est, qui resurrexit, qui etiam est ad dextram Patris et interpellat pro nobis.* Roman. 8, v. 33. et 34. Si Christo pro nobis intercedente nullus est, qui accuset vel condemnet, quanto minus Christus ipse noster intercessor ac mediator condemnaturus est eos, quos in clientelam suam recepit. Non mutabit benignissimus ille mediator suum erga nos animum in die judicii, sed ut pios in hac vita et in morte paterno amore complexus est, ita quoque *diliget eos usque in finem* Joh. 13, v. 1. illi *omne judicium datum est*, cui electi a Patre coelesti dati sunt salvandi et glorificandi; ad illius tribunal sistemur, qui est noster salvator et redemtor, cujus beneficia in verbo evangelii oblata fide recepimus et hunc judicem ante tempus judicii placavimus. Vide Ezech. c. 1, v. 10. *Cherubinum cum facie hominis et leonis;* sic Christus in die judicii amicus et humanus erit piis, terribilis vero instar leonis erit impiis. *Assessores judicii* erunt ipsimet pii et sancti. Penes eum erit judicium, qui nos sibi in judicando honoris quodammodo consortes destinavit, tantum abest, ut ad nostri condemnationem ipsum tribunal conscensurum esse metuere debeamus. *Materia sive objectum* judicii sunt fides et infidelitas, opera bona et mala; atqui pii vera fide Christo in hac vita adhaeserunt et fidem suam per caritatem et bona opera demonstrarunt, ergo non cogentur metuere damnatoriam sententiam; peccata ipsorum projecta sunt in profundum maris, sunt sanguine Christi deleta etc. ergo non cogentur metuere, ne in conspectum angelorum et hominum producantur et in districtum rigoris examen revocentur. *Forma judicii* sic describitur, quod judex piis ad dextram constitutis sit dicturus: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod paratum vobis a constitutione mundi.* Quaenam jucundior aut exoptatior vox audiri posset? *Finis judicii est*, ut pii ab omnibus malis et periculis liberati perfecta justitia et sanctitate donati in vitam aeternam introducantur. Hebr. 9, v. 28: *Christus secundo apparebit sine peccato exspectantibus se εἰς σωτηρίαν.* Pulchre Lutherus in postill. eccles. dominic. II. Advent.: *Non est quod ab hoc die metuamus, cum ejusdem quasi animi et propositi sit nobiscum. Cupimus nos et anxie desideramus libe-* XI
rari a peccatis, hoc beneficium nobis continget in illo die etc. 7. *A benevola promissione. Qui credit in Filium, non judicatur* Joh. 3, v. 18. *Qui verbum meum audit et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam et in judicium non venit* Joh. 5, v. 24. *Non posuit nos Deus ad iram, sed in acquisitionem salutis per Christum Dominum nostrum, qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus* 1. Thess. 5, v. 9. et 10. Quis alius harum promissionum evangelicarum finis, quam ut contra terrorem divini judicii animemur? 8. *A comparatione.* Noah cum suis in arca servatus non pertimescebat diluvium, Lothus non exhorrescebat Sodomiticum incendium, Israëlitae plagas Aegyptiacas ut signa proxime instantis liberationis intuebantur etc. Qui in captivitate Turcica detentus adventum Christiani principis liberatoris sui in propinquo esse audit, nec militum clamore, nec armorum fulgore, nec bombardarum fragore terretur, scit enim, liberationem suam praesto esse. 9. *A piorum veterum testificatione.* Macarius homil. 26: *ὀφείλει ἔχειν καθ᾽ ἡμέραν τ᾽ν ἐλπίδα καὶ τὴν χαρὰν καὶ τὴν προσδοκίαν τῆς μελλούσης βασιλείας καὶ ἀπολυτρώσεως καὶ λέγειν, ἐὰν σήμερον οὐκ ἐλυτρώθην, αὔριον λυτροῦμαι.* Ambrosius in libr. de Jacob. et vita beata c. 6: *Quomodo Christus eum damnabit, quem propria mors redemit?* Hieronymus in c. 4. Malach.: *Dominus judicii sanctis lux erit, peccatoribus tenebrae.* Chrysostomus homil. 2. in epist. Coloss.: *Christus illum diem noctem simul vocat et diem, noctem propter peccatores, diem propter justos.* Augustinus epist. 142: *Impii dicent montibus, cadite super nos, et collibus, operite nos, et petris, aperite vos nobis; verum haec eorum sint, qui variis hujus mundi detenti curis de mundi non cogitant fine. Tu vero, cui*

adventus Christi dierum noctiumque meditatio est, qui consummationem seculi quasi certum praemii tui tempus exspectas, exsultationem de coelo capies, non timorem. in enarrat. Psalm. 100: *Formidandum erit malis judicium propter poenam, amandum bonis propter coronam.* in enarrat. Psalm. 147: *Si amamus Christum, utique adventum ejus desideremus. Perversum enim est et nescio utrum verum, quem diligis, timere, ne veniat; orare, adveniat regnum tuum, et timere, ne exaudiaris. Unde autem timor? quia judex venturus est? Numquid injustus? numquid malevolus? numquid invidus? numquid postremo ab altero exspectans nosse causam tuam, ne forte ille, quem instruxisti, vel praevaricatione te decipiat, vel minori facundia vel facultate deficiens innocentiae tuae bonum verbis demonstrare modo non possit? Nihil horum. Quis ergo venturus est? quare non gaudes? quis venturus est, judicare te, nisi qui venit, judicari propter te? Ne timeas accusatorem, de quo ipse dixit, princeps hujus mundi jam judicatus est. Non timeas malum advocatum, ille enim tibi modo advocatus est, qui tuus judex futurus est. Ille erit et tu et tua causa. Sermo causae tuae testimonium conscientiae tuae. Quisquis ergo futurum judicem times, conscientiam tuam modo corrige.* serm. 119. de temp.: *Confiteamur Salvatorem, ne timeamus judicem. Qui enim modo in eum credit et praecepta ejus facit et diligit eum, non timebit, quando veniet, judicare, vivos et mortuos. Non solum non timebit, sed ut veniat optabit. Quid enim nobis felicius quam quando*
XIX. 318. *venit, quem desideramus? quando venit, quem amamus?* **Et postea: *Qui modo est advocatus, ipse tunc erit judex noster. Audi Johannem: Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, et ipse est exoratio peccatorum nostrorum. Si haberes causam apud aliquem judicem agendam et instrueres advocatum, esses susceptus ab advocato, ageret causam tuam, sicut posset. Et si non illam finisset et audires, illum judicio venturum, quam gauderes, quia ipse potuit esse judex tuus, qui paulo ante advocatus tuus? et modo ipse pro nobis interpellat. Advocatum enim habemus, et judicem timeamus? imo quia advocatum praemisimus, securi judicem venturum speremus.*** Est et hoc Augustini: *Domine, horribilis est adventus tuus et formidabilis est majestas tua. Ego quoque tuam timerem justitiam et judicium, nisi faciem tuam antecederet misericordia et veritas. Misericordia tua delet peccata mea, veritas tua praestat, quam peccatori in vulneribus tuis recumbenti promisisti gratiam.* Prosper lib. de promiss. c. 17: *Adventus Filii Dei sicut bonis infert laetitiam, ita malis exitium.* Bernhardus serm. 27. in Cant.: *Deum nobis absque homine exhibentem nemo hominum ferret, utpote claritate inaccessibilem, celsitudine inattingibilem, incomprehensibilem majestate; nunc vero cum exarserit brevi ira ejus, quam grata propter filios gratiae apparebit blanda quaedam visio hominis, spei robur, fiduciae augmentum, quod scilicet gratia et misericordia sit in sancto ejus et respectus in electos ejus. Ipse Pater Deus dedit Filio judicii potestatem, et non quia suus sed quia hominis Filius est. O vere Patrem misericordiarum, vult per hominem homines judicari, quo in tanta trepidatione et perturbatione malorum electis fiduciam praestet naturae similitudo?* Lutherus in post. eccles. super epist. nativ. Dom.: *Idem administrabit judicium, qui se pro nobis in mortem tradidit, nec abnegabit se ipsum, sed confitebitur, se pro peccatis nostris satisfecisse. Judex ipse confitebitur, se sustulisse peccatum, quid igitur proficere poterit peccatum suis accusationibus?* etc.

125. Quod ergo veteres dicunt, *etiam piis et sanctis tremendum esse illud judicium,* Basilius in Psalm. 33. Gregorius homil. 7. in Ezech. etc. illud est accipiendum 1. non de *timore servili*, qui cum vera in Christum fiducia non consistit, sed de timore *filiali.* Ut enim pii in Scriptura sic describuntur, quod Deo confidant et simul etiam Deum timeant, ita quoque meditatio divini judicii et fiduciam in illis confirmat et verum Dei timorem excitat. 2. Nec *ratione spiritus,* juxta quem cupide et cum exsultatione hunc diem desiderant, sed ratione *carnis,* quam quotidiana hujus judicii meditatione crucifigunt ac mortificant. Phil. 2, v. 12: *Cum timore et tremore operemini salutem.* Athanasius in vita Antonii: *Formido judicii et poenarum timor horridus, simul et lubricae carnis intima dissolvit et ruentem animam quasi ex aliqua rupe sustentat.* 3. Nec *sensu pontificio*, quasi perpetuo de gratia Dei et peccatorum remissione propter diem illum judicii piis sit dubitandum vel quasi in extremo judicio merita operum bonorum et malorum sint in lance simul expendenda, vel quasi Christus *tantum ut condemnet, non autem ut salvet, judicis tribunal sit conscensurus,* Suarez in concil. super Apoc. p. 557. sed *sensu pio et orthodoxo,* quod memoria judicii vigilantiae studium et peccati odium in piis debeat acuere. Psalm. 119, v. 120: *Horripilavit a timore tuo caro mea, a judiciis tuis timui.* Matth. 10, v. 28: *Timete eum, qui potest animam et corpus mittere in gehennam.* Actor. 24, v. 25. Paulo disserente *de extremo judicio* Felix redditur ἔμφοβος. XIX. 319.
Apoc. 14, v. 7: *Timete Deum et tribuite illi gloriam, quia venit hora judicii ejus.* 4. Nec in *sensu opposito*, quasi tantum metuendum sit illud judicium, sed in *sensu subordinato,* quod scilicet diverso respectu et metuendum et anxie desiderandum sit, cum utrumque a piis in Scriptura requiratur. Bernhardus sermon. 6. in Cant. *Duos pedes Dominus, et misericordiam et justitiam simul osculandos* monet etc. *quia recordatio solius judicii in barathrum desperationis praecipitat et misericordiae fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Ceterum ut meditatio judicii proficit *ad confirmandam in animis nostris fiduciam,* ita quoque prodest *ad roborandam patientiam.* Quodsi enim Christus in die judicii publice praedicabit bona piorum opera, multo

magis et praedicabit et remunerabit aerumnas, quas propter confessionem doctrinae patienti animo in hac vita sustinuerunt. 2. Thess. 1, v. 6: *Justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant*, v. 7. *et vobis, qui tribulationem sustinetis, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de coelo.* Jacob. 5, v. 8: *Patientes estote etiam vos, confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit.* Apoc. 19, v. 1: *Laus et gloria et virtus Deo nostro*, v. 2. *quia vera et justa sunt judicia ejus, qui judicavit de meretrice magna* etc. Gregorius homil. 19. in evangelia: *Illum diem, fratres carissimi, illum ante oculos ponite, et quidquid modo grave creditur, in ejus comparatione tolerabitur.*

CAPUT XI.

DEFINITIONEM EXTREMI JUDICII PROPONIT.

Definitio extremi judicii.

126. *Definitio* extremi judicii ex superioribus formari potest hujusmodi: Judicium extremum est actus solennis et publicus, in quo Deus juxta aeternum et immutabile suum decretum per Jesum Christum, in assumta natura humana visibiliter e coelo in nubibus comitantibus angelis omnibus cum gloria et majestate magna in die novissimo rediturum, omnes omnino homines mortuos et vivos, illos e pulvere terrae suscitatos, hos vero immutatos, ad tribunal suum congregabit, pios ad dextram, impios ad sinistram collocando ac utrique parti justam et ultimam sententiam promulgabit, illos, utpote qui in vera fide perseverarunt et bonorum operum, praesertim caritatis et beneficentiae testimonio eam comprobarunt, juxta evangelii promissionem in plenariam regni coelestis possessionem introducendo; hos vero, utpote qui impoenitentes et increduli ad finem usque vitae permanserunt ac mala egerunt, juxta legis damnationem cum malis angelis in ignem infernalem detrudendo. Hujus judicii extremi perpetuo memores suspiremus: *O Domine Jesu, in illa die libera nos a verbo aspero* et concede servis tuis propitius, ut laetam illam audiamus sententiam: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod paratum est vobis a constitutione mundi.* Tibi cum Patre et Spiritu sancto sit laus, honor et gloria in sempiterna secula, Amen.

Coronidis loco ex veteribus quaedam de extremo
XIX. 320. judicio ἀξιομνημόνευτα praeter ea, quae superius sunt adducta, subjungemus.

Nazianzenus in carminibus de parabolis quatuor evangelist. v. 67:

Σχιζομένων ἐρίφων καὶ οἰῶν ἤματι πικρῷ,
Ἀνδρῶν εὐσεβέων τε καὶ οὐχ ὁσίων ἑκάτερθεν,
Στήσαις μὴ μ' ἐρίφοις ἐναρίθμιον, ἀλλ' ὀΐεσσι
Δεξιτερὴν παρὰ χεῖρα, μέτοι τ' ἐνὶ χείροσι λαίη.

At cum grex ovium nigris dirimetur ab hircis
Horrendoque die tandem consistet utrinque
Justorum coetus perdendaque turba malorum;
Hircorum in numero ne me, Deus optime, quaeso
Pone, sed inter oves manuique adjungito dextrae,
Laeva malis tantum immineat etc.

De processu extremi judicii rhythmi quidam vetusti ἄμετροι καὶ ἀδέσποτοι.

Judicabit judices judex generalis,
Ibi nihil proderit dignitas papalis,
Sive sit episcopus sive cardinalis,
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis.

Ibi nihil proderit quidquam allegare,
Neque vel excipere, neque replicare,
Neque ad apostolicam sedem appellare,
Reus condemnabitur, nec dicetur quare.

Cogitate miseri, qui et quales estis,
Quid in hoc judicio dicere potestis.
Ubi non erit codici locus aut digestis;
Idem erit Dominus, judex, actor, testis etc.

Alii ejusdem generis, qui Bernhardo tribuuntur, sed in operibus ejus non habentur.

Expavesco miser multum
Judicis severi vultum,
Quem latebit nil occultum,
Nec manebit quid inultum.

Et quis nostrum non timebit,
Quando judex apparebit,
Ante quem ignis ardebit,
Peccatores qui delebit?

Rhythmos vetustos de judicio extremo, qui in XII
monasterio Francisci apud Mantuanos descripti extant, ex hodoepor. Nathanis Chytraei retulimus in tractat. de bonis operibus §. 107.

Quid genus aut species, quid honor, quid forma valebit,
Cum totus mundus Domino veniente pavebit?
Noster Aristoteles hic cum Platone jacebit,
Qualis in hac vita fuerit, tunc quisque videbit.

Innocentius III. in libr. de contemtu mundi.

Ecce dies Domini veniet crudelis et indignationis plenus et irae et furoris, ad ponendam terram in solitudine et peccatores ejus conterendos de ea, quoniam stellae coeli et splendor earum non expandent lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo et luna in lumine suo, et visitabo super orbem mala et contra impios iniquitatem et quiescere faciam superbiam infidelium et arrogantiam fortium humiliabo. Propter hoc omnes manus dissolventur et omne cor hominis tabescet et conteretur. Torsiones

et dolores tenebrarum tenebunt et quasi parturiens dolebunt, unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustae vultus eorum. Dies irae, dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies tubae et clangoris, quia consummationem cum festinatione faciet Dominus cunctis habitantibus terram. O quantus tunc erit timor et tremor, quantus erit fletus et gemitus! Nam si columnae coeli contremiscunt et pavent adventum ejus et angeli pacis amare flebunt, peccatores autem quid facient? Si justus vix salvabitur, impius et peccatores ubi parebunt? Propterea clamat propheta: Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Quis enim non timeat judicem potentissimum, sapientissimum et justissimum? Potentissimum, quem nemo potest effugere; sapientissimum, quem nemo potest latere; justissimum, quem nemo potest corrumpere. Si fortitudo quaeritur, robustissimus est, sapiens corde et fortis robore; si aequitas judicii, nemo audebit pro me testimonium reddere; si justificare me voluero, os meum condemnabit me. Pravum me comprobabit, etiamsi simplex fuero; ipse dixit et facta sunt; ipse mandavit et creata sunt, qui vocat stellas, et dicunt, adsumus; qui facit angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis. Cujus voluntati omnino nihil resistit, cui nullum verbum est impossibile, cui flectitur omne genu coelestium, terrestrium et infernorum. Hunc ergo potest fugere nemo, sicut dicit propheta: Si adscendero in coelum, tu illic es; si descendero ad infernum, tu ades. Ipse scrutatur renes et corda, cujus oculis omnia nuda sunt et aperta. Qui pluviae guttas et arenam maris dinumerat. Deus scientiarum Dominus, praescius omnium et conscius singulorum, occultus occultorum, omnium indagator. Hunc nemo potest latere, sicut dicit apostolus. Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Ipse est judex justus,
XIX. 322. fortis et longanimis, qui nec prece, nec pretio, nec amore, nec odio declinat a semita rectitudinis, sed via regia semper incedens. Nullum malum praeterit impunitum, nullum bonum irremuneratum relinquit. Hunc ergo nemo potest corrumpere, juxta quod dicit psalmus: Reddes singulis secundum opera eorum.

Meditatio extremi judicii.

Considera primum, quam futura sit dies illa terribilis, in qua aperientur causae omnes filiorum Adam nostraeque vitae cuncti processus concludentur, et ultima sententia de unoquoque decernetur, irrevocabilis in aeternum. Dies horribilis valde, quae omnium seculorum praeteritorum, praesentium ac futurorum dies complectetur, in qua mundus istorum omnium temporum rationem reddet, quam a tot jam seculis collectam habet. Quanto igitur impetu prorumpet copiosissimus ille fluvius indignationis divinae, qui tot irae et indignationis repressiones habuit, quot sunt peccata, quae ab initio mundi perpetrata sunt.

Secundo considera horribilia signa, quae hunc diem praecedunt in sole et luna et stellis et omnibus creaturis coeli et terrae. Omnes enim finem suum praesentient, antequam consumantur. Et homines ipsi arescent, et contabescent audientes et inspectantes tam portentosos motus tamque ingentes calamitates et miserias, quae toti mundo imminebunt. Atque ita incedent attoniti et obstupefacti, faciebus pallidis ac deformatis; ante mortem mortui et ante judicium condemnati, metientes pericula sua propriis timoribus. Usque adeo vero unusquisque suo proprio timore occupatus erit, ut non sit recordaturus alieni, tametsi Patris aut Filii. Nullus quippe erit passurus pro alio, quia nullus pro se sufficiet.

Tertio considera incendium illud universale, quod judicem praecedet, et horrendum illum sonitum tubae, quem edet archangelus ad convocandas omnes mundi generationes, ut in unum locum conveniant et horribili judicio praesentes adsint. Sed super omnia expende tremendam illam, in qua judex veniet, majestatem.

Quarto considera, quam stricta futura sit ratio, quae a singulis exigetur. Vere scio (inquit Job. c. 9.), quod ita sit, et quod non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Quid igitur sentiet tunc, cum Deus examen hoc cum illo ingredietur et intra conscientiae arcanum dicet ei: Adestum homo nequam, quid in me vidisti, quod ita me despexeris et ad inimici mei partes transieris? Ego te ad imaginem et similitudinem meam creavi, ego tibi fidei lumen sum largitus, ego tibi eam gratiam contuli, ut Christianus esses, meoque pretioso sanguine te redemi, pro te jejunavi, iter feci, vigilavi, laboravi et sanguineas guttas sudavi, pro te persecutiones, flagra, blasphemias, irrisiones, alapas, ignominias, tormenta et crucem ipsam passus sum. Testes sunt haec crux et hi clavi, qui hic comparent; testes haec manuum et pedum stigmata, quae in meo corpore remanserunt; testes coelum et terra, in quorum conspectu passus sum. Quid igitur fecisti cum hac anima tua, quam ego meam meo sanguine feceram? In cujus obsequium consumsisti, quod ego tam care comparavi? O generatio stulta et adultera, quare maluisti inimico tuo cum labore quam mihi creatori et redemtori tuo cum laetitia inservire? Quoties vocavi vos, et non mihi respondistis; pulsavi ad januas vestras, et noluistis excitari; extendi manus meas in cruce, et XIX. 323.
eas non adspexistis; mea consilia, promissa et comminationes contemsistis. Dicite ergo nunc vos, o angeli, judicate vos, judices et assessores mei, inter me et vineam meam, quid amplius debui pro ea facere, quam feci? Quid hic respondebunt mali? quid contemtores rerum divinarum? quid irrisores virtutis? quid simplicitatis vilipensores? quid ii, qui leges mundi quam divinas pluris fecerunt, qui

cunctis Dei vocibus surdi, inspirationibus insensibiles, mandatis rebelles omnibus, denique flagellis et beneficiis duri et ingrati exstiterunt? Quid respondebunt, qui ita vixerunt, ac si non esse Deum credidissent? qui nullius alterius rei quam proprii commodi et voluptatis rationem habuerunt? Quid facietis (ait Esaias c. 10.) in die visitationis et calamitatis de longe venientis? Ad cujus confugietis auxilium et ubi derelinquetis gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo et cum interfectis cadatis?

Postremo considera terribilem illam sententiam, quam judex contra malos fulminabit, et illam horrendam vocem, quae audientium aures tinnire faciet. Labia ejus (inquit Esaias c. 30.) repleta sunt indignatione et lingua ejus quasi ignis devorans. Quis ignis ita comburet sicut verba illa: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus? O infelicem peccatorem! Si Deus maledicet tibi, quis benedicet? si a Deo discedendum tibi erit, ad quem confugies? si in ignem aeternum, quando erit finis? in quolibet horum verborum habes plurimum, quod rumines et sentias, in discessu, in maledictione, in igne, in societate, sed prae omnibus in ipsa aeternitate.

XI. I.

DE CONSUMMATIONE SECULI.

I.

llatio ltionis lestru- lonis ndi.

Ut in primo codicis biblici capite describitur *mundi creatio*, quomodo scilicet Deus Pater per Filium in Spiritu sancto omnipotenti sua virtute coelum, terram, mare et omnia, quae in eis sunt, distinctorum sex dierum spatio ad laudem nominis sui et usum generis humani ex nihilo creaverit Gen. 1, v. 1. et sqq. sic in ultimis duobus ejusdem sacri codicis capitibus describitur *mundi finis* sive *seculi consummatio*, quomodo scilicet Dei Filius Christus Jesus, per quem ab initio omnia condita sunt, ad extremum judicium in assumta natura humana sit rediturus, Apoc. 22, v. 7: *Ecce venio cito.* v. 12. *merces mea mecum.* v. 20. *ναί, etiam, venio cito*; ac in hoc ultimo suo adventu mundum destructurus, coelum novum ac terram novam creaturus, Apoc. 21, v. 1: *Vidi coelum novum et terram novam, primum enim coelum et prima terra abiit, et mare jam non est.* v. 5. *Dixit, qui sedebat in throno, ecce nova facio omnia;* ac pios ad se in gloriam coelestem traducturus, impios vero a se in aeternum ignem abjecturus sit, Apoc. 21, v. 2: *Vidi sanctam civitatem, Jerusalem novam, descendentem de coelo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* v. 3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt* etc. v. 4. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* etc. v. 7. *Qui vicerit, possidebit haec omnia, et ero illi deus, et ille erit mihi filius.* v. 8. *Timidis autem et in-*
2. *credulis* etc. *pars illorum erit in stagno ardente, igne et sulfure, quae est mors secunda.* v. 10. *Ostendit mihi civitatem magnam, sanctam Jerusalem, descendentem de coelo a Deo,* v. 11. *habentem claritatem Dei* etc. v. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum et faciens abominationem* etc. c. 22, v. 1. *Ostendit mihi fluvium aquae vivae splendidum tanquam crystallum* etc. v. 15. *Foris canes et venefici et impudici* etc. ut sic Christus, qui Scripturae centrum est, sit et maneat α et ω, *initium et finis, primus et novissimus* c. 21, v. 6. c. 22, v. 13. Quod ergo in divino codice est primum et ultimum, illud quoque piarum nostrarum meditationum debet prora et puppis, α et ω, initium et finis esse, ut quoties oculos nostros ad coelum elevamus vel eosdem ad terram convertimus, toties animum nostrum subeat haec cogitatio, quod omnipotens Deus illa omnia ex nihilo crearit et constituto tempore ingens illud aedificium eadem virtute iterum destructurus sit, ac proinde cor nostrum a rebus creatis, utpote transitoriis ac fluxis, aversum ad creatorem Deum, qui ab aeterno in aeternum immutabilis perseverat, convertamus ac per caduca hujus momentaneae vitae bona ita ambulemus, ne aeterna bona credentibus promissa amittamus. *Ille dies est*, inquit Petrus Damianus epist. 3. cap. 5. de die judicii et consummationis seculi, *ad quem omnis praecedentium seculorum intentio ac summa colligitur, cui cuncta Scripturarum volumina famulantur.* De hac seculi consummatione *extremum judicium* immediate secutura uti porro agamus, ratio ordinis suo loco monstrata a nobis exigere videtur.

CAPUT I.

DE 'ΟΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙΑι.

2. Vocatur hoc novissimum *mundi finis* ac *seculi consummatio* 4. Esdr. 2, v. 24. Matth. 13, v. 39. c. 24, v. 3. c. 28, v. 20. *Finis* propterea, quia finiet, h. e. ultimam clausulam imponet huic seculo et omnibus, quae in eo geruntur, finis enim est rei τὸ πέρας, meta et terminus. Psalm. 119, v. 96: *Omnium rerum vidi finem. Consummatio* propterea, quia perficiet et absolvet omnia, quae ad praesens seculum spectant. Quemadmodum enim Deus ab omni aeternitate certum constituit temporis punctum, a quo et cum quo mundus durationis suae capere debuit exordium per *omnipotentem virtutem creatricem*, quod vocare possumus *terminum a quo;* ita quoque ab omni aeternitate itidem definivit certum temporis punctum, in quo et cum quo mundus durationis suae debet habere finem, *per omnipotentem Dei virtutem destructicem*, quod vocare possumus *terminum ad quem*; eo adventante omnia finientur et consummabuntur, quae durante mundo fieri Deus constituit.

1. ὀνοματολογία.
1. ἐτυμολογία.

Quemadmodum circulus finitur et absolvitur, quando circinus ad idem redit punctum, a quo factum est circuli initium, sic quando aderit temporis illud punctum, quod Deus in aeterno suo et immutabili decreto durationi hujus seculi praefinivit, tunc finem sortietur circularis ille coelorum motus et sublunarium generatio. Quamvis vero recte dicatur, *mundum et omnes totius universi creaturas* exceptis angelis, spiritibus immortalibus, et hominibus, creaturis rationalibus ad imaginem Dei primum conditis, XX. 3. in fine mundi abolendas ac destruendas esse (quia angeli boni et homines electi ex mortuis resuscitati in aeterna gloria et laetitia cum Deo in sempiternum vivent; angeli vero mali et homines damnati itidem ex morte suscitati in aeternis suppliciis vivent, vel potius perpetuo morientur); notari tamen potest, circa ipsos etiam *angelos et homines* aliquid occurrere, quod cum fine mundi etiam abolebitur ac finietur. *Boni angeli* non amplius hominibus exhibebunt sua ministeria, sed una cum electis hominibus, cum quibus unam constituent triumphantem ecclesiam, coelesti fruentur gloria, aeterna exsultabunt laetitia et propter completum electorum numerum quaedam gaudiorum suorum percipient incrementa; *mali vero angeli* in abyssum infernalem missi non poterunt amplius homines seducere, sed una cum damnatis hominibus, cum quibus unum corpus constituent, aeternis torquebuntur poenis et insignia suppliciorum suorum sentient augmenta. Sic ergo bonorum angelorum cessabunt *λειτουργίαι*, malorum vero *μεθοδεῖαι* Hebr. 1, v. 14. Eph. 6, v. 11. Respectu *hominum* cessabit collectio ecclesiae per verbum et sacramenta, quia in piis fidei succedet visio, spei fruitio et possessio, impiis vero poenitentiae et indulgentiae janua penitus erit clausa; cessabunt politiae et regna hujus mundi, cessabunt oeconomiae et generis humani per carnalem generationem propagatio, quia completus erit electorum numerus; cessabunt *respectu piorum* diaboli insidiae ac carnis et mundi illecebrae, cessabunt peccandi pericula, cessabunt omnia mala et adversa; *respectu impiorum* cessabunt honores, voluptates, divitiae et omnia, quibus in hac vita usi vel potius abusi fuere homines hujus seculi; ac tempori mera aeternitas succedet, ut proinde hoc novissimum finis mundi et consummatio seculi merito dicatur.

3. Nomen *mundi* substantive acceptum varias in Scripturis obtinet significationes. Quidam triplicem acceptionem agnoscunt, 1. *physicam*, qua *pro digestione et ordinatione singularum quarumque rerum formatarum et distinctarum usurpatur*, ut Augustinus lib. de Gen. ad lit. imperf. c. 3. loquitur; 2. *rhetoricam* sive *metonymicam*, pro mundi incolis sive hominibus, potiore ac praecipua mundi parte; 3. *ethicam* sive *moralem*, pro mundi dilectoribus, hominibus impiis et carnalibus. Nos sic progredimur: Mundi vox accipitur 1. *collective* de *continente et contento simul*, 2. *distributive* de *continente ac contento seorsim*. Prioris significationis exempla occurrunt in illis Scripturae dictis, in quibus accipitur pro toto coeli terraeque systemate et omnibus, quae illius ambitu et complexu continentur. Job. 28, v. 24: *Intuetur fines mundi et omnia, quae sub coelo sunt, respicit.* Matth. 13, v. 35: *Abscondita a constitutione mundi.* Joh. 1, v. 3: *Mundus per ipsum factus est.* In posteriori significatione accipitur vel *συνεκτικῶς*, *de continente,* h. e. terrarum orbe sive *οἰκουμένη*, quam ad tempus hominibus inhabitandam Deus concessit. Matth. 4, v. 8: *Ostendit ei omnia regna mundi.* c. 26, v. 13: *Praedicabitur hoc evangelium in toto mundo;* vel *συνεχομένως*, *de contento*, idque tum *προσωπικῶς*, *de hominibus in mundo viventibus*, tum *πραγματικῶς*, *de certis quibusdam rebus* et constitutionibus in mundo traditis. De hominibus usurpatur 1. *οὐσιωδῶς*, *substantialiter et in concreto*, 2. *συμβεβηκότως*, *accidentaliter et in abstracto.* II. Substantialiter usurpatur 1. *γενικῶς*, *generaliter*, pro omnibus in universum hominibus, tam piis quam impiis, tam Judaeis quam gentibus sine ullo gentis ac mentis discrimine. Joh. 1, v. 29: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* c. 3, v. 16: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum daret.* 2. *εἰδικῶς*, *specialiter*, accipitur 1) *pro incredulis et impiis*, non regeneratis nec illuminatis, Joh. 1, v. 10: *Mundus eum non cognovit.* c. 15, v. 18: *Mundus vos odit.* Basilius lib. de SS. c. 22: *Mundus hic significat eos, qui carnali materialique vita devincti sunt.* Chrysostomus hom. 7. in c. 1. Joh.: *Hoc loco mundum peccantium multitudinem et terrenis rebus deditum stultumque et abjectum et omnibus obnoxium perturbationibus vulgus appellat*, vel quod *spiritum mundi habeant* spiritu autem Dei non regantur 1. Cor. 2, v. 12. h. e. quod mundana tantum quaerant et curent, spiritualibus praetermissis ac neglectis, quod sint *τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες* Phil. 3, v. 19. vel quod maximam generis humani partem constituant 1. Cor. 1, v. 26. In hac significatione diabolus dicitur *princeps mundi* Joh. 12, v. 31. c. 14, v. 30. quia *efficax est in filiis incredulitatis* Eph. 2, v. 2. ac instar principis in eorum cordibus regnat. 2) *Pro impiis, qui ante diluvium* vixerunt. Hebr. 11, v. 7: *Noah per arcam damnavit mundum.* 2. Petr. 2, v. 5: *Deus originali mundo non pepercit.* 3. *συνεκδοχικῶς* pro majori parte hominum, pro turba promiscua. Joh. 12, v. 19: *Totus mundus post eum abit*, ubi totum pro majori parte ponitur. Calviniani addunt, quod interdum accipiatur pro *solis piis et electis*, sed nondum potuerunt hanc significationem idoneo aliquo Scripturae dicto confirmare. Quaecunque enim afferunt, in illis vox mundi vel de toto genere humano, vel de omnibus ad ecclesiae consortium vocatis generaliter accipitur, nunquam vero et nuspiam in tota Scriptura unicus occurret locus, in quo specialiter pro solis electis accipiatur, qua de re in loco de praedestinatione ex professo agitur. Quidam volunt, nomen mundi specialiter *pro solis Judaeis* quandoque accipi, sed quae pro adstruenda hac significatione afferuntur exempla Joh. 7, v. 4: *Manifesta te ipsum mundo.* c. 8, v. 26: *Haec loquor in mundo* etc. ea commode reduci possunt ad significationem

generalem, sensus namque est, quod Christus omnibus hominibus in publico se manifestare debeat, quod nihil in occulto sed publice omnibus fuerit locutus. *Συμβεβηκότως* et *accidentaliter* accipitur tum in *mediam*, tum in *malam* partem. Prioris significationis exempla habentur Eccl. 3, v. 11: *Deus mundum tradidit in corda hominum*, i. e. permittit, ut rebus ad hanc vitam pertinentibus occupentur, ut cogitent de futuris in mundo eventibus. 1. Cor. 7, v. 31: *Qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* v. 33. *Qui cum uxore est, solicitus est de his, quae sunt mundi*, i. e. conjugatus magis distrahitur curis mundanis ad hanc vitam pertinentibus quam coelebs. Confer tractat. de conjugio §. 499. Posterioris significationis exempla passim obvia sunt. 1. Joh. 2, v. 15: *Nolite diligere mundum neque ea, quae sunt in mundo.* v. 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae, quae non sunt ex Patre, sed ex mundo.* Per *concupiscentiam carnis* intelliguntur libidines, crapula, comessationes, quibus adolescentes cumprimis delectantur; per *concupiscentiam oculorum* amor divitiarum, oblectatio, quam capiunt avari ex adspectu suorum bonorum, quod vitium senibus
IX. 5. maxime adhaeret; per *superbiam vitae* intelligitur ambitio, cupiditas honorum, cui mediae aetatis homines potissimum sunt obnoxii. Sic ergo triplex hominum mundanorum genus in hoc dicto describitur, *ἀπολαυστικόν* sive *voluptuosum*, *χρηματιστικόν* sive *quaestuosum* et *πολιτικόν* sive *ambitiosum*. Baptista Mantuanus:

Ambitiosus honos et opes et foeda voluptas,
Haec tria pro trino numine mundus amat.

Gal. 6, v. 14: *Per Christum mihi mundus crucifixus est et ego mundo*, i. e. per et propter Christum crucifixum didici contemnere gloriam, divitias, voluptates et cupiditates hujus mundi, mortuus sum mundo, Rom. 6, v. 6. Gal. 2, v. 20. ac proinde tam non desidero mundi vanitatem et malitiam quam homo mortuus ac cruci affixus. Bernhardus tom. 1. serm. 6. de peregr. mort. et crucif. p. 153. *Non solum ait mortuus mundo sed et crucifixus, quod est ignominiosum mortis genus, ego illi pariter et ipse mihi. Omnia quae mundus amat, crux mihi sunt, delectatio carnis, honores, divitiae, vanae hominum laudes. Quae vero mundus crucem reputat, illis affixus sum, illis adhaereo, illa toto amplector affectu.* Chrysostomus in comm. h. l. paulo aliter exponit: *Facit Christi crux, ut mundus sit mihi miseria, mors, vituperium, maledictum, non secus ac crucifixus homo est omnibus abominabilis; et e converso, ut ego sim mundo crucifixus, i. e. mortuus, despicabilis, abominandus ac detestandus. Nec illa me capere possunt nec manibus injectis me captivum ducere, quippe semel mihi mortua, neque ego illorum cupiditate teneri, quippe mortuus illis.* Sed res eodem redit. 1. Joh. 5, v. 4: *Omne quod ex Deo natum est, vincit mundum*, i. e. mundanas cupiditates, concupiscentias carnis, quibus mundus indulget. *Πραγματικῶς* usurpatur, quando *ceremoniae legales* Judaeis in veteri testamento traditae ac aliae quaevis hominum constitutiones religionis causa introductae vocantur *elementa mundi* Gal. 4, v. 9. Col. 2, v. 8. et 20. Quidam appellationis rationem deducunt ex significatione *φυσικῇ*, qua *aër, aqua, ignis et terra* dicuntur *στοιχεῖα*, elementa mundi, 2. Petr. 3, v. 10. quia ceremoniae illae in rebus terrenis ac elementaribus in cibo, potu, vestibus, aedificiis occupantur, sed commodius est rationem appellationis quaerere in significatione *τεχνικῇ*, qua *prima literarum rudimenta* dicuntur elementa, quia externa illa ceremoniarum observatio erat veluti quaedam paedagogia, qua Judaei in veteri testamento imbuebantur, cui elementari ac puerili institutioni in novo testamento successit vera et solida apertae lucis ac *θεογνωσίας* manifestatio. Gal. 3, v. 24: *Lex paedagogus noster fuit in Christo.* c. 4, v. 3: *Cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.* v. 9. vocat *infirma et egena elementa*, quia non possunt in se et per se afferre Dei gratiam, justitiam, peccatorum remissionem, consolationem conscientiae et Spiritus sancti donationem, quae beneficia per Christum nobis contingunt et in verbo evangelii offeruntur. Atque hae sunt potiores vocis mundi significationes. Rom. 4, v. 13. in peculiari quadam significatione videtur usurpari, quando *Abrahamo et semini ejus per fidem promissio dicitur facta, quod sit futurus heres mundi.* Calviniani accipiunt *de solis electis*, sed nomen mundi nuspiam in Scripturis sic accipitur, ac cum v. 11. Abrahamus dicatur *credentium* ac proinde etiam electorum *pater*, quomodo hic dici poterit eorum *heres?* hereditare filiorum est, non autem patris. Flacius in clavi pag. XX. 6.
694. mentionem facit quorundam, qui nomen heredis accipere voluerint *passive*, quod *Abraham hereditabitur a toto mundo*, i. e. quod omnes gentes hujus mundi futuri sint ejus filii. Sed quilibet videt, hoc esse nimis coactum, cum non Abrahae solum sed et semini ejus haec promissio dicatur facta. Ipse igitur mundi nomine intelligit *totam rerum naturam* sive omnes creaturas sub nomine terrae Canaan Abrahae promissas. Ut enim per primum lapsum ex mundi dominis facti sumus mancipia Satanae, et ipsa quoque rerum natura non filiis Dei sed vanitati servire coepit; sic contra instauratis per Christum omnibus, natura liberabitur a vanitate et genus humanum plene in possessionem mundi pristinam restituetur, credenti totus mundus divitiae. Adde quod pii in Christo capite suo heredes mundi facti sint, cum Christo totius mundi gentes in *hereditatem datae sint* Ps. 2, v. 8. perinde ut in Christo et cum Christo resuscitati *et in coelestibus bonis dicuntur collocati* Eph. 2, v. 6. Quidam nomine mundi intelligunt beneficia spiritualia fide accepta, quia sancti, qui his beneficiis fruuntur, sunt in toto orbe diffusi ac regnum Christi in hisce donis consistens per universum mundum dilatatur, quippe quod per praedicationem evangelii omnibus in mundo hominibus offertur. Simplicissimum videtur nomine mundi

accipere *hereditatem coelestem* per possessionem terrae Canaan tanquam praestantissimae mundi partis adumbratam, sicut et Hebr. 6, v. 5. mentio fit *μέλλοντος αἰῶνος*, quae tamen significatio cum prioribus non pugnat, sed optima ratione cum illis conjungi potest, quia per Christum piis obtingunt bona non solum spiritualia sed etiam corporalia, nec tantum hujus sed etiam vel maxime futurae vitae bona. Hoc loco, quando de fine mundi agimus, accipitur vox mundi potissimum in prima significatione, qua pro coeli terraeque machina et omnibus, quae sunt in ea, usurpatur, ita tamen ut angeli et homines ab hac consummatione excipiantur, illi quidem propter immortalitatem divinitus sibi concessam, hi vero tum propter animarum immortalitatem, tum propter corporum resurrectionem. Scholastici dicunt, mundum dupliciter considerari, 1. *extensive* respectu coeli et omnium elementorum, quae totius universi spatium replent ac extensivam sive quantitativam mundi perfectionem propterea constituere dicuntur; 2. *intensive* ratione diversarum specierum ac corporum tum animatorum, tum inanimatorum ex elementorum mixtione compositorum, quibus pulchritudo universi quasi intenditur, unde intensivam ejus perfectionem absolvère statuuntur. Quodsi ergo quaeratur de mundi consummatione in sensu priore, absolute respondetur, totum hoc universum, i. e. coelum et omnia elementa interitura; sed si de fine mundi in posteriore significatione quaeratur, addenda est exceptio, quod destructa coeli terraeque machina ac pereuntibus reliquis omnibus tam animatis quam inanimatis creaturis, speciebus simul et individuis, angeli tamen et homines sint in aeternum victuri.

4. *Seculi* sive *αἰῶνος* vox itidem variis modis in Scripturis accipitur. Possunt tamen omnes significationes commode redigi ad duas generales classes. Quaedam enim agunt *de seculo praesenti*, quaedam vero *de futuro* (sicut etiam Cabbalistae apud rabbinos distinguunt inter עולם הזה et עולם הבא, *se-*
XX. 7. *culum praesens* et *seculum venturum*), illud est temporarium et *fluxum*, hoc vero aeternum et *fixum;* illud est *corporale*, constans locorum ac temporum spatiis, hoc vero *spirituale*, ab omni tempore et loco separatum. Ad priorem classem pertinent illa Scripturae dicta, in quibus accipitur 1. *συστηματικῶς* ac *materialiter* pro coeli terraeque systemate. Hebr. 1, v. 2: *Deus per Filium condidit secula*, i. e. mundum et omnia, quae in eo sunt, quia mundus per certorum seculorum decursus durat. c. 11, v. 3: *Fide intelligimus, κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας.* 2. *σχηματικῶς, formaliter*, et quidem dupliciter, primo *in partem mediam* pro *conversatione et conditione mundana* in hac vita, pro rebus, quae in hoc mundo geruntur. Luc. 20, v. 34: *Filii hujus seculi nubunt et nuptui traduntur*, i. e. qui adhuc animalem et naturalem in terris vitam agunt, quibus opponuntur *filii resurrectionis* v. 36. qui *digni habentur seculo futuro* et resurrectione ex mortuis ad vitam beatam v. 35. Sic 1. Corinth. 2, v. 8. *per principes hujus seculi* intelliguntur tum potentia, tum sapientia in hoc mundo eminentes; 1. Tim. 6, v. 17. *divites hujus seculi* dicuntur, qui divites sunt in hoc mundo, quibus opponuntur *divites in Deo* Luc. 12, v. 21. qui coelestes et spirituales thesauros, salutarem Dei agnitionem, peccatorum remissionem, Spiritus consolationem et vitae aeternae promissionem fide obtinent, qui in coelo thesauros collegerunt Matth. 6, v. 20. Secundo *in partem malam* pro corruptione vitae, motu ac cordis ex peccato orta, ad quam se accommodant homines terrenis duntaxat affixi, coelestium vero contemtores. Luc. 16, v. 8: *Filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis.* Rom. 12, v. 2: *Nolite conformari huic seculo.* 2. Cor. 7, v. 10: *Tristitia hujus seculi mortem operatur.* Gal. 1, v. 4: *Christus redemit nos ab hoc seculo perverso.* Eph. 2, v. 2. vocatur *αἰὼν τοῦ κόσμου*, *seculum hujus mundi*, i. e. cui homines mundani et terrenis affixi se conformare solent. In hac significatione diabolus dicitur *princeps hujus seculi* 2. Cor. 4, v. 4. Irenaeus quidem l. 3. c. 7. *προσδιορισμὸν hujus seculi* conjungit non cum voce *deus* sed cum voce *infidelium*, quam lectionem approbant Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus in comm. illius loci et Augustinus lib. 21. contra Faustum c. 2. sed nulla nos cogit necessitas, ut hac *μεταθέσει* utamur. Dicitur enim diabolus eodem sensu *deus hujus seculi*, quo *principem mundi* eum appellari ostendimus, non quod res quasdam corporales hujus seculi creaverit, ut Marciònitae et Manichaei voluerunt, nec quod sit deus absolute, sed quia est infidelium et impiorum hominum deus habito tum ad ipsum *diabolum*, tum ad *homines impios* respectu. Si diabolum ipsum respiciamus, is dicitur deus tum *gloriatione*, quia divina opera mendaciter sibi tribuit Matth. 4, v. 9. et divinos honores sibi deferri impudenter postulat; tum *operatione*, quia est *efficax in filiis incredulitatis* Eph. 2, v. 2. et coecitatem in mentibus hominum operatur, ut h. l. apostolus loquitur. Si *homines impios* respiciamus, illorum deus est *nomine*, non autem *numine; opinione*, quia pro deo illum colunt, non autem *rei veritate*; *subjectione spontanea*, quia suggestionibus ejus magis obtemperant quam divinis mandatis, non autem *dominatione quadam necessaria.* Nazianzenus orat. 3. de rect. doct. sent.: *Non hoc ei nomen tribuitur, quod totum in mundum et universos homines imperium obtineat, nam si hoc foret, jam olim omnes perdidisset, sed*
quod peccati sit auctor et eorum princeps, qui sub XI
peccato quasi rege sponte degunt. Augustinus in Psalm. 143: *Est mundus, quem fecit Deus; est mundus, quem regit diabolus, i. e. dilectores mundi.* Idem vel quicunque alius auctor libri de agone Christi: *Non sic diabolus vocatur, quia ipse est deus hujus mundi, sed princeps cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne, quod transit, ut ei subjaceant, qui negligunt aeternum Deum et diligunt instabilia ac mutabilia.* Glossa ordinaria in c. 11. Apoc.: *Est mundus, cujus Deus est creator; est mundus, cujus Deus est redemptor*; *est mundus, cujus Satan est seductor.* Joh. Huss lib. de Antich.

tom. 1. f. 337: *Diabolus est deus hujus seculi non natura, sed participatione*. Eph. 6, v. 12. diaboli dicuntur κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, *principes mundi tenebrarum hujus seculi*, ubi posterius accipi potest ut ἐξηγητικὸν prioris, ideo diaboli dicuntur κοσμοκράτορες, quia in tenebris hujus seculi dominantur; potest etiam accipi phrasi Hebraica *substantivum pro adjectivo* positum κοσμοκράτορες τοῦ σκότους i. e. σκοτεινοί, *principes tenebrosi hujus seculi*. Fullerus libr. 3. misc. sacror. c. 14. τὸ σκότος accipit in significatione propria ac comparate huic seculo tenebras tribui existimat, *densae* (inquit) *caliginis hic plena sunt omnia, si conferantur cum clarissimo coeli fulgore;* sed rectius tenebrae in significatione metaphorica accipiuntur pro peccato, miseria, ignorantia et ἀταξίᾳ, quo sensu etiam *potestas tenebrarum* diabolis adscribitur Luc. 22, v. 53. Col. 1, v. 13. 3. Χρονικῶς, *temporaliter*, idque dupliciter. Primo ὁλικῶς, *totaliter*, tum ratione *termini a quo*, videlicet a tempore eo, quo coepit tempus, i. e. a mundi constitutione, Joh. 9, v. 32: *A seculo non est auditum, quod quis aperuerit oculos coeci nati*. Col. 1, v. 26: *Mysterium, quod absconditum fuit a seculis et a generationibus*, i. e. quamdiu durarunt secula et generationes sibi invicem successerunt; tum ratione *termini ad quem*, videlicet usque ad tempus, in quo et cum quo finietur tempus, i. e. usque ad finem mundi, Psalm. 78, v. 69: *Terra fundata est in secula*. Psalm. 104, v. 5: *Fundasti terram super basin suam, non inclinabitur in seculum seculi*. Eccl. 1, v. 4: *Terra stat in seculum*. Matth. 12, v. 32: *Non remittitur ei neque in hoc neque in futuro seculo*. Secundo μερικῶς, *partialiter*, atque itidem tum ratione *termini a quo* pro tempore longissimo, cujus initium fere est absconditum, Deut. 32, v. 7: *Memento dierum seculi*, i. e. antiquorum ac priscorum temporum, quid in illis acciderit, quid Deus cum majoribus tuis egerit. Psalm. 77, v. 6: *Cogitavi dies antiquos, annos seculorum in mente habui*, ubi idem bis dicitur, expendi tempora prisca, quomodo Deus in illis liberationem ad se confugientibus praestiterit. Psalm. 143, v. 3: *Collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi*, i. e. qui jam olim mortui fuerunt. Esa. 58, v. 12: *Aedificavit in te desolata seculi*, i. e. quae multis seculis desolata ac vastata jacuerunt. Mal. 3, v. 4: *Placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem sicut in diebus seculi*, ἐξήγησις statim sequitur, *sicut in annis antiquis*. Luc. 1, v. 70: *Qui a seculo sunt prophetae ejus*. Act. 3, v. 21: *Per os sanctorum a seculo prophetarum*. Tum ratione *termini ad quem* pro tempore diuturno, cujus finis ferme est absconditus, quia Hebraeum עוֹלָם a rad. עָלַם *celavit, abscondit*, originem suam trahit. Exod. 21, v. 6: *Erit servus ejus in seculum*, ubi ad longissimum pro spatio quinquaginta annorum accipitur, fieri enim potuit, ut intra pauciores annos e servitute exiret. 1.
IX. 9. Sam. 27, v. 12. ait rex Achis: *David erit mihi servus in seculum*. Haec et similia loca notanda sunt propter Judaeos, qui ceremonias legales ad finem usque mundi servandas esse disputant propter dicta Scripturae Gen. 17, v. 13: *Erit pactum meum in carne vestra in foedus seculi*, sed statim additur explicatio v. 7. *in generationibus vestris*. Exod. 12, v. 14: *Cultu seculi celebrabitis paschalem festivitatem*, sed additur *in generationibus vestris*. c. 31, v. 16. *sabbathum* vocatur *pactum seculi*. In his et similibus dictis nomen עוֹלָם, quod LXX interpretes reddiderunt per vocem αἰῶνος, significat tempus diuturnum, cujus terminus sive finis latet, id quod aemulatus videtur apostolus in epist. ad Philem. v. 15. ut αἰώνιον *hunc servum haberes*, i. e. stabilem et diuturnum. Ad hanc classem reduci potest significatio illa vocis *seculi*, qua usurpatur a Latinis pro spatio centum annorum, unde apud Romanos *ludi seculares* dicebantur, qui centesimo quoque anno recurrebant.

5. Ad posteriorem classem pertinent dicta Scripturae, in quibus *seculum* pro absoluta aeternitate accipitur, tum pro ea, quae vocatur *aeternitas ab ante*, quae scilicet mundi creationem cogitatur antegressa. Psalm. 25, v. 6: *Reminiscere miserationum tuarum, quae a seculo sunt*, id est ab omni aeternitate, quia Deus non solum a constitutione mundi sed etiam ab aeterno est et manet misericors. Psalm. 93, v. 2: *A seculo tu es*, id est ab aeterno, quia Deus ante constitutionem mundi exstitit, sicut explicatio additur Psalm. 90, v. 2: *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis, a seculo et in seculum tu es Deus*. Act. 15, v. 18: *Nota sunt a seculo Deo omnia opera ejus*, id est jam inde ab ultima aeternitate, quia Deus in tempore nihil discit, sed ut essentia, ita quoque scientia ejus manet invariabilis. Eph. 3, v. 11: κατὰ πρόθεσιν αἰώνων, id est aeternam, quia electio facta est ab aeterno. Tum pro ea, quae vocatur *aeternitas a post*, quae scilicet mundi finem cogitatur secutura. Dico *cogitatur*, quia nos non possumus aeternitatem aliter concipere quam cum quadam praeteriti, praesentis et futuri perpetua successione, quamvis ipsa in se et formaliter considerata omnem temporis successionem excludat. 2. Paral. 7, v. 3: *In seculum manet misericordia ejus*. Psalm. 10, v. 16: *Dominus regnavit in aeternum et in seculum seculi*. Rom. 1, v. 25: *Deus benedictus est in secula*. c. 11, v. 36: *Ipsi gloria in secula*. Gal. 1, v. 9. Phil. 4, v. 21. 1. Tim. 1, v. 17. et alibi passim conjunguntur *secula seculorum*, ut non tantum hujus vitae secula sibi invicem succedentia, οἱ αἰῶνες ἐπερχόμενοι Eph. 2, v. 7. qui habent τὰ τέλη 1. Cor. 10, v. 11. ὁ νῦν αἰών 2. Tim. 4, v. 10. ὁ αἰὼν οὗτος Matth. 12, v. 32. sed etiam *seculum futurum*, ὁ ἐρχόμενος καὶ ὁ μέλλων αἰών, qui differentiae causa ita appellatur ac fine caret, Matth. 12, v. 32. Marc. 10, v. 30. Luc. 18, v. 30. c. 20, v. 25. Hebr. 6, v. 5. etc. rabbinis השלמות עולם simul conjungi intelligantur. Usitatum etiam est, conjungi haec duo, *a seculo et in seculum*, qua phrasi *aeternitas ab ante et post* emphatice exprimitur. Psalm. 41, v. 14. 106, v. 48: *Benedictus Dominus Deus Israël a seculo et in seculum*. Psalm.

90, v. 2: *A seculo et in seculum tu es.* Dan. 2, v. 20: *Sit nomen Domini benedictum a seculo et in seculum.* Quando de consummatione seculi hoc loco agitur, accipitur vox *seculi* in significatione priore ac praecipue ea, qua συστηματικῶς καὶ σχηματικῶς eam usurpari ostendimus.

3. Συνωνυμία. XX. 10. 6. *Synonymia* spectantur tum *in verbis simplicibus*, tum *in phrasibus conjunctis.* Ad priorem classem pertinet, quod mundi destructio vocatur 1. τέλος, *finis, terminus, extremum.* Matth. 24, v. 6. Marc. 13, v. 7. Luc. 21, v. 9: *Oportet haec fieri, sed nondum τὸ τέλος.* Proprie et in sensu literali agitur de excidio Hierosolymitano, ut apparet ex v. 14. apud Matthaeum, sed quia discipuli conjunctim quaesierant de tempore excidii Hierosolymitani et consummationis seculi, ideo etiam recte de utroque accipi potest, nondum adest finis tum malorum, tum Hierosolymae, multo minus totius seculi. 1. Cor. 10, v. 11: τὰ τέλη, *fines, seculorum in nos venerunt,* id est vivimus seculo consummationi hujus mundi proximo, totum tempus, quod inter primum Christi adventum in carnem et secundum ipsius adventum ad judicium interjicitur, ab apostolis vocatur *tempus novissimum,* imo *hora novissima,* quia Christus omnia consummavit, neque quidquam ulterius exspectandum quam mundi finis. 1. Cor. 15, v. 24: *Deinde finis,* non spiritualis regni Christi, ut volunt Photiniani, sed hujus seculi. 1. Petr. 4, v. 7: πάντων τὸ τέλος ἤγγικε, *finis omnium,* sive totius universi. 2. *συντέλεια, consummatio.* Matth. 13, v. 29. c. 24, v. 3. c. 28, v. 20. Hebr. 9, v. 26. ubi et αἰῶνος in singulari et αἰώνων in plurali consummatio vocatur, quia secula sibi invicem in hoc mundo succedentia praesens hoc seculum absolvunt ac tandem finiunt. Confer harmon. de resurrect. c. 12. p. 476. Synonymia *phrasium conjunctarum* cognosci potest ex illis Scripturae dictis, quae ad τὸ ὅτι demonstrandum paulo post adducentur.

CAPUT II.

DE ΤΩι ʼΟΤΙ, AN SECUTURA SIT ALIQUANDO MUNDI CONSUMMATIO.

An secutura sit aliquando mundi consummatio. Affirmatio probatur 1. ex dictis Scripturae. 1. ex V. T. 1. ex Moyse.

7. Ab ὀνοματολογίᾳ igitur transitum facimus ad πραγματολογίαν, in qua primo loco occurrit quaestio de τῷ ὅτι, *an scilicet secutura sit aliquando mundi consummatio?* Affirmantem sententiam demonstramus 1. *ex perspicuis Scripturae dictis.* Classes eorum constitui possunt duae, quaedam enim ex Veteri, quaedam ex Novo petita sunt Testamento. In Veteri Testamento praecipua haec occurrunt. 1. *in Moyse.* Gen. 8, v. 22: *Cunctis diebus terra sementis et messis, frigus et aestus, aestas et hiems, nox et dies non requiescent* sive cessabunt. Ostendit Deus, se certos dies ac certum tempus praefinivisse, in quo vicissitudines sementis et messis, frigoris et aestus, aestatis et hiemis, noctium ac dierum sint futurae; adventante autem constituto durationis termino desituras illas vicissitudines ac mundum denuo, non qui aquis diluvii, sed igne esse perdendum ac destru dum. tunc diebus terrae succedent *dies coeli,* est mera et absoluta aeternitas. Lutherus in co illius loci: *Non est otiosum, quod dicit cunctis bus terrae, subindicat enim, hos terrae dies aliq do cessaturos et secuturos alios dies coeli. S tibus igitur diebus terrae terra stabit et manel istae vices temporum, sed cessantibus his di terrae cessabunt ista omnia, et sequentur dies li, id est aeterni dies, qui erunt sabbatum ex bato, ubi non occupabimur corporalibus labor ad parandum victum, erimus enim sicut angeli sed nostra vita erit agnoscere Deum, delectari pientia Dei et frui praesentia Dei.* Gen. 49, v *Convenite filii Jacob, ut annuntiem vobis, quid in novissimis diebus.* (Hunc locum urget Orige l. 3. περὶ ἀρχῶν c. 5. *Si novissimi sunt dies,* quit, *cessare dies necesse est, qui coeperunt;* et prophetia Jacobi extendit se usque ad tempora M siae, quae a prophetis et apostolis vocari solent vissima.) Deut. 11, v. 21: *Quamdiu coelum ter imminet, quamdiu sol terram illustrabit,* Hebrae ad verbum *sicut dies coelorum super terram secundum dies coelorum super terram,* utroque e modo כ verti potest. Sensus est, usque ad fi mundi, quia nisi peccassent Judaei repudiando M siam et legem Domini contumaciter transgredien promissam terram Canaan usque ad finem mu possedissent. Lutherus eleganter reddidit: lange die Tage vom Himmel auf Erden währen. nuitur igitur, fore tempus, quo cessabunt dies, q coeli conversio super terram efficit ac coelestis re per terrenam Canaan praefigurata piis Israëlitis p sidenda tradetur. Deut. 32, v. 22: *Ignis succen est in furore meo et ardebit usque ad inferni fima devorabitque terram cum germine suo et m tium fundamenta comburet.* Ignis nomen potest cipi μεταφορικῶς de ira divina, quae instar flagr tis ignis omnia absumit quaeque populum Judaic ob Messiae contemtum in infernum usque prostern sed Justinus in orat. ad Antonin. Pium prop accipit. *Exustionem mundi,* inquit, *quomodo Moysen spiritus propheticus fore praemonstra accipite, sic autem ait: Descendit ignis perpetu vivens et devorabit ad imam usque abyssum.* 2. *Jobo.* Job. 14, v. 12: *Non resurget homo, do non erunt coeli,* Hebr. עַד־בִּלְתִּי שָׁמַיִם. Ergo co non durabunt perpetuo, sed aliquando non eru Mercerus et quidam alii accipiunt *exclusive* ut si plicem negationem, *homo non resurget, donec n erunt coeli,* quod nunquam fiet, scilicet juxta na ram, resurget autem divina virtute. Sed ostendim in tract. de morte in quaest. de imm. anim. §. 1 rectius accipi *determinative,* ut limitationem ac signationem temporis, quo homo aliquando resurg C. 24, v. 24: *Humiliabuntur sicut omnia et aufer tur* (hunc locum Gregorius lib. 17. moral. c. 5. consummatione seculi interpretatur, in Hebraeo tam

paulo aliter legitur). 3. *Ex psalmis.* Psalm. 46, v. 3: ***Non timebimus, si terra loco suo moveretur et montes in medium mare praecipitarentur.*** (Quidam accipiunt ut *conditionem impossibilem*, si vel maxime omnia in mundo ita turbarentur, ut montes in cor maris praecipitarentur, quod nunquam futurum est, tamen non timeremus; sed reliqua dicta, quae de mundi transitu loquuntur ac subsequens v. 4. testatum reddunt, hanc conditionem adjectam non esse pro impossibili habendam. Augustinus in comm. accipit de *conversione gentium* per praedicationem evangelii. Quidam allegoricam sectantur interpretationem, per terram intelligunt *imperia hujus mundi*, quae diaboli impulsu veluti terrae quadam concussione acerrime colliduntur, per montes vero *diabolos*, qui in cor sive medium maris ruunt praecipites, id est insanientes principes ac populos bellis invicem committunt, ecclesia instar arcis scopulo impositae in mediis imperiorum ruinis incolumi interim manente. Et sane congruit haec interpretatio phra-
12. sibus loquendi in Scriptura usitatis Psalm. 33, v. 8. Psalm. 68, v. 33. Jer. 51, v. 25. Zach. 4, v. 7. Apoc. 8, v. 8. interim cum sensus literalis nullam secum trahat absurditatem analogiae fidei adversam, ideo una cum interpretatione allegorica retineri potest.) Psalm. 72, v. 7: *Florebit in regno Messiae multitudo pacis*, עַד בְּלִי יָרֵחַ, *donec non amplius luna.* (Describitur aeternitas regni Christi, quod destructis omnibus hujus mundi regnis in fine seculi ipsum tamen in perpetuum sit permansurum.) Psalm. 97, v. 1: ***Dominus regnavit, exsultet terra***, v. 2. ***nubes et caligo in circuitu ejus, justitia et judicium basis sedis ejus***, v. 3. ***ignis ante ipsum procedit et inflammabit in circuitu inimicos ejus***, v. 5. ***montes sicut cera fluxerunt a facie ejus*** etc. (Proprie et principaliter loquitur psaltes *de vocatione gentium* per evangelii praedicationem ac regno Christi in hac vita, interim etiam referri potest ad regnum gloriae in fine seculi inchoandum, quando omnes hostes plene sibi subjiciet et majestas regni ejus publice conspicietur.) Psalm. 102, v. 26: ***Initio tu Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli***; v. 27. ***ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut indumentum mutabis eos et mutabuntur***; v. 28. ***tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.*** Locus hic allegatur ab auctore epistolae ad Hebraeos c. 1, v. 11. in quo mundi interitus verbis perquam emphaticis describitur. 1. *Subjectum* est *coelum et terra*, relativum enim הֵמָּה v. 27. ad utrumque refertur, cum v. 26. utriusque facta fuerit mentio, adde quod, si coeli peribunt, multo magis verisimile sit, etiam terram perituram, cum coelum solidius ac firmius terra videatur. Neve quis cogitet, *coelos aëreos* duntaxat, non autem *aethereos*, *inferiores duntaxat*, non autem *superiores* esse perituros, ideo v. 27. additur particula universalis כֻּלָּם *omnes veterascent*, videlicet quotquot sunt opera manuum divinarum, i. e. quotquot sunt a Deo conditi, ut apparet ex v. 26. 2. *Praedicatum* tria verba maxime emphatica habet, 1) אָבַד *periit, interiit*, quod notante Schindlero in lex. de omnimoda rei perditione usurpatur; 2) בָּלָה *inveteratus est, vetustate tritus, attritus et consumtus est* instar vestimenti vetustate attriti, Thomas in comment. ad Hebr. 1: *Sicut vestimentum assumitur ad usum, cessante vero usu deponitur; sic cum fuerit completus electorum numerus, mutabitur coelum quasi vestimentum, quia jam amplius ad rerum generationem et corruptionem non inservit.* 3) חָלַף *praeteriit, transiit, interiit* Cant. 2, v. 11. Esai. 2, v. 18. Dan. 4, v. 23. 25. 32. 3. *Antithesis, tu autem permanes* v. 27. *tu idem ipse es et anni tui non deficiunt* v. 28. Praefixum in voce וְאַתָּה recte exponitur *adversative*, ostendit enim series textus, institui oppositionem inter coeli terraeque interitum, et stabilem ac fixum divinae essentiae statum. *Anni* metaphorice Deo tribuuntur durationem continuam et simplicem denotantes, quia aeternitatem non nisi per quandam temporis successionem perpetuo durantem concipere possumus, dicuntur autem anni Dei *non deficere, non consumi*, sicut dies et anni nostri Psalm. 90, v. 9. quia sunt *dies et anni aeternitatis* 2. Petr. 3, v. 18. 4. *Ex prophetis.* Esa. 34, v. 4: *Tabescet omnis militia coelorum et complicabuntur sic-* 4. Ex prophetis.
ut liber coeli, et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu. Quidam accipiunt in *sensu metaphorico*, ut animorum angor et perturbatio in summis calamitatibus significetur, qui namque in moerore ac luctu constituti sunt, ***illis lux non videtur esse lux, nec dies videtur esse dies, nec dulcia habere dulcedinem, sed omnia mutantur*** XX. 13.
eis in contrarium, adeo enim doloris anxietas oculos obnubilat, ut serenum coelum tenebris offusum videatur ac stabiles montes collesque moveri, ut loquitur Theodor. in comment. Jerem. 4. Confer similes metaphoricas descriptiones Esai. 13, v. 9. Jerem. 4, v. 23. c. 15, v. 9. Ezech. 32, v. 7. Amos 8, v. 9. Mich. 3, v. 6. et ea, quae in praeced. tractat. in c. de signis judicii §. 94. diximus. Rationem interpretationis afferunt eam, quia in praecedentibus verbis agitur *de particulari Dei judicio*, quod exercebit adversus gentes, quae Assyriorum fastum ac mores imitantur; sed ostendimus suo loco, prophetas a particularibus judiciis saepius progredi ad universale judicium adversus omnes gentes, cumprimis vero ecclesiae hostes in die novissimo exercendum, cujus praeludium in particularibus illis judiciis proponitur, in quo coelum et terra destruetur. Absurdum igitur ac praeposterum nequaquam censendum, si hic locus propheticus de interitu mundi accipiatur, quam interpretationem verborum emphasis confirmat. De exercitu coelorum, id est sole, luna et stellis instar aciei cujusdam a coelesti imperatore certo ordine dispositis et speciem perquam illustrem oculis hominum exhibentibus Gen. 2, v. 1. Neh. 9, v. 6. dicit propheta, *quod colliquescet.* In Hebraeo est נָמַק in niphal a rad. מָקַק ***liquefactus, dissolutus fuit***, ac per metaphoram ***corruptus, putrefactus, labefactatus fuit*** Ezech. 24, v. 23. Levit. 26, v. 39. Psalm. 38, v. 6. Benedictus Arias reddidit *mucescent*, quae enim putredini et corruptioni proxima, mucorem prius contrahunt. De coelis dicitur, quod

complicabunt se sive *convolventur* sicut liber. In Hebraeo est נָגֹלוּ a rad. גָּלַל *convolvit, complicavit.* Respectus habetur ad formam librorum, qua Hebraei usi sunt, a nostra diversam. Neque enim tales apud eos sunt libri, quales apud nos ex multis paginis conglutinatis aut consutis compacti, sed qui ex una pagina longa ac perpetua constabant, quae quia circa lignum quasi circa axem instar telae convolvitur, ideo liber apud eos vocatur מְגִלָּה, *volumen.* Luc. 4, v. 17: *Cum traditus esset Christo liber prophetae, ἀναπτύξας τὸ βιβλίον, explicans librum, invenit locum.* v. 20. *καὶ πτύξας, et complicans, librum reddidit ministro;* hac forma legem in membrana descriptam adhuc hodie Judaei in synagogis habent. Quemadmodum igitur creatio coeli *extensioni pellis seu tabernaculi* comparatur Psalm. 104, v. 2. Esai. 40, v. 22. unde ipsum coelum vocatur רָקִיעַ, *expansio,* Gen. 1, v. 6. sic ejusdem interitus ac destructio *complicationi libri* seu voluminis aptissime confertur. Justinus in quaest. et resp. ad orth. q. 94. p. 348: *Quemadmodum firmamenti facturam sacrae literae per collationem assimilarunt quandoque rotunditati testudinis cameratae; sic et ejus solutionem per comparationem assimilarunt, aliquando pellis extensioni, aliquando fumo firmato, aliquando libro, qui convolvitur, quandoque elemento, quod igne solvitur, nonnunquam vestimento veterascenti.* Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum lapsum: *Istud coelum e medio subducetur, non aliter quam pelles scenae ac velum contrahitur e medio, ut in melius commutetur.* Neve quis cogitaret, coelum ea ratione convolvendum sive complicandum, ut stellae illi infixae maneant, sicut characteres literarum in libro complicato, ideo addit propheta *omnis exercitus eorum decidet,* in Hebraeo est יִבּוֹל a rad. נָבַל, *ut defluit folium de vite et sicut defluit de ficu.* Ad-
XX. 14. ducit propheta similitudinem *vineae et ficus,* quia duae illae plantae erant satis notae ac familiares in terra Canaan. Confer Apoc. 6, v. 14. ubi eadem fere descriptio occurrit. Esai. 51, v. 6: *Coeli sicut fumus deficient* (in Hebraeo est נִמְלָחוּ, *consumentur, dissipabuntur,* Aquila reddit *μειωθήσεται, in nihilum comminuentur,* Symmachus *ἁλιώσονται, in salis modum conterentur et evanescent,* LXX interpretes *ὁ οὐρανὸς ὡς καπνὸς ἐστερεώθη, firmatum est sicut fumus;* at si *firmitas pro robore accipitur, quomodo fumo, quod firmum est, comparatur?* respondet Hieronymus, *quod omnis coelorum firmitas, robur et fortitudo vento inanissimo et fumo, qui in auras solvitur, coaequetur*) *et terra sicut vestimentum veterascet, et habitatores ejus similiter,* sicut *haec interibunt, sed salus mea in seculum erit et justitia mea non conteretur.* Multi ex Pontificiis accipiunt ut hypotheticam ac conditionalem comparationem, ut sit sensus, *non quod coelum et terra praeteritura sint aliquando, sed illud citius eventurum quam contingat, ut inane excidat divinum verbum.* Sed ostendit ipse sonus verborum, prophetam non loqui *comparate* sed *absolute,* nec impossibilem quandam conditionem proferre sed coeli terraeque transitum, promissionis autem suae firmitatem sibi invicem *ἀντιθετικῶς* opponere, proinde ut Christus Matth. 24, v. 35. Marc. 13, v. 31. Luc. 21, v. 33. non *ὑποθετικῶς* sed *κατηγορικῶς* et assertive dicit: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.* Sensus igitur est, quamvis coelum, terra et homines constituto tempore sint interituri, tamen salus et justitia credentibus promissa erunt perpetua et immutabilia, quia *creabo coelos novos et terram novam, in quibus justitia habitat* 2. Petr. 3, v. 13. Optime vero conferri potest hic locus propheticus cum oraculo Davidico Psalm. 102, v. 27. ut enim ibi de coelis dicitur, *veterascent ut vestimentum,* ita hoc loco de terrae interitu eadem similitudo usurpatur, ne quis coeli ac terrae diversam rationem fore cogitet. Atque hoc modo oraculum propheticum antiquissimus ecclesiae doctor Irenaeus exposuit lib. 4. adv. haeres. c. 6. p. 236. Hieronymus lib. 14. in Esaiam tom. 4. p. 164. Chrysostomus in hom. ad c. 8. Rom. Haymo et Lyranus in comm. h. l. Esai. 65, v. 17: *Ecce ego creans coelos novos et terram novam, et non memorabuntur priores, nec adscendent super cor.* Sanctius in comm. accipit *μεταφορικῶς, quod per coeli novi ac terrae novae creationem omnis rerum abundantia et ingens voluptas promittatur, sicut aerumnosa Israëlitarum conditio per coelum obscurum ac nubilum et terram sterilem ac aridam proverbiali locutione in prophetis describitur,* qua ratione ad restitutionem ex captivitate Babylonica in verbis hisce propheticis respectus haberetur. Heerbrandus in comp. theol. in c. de consumm. seculi p. 536. itidem arbitratur, de ecclesiae et religionis instauratione in his terris futura ibi sermonem esse. Sed manifestum est ex 2. Petr. 3, v. 13. et Apoc. 21, v. 1. de coelesti beatorum patria unice sermonem esse; imo ex hoc ipso loco prophetico id ipsum evidenter colligitur, quia talis rerum status hic describitur, qui in hac vita non habet locum. v. 18. *Gaudete et exsultate in aeternum in his, quae creo,* v. 19. *non audietur in Jerusalem ultra vox fletus et vox clamoris.* Atqui in vita aeterna demum hoc implebitur Apoc. 7, v. 17. Nec obstat, quod nonnulla addantur, quae *κατὰ ῥητόν* accepta in patriam beatorum minime conveniunt, quia *prophetae verbis hujus seculi describunt res futuri seculi et a corporalibus beneficiis animos hominum ad spiritualia* XX
et coelestia beneficia principaliter a Messia exspectanda evehunt. Esai. 66, v. 15: *Ecce Dominus in igne veniet et tanquam turbo quadrigae eius, reddere in indignatione furorem suum et increpationem suam in flamma ignis* (hoc igne, in quo et cum quo Dominus ad judicium veniet, universa coeli terraeque machina conflagrabit 2. Petr. 3, v. 10.), v. 16. *quia in igne Dominus judicabit et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti a Domino* (in die judicii ex ore Christi gladius *δίστομος* procedet, quando contra damnatos horribilem illam sententiam pronuntiabit, *ite maledicti,* cujus sententiae exsecutio fiet per ignem infernalem. Describitur igitur Deus tanquam fortis bellator, zelo justitiae ardens et vindictam ab hostibus sumere

cogitans, qui quadrigis invehatur, ex quibus igneos ejaculetur globos, ac furorem suum totus inflammatus evomat, quin et gladium suum vibret, ut sic igne et ferro obvia quaeque prosternat ac vastet. Complementum hujus vaticinii praecipue sequetur in die extremi judicii). v. 22. *Sicut coeli novi et terra nova, quos ego facio, stant coram me, dixit Dominus, sic stabit vestrum semen et nomen vestrum.* Sicut aeterna beatitudo in novo coelo ac nova terra credentibus parata erit immobilis ac immutabilis, ita quoque pii vivent in aeternum. Ezech. 24, v. 9: *Vae civitati sanguinum, etiam ego grandem faciam pyram.* v. 10.] *Multiplica ligna, succende ignem, consume carnem, et ossa comburentur.* (Hieronymus lib. 7. in Ezech.: *Sunt, qui totum istum locum ad consummationem seculi transferant. Mundus ergo, qui in maligno positus est, die judicii divino igne succenditur et civitas sanguinum ponitur super carbones ignis. Et proponitur sanguis, qui effusus est in propatulo creaturae universae, ut omnium scelera pateant, quia nihil occultum, quod non reveletur, ne terra operiantur aut pulvere.* Sed in sensu literali de incendio et excidio Hierosolymitano a Babyloniis metuendo hic agi videtur.) Dan. 2, v. 45: *Lapis abscissus a monte sine manibus comminuit ferrum, aes, testam, argentum et aurum*, id est in fine seculi destruentur omnia mundi regna et succedet aeternum regnum. c. 7, v. 11: *Et vidi, donec interfecta esset bestia et periisset corpus ejus et traditum esset ad comburendum igni* (in die novissimo, quando omnia igni absumentur, etiam Turcica impietas et tyrannis abolebitur), v. 12. *ac reliquis bestiis ablata erat potestas* (in fine seculi abolebuntur omnia regna 1. Cor. 15, v. 24.). v. 26. *Judicium sedebit, ut auferatur potestas ejus et dispereat usque in finem*, v. 27. *regnum autem et potestas et magnitudo regni, quae est subter omne coelum, dabitur populo sancto Altissimi* (deletis omnibus impiis et ecclesiae hostibus electi in novo coelo cum nova terra in perpetuum regnabunt). c. 9, v. 27: *Usque ad consummationem*, id est usque ad finem mundi, LXX interpretes ἕως συντελείας καιροῦ, *decretum est, quod perseverabit desolatio.* c. 12, v. 4: *Obsigna librum usque ad tempus finis* (quod proxime praecedet finem mundi). Joël. 3, v. 15: *Sol et luna obtenebrabuntur et stellae retrahent splendorem suum*, v. 16. *movebuntur coeli et terra, et Dominus spes populi sui.* (Hieronymus in comm.: *Moerorem extremi diei et tormenta pereuntium ne sol quidem et luna astraque cetera poterunt intueri, sed retrahent fulgorem suum, et furorem judicantis reddentisque uniuscujusque opus in caput suum adspicere non audebunt. Non quod clementiora sint quam Dei judicia, sed quod omnis creatura in tormentis aliorum de suo judicio pertimescat. Dominus instar leonis rugiet seu clamabit, et tam excelsa ejus vox erit ac terribilis, ut coelorum cardines et terrarum fundamenta quatiantur. Cumque tam severus in eos fuerit, qui puniendi sunt, erit clemens erga populum suum et dabit eis fortitudinem.*) Soph. 1, v. 18: *In igne zeli devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitatoribus terrae,* quod repetitur c. 3, v. 8. Hagg. 2, v. 7: *Movebo coelum et terram et mare et aridam, et movebo omnes gentes.* Mal. 4, v. 1: *Ecce dies venit succensa quasi caminus, et erunt omnes contemtores et omnes facientes iniquitatem stipula, et inflammabit eos dies veniens.* Confer ea, quae de his vaticiniis propheticis dicta sunt in praeced. artic. de extremo judicio §. 13. 5. *Ex libris apocryphis.* 4. Esdr. 6, v. 6: 5. Ex libris apocryphis.
Facta sunt omnia creata per me solum et non per alium, et finis per me solum et non per alium. v. 9. *Finis hujus seculi Esau et principium sequentis Jacob.* v. 16. *Finem eorum oportet commutari.* v. 20. *Cum supersignabitur seculum, quod incipiet pertransire, haec signa faciam.* c. 7, v. 30: *Convertetur seculum in antiquum silentium diebus septem, sicut in prioribus judiciis, ita ut nemo derelinquatur,* v. 31. *et erit post dies septem et excitabitur, quod nondum vigilat seculum, et morietur corruptum.* v. 43. *Dies judicii erit finis temporis hujus et initium temporis futurae immortalitatis, in quo transivit corruptela.* c. 14, v. 16: *Quantum invalidum fiet seculum a senectute, tantum multiplicabuntur super inhabitantes mala;* v. 17. *prolongavit enim se magis veritas et appropinquavit mendacium.* c. 16, v. 14: *Ecce mittentur mala et non revertentur, donec veniant super terram.* v. 15. *Ignis succenditur et non exstinguetur, donec consumat fundamenta terrae.* Siracid. 17, v. 29: *Quid lucidius sole? et tamen deficit.*

8. 2. *Ex Novo Testamento.* 1. *Ex evangelistis.* 2. Ex N. T. 1. Ex evangelistis.
Matth. 5, v. 18: *Amen dico vobis, donec transeat, παρέλθῃ, coelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.* Luc. 16, v. 17: *Facilius est, coelum et terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere.* (Quidam ex Pontificiis accipiunt *comparate* ac κατ' ἄνθρωπον dictum hoc sensu: *Si alterutrum horum praeteriturum sit, praeteribit prius coelum et terra quam jota unum aut apex unus a lege, non quod coelum et terra aliquando sint praeteritura, sed illud citius eventurum, quod nemo futurum putat, quam contingat, ut inane excidat divinum verbum, sicut communiter dicere solemus, cum aliquid fieri non posse aut nunquam futurum significamus, citius coelum ruet aut prius rerum dissolvetur natura, quam hoc fiat. Hoc ergo diceret Christus, legem tunc praeterituram, quando coelum ac terra praeteribunt, i. e. nunquam praeterituram, quia aut illa nunquam deficient, saltem quoad substantiam, aut quia vulgo, cujus opinioni in loquendo saepe se scriptor sacer accommodat, in aeternum duratura existimabantur.* Jansenius in conc. evangel. Sanctius in comm. Esa. 51. etc. Quidam sic exponunt, *prius transiturum coelum et terram, quam desiturum fieri, quae scripta sunt in lege. Nam ea tunc demum perfecte impleta erunt, cum coelum et terra esse desierint.* Sed manifestum est ex Matth. 24, v. 35. Marc. 13, v. 31. Luc. 21, v. 33. Christum nequaquam *com-*

parate loqui, sed *absolute;* ac particulam *donec* non esse hoc loco *exclusivam*, quasi nunquam futurum sit, ut coelum ac terra transeant, sed *inclusivam* ac *determinativam*, sensus enim est, quod coelum ac terra constituto divinitus tempore quidem sint trans-
XX. 7. itura, interim legem Dei utpote normam aeternae justitiae ac sapientiae permansuram esse in aeternum. Utitur autem Christus in describendo coeli terraeque interitu voce *παρέρχεσθαι*, quod est *praeterire*, *abire*, ita ut nullum prioris rei, quae praecessit, maneat vestigium. Sic praeterire dicitur *tempus* Matth. 14, v. 15. Marc. 14, v. 35. *generatio hominum* Matth. 24, v. 34. Marc. 13, v. 30. Luc. 21, v. 32. *homo praetergrediens* Matth. 8, v. 28. Marc. 6, v. 48. *navis* Act. 16, v. 8. *tempus hujus vitae* 1. Petr. 4, v. 3. Illae res proprie dicuntur praeterire, quae cum semel praeterierint, nunquam revertuntur, juxta illud Nasonis 3. de arte:

Nec quae praeteriit rursus revocabitur unda,
Nec quae praeteriit hora, redire potest.

Cumprimis vero emphasis hujus verbi pulcherrime exprimitur Sap. 5, v. 9: *παρῆλθεν, transierunt, mundana illa omnia tanquam umbra et tanquam nuntius transcurrens*, v. 10. *tanquam navis*, *quae pertransit fluctuantem aquam*, *cujus*, *cum praeterierit*, *non est vestigium invenire neque semitam itineris illius in fluctibus;* v. 11. *aut veluti avis transvolantis aërem nullum invenitur itineris τεκμήριον*, v. 12. *ictus autem alarum verberatum ventum levem et scissum vi stridoris commotis alis pertransit, et post hoc non est inventum signum processus in eo; aut tanquam sagitta missa in scopum, divisus aër continuo in se resolutus est*, *ut ignoretur transitus illius.*) Matth. 13, v. 39: *Messis est συντέλεια τοῦ αἰῶνος.* v. 40. et 49. *Sic erit in consummatione seculi hujus.* (Vocabulum *συντελείας* videtur desumtum ex Dan. 9, v. 27. *ἕως συντελείας*, *usque ad consummationem*, *decretum est*, *quod perseverabit desolatio*, id est usque ad finem mundi. c. 12, v. 4: *Obsigna librum ἕως καιροῦ συντελείας*, LXX interpretes hoc nomine utuntur pro כָּלָה seu תִּכְלָה pro finali et universali alicujus rei consummatione sive consumtione 2. Reg. 13, v. 17. Esdr. 9, v. 14. Neh. 9, v. 31. Psalm. 58, v. 14. Jer. 4, v. 27. etc. sic dicuntur *συντελεῖσθαι sermones* Matth. 7, v. 28. *dies* Luc. 4, v. 2. Act. 21, v. 27. ex quibus nihil reliquum manet.) Matth. 24, v. 3: *Quod signum adventus tui et consummationis seculi.* Matth. 24, v. 6. Marc. 13, v. 7. Luc. 21, v. 9: *Oportet haec fieri*, *sed nondum τὸ τέλος;* nec Hierosolymitani excidii, nec totius seculi. Matth. 24, v. 35. Marc. 13, v. 31. Luc. 21, v. 33: *Coelum et terra transibunt*, *παρελεύσονται*, *verba autem mea non transibunt.* Matth. 28, v. 20: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Actor. 3, v. 20: *Oportet Christum coelum capere usque ad tempora restitutionis omnium.*

2. Ex apostolis. 9. 2. *Ex apostolis.* Rom. 8, v. 21: *Creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei* (de hoc loco apostolico infra ex professo agetur). 1. Cor. 7, v. 31: *τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου παράγει* (Justinus in quaest. et resp. ad orthod. q. 95. p. 349. sic legit: *παράγει τὸ σχῆμα τούτου κόσμου ὁ θεός*, sed verbum *παράγειν* in N. T. plerumque usurpatur *intransitive.* Nomine *σχήματος* utitur apostolus pro habitu sive conversatione externa in affectibus, gestibus et totius vitae actionibus Phil. 2, v. 9. sicut et vox *σχηματίζεσθαι* de *ἀναστροφῇ* sive conversatione vitae ac morum usurpatur 1. Petr. 1, v. 15. intelligitur ergo per *σχῆμα τοῦ κόσμου* conversatio hujus seculi, vita in hoc mundo, actiones hujus vitae atque una totus mundus; in hac enim vita homines *ducunt uxores, flent, gaudent*, *emunt*, *utuntur hoc mundo* v. 29. 30. et 31. 1
sed illud *τὸ σχῆμα*, hic mundi habitus, haec conversatio hujus vitae, aliquando cessabit, quia *filii hujus seculi nubunt ac nuptui traduntur*, *illi vero*, *qui digni habebuntur seculo futuro et resurrectione ex mortuis*, *nec nubunt*, *nec nuptui dantur*, *nec ultra mori poterunt*, *aequales enim sunt angelis Dei* Luc. 20, v. 34. 35. 36. Justinus d. l.: *Si praeterit habitus hujus mundi*, *certum est*, *simul necessario alia omnia*, *quae propter habitum mundi sunt effecta*, *cum mundi habitu esse praeteritura*, *inducetur autem novum coelum et terra*, *ubi justis et injustis factorum retributio fiet.* Ambrosius in comment. h. l.: *Si forma mundi peribit*, *dubium non est*, *omnia*, *quae sunt in mundo*, *interire.* Quidam per *τὸ σχῆμα* intelligunt *speciem ac pulchritudinem*, ut sit sensus, quidquid in mundo habet externam aliquam speciem, quidquid est in mundo jucundum, voluptuosum et gloriosum, illud praeteribit, quia nihil solidam felicitatem affert in mundo, sed vana sunt, quaecunque sunt sub sole. Jac. Faber Stapulensis, quem sequitur Alciatus lib. 2. *παρέργων* c. 30. *τὸ παράγειν* interpretatur per *decipere* seu *fallere*, *blanda specie allicere;* Budaeus exponit per *παρεκτρέπειν*, *transversum agere*, cum in profanis scriptoribus in hac etiam significatione vocula illa usurpetur. Sed hujus significationis exempla non occurrunt in sacris literis, et constat ex *locis parallelis*, de mundi consummatione potius quam deceptione apostolum hic loqui. Psalm. 143, v. 5: *ἡμέραι αὐτοῦ ὡσεὶ σκιὰ παράγουσι.* 1. Joh. 2, v. 17: *ὁ κόσμος παράγεται.* Mundus igitur *transire* dicitur, quia constituto tempore abolebitur, ita ut nullum ejus remaneat vestigium, sicut transeunt sive praetereunt *viatores* Psalm. 128, v. 8. Matth. 9, v. 9. sicut luce adventante *tenebrae* praetereunt 1. Joh. 2, v. 8. ac quia vox *σχήματος* in scriptoribus Graecis de comoediis usurpatur, ideo etiam haec comparatio locum hic habere potest. Tota nostra in mundo vita nihil aliud est quam quaedam comoedia, cuique enim nostrum imposita est certa quaedam persona, quam decenter debet gerere, id est cuique commissae sunt certi alicujus officii partes. Quemadmodum igitur in comoedia variae introducuntur personae, quae sibi invicem in certo ordine habito succedunt et vicissim abscedunt,

donec tandem totus apparatus removeatur et nihil maneat reliqui; ita quoque res sese habet in hoc mundo, generatio una venit, altera abit, donec tandem mundus ipse simul transeat. Duae in hac mundi scena sunt portae, unam per nativitatem ingredimur, ex altera per mortem egredimur. Vestes, quibus ad personam nostram in hac fabula agendam induimur, sunt mundi bona, quae commodato accipimus, qui regem ait, non auferet secum purpuram, quam in hac vita gestavit etc. Theodoretus in comment. hujus loci: *Non amplius agricultura et navigatio, non regna et imperia, non amplius servitus et dominium, non amplius artes et scientiae, non amplius paupertas et divitiae, ex his enim et quae sunt hujusmodi, constat vita praesens, futura enim habent aliam rerum differentiam.* 1. Cor. 10, v. 11: *Τὰ τέλη, fines, seculorum in nos venerunt* (confer dicta superius §. 6.). 1. Cor. 15, v. 24: *Deinde finis,* tum totius seculi, tum modi regiminis, quo Christus ecclesiam in hac vita gubernat. 2. Cor. 4, v. 18: *Τὰ βλεπόμενα πρόσκαιρα, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια.* Quidam per ea, *quae videntur,* specialiter intelligunt praesentis vitae tribulationem, per ea, quae non videntur, futurae vitae gloriam,
I. 19. quod colligunt ex versu praecedente. Sed potest etiam accipi generaliter, quidquid in hoc mundo oculis obviam, transitorium est ac momentaneum, quod vero exspectamus, aeternum. Hebr. 1, v. 11. adducitur oraculum Davidicum de coeli terraeque interitu ex Psalm. 102, v. 26. Hebr. 2, v. 5: *Non enim angelis subjecit οἰκουμένην μέλλουσαν, futurum orbem,* qui post hujus *οἰκουμένης* transitum sequetur. Hebr. 9, v. 26: *Christus semel ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων, in consummatione seculorum, ut destructionem peccati per hostiam suam apparuit.* Loquitur apostolus de primo Christi adventu, ut apparet, tum *ex finis hujus adventus descriptione,* tum *ex secundi adventus oppositione* v. 28. quod ergo Christus dicitur venisse ἐπὶ συντελείᾳ, accipiendum est sensu eo, quo prophetae et apostoli illud tempus, quod inter primum et secundum Christi adventum intercedit, solent vocare *novissimum* Esai. 2, v. 2. Jerem. 23, v. 20. Dan. 2, v. 28. Mich. 4, v. 1. Act. 2, v. 17. 1. Cor. 10, v. 11. 1. Tim. 4, v. 1. 2. Tim. 3, v. 1. 2. Petr. 3, v. 3. 1. Joh. 2, v. 18. Causam pluralis numeri, quare apostolus dicat *τῶν αἰώνων,* exposuimus superius in homonymia. Hebr. 12, v. 26: *Adhuc semel, et ego movebo non solum terram sed et coelum,* v. 27. *quod autem adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem tanquam factorum, ut maneant ea, quae sunt immobilia.* (Hunc locum ad consummationem seculi accommodat Justinus Martyr in quaest. et respons. ad orthodox. quaest. 93. p. 348. et addit: *τὸ δὴ σαλευόμενον δηλοῖ τὴν αὐτοῦ μετάστασιν, ἵνα μείνῃ τὰ μὴ σαλευόμενα ἀκίνητα.* Idem facit ex nostris Philipp. Nicolai lib. 5. de vita aeterna, qua de re quid statuendum sit, expositum vide in tractat. praeced. de extremo judicio §. 16.) 1. Petr. 4, v. 7: *Omnium finis appropinquat. Τὸ τέλος* significat non solum finem et exitum sed etiam complementum; quando igitur completum erit tempus durationi hujus seculi divinitus praefinitum, tunc sequetur ejus finis. 2. Petr. 3, v. 7: *Qui nunc sunt coeli et terra, reservantur igni in diem judicii.* v. 10. *Adveniet dies Domini, ut fur in nocte, in quo coeli magno impetu transibunt* (*ῥοιζηδόν, cum stridore et fragore,* quod enim magna vi ac repentino impetu destruitur, magnum edit fragorem. Lutherus mit grossem Krachen, *ῥοῖζος* est stridor et impetus sive impetus cum stridore. Quemadmodum aedificii igne succensi contignationes superiores magno cum fragore collabuntur, atque eo quidem majore, quo aedificium ipsum est augustius sic universum hoc coeli terraeque aedificium igne finali accensum magno cum fragore concidet. Quemadmodum homo quandoque cum clamore vel gemitu ex intimo cordis recessu ducto moritur; sic quando virtus Dei conservatrix ac sustentatrix, quae est quasi anima mundi, a macrocosmo recedet, ultimum edet fragorem sive stridorem ac exanimis cadaveris instar collabetur), *elementa vero calore solventur* (*καυσούμενα λυθήσονται,* comburentur et combusta dissolventur sive dissipabuntur), *terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur* (descendit apostolus a coelo per elementa intermedia usque ad terram, ut totam coeli terraeque machinam destruendam esse significet). v. 12. *Properantes in adventu diei Dei, per quam coeli igne succensi solventur et elementa ignis ardore tabescent* (*τακήσεται, colliquescent ac interibunt,* quae enim tabe conficiuntur, interitui sunt propinqua; desumta est haec vocula ex Esa. 34, v. 4: *Tabescet omnis militia coelorum*). v. 13. *Novos vero coelos et novam terram secundum promissio- XX 20.*
nem ejus exspectamus etc. 1. Joh. 2, v. 17: *Mundus transit, παράγεται, et concupiscentia ejus, qui autem facit voluntatem Dei, manet in aeternum.* Qui mundanis adhaerent, cum mundo pereunte transibunt, qui coelestia quaerunt ac Deo vera fide et in spiritu adhaerent, in aeternum cum ipso vivent. Apocal. 6, v. 13: *Et vidi, et ecce terrae motus factus est magnus, et sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis,* v. 14. *et stellae ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur,* v. 15. *et coelum recessit, sicut liber involutus, et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt.* (Aretas existimat, hic describi *prodigia et miracula in passione Christi facta;* Ambrosius *excidium regni Judaici* describi censet; Lyranus et alii accipiunt ut metaphoricam descriptionem horribilis illius *persecutionis,* quam Diocletianus et Maximianus imperatores contra ecclesiam concitarunt, ut sic terrae motus significet persecutionis diuturnitatem et immanitatem, sol dicatur factus niger, quia Christus *sol justitiae* in membris suis est denigratus et injuriose tractatus, *luna tota facta est sicut sanguis,* id est universa ecclesia sanguine martyrum rubuit, *stellae de coelo ceciderunt,* id est multi ecclesiae doctores timore mortis in fidei confessione decederunt. Quidam accommodant hanc descriptionem ad

tempora Antichristi, Hoë in comm. Apoc. p. 464. quam interpretationem satis aptam ac concinnam esse judicamus, cum in hoc prophetico libro pleraque omnia parabolice sint accipienda. Quidam putant, describi signa diem novissimum proxime antecessura ac horribilem omnium rerum perturbationem, quae finem seculi proxime antecedet, quod colligunt ex v. 17. Plerique ex veteribus ad ipsam mundi destructionem in novissimo die futuram istaec accommodant, cum Esa. 34, v. 4. iisdem vere verbis mundi interitus describi videatur. Confer Hieronymum et Cyrillum Alexandrinum in comm. super Esaiam c. 34. Eusebium lib. 11. de praeparat. evang. cap. de mundi innovat. Chrysostomum in hom. ad Neoph. Augustinum in Psalm. 103. Bedam et Primasium in comm. h. l.) Apoc. 10, v. 6. angelus *jurat per viventem in secula seculorum*, *tempus non fore amplius*, id est mundum hunc interiturum ac impios aeternis poenis tunc afficiendos, pios vero coelesti gloria ornandos. Apoc. 20, v. 11: *A facie sedentis super thronum fugit terra et coelum et locus non est eis inventus.* c. 21, v. 1: *Vidi coelum novum et terram novam, primum enim coelum et prima terra abiit, et mare jam non amplius est.* v. 5. *Dixit, qui sedebat in throno, Ecce nova facio omnia.* Ad haec Scripturae dicta referri debent etiam illa, 1) in quibus Dominus ad judicium dicitur *in igne venturus*, quia ignis ille coelum, terram et omnia elementa consumet, 2. Petr. 3, v. 7; 2) in quibus mentio fit *novi coeli ac novae terrae*, quia illa prioribus abolitis succedent, Esa. 65, v. 17; 3) in quibus mentio fit *extremi judicii*, quia judicium extremum immediate sequetur totius universi consummatio, Matth. 13, v. 39; 4) in quibus mentio fit *resurrectionis mortuorum*, quia resurrectio universalis futura est in die novissimo, qui ultimam huic seculo imponet clausulam, Joh. 6, v. 39. *Et non resurget homo*, *donec non erunt coeli* Job. 14, v. 12; 5) in quibus tempus Messiae vocatur *dies novissimi* Gen. 49, v. 1. Esa. 2, v. 2. Mich. 4, v. 1. Actor. 2, v. 17. etc. Quodsi enim dantur dies novissimi, utique etiam mundus aliquando cessabit.

XX. 21. 2. Ex rationum momentis. 10. 2. *Ex rationum momentis.* Illarum duae possunt constitui classes. Quaedam enim petuntur ex *natura creatoris Dei*, quaedam ex *qualitatibus conditi mundi*. Ad priorem classem pertinent argumenta, quae petuntur 1. ex *infallibili Dei veritate*. Deus in verbo suo praedixit, se constituto tempore mundum esse destructurum. Ergo hoc certissime futurum est, quia Deus cum sit *prima veritas*, mentiri nescit, Numer. 23, v. 19. 1. Sam. 15, v. 29. Hebr. 6, v. 18. Omnia, quae in Scripturis praedicta exstant, definito tempore sunt secuta, ut quae de diluvio, de Sodomae excidio, de primo Salvatoris adventu, de Hierosolymae destructione, de signis diem novissimum antecessuris Spiritus sanctus per patriarchas, prophetas et apostolos praedixit, ea omnia evenerunt; utique ergo etiam illud de finali mundi excidio vaticinium non frustrabitur eventu. *Veritas praecedentium confirmat fidem sequentium.* Confer Augustinum epist. 42. ad fratres Maudarenses. 2. *Ex decreti divini immutabilitate.* Deus ab aeterno certum praefinivit mundo durationis terminum, ut enim immutabili sua voluntate constituit certum temporis punctum, quo mundus per creationem capere debuit exordium; ita eadem immutabili voluntate et decreto certum itidem constituit temporis punctum, quo mundus per conflagrationem debeat sortiri finem. Quare cum interitus mundi sit ex numero τῶν θελητῶν ἁπλῶς, id est eorum, quae vult Deus simpliciter et absolute, ideo ad illum recte accommodari possunt oracula illa prophetica Psalm. 33, v. 11: *Consilium Domini manet in aeternum.* Esa. 46, v. 10: *Consilium meum stabit et omnis voluntas mea fiet.* Rom. 9, v. 19: *Voluntati ejus quis resistet?* Hoc argumentum urget Petrus 2. epist. 3, v. 7: *Qui nunc sunt coeli ac terra eodem sermone τεθησαυρισμένοι*, *repositi, in thesauro divini consilii ac decreti* quasi reconditi, *servantur igni in die judicii et exitii impiorum hominum.* 3. *Ex juramenti divini immobilitate.* Hebr. 6, v. 17. et 18. *Dei consilium ac Dei juramentum* dicuntur δύο πράγματα ἀμετάθετα, quia nulla vi externa possunt moveri vel immutari. Jam vero de mundi interitu exstat in verbo patefactum non solum *Dei consilium*, sed etiam *juramentum*. Matth. 5, v. 18. ait Christus: *Amen dico vobis*, *donec transeat coelum et terra*, *jota unum aut apex unus non praeteribit a lege.* Matth. 24, v. 34: *Amen dico vobis*, *non praeteribit generatio haec, donec haec omnia fiant.* v. 35. *Coelum et terra transibunt*, *verba autem mea non transibunt*, ubi formula illa asseverandi ac jurandi recte refertur ad utrumque membrum. Confer Marc. 13, v. 30. Luc. 21, v. 30. Cumprimis vero huc pertinet, quod angelus Apoc. 10, v. 6. *jurat per viventem in secula seculorum*, *qui creavit coelum et quae in eo sunt*, *et terram et quae in ea sunt*, *et mare et quae in eo sunt*, *quod tempus non sit futurum amplius.* Per angelum enim illum intelligi *Christum*, patet tum ex praemissa descriptione, *fortis est* per divinam suam virtutem, qua omnes creatos angelos antecellit, *descendit de coelo* per singularem praesentiae suae manifestationem, *amictus est nube*, id est humana natura, quam in tempore assumsit, *iris in capite ejus*, quia reconciliavit nos Deo per passionem, *facies ejus sicut sol luxit in transfiguratione* Matth. 17, v. 2. *pedes ejus tanquam columnae ignis*, quia in judicio finali hostes suos igne consumet, *pedem unum ponit in mari*, *alterum in terra*, quia ipsi *data est omnis potestas* XX.
in coelo, *terra ac mari*, *omnia pedibus ejus sunt subjecta* Psalm. 8, v. 8. Psalm. 89, v. 28. Matth. 28, v. 18. etc. tum *ex locorum parallelorum collatione*, Apoc. 1, v. 15. 16. c. 4, v. 3. c. 5, v. 5. c. 11, v. 3. tum *ex potiorum interpretum testificatione*, Primasii, Bedae et aliorum. Hic ergo increatus angelus, angelorum omnium Dominus, ea, quae de fine seculi praedicit, juramento confirmat, quia noverat, circa finem mundi fore ἐμπαίκτας, qui haec non credant 2. Petr. 3, v. 4.

11. Ad classem *posteriorem* pertinent argumenta, quae ducuntur 1. *ex primaeva mundi creatione.* Quodcunque coepit esse, illud etiam desinit esse, nisi scilicet ad imaginem Dei immortalis sit conditum et supernaturali Dei virtute in aeternum subsistat, quales ex omnibus creaturis sunt soli angeli et homines. Jam vero mundus coepit esse, per primam scilicet creationem. Ergo etiam desinet esse, cum non sit ad imaginem Dei conditus nec supernaturali Dei virtute in aeternum conservandus. Hoc argumentum Petrus opponit ἐμπαίκταις Christi ad judicium adventum ac mundi destructionem negantibus; 2. epist. 3, v. 5: *Illud sponte eos latet, coelos jam olim exstitisse creatos per Dei sermonem et terram ex aqua et in aqua consistentem*, id est norunt quidem aut ex sacris literis facile intelligere possunt, mundum esse a Deo creatum, sed studiose illud dissimulant, ex eo vero colligere poterant ac debebant, mundum etiam esse interiturum. Si enim potuit Deus verbo suo mundum creare, utique etiam poterit eum verbo suo iterum destruere. Cyprianus lib. ad Demetr. sect. 2: *Haec sententia mundo data est, haec Dei lex est, ut omnia orta occidant et aucta senescant et infirmentur fortia, et cum infirmata fuerint, finiantur.* Athenagoras in legat. pro Christian.: *Impossibile est, mundum, quanquam Dei providentia regitur, in eodem durare statu, quoniam factus est.* **Basilius hom. 1. hexaëm. fr.: τὰ ἀπὸ χρόνου ἀρξάμενα πᾶσα ἀνάγκη καὶ ἐν χρόνῳ συντελευθῆναι· εἰ ἀρχὴν ἔχει χρονικὴν, μὴ ἀμφιβάλλῃς περὶ τοῦ τέλους,** *quae a tempore coeperunt, prorsus necesse est ut etiam in tempore sint consummanda; si quid initium habet temporale, ne dubites de fine.* Minutius Felix in Octavio: *Quis sapientum dubitat, quis ignorat, omnia quae orta sunt, occidere, quae facta sunt, interire?* Lactantius lib. 7. instit. c. 1: *Quidquid est solido et gravi corpore, ut initium coepit aliquando, ita finem capiat necesse est.* Damascenus lib. 1. orthod. fid. c. 3: τὰ κτιστὰ ὄντα πάντως καὶ τρεπτά, ὧν γὰρ τὸ εἶναι ἀπὸ τροπῆς ἤρξατο, ταῦτα τῇ τροπῇ ὑποκείσεται πάντως, εἰ φθειρόμενα ἢ κατὰ προαίρεσιν ἀλλοιούμενα. 2. *Ex primi mundi per diluvium destructione.* Hoc argumento itidem utitur apostolus v. 6. δι' ὧν *is qui tunc erat mundus, aqua inundatus periit;* v. 7. *qui vero nunc sunt coeli, eodem sermone repositi servantur igni in diem judicii.* Particulam δι' ὧν vulgata reddidit *relative per quae*, ut respectus habeatur ad versum 5. praecedentem, in quo aquae et verbi divini facta fuit mentio, per quae antediluvianus mundus excidio fuit datus. Lutherus vertit *adversative*, quamvis terra Dei jussu consistat δι' ὕδατος sive ἐν ὕδατι tanquam illi innatans vel per aquam tanquam basin, cui incumbit Psalm. 24, v. 2. Psalm. 136, v. 6. *tamen* eodem Dei jussu aqua
XX. 23. primaevo mundo fuit ὀλεθρευτική sive exitialis. Quidam reddunt *illative quamobrem*, quo sensu etiam usurpatur c. 1, v. 4. Quia terra ex aqua et in aqua consistit, ideo facillimum Deo fuit aquis diluvii mundum perdere. Scopus apostoli est, tum refellere hypothesin empaectarum, quod omnia in eodem statu ab initio creationis permanserint, id enim falsum esse ostendit prisci illius per diluvium inundatio ac vastatio; tum ex allato diluvii exemplo asseverationem futuri interitus mundi per ignem deducere, ut ostendit antithesis aquae et ignis. Prosper Aquitanicus de promiss. et praedict. Dei part. 4. c. 7: *Finis diluvii 601. anno Noë terminatus finem mundi significat post sex aetates seculi.* Ad hoc argumentum reduci possunt alia particularium eversionum in terrae motibus et inundationibus exempla, quorum jam inde a prima mundi origine contigerunt longe plurima. Nicomedia, Nicaea, Antiochia, Tripolis, Damascus etc. terrae motibus concussa conciderunt, quaedam urbes maris voragine et terrae hiatu sunt absorptae. Atqui ut judicia Dei particularia, quae adversus ecclesiae hostes et profligatae impietatis homines exercet, sunt praeludia universalis judicii in die novissimo adversus omnes exercendi, sic particulares illae urbium ruinae sunt praeludia universalis illius excidii, quo totus terrarum orbis in die judicii interibit. 3. *Ex secutura novi coeli novaeque terrae creatione.* Si juxta infallibilem Dei promissionem aliquando novum coelum ac nova terra creabitur, utique oportet priora aboleri, quia ut verba apostoli, alio tamen fine et scopo ab ipso prolata, huc accommodemus, *dicendo novum antiquavit prius, quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est* Hebr. 8, v. 13. Pulchre Clemens Romanus lib. 3. recognit.: *Necesse est, testam ovorum, quamvis pulchre et diligenter formata videatur, frangi et resolvi, ut inde pullus procedat et illud, pro quo totius ovi forma expressa videtur, appareat; ita et hujus mundi necesse est transire statum, ut status ille sublimior regni coelestis effulgeat.* 4. *Ex partium mundi corruptione.* Quotidianae sunt in mundo generationum ac corruptionum vicissitudines, ac partes mundi videmus interire, utique ergo totus aliquando interibit. Lactantius lib. 7. inst. c. 1: *Cum terram et aquam et ignem disperire, consumi exstinguique videamus, quae sunt utique mundi partes, intelligitur, id totum esse mortale, cujus membra sunt mortalia.* Augustinus in quaest. V. T. q. 28: *Res aeterna diversitatem abhorret, cum sit nec tactu, nec visu capienda, utpote incorporalis; hic autem (mundus) passioni obnoxius est, quia et aqua repugnat igni, et ignis, si amplius fuerit, superat aquam, et terra cum sit natura arida et frigida, patitur incendium, quasi res corporalis. Itaque inconveniens est mundum aeternum dicere, quem cum videmus passioni subjectum, et per secula senectute deficere credimus et finiri.* Mundus est ἑτεροκίνητον, id est aliunde regitur ac movetur, est ἑτεροσυνεκτικόν, aliunde conservatur, et illa causa prima regens et conservans libere agit, ergo manum operi subtrahente, totum collabi necesse est. 5. *Ex quotidianae experientiae testificatione.* Constat publico et in oculos omnium incurrente experientiae testimonio, totam rerum naturam ac totius universi molem quotidie magis magisque ad interi-

tum vergere, vires creaturarum decrescere ac tacita voce omnia clamare, quod finis mundi sit in propinquo. Singulae mundi partes aliquam sentiunt debilitatem, in plantis minor virtus, in animalibus lan-
XX. 24. guidiores vires, aetas brevior etc. Cyprianus ad Demetrian. sect. 3: *Scire debes, senuisse jam mundum, non illis viribus stare, quibus prius steterat, nec vigore et robore eo valere, quo antea praevalebat* etc. *Quodcunque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat, ut nemo mirari debeat, singula in mundo coepisse deficere, quando totus ipse jam mundus in defectione sit et in fine.* Et paulo ante: *Mundus ipse jam loquitur et occasum sui rerum labentium probatione testatur.* serm. 4. de moral. circa fin.: *Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus jam fatigata, jam lassa aedificiis senectute labentibus ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares* etc.? *Mundus ecce nutat et labitur et ruinam sui non jam senectute rerum sed fine testatur, et tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore subtractus ruinis et plagis imminentibus exuaris?* Chrysostomus hom. 33. in Joh.: *Non longe a fine absumus, sed jam mundus properat, hoc bella, hoc afflictiones, hoc terrae motus, hoc exstincta caritas significat. Quemadmodum enim corpus jam adventante morte innumeris malis afficitur et domus prope casum in ruinas fatiscit; ita orbis terrarum ad finem properans tantis undique malis conteritur.* Idem in orat. de vanit. et brev. vitae conqueritur, *nemini in mentem venire, quod haec mundana brevi ruitura sint, cum tamen res ipsae quotidie hoc clament.* Augustinus epist. 45. ad Armentar.: *Mundus tanta rerum labe contritus est, ut etiam speciem seductionis amiserit. Nam quantum illi laudandi atque praedicandi sunt, qui dignati non sunt etiam cum mundo florente florere, tantum increpandi et accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat.* Hac de re in usu practico dicetur plenius. 6. *Ex solicita creaturarum exspectatione.* Rom. 8, v. 19: ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως, *vehemens et anxia creaturae exspectatio*, qua velut exserto capite desiderat, *revelationem filiorum Dei exspectat.* v. 22 *Scimus, quod tota creatura simul ingemiscat et parturiat*, συστενάζει καὶ συνωδίνει, simul nobiscum ingemiscit ac velut parturientis dolores sustinet, *usque adhuc*, ubi per insignem προσωποποιΐαν καὶ ὑποτύπωσιν exprimitur desiderium illud, quo tota rerum universitas a vanitate et a servitute corruptionis, cui in spe propter homines subjecta est, liberari expetit. Jam vero ἀδύνατον est, hos gemitus creaturarum a Deo non exaudiri, cum testetur psaltes, quod etiam *pullos corvorum ad se clamantes audiat* Psalm. 147, v. 9. quod *catulos leonum rugientes et quaerentes a Deo escam saturet* Psalm. 104, v. 21. etc. 7. *Ex finis, propter quem mundus conditus est, remotione.* Homo non est praecipue ad hanc animalem sed coelestem vitam conditus, ut exacto in his terris vitae transitoriae curriculo cum Deo creatore suo in aeterna gloria ac laetitia vivat. Ergo etiam mundus non est conditus, ut in aeternum perseveret, sed ut homini ad hanc vitam necessaria per certum ac definitum tempus suppeditet; proinde etiam completo electorum numero abolebitur et succedet novi coeli ac novae terrae creatio, in quibus perfecta justitia habitet, 2. Petr. 3, v. 13. Terra ideo condita est, ut esset domicilium hominis viatoris; tota rerum universitas ideo creata est, ut esset speculum quoddam θεογνωσίας et homini in viâ hujus vitae inserviret, ergo quando homo Deum a facie ad faciem videbit ac in patriam appulerit, adeoque viator esse desierit, nullus amplius erit hujus seculi usus. Lutherus noster dicere fuit solitus: Die jetzige Welt ist nur eine Vorbereitung vnd Gerüste Gottes zu jener x:
Welt, wenn das Hauß fertig, so reisset man das Gerüste ein.

12. 3. *Ex omnis generis hominum suffragiis.* 3.
Possunt illi itidem in duas classes distribui. Qui- ni
dam enim sunt *intra*, quidam vero *extra ecclesiam.* ris nu
Ad priorem classem pertinent 1) *patriarchae, pro-* fra
phetae et apostoli, qui immediato Spiritus sancti afflatu impulsi finem mundi praedixerunt, quorum vaticinia in primo argumentorum genere enumeravimus. Memorabile cumprimis est, quod Josephus lib. 1. antiq. c. 2. circa fin. refert, *nepotes Sethi observationes suas astronomicas, ne ex hominum notitia dilaberentur, excitatis duabus columnis inscripsisse, quia noverant, Adamum universalem rerum interitum praececinisse, unum incendio, diluvio alterum, ut si lateritiam columnam diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret et, quae inscripta continebat, spectanda exhiberet.* 2) *Scriptores ecclesiastici*, qui unanimi consensu mundum certo tempore interiturum docuerunt, quamvis in eo sententiis varient, utrum κατ᾽ οὐσίαν mundus sit annihilandus, an vero κατὰ ποιότητας duntaxat immutandus, ut inferius apparebit. Justinus in orat. ad gent.: *Deus confusionem et interitum totius mundi, per quem mali angeli et daemones et homines non amplius exstent, fieri nondum permittit propter semen Christianorum, quod naturae rerum causam esse novit* etc. Irenaeus lib. 4. adv. haer. c. 8: *Et quid de Jerusalem dicimus, quandoquidem et figuram mundi universi oportet praeterire, adveniente tempore praeteritionis ipsius, ut fructus quidem in horrea colligatur, paleae autem derelictae comburantur?* Novatianus presbyter lib. de Trin.: *In operum divinorum sinu carbonum medius est ignis, quoniam ad igneum judicii diem mundus iste festinat.* Origenes hom. 5. in Gen.: *Apparet filius Loth didicisse quaedam de consummatione mundi, quae immineret per ignem, sed tanquam puellae non integre perfecteque didicerant, nescierunt, quod Sodomitis regionibus devastatis igne multum adhuc spatii integrum resideret in mundo, audierunt, in fine seculi terram et omnia elementa ignis ardore decoquenda.* Lactantius lib. 7. inst. c. 14: *Nos, quos divinae literae ad scientiam veritatis erudiunt, principium mundi*

finemque cognovimus. Basilius hom. 1. in hexaëm.: *Ne male persuasus credas, mundum hunc ut nullam aliquando sortitum originem, ita nec ullo fine olim contrahendum. Praeterit enim figura hujus mundi.* Gregorius Nyssenus de hominib. opif. c. 23: *Quemadmodum secula Dei verbo condita esse intelligimus atque de rebus nusquam apparentibus, ut apostolus ait, ea quae cernuntur, facta esse credimus; eadem persuasione hoc etiam Dei verbum amplectimur, quo res universas a motu cessaturas necessario praedixit.* Olymp. ad c. 12. Eccl.: *Sicuti per verbum Dei creatura mundi creata est, ita et divino jussu quandoque resolvetur.* Plura hujus generis dicta subjungentur in quaestione, an mundus *κατ' οὐσίαν* an *κατὰ ποιότητας* sit interiturus.

13. Ad posteriorem classem pertinent 1. *Judaei*, 2. *gentiles*. Judaeorum cabbalistae distinguunt inter עוֹלָם הַזֶּה *seculum praesens*, et עולם הַבָּא *seculum venturum*. Sic enim loquuntur: שְׁנֵי עוֹלָמוֹד עוֹלָם הַזֶּה וְעוֹלָם הַבָּא Schindlerus in voce עָלַם. Gentilium Sibyllae de fine mundi prophetarunt, ut
IX. 26. constat ex illis, quae in praeced. artic. de extr. judic. sunt adducta. Illis adde quae lib. 2. orac. Sibyllin. exstant:

Tunc ardens fluvius coelo manabit ab alto
Igneus atque locos consumet funditus omnes,
Terramque oceanumque ingentem et caerula ponti
Stagnaque, tum fluvios, fontes Ditemque severum
Coelestemque polum, coeli quoque lumina in unum
Fixa fluent, forma deleta prorsus eorum,
Astra cadent etenim de coelo cuncta revulsa.

Prosper de promiss. et praedict. Dei part. 4. c. 20. citat hosce versiculos Sibyllae:

Omnia cessabunt, tellus confracta peribit,
Sic pariter fontes, torrentes fluminaque igni.

Graeca sic habent lib. 2. orac.:

Καὶ τότε δὴ ποταμός τε μέγας πυρὸς αἰθομένοιο
Ῥεύσει ἀπ' οὐρανόθεν καὶ πάντα τόπον δαπανήσει,
Γαῖάν τ' ὠκεανόν τε μέγαν γλαυκήν τε θάλασσαν,
Λίμνας καὶ ποταμούς, πηγὰς καὶ ἀμείλιχον ᾅδην
Καὶ πόλον οὐράνιον.

lib. 3. orac.:

Τότε δὴ στοιχεῖα πρόπαντα
Χηρεύσει, κόσμῳ ὁπόταν θεὸς αἰθέρι ναίων
Οὐρανὸν εἰλίξει, καθάπερ βιβλίον ἐλεῖται.
Πεσσεῖται πολύμορφος ὅλος πόλος ἐν χθονὶ δίᾳ
Καὶ πελάγει, ῥεύσει δὲ πυρὸς μαλεροῦ καταράκτης
Ἀκάματος, φλέξει δ' αἶαν, φλέξει δὲ θάλασσαν
Καὶ πόλον οὐράνιον καὶ ἤματα καὶ κτίσιν αὐτὴν
Εἰς ἓν χωνεύσει etc.

Notus est versiculus Orphei:

Ἕκτῃ ἐν γενεῇ κόσμος καταπαύσετ' ἀοιδῆς.

Clemens Alexandrinus libr. 5. stromat. cap. 5. p. 606. sq. adducit versus Sophoclis:

Ἔσται γὰρ ἔσται καινὸς αἰώνων χρόνος,
Ὅταν πυρὸς γεμόντα θησαυρὸν σχάσῃ
Χρυσωπὸς αἰθήρ, ἡ δὲ βοσκηθεῖσα φλὸξ
Ἅπαντα τἀπίγεια καὶ μετάρσια
Φλέξει μανεῖσα — —
— — ὅταν δ' ἐκλίπῃ τὸ πᾶν,
Φροῦδος μὲν ἔσται κυμάτων ἅπας βυθός
Γῆ δ' ἑδράνων ἔρημος, οὐδὲ γάρ τ' ἔτι
Πτερωτὰ φῦλα βαστάσει πυρουμένη.
Καὶ γὰρ καθ' ᾅδην δύο τρίβους νομίζομεν·
Μίαν δικαίων, χἀτέραν ἀδίκων ὁδόν.
Κἄπειτα σώσει πάνθ', ἃ πρόσθ' ἀπώλεσεν.

Erit profecto seculi tempus novum, IX. 27.
Quando ignis effundet refertas copias,
Auratus aether, flamma quae pasta et fuit,
Terrena cuncta cunctaque et sublimia uret furens,
Sed universum ubi defecerit,
Totum profundum tunc peribit fluctuum,
Tellus manebit et deserta, non enim
Pennata producet folia igne torrida,
Servabit at deinde cuncta, quae perdiderat.

Ovidius lib. 1. Metamorph. fab. 9:

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus correptaque regia coeli
Ardeat et mundi moles operosa laboret.

Idem in Amor. 1:

Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
Exitio terras cum dabit una dies.

Lucretius lib. 5:

Principio maria ac terras coelumque fuere,
Horum naturam triplicem, tria talia texta
Una dies dabit exitio, multosque per annos
Sustentata ruet moles et machina mundi.
Nec me animus fallit, quam res nova miraque menti
Accidat, exitium coeli terraeque futurum.

Lucanus lib. 1. Pharsaliae:

— — Sic, cum compage soluta
Secula tot mundi suprema coëgerit hora,
Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis
Sidera sideribus concurrent, ignea pontum
Astra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum, fratri contraria Phoebe
Ibit et obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poscet sibi, totaque discors
Machina divulsi turbabit foedera mundi.

Idem libr. 7:

— *Hos populos si nunc non usserit ignis,*
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti;
Communis mundo superest rogus, ossibus astra
Mixturus etc.

Eusebius lib. 11. de praeparat. evang. c. 17. adducit locum Platonis in Timaeo: *Tempus cum coelo factum esse tradit, ut simul facta simul etiam dissolvantur, si quando dissolutio quaedam eorum fiet* Athenagoras in legat. pro Christ. Minucius Felix in Octavio et Eusebius lib. 3. praepar. ev. cap. 15. testantur, hanc fuisse etiam Stoicorum doctrinam, inter quos omnium vetustissimi, ut Zeno, Cleanthes et Chrysippus etc. tradiderunt, *omnia post longos circuitus in ignem et aevum resolvenda.* Seneca, Stoicorum vestigiis libenter insistens, in libro de consolat. ad Marciam sub fin. sic scribit: *Si tibi potest esse solatio commune fatum, nihil, quo stat*
XX. 28. *loco, stabit; omnia sternet adducetque secum vetustas* etc. *supprimet montes, sorbebit maria.* Et postea: *Cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus exstinguat, viribus ista se suis caedent et sidera sideribus incurrent et omni flagrante materia, uno igne, quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit.* Minucius Felix d. l. Epicureos *de elementorum conflagratione et mundi ruina* eadem cum Stoicis sentire asserit. Lactantius lib. 7. inst. c. 1. de Epicuro philosopho scribit, *ea in re ipsum fuisse veridicum, quod mundum et ortum aliquando fuisse et aliquando esse periturum dixerit.* lib. ejusd. cap. 14: *Etiam seculares prophetae finem rerum annuntiant.* Hieronymus lib. 14. in Esaiam: *Etiam philosophorum mundi haec est opinio, omnia quae cernimus, igni peritura.* Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolyc.: *Quod conflagrationem mundi nolentes volentes consentiunt cum prophetis philosophi, quamvis temporis respectu his multo sint juniores, attamen ea ex lege et prophetis suffurati sunt.* Haec omnia saniores gentiles vel ratiocinio humano collegerunt, ruituram scilicet ac desituram tandem illam molem tot temporum motibus conquassatam inferentes, vel ex schola patriarcharum in Aegypto perceperunt ἀπὸ πηγῆς ἀρυσάμενοι τὰ δόγματα, *ex vero fonte sua dogmata haurientes*, ut de illis loquitur Theophilus Alexandrinus contra gentes lib. 1. Quia vero in hac assertione sibi non constiterunt, ut ex sequentibus apparebit, ideo recte de illis pronuntiat Lactantius d. l. quod non *comprehenderint veritatem, sed leviter tantum odorati fuerint, ita ut nullo modo senserint, unde eos odor ille sapientiae tam suavis, tam jucundus afflaret.*

Antithesis. 14. Antithesis. Orthodoxian in hoc doctrinae coelestis capite labefactant quidam *directe*, quidam *oblique;* quidam *intra ecclesiam*, quidam *extra ecclesiam.* Intra et extra ecclesiam, mundum finem habiturum esse negant ἐμπαῖκται, *illusores et Epicurei*, quorum voces μιμητικῶς a Spiritu sancto exprimuntur Esa. 56, v. 12: *Venite, sumamus vinum et inebriemur sicera, et erit secundum diem hunc cras vel major erit valde*, i. e. sicut continuantur dies, ita quoque continuabimus compotationes, quin et ad hodiernam intemperantiam crastinus dies majora adjiciet incrementa. At si metuerent, ne hodierno vel crastino die finis mundi adesset, non tam secure voluptatibus indulgerent. 2. Petr. 3, v. 3: *Venient in novissimis diebus empaectae juxta proprias concupiscentias ambulantes* v. 4. *ac dicentes, ubi nunc promissio adventus ejus? ex quo enim patres obdormiverunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae.* Confer 2. Tim. 3, v. 1. Judae v. 18. sed in die novissimo re ipsa intelligent, sese plurimum fuisse hallucinatos. Intra ecclesiam *haeretici* varii, 1. *Cerinthus* per coeli terraeque destructionem ac novorum coelorum creationem nihil nisi Hierosolymitanae urbis devastationem ac rei publicae Judaicae instaurationem intelligendam esse voluit. 2. *Innominati quidam haeretici* apud Augustinum de haeres. c. 67. *hunc mundum in eodem statu, in quo nunc est*, docebant *esse mansurum.* 3. *Aeternales* ex dicto Genes. 8, v. 22. perpetuo hujus seculi statum absque ulla rerum mutatione mansurum colligebant. 4. *Origenes* apud Hieronymum tom. 3. fol. 69. epist. 59. ad Avitum *Quid cavendum in libris Origenis* περὶ ἀρχῶν *c. 3. successivam quandam mundorum creationem et destructionem statuit. Rursum ait Origenes de mundo: Nobis autem placet et ante hunc mundum alium fuisse mundum et post istum alium futurum. Vis discere, quod post cor-* XX.
ruptionem hujus mundi alius sit futurus? audi Esaiam loquentem: Erit coelum novum et terra nova, quae ego facio permanere in conspectu meo. Vis nosse, quod ante fabricam istius mundi alii mundi in praeterito fuerint? ausculta ecclesiasten: Quid est, quod fuit? ipsum quod erit; et quid est, quod factum est? ipsum quod futurum est. Et non est omne novum sub sole, quod loquatur et dicat: Ecce hoc novum est, jam enim hoc fuit in seculis pristinis, quae fuerunt ante nos. Quod testimonium non solum fuisse, sed futuros mundos esse testatur, non quod simul et pariter omnes fiant, sed alius post alium. Sic ergo Origenes existimabat, *plures fore mundos per successionem*, quam fuisse etiam philosophi Democriti opinionem, refert Simplicius teste Thoma comm. 1. de coelo c. 9. 5. *Felicis Manichaei* regula erat, quam pertinaciter contra Augustinum defendebat: *Non modo quod genuit sed etiam quod fecit Deus, immutabile et aeternum est, sicut ipse immutabilis est et aeternus*, Augustinus de actis cum Felice lib. 2. c. 19. 7. *Albanenses* dicunt, *quod mundus iste semper fuit, nunquam habebit finem, quod judicium futurum jam factum est et amplius non fiet.* Guido de Albanensib. Antonin. p. 4. tit. 11. c. 7. §. 5. **Sub annum Domini 1001. cum multi diem finis mundi praedixissent eorumque praedictio deprehensa esset falsa, nata est haeresis dicentium, *mundum esse incorruptibilem*, quae se S. Petri loco 2. epist. 3. tueri conabitur, uti ex Abbone abbate Floriacensi refert Baronius anno dicto.**

15. *Extra ecclesiam* negarunt, mundum interiturum, 1. *quidam ex Judaeis.* Philo integrum librum scripsit hoc titulo *περὶ ἀφϑαρσίας τοῦ κόσμου*, quod *mundus sit incorruptibilis*, in quo inter cetera sic loquitur: *Dicere mundum divinitus occidere flagitiosissimum est. Neque enim Deus auctor est inordinationis, confusionis, interitus, sed ordinis, venustatis et vitae, omnisque eum causam boni esse in confesso est apud eos, qui veritatem profitentur.* 2. *Mahumet* in colloquio cum Judaeis propter *hunc alium mundum factum esse* nugatur, *qui sit perpetuus.* Centuriae Magdeburgenses 7. col. 610. 3. *Quidam gentiles.* Diodorus Siculus lib. 1. biblioth. c. 6. p. 10: *De primo hominum ortu duae apud summae auctoritatis physiologos et historicos, παρὰ τοῖς ὀνομαστοτάτοις καὶ νομιμωτάτοις τῶν τε φυσιολόγων καὶ τῶν ἱστορικῶν, sententiae habentur. Alii enim horum, qui et ortus et interitus expertem esse mundum statuerunt, hominum etiam genus ab aeterno sine ullo generationis principio exstitisse affirmaverunt; alii contra, qui et genitum hunc mundum et corruptioni obnoxium esse censuerunt, perinde atque illum homines quoque certo tempore ortum consecutos esse asseveraverunt.* Idem libro 2. c. 30. p. 143: *Chaldaei mundi quidem naturam sempiternam esse perhibent, quae neque certum principii ortum habuerit, neque corruptionem ullo deinceps tempore admissura sit.* De Pythagoreis idem testatur Philo d. l. Xenophanes *mundum nec factum, nec interiturum, sed ἀτελεύτητον καὶ ἄφϑαρτον* esse docuit, referente Galeno lib. de historia philos. c. 42. in append. oper. p. 5. et Plutarcho lib. 2. de placit. ac decret. philos. c. 4. Plato, *quia coeleste*
X. 30. *mysterium, quod non nisi a prophetis ac Deo docente discitur, ignorabat, ideo in perpetuum dixit, esse mundum fabricatum*, ut de ipso loquitur Lactantius lib. 7. inst. c. 1. non longe a princ. *Platonici mundum ortum habuisse, nunquam autem interiturum dicebant*, referente Damasceno in libr. de haeresib. p. 575. Aristoteles cum non videret, quemadmodum posset tanta rerum magnitudo interire, et hanc praescriptionem vellet effugere, *semper ait fuisse mundum ac semper futurum*, ut de ipso loquitur Lactantius d. l. Sane Scaliger exerc. 3. et Conimbricenses 8. physic. 2. q. 2. art. 2. summum philosophum excusare conantur, quod *mundum duntaxat ingenitum esse* dixerit ac *naturaliter eum interiturum* negaverit, sed contra eos multis insurgit Taurellus de rerum aeternit. part. 2. p. 260. Confer lib. 8. *φυσικ. ἀκρ.* text. 4. 10. 11. 15. 53. 76. et 1. de coel. text. 20. et 22. lib. 12. metaphys. text. 30. et 48. in libr. meteor. *ridiculum esse* asserit, *ob paucas levesque mutationes mundi totius permutationem statuere, indeque universi cladem colligere.* Pro Aristotelis opinione acerrime pugnat Averroës 4. physic. comm. 6. et 8. physic. comm. 4. et 15. lib. 1. de coelo comm. 22. etc. eandem vero late refellit Thomas lib. 2. contra gentil. c. 32. et part. 1. q. 46. art. 1. Cicero lib. 2. de nat. deor. totum mundum nec ortum esse, nec finem habiturum, sed partes ejus aliquas propter exustiones eluvionesque terrarum interituras. Plinio tribuitur vesana illa opinio, quod senserit, *mundum esse numen aeternum, immensum, neque genitum, neque interiturum unquam, totum in toto, imo ipsum totum*, hist. nat. lib. 2. c. 1. Galenus itidem de mundi duratione judicandum putat ex praecedentium temporum experientia. *Semper ita stetit, sic igitur perdurabit.* Manilius de eo sic canit:

Non alium videre patres, aliumve nepotes.

Columella in praefat. lib. 1. de re rust.: *Quas ego causas, P. Sylvane, procul a veritate abesse certum habeo, quod neque fas existimare humi naturam, quam primus ille mundi genitor perpetua foecunditate donavit, quasi quodam morbo sterilitate affectam, neque prudentis credere, tellurem, quae divinam et aeternam juventam sortita communis omnium parens dicta sit, quia et cuncta peperit semper et deinceps paritura sit, velut hominem consenuisse.* Porphyrius Christianos ob hoc maximae arguebat stultitiae, etiam ex oraculis deorum suorum, quod istum mundum dicerent esse periturum, referente Augustino lib. 20. de civ. Dei c. 24. ubi contra Porphyrium vel maxime urget locum Psalm. 102, v. 27. Proclus philosophus in epicherematibus, *mundum incorruptibilem esse* contendit, cujus argumenta recitat ac refellit Johannes Grammaticus, vulgo dictus Philoponus, in libro, quem ea de re adversus Proclum scripsit. Atque haec de mundi aeternitate opinio philosophis adeo familiaris est, ut Tertullianus lib. 1. adv. Marc. c. 13. scribat, *plerosque physicos formidasse initium ac finem mundo tribuere.* Contra hos ac similes graviter invehitur Augustinus serm. 143. de temp.: *Mundum aeternum esse dicitis, semper futurum, nunquam finiendum.*

16. Quomodo vero de fine mundi gentiles certi quid statuere potuissent, cum nec *de origine*, nec *de duratione* ejusdem invicem secum vel etiam cum veritate consenserint? De origene tres potissimum amplexi fuere opiniones. Quidam enim *mundum ab*
aeterno fuisse, quidam *in tempore eum exsistere* XX. 31.
coepisse, quidam *ex fortuito atomorum concursu novos quotidie mundos nasci et interire* somniarunt. De duratione mundi mirificas foverunt sententias. Plato in Timaeo p. 706. dicit, *ante novem annorum millia alias fuisse Athenas et longe praestantiores cives.* Ibidem Soloni exprobratur a sacerdote quodam Aegyptio, *quod Graeci semper sint pueri ob ignorantiam rerum veterum, quae apud ipsos et Aegyptios contigerunt*, cum e diverso in commentariis Aegyptiorum *ὀκτακισχιλίων ἐτῶν, octo annorum millium, historiae* consignatae exstent. lib. 1. de legib. scribit, *Aegyptios annorum decem millia egisse ante alios homines.* lib. 3. de legib. dicit, *μυριάκις μυρία ἔτη, decies millies dena millia annorum, ignorari.* Herodotus lib. 2. c. 43. refert, *Aegyptios ab Hercule usque ad Amasim Aegypti regem numerare septendecim annorum millia*, cum quo fere

congruit illud Diodori Siculi lib. 1. biblioth. c. 24. *Aegyptios ab Hercule numerare plus quam decem annorum millia.* lib. 1. c. 44. *deos et heroes in Aegypto regnasse paulo minus decem et octo annorum millibus.* lib. 2. c. 31. *Chaldaeos quadringenta septuaginta tria annorum millia numerare usque ad Alexandri adscensum*, ex quo astrorum observationes abs se coeptas gloriantur. De iisdem Chaldaeis testatur Cicero lib. 1. de divinat. c. 19. quod *aut stulte, aut vane, aut imprudenter*, vel ut Lactantius judicat lib. 7. inst. c. 14. *delire* quadringenta et septuaginta annorum millia in literarum suarum monumentis consignata se habere gloriati fuerint. Prometheum *ad triginta annorum millia in Caucaso religatum fuisse a Jove ob monstratum hominibus ignem*, ex Aeschylo refert Ludov. Vives in exposit. lib. 18. de civ. Dei c. 8. Sotion lib. 23. successionis narrat, a Vulcano Nili Aegyptii filio, cui ignis inventionem et philosophiae principia tribuunt, usque ad Alexandrum Magnum fluxisse *annos quadragies octies mille octingentos sexaginta tres.* Plinius lib. 30. nat. histor. c. 1. ex Eudoxi testimonio scribit, *Zoroastrem Bactrianorum regem quinque millibus annorum ante bellum Trojanum fuisse;* Plutarchus vero libr. de Iside et Osiride ex aliorum commentariis memorat, *praecessisse eum tempora belli Trojani quinque annorum millibus.* Confer Neandrum in theolog. in cap. de vit. aetern. p. 690. Constat autem in ecclesia, 1. mundum certo tempore a Deo esse conditum; 2. necdum a prima mundi origine sex millia annorum effluxisse, quod tempus, si ad aeternitatem compararetur, est *στιγμή, μᾶλλον δὲ μόριον βραχύτερον στιγμῆς*, ut Plutarchus in oration. consolat. ad Apollonium; 3. mundum certo et divinitus constituto tempore iterum esse interiturum.

Argumenta pro mundi aeternitate. 1. Ex Scripturis. 17. Ceterum pro mundi aeternitate adstruenda afferuntur tum *Scripturae dicta*, tum *quaedam ex rationis principiis deducta argumenta.* Scripturae dicta potiora haec sunt, 1. Gen. 8, v. 22: *Cunctis diebus terrae sementis et messis, frigus et aestus* etc. *non cessabunt.* Respondemus: contrarium potius ex hoc oraculo divino demonstravimus superius §. 7. 2. Deut. 33, v. 15. *mentio fit collium* עֹלָם, quod Chaldaeus reddidit דְּלָא פָסְקָן, *qui non cessant*, Vulgata *collium aeternorum.* Respondemus: ostendimus superius, voc. עוֹלָם non semper in Scripturis significare absolutam aeternitatem, sed longum tem-
XX. 32. pus praeteritum aut futurum, cujus duratio fere est abscondita, descendit enim a rad. עָלַם, *abscondit*, pro ratione igitur subjectae materiae explicanda est, ac dicuntur *colles seculi* vel respectu temporis praecedentis, quod *a seculo*, id est jam inde a prima mundi origine, exstiterint, quomodo Chaldaeus reddidit Genes. 49, v. 26. דְּמִן עָלְמָא, *qui sunt a seculo;* vel respectu temporis sequentis, *quod in seculum*, id est usque ad mundi finem, sint permansuri. 3. Psalm. 89, v. 29: *In aeternum servabo illi misericordiam meam v. 30. et ponam in seculum seculi semen ejus et thronum ejus sicut dies coeli. Si dies coeli sunt aeterni, etiam ipsum coelum erit aeternum.* Respondemus: Si coeli nomine intelligatur beatitudo piorum in futuro seculo, tum utique dies hujus coeli sunt aeterni, quia beatitudo est aeterna, qua ratione *dies coeli* opponuntur *diebus terrae* Genes. 8, v. 22; sin vero coeli nomine intelligatur coelum stellatum sive firmamentum, quod perpetua circumrotatione dierum ac noctium discrimina in hoc visibili mundo efficit, dicendum erit, quod conjungatur duratio regni Messiae usque ad finem mundi et usque in omnem aeternitatem, sicut Christus promittit Matth. 28, v. 19. se adfuturum piis *usque ad consummationem seculi*, ac 1. Thess. 4, v. 17. dicitur, quod in aeternum praesens sit suis futurus, ex quo tamen inferri nequit, praesens seculum in aeternum duraturum, quia vox *συντελείας* contrarium evidenter testatur. Utraque explicatio fidei est analoga, interim tamen prior textui magis congruit, tum quia aeternitatis descriptio praecedit, לָעַד, tum quia *dies coeli* a diebus terrae videntur distingui. 4. Psalm. 148, v. 6: *Stare fecit ea* לָעַד לְעוֹלָם *in perpetuum, in seculum, statutum dedit et non praeteribit.* Respondemus: v. 5. in genere de omnibus creaturis dicitur, *ipse praecepit et creata sunt.* At nemo dixerit, omnes creaturas esse aeternas. Accipiuntur ergo voces עַד et עוֹלָם non *aeternaliter sed temporaliter* pro constituto divinitus cuique creaturae durationis termino, ut sit sensus, Deus corporibus coelestibus praescripsit certos motus et quibusvis creaturis sua munia, suum ordinem, quem observant usque ad diem novissimum. 5. Eccles. 1, v. 4: *Generatio praeterit et generatio advenit, terra autem in aeternum stat*, Hebr. לְעוֹלָם, cum quo congruit illud Psalm. 104, v. 5: *Fundasti terram super basin suam, non inclinabitur in seculum seculi.* Respondemus: Qui mundum non secundum substantiam interiturum, sed secundum qualitates duntaxat immutandum statuunt, respondent, *terram permansurum in aeternum, ratione scilicet substantiae*, Salonius in comm. h. l. Sed hypothesin illam si non falsam, tamen dubiam et incertam esse suo loco ostendemus. Quidam respondent, *Salomonem ut alia in hoc libro, ita quoque hoc ipsum dicere non secundum divinam eamque occultam veritatem, sed secundum id, quod humana ratio manifeste assequi potest*, dicere ergo eum, quod terra sit permansura et nunquam peritura, cum nobis nihil de ejus futuro interitu liquido constet, et propterea, quod jam tot seculis eam permansisse animadverterimus, permansuram quoque in sempiternum, credendum nobis videatur. Sed hoc ipsum contra pertinacem adversarium vix demonstrari potest. Quidam respondent, haec et similia dicta accipienda esse *κατὰ δόκησιν*, homines enim existimant, terram in aeternum permansuram. Sed haec explicatio est nimis diluta, neque enim verisimile est, Spiritum sanctum falsam hominum opinionem voluisse stabilire vel saltem fomenta eidem subministrare. Respondemus igitur ex illis XI.
quae superius tradita, vocem עוֹלָם h. l. significare aeternitatem non absolutam sed *periodicam et de-*

terminatam, videlicet certum aliquod diuturni temporis spatium, cujus duratio ab oculis hominum est abscondita. Ex oppositione sensus est manifestus. *Generatio praeterit et generatio advenit*, id est homines moriuntur et oriuntur, estque perpetua vicissitudo venientium in mundum et ex mundo discedentium, sed terra perseverabit stabilis, nimirum usque ad terminum durationi suae divinitus praefixum. Alcuinus Caroli Magni praeceptor in comment. h. l.: *Terra in seculum stat, non in secula seculorum, quia coelum et terra transibunt et ecce facta sunt omnia nova.* 6. Eodem sensu accipiendum quod Eccles. 3, v. 14. dicitur: *Didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent* לְעוֹלָם, in seculum, non in aeternum, quia v. 1. *omnia tempus habent et suis spatiis transeunt*, sed in constitutum durationis suae terminum. Quodsi enim absoluta aeternitas hic intelligeretur, omnia Dei opera, etiam bruta et corpora mixta, forent aeterna. 7. Esa. 54, v. 10: *Montes recedent et colles nutabunt, misericordia autem erga te non recedet*, id est futurum potius, ut montes recedant, quam ut misericordia mea recedat. Respondemus: ex aliis Scripturae dictis constat, haec non esse accipienda per comparationem impossibilium sed imparium. In liberatione finali, quae per Christum nobis continget, quando ad vitam aeternam excitabimur, vere recedent montes, sed *misericordia ipsius confirmata est super nos in aeternum* Psalm. 117, v. 2. 8. Jerem. 31, v. 35: *Haec dicit Dominus, qui dat solem in lumen diei, ordinem lunae et stellarum in lumen noctis.* v. 36 *Si defecerint leges istae coram me, dicit Dominus, tunc et semen Israël deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus. Atqui ecclesia manet in aeternum.* Respondemus: benevola ac benefica haec est promissio, quod Deus usque ad finem mundi sibi aliquam ex genere humano colligere velit ecclesiam eandemque adversus hostes perpetuo tueri, sed ex eo inferri nequit, vel mundum nunquam interiturum, vel ecclesiam una cum mundo interituram, quia inclusio unius non est exclusio alterius. Deus colliget sibi ecclesiam et servabit eam usque ad mundi finem, non tamen postmodum eam deseret, sed ad se in coelestem gloriam transferet, ut cum ipso in aeternum vivat ac triumphet. Hieronymus in comm. h. l.: *Interrogemus Judaeos, si coeli peribunt et omnes quasi vestimentum veterascent, quomodo semen Israël potest esse perpetuum? aut enim pereuntibus coelis peribit et semen Israël, aut si fuerit perpetuum, ergo nec coeli peribunt. Quodsi Scriptura mentiri non potest et perituri sunt coeli, peribit igitur et semen Israël, maxime cum et Jacob loquatur ad filios: Venite et annuntiabo vobis, quid futurum sit in novissimis diebus. Quando autem dicitur, in novissimis diebus, ergo mundus cessabit et alia fiet rerum dispositio. Hoc adversum illos. Ceterum nostris mundum istum non esse perpetuum, etiam evangelium demonstrat dicens: Coelum et terra transibunt, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Dicamus et aliter. Quamdiu mundus iste fuerit, semen Israël et gentem Judaicam permansuram, non in his, qui nunc increduli sunt, sed in his, qui cum apostolis et per apostolos crediderunt, ut reliquiae salvae fierent.* Posset etiam responderi, comparationem in eo consistere, quod quemadmodum naturalis ordo rerum in cursu solis, lunae ac stellarum nullis viribus humanis mutari potest, ita adversus ecclesiam XX. 34.
nullas hostium vires esse praevalituras; sed ex eo inferri nequit, quod ne quidem ab ipso Deo ille rerum ordo mutari possit, contrarium enim re ipsa jam ante demonstravit Jos. 10, v. 13. Esa. 38, v. 8.

18. *Rationes* formantur ejusmodi, 1. *a stabili naturae perpetuitate. Si omnia ab initio creationis in eodem statu perseverabunt, utique etiam deinceps in perpetuum eodem modo permanebunt. Sed verum prius, ergo et posterius.* Hoc argumento usuros empaectas risu Sardonio conciones de mundi fine irridentes ostendit Petrus 2. epist. 3, v. 4. sed apostolus illis respondet negando tum *connexionem propositionis*, tum *assumtionem argumenti.* Connexioni opponit mundi creationem. Si Deus potuit mundum creare, utique etiam potest eum iterum destruere. Quod autem Deus olim creaverit mundum, illud probat ex propriae conscientiae testimonio. *Sponte ipsos latet,* inquit, *coelos jam olim exstitisse per Dei sermonem.* Neve exciperent, *quaestionem esse de Dei voluntate, an scilicet velit mundum destruere, non de potestate, an illud facere possit, ideo addit, eos qui nunc sunt coelos ac terram repositos eodem Dei sermone servari igni in diem judicii.* Assumtioni opponit *diluvium*, quia enim priscus ille mundus aqua inundatus periit, ex eo manifestum, non esse veritati consonum, quod omnia ab initio creationis ita permanere dictitant; ideo etiam diluvii mentionem facit, ut ostendat, Deo facillimum esse, totam rerum naturam unico verbo, imo nutu, convertere et evertere. Forte etiam mentione diluvii apostolus nos deducere voluit ad arcum post diluvium in nubibus erectum, cujus color purpureus mundum igne conflagraturum esse nos admonet, sicut caeruleus diluvii est monumentum. Adde quod argumentum ab experientia temporis praecedentis ad durationem rei in futurum ductum sit perquam lubricum, quia praecedentis temporis historia docet, qualis res fuerit hactenus, non autem qualis in posterum sit futura, ac de rei duratione non judicandum est ex statu antegresso, sed ex natura ac voluntate causae conservantis. Justinus in evers. dogm. quorundam Aristot.: *Quod mundus esse coepit et aliquid est et mire durat, voluntas Dei in causa est.* Jam vero Deus causa mundi conservans certum constituit diem, in quo totum hoc mundi aedificium destruere velit. 2. *A consequente absurditate. Si coelum utpote Dei thronus ac terra scabellum pedum ejus interibit, adeoque Dei domicilium destruetur, utique etiam ipse Deus interibit*, Esa. 66, v. 1. Act. 7, v. 49. Hoc argumento veteres quosdam haereticos fuisse usos, testis est Irenaeus lib. 4. adv. haeres. c. 6. p. 236: *Quoniam* (inquit) *malignantes dicunt, si enim coelum*

2. ex rationibus.

thronus Dei est, terra subpedamentum ejus, dictum est autem, praeterire coelum et terram, hisque praetereuntibus oportet etiam hunc Deum, qui supersedeat, praeterire, et ideo non hunc esse Deum, qui sit super omni. Irenaeus vero respondet illis hoc modo: *Primo quidem nesciunt, quid sit coelum thronus et terra subpedaneum; nec enim sciunt, quid sit Deus, sed putant, eum more hominis sedere et contineri, non autem continere; sed et praeteritionem coeli et terrae ignorant. Paulus autem non ignoravit dicens: Praeterit autem figura hujus mundi. Deinde quaestionem eorum solvit David, figura enim hujus mundi praetereunte non solum Deum ait per-*
XX. 35. *severare, sed et servos ejus*, Psalm. 102, v. 26. et 27. *dicens ita: initio terram tu fundasti, Domine, et opera manuum tuarum sunt coeli, ipsi peribunt, tu autem perseverabis etc. manifeste ostendens, quae sint, quae praeterierunt, et quis est, qui semper perseverat Deus cum servis suis* etc. Nos simplicissime respondemus, primo ne quidem in sublunaribus et humanis procedit hoc argumentum, quod domicilio destructo etiam pereat habitator. Secundo *Deum nec coelo, nec terra contineri, sed coelos palmo metiri ac tribus digitis molem terrae appendere* Esa. 40, v. 12. unde negatur *super terram habitare* 1. Reg. 8, v. 27. eo scilicet modo, ut contineatur mundo, sicut homo continetur domus suae habitaculo ac ut ad sui exsistentiam mundo indigeat, additur enim, *quod coeli coelorum eum non capiant* 2. Paral. 2, v. 6. c. 6, v. 18. Tertio Deus ab aeterno exstitit, antequam coelum et terra crearentur Psalm. 90, v. 2. Prov. 8, v. 22. etc. ergo etiam destructo coeli terraeque opificio in aeternum permanere potuit. Sed in re manifesta pluribus opus non est. 3. *A divinae voluntatis immutabilitate. Si Deus mundum utpote aedificium a se constructum iterum destrueret, voluntas ejus mutaretur, ac similis esset architecto destruenti, quod aedificaverat.* Respondemus: Deus ut non est in sua essentia ac voluntate mutatus *per mundi creationem*, ita quoque non mutabitur *per mundi destructionem*. Constituit ab aeterno certum diem, in quo totum hoc universum destructurus est, ut Scripturae oracula testantur. Quodsi ergo non destrueret, id est si non faceret, quod se facturum constituerat, tum utique voluntatis ejus consilium mutaretur. Nec vitio vertitur architecto, si aedificium vetustate attritum ac ruinae proximum destruat ejusdemque loco novum longe splendidius et augustius erigat. Clemens Romanus lib. 3 recognit. inducit Simonem Magum Petro apostolo ejusmodi quaesitum proponentem: *Si visibile istud coelum, ut ais, dissolvetur, cur ab initio factum est?* Respondet Petrus, *propter hominum praesentem hanc factum esse vitam, ut esset interjectio quaedam ac divisio, ne quis forte indignus habitationem coelestium et Dei ipsius sedem videret, quae his solis, qui mundi corde sunt, videnda praeparantur.* Excipit Simon: *Si conditor bonus est et mundus bonus est, quomodo bonus bona dissolvet aliquando? Si autem quasi malum resolvit ac destruit, quomodo non videbitur malus, qui malum fecit?* Petrus respondet: *Audi ergo nunc. Coelum istud, quod visibile est et pertransit, siquidem propter semet ipsum factum esset, haberet fortassis quod dicis, aliquid rationis, quia resolvi minime deberet; si vero propter aliud quid factum est et non propter se, necessario solvetur, ut illud, pro quo factum videtur, appareat.*

CAPUT III.

DE CAUSA EFFICIENTE DESTRUCTIONIS MUNDI.

19. *Causa efficiens principalis* sive agens primarium in mundi destructione est ipse Deus, quod probatur 1. *Scripturae dictis.* Psalm. 102, v. 27. Hebr. 1, v. 11: *Coeli sicut vestimentum veterascent, et sicut indumentum mutabis eos et mutabuntur.* Dan. 2, v. 45: *Lapis sine manibus abscissus consumit ferrum, aes, testam* etc. Hagg. 2, v. 7: *Movebo coelum et terram.* 1. Cor. 15, v. 24: *Evacuabit Chri-* XX. 36.
stus omnem principatum et potestatem et virtutem. 2. Petr. 3, v. 12: *Per diem Domini coeli igne succensi solventur*, id est in novissimo illo die Deus coelos igne dissolvet. Apoc. 20, v. 11: *A facie sedentis super thronum fugit terra et coelum.* Huc pertinent etiam illa Scripturae dicta, in quibus Deus dicitur *ignis consumens* Deuter. 4, v. 24. Hebr. 12, v. 29. in quibus dicitur *in igne ad judicandum venturus* Psalm. 50, v. 3. Esa. 66, v. 15. etc. quia ignis ille divina virtute excitatus omnia vastabit et consumet, in quibus *coelum et terra dicuntur verbo Dei* τεθησαυρισμένα καὶ πυρὶ τηρούμενα 2. Petr. 3, v. 7. quia hoc *repositum in Dei thesauris* Deut. 32, v. 34. 2. *Argumentis* 1) *a primaeva creatione.* Idem qui in principio coelum et terram condidit, in fine seculi eadem destruet. Psalm. 102, v. 26: *Initio tu Domine fundasti terram, et opera manuum tuarum sunt coeli*, v. 27. *mutabis eos ut vestimentum.* 4. Esd. 6, v. 6: *Facta sunt omnia creata per me solum et non per alium, et finis per me solum et non per alium.* 2) *A mortuorum resuscitatione et extremi judicii administratione.* Is qui dormientes ex terrae pulvere excitabit et ad judicium eos vocabit, etiam mundum et omnia, quae in eo sunt, abolebit. Esa. 66, v. 16: *In igne Dominus judicabit et in gladio suo ad omnem carnem, et multiplicabuntur interfecti a Domino.* 3) *A secutura novi coeli ac novae terrae creatione.* Is qui nova creabit, vetera etiam antiquabit. Esa. 65, v. 17: *Ecce ego creo coelos novos* etc. Erit autem haec mundi destructio *actio Dei extraordinaria ac singularis*, quia si generalem causae primae concursum in mundi sustentatione ac gubernatione respicere velimus, juxta eum perpetuo durare posset mundus, sed quando Deus manum suam quasi subtrahet *ac faciem suam evertet* Psalm. 104, v. 29. tunc totum mundi aedificium collabetur,

Causa efficiens destructionis mundi.

mia enim jam in ipso συνέστηκε Col. 1, v. 17. ac *mia portat verbo virtutis suae* Hebr. 1, v. 3. Erbant igitur Stoici, qui cum audierant, mundum aflagraturum, ad causas naturales illam congrationem referebant dicentes, eam fore, *cum more consumto nec terra ali posset nec aër remeet*, referente Cicerone lib. 2. de natur. deor. c. 46. stinus in orat. ad gent.: *Nos exustionem fore dinus, sicut Stoici tradunt, juxta naturae rerum in- se omnium mutationis rationem, quod turpissim apparet* etc.

20. *Agens instrumentale* in hoc θεουργήματι est *is*. 2. Petr. 3, v. 7: *Qui nunc sunt coeli et terra dem Dei sermone reposita igni reservantur in diem dicii*, v. 10. *In die Domini coeli magno impetu nsibunt, elementa vero* καυσούμενα, *igni accensa, lventur, terra autem et quae in ea sunt opera urentur.* v. 13. *Per diem Domini coeli* πυρούμενοι, *iti, solventur et elementa igne accensa tabescent.* ac referenda sunt omnia Scripturae dicta, quae *ominum in igne ad judicium venturum* testantur, alm. 11, v. 6. Psalm. 50, v. 3. Psalm. 97, v. 3. a. 66. v. 15. et 16. Dan. 7, v. 9. Soph. 1, v. 18. 3, v. 8. 2. Thess. 1, v. 8. Apocal. 4, v. 5. c. 20, 9. quia igne illo tota rerum universitas conflagrat. Typus hujus conflagrationis proponitur in exlio Sodomico, in quo *Dominus a Domino sulfur ignem coelitus depluit* Gen. 19, v. 24. unde Chris In concione de extremo judicio ac fine mundi illud nos remittit Luc. 17, v. 29. quem sequuntur ostoli Petrus 2. epist. 2, v. 9. Judas v. 7. ac de c destructionis medio gentilibus aliquid ex schola triarcharum innotuisse testantur dicta ex ipsorum numentis superius allata. Quemadmodum corpora leficorum igni quandoque adjudicantur, sic Deus novissimo die exanime mundi cadaver conservace virtute destitutum igni adjudicabit, quo in cine- ac favillas, imo in nihilum redigatur. Nemini am dubium esse debet, quin crebra illa incendia, ae passim grassari et videmus et audimus, ut et ermae sulfureae passim etiam in septentrionalibus gionibus hoc tempore erumpentes admoneant nos universali illo incendio, quo totus terrarum orbis evi conflagrabit. Si quis a nobis quaerat, *cur Deus imum mundum aquis diluvii perdiderit, coelos aun et terram, quae nunc sunt, igne sit consumtu*, illi simplicissime respondemus, *quia sic placuit*; m enim voluntas Dei sit causa summa, ideo frua alia quaedam superior causa quaeritur. Probaiter interim dicimus, quod primus mundus non t penitus et in universum destruendus, siquidem ndum completus erat electorum numerus ac Noa m liberis in seminarium generis humani divino raculo servabatur. ideo non ignis conflagratione l aquarum inundatione mundum illum perdere Deo cuit, sed in fine seculi completo omnium electom numero totalis πανωλεθρία sequetur, cui effindae ignis flamma vorax est omnium aptissima. ua purgat, ignis destruit et absumit. Possumus am non absurde cogitare, quod quemadmodum Deus flagrantes primi illius mundi libidines diluvii aquis exstinxerit, sic refrigescentem in novissimis mundi temporibus caritatem igne extremi judicii accensurus sit.

21. De hoc *igne* πανωλεθρίῳ multa disputant Scholastici magis *curiose* quam *fructuose*; non *apodictice* sed *sceptice et academice*, non ex *certis sacrarum literarum fundamentis* sed ex *rationis humanae praedicamentis*, unde cum Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 16. de igne, quo mundus conflagrabit et in quem damnati sunt in die judicii mittendi, modeste dixisset, *cujusmodi ille ignis et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit*, Ludovicus Vives vir doctissimus in comm. ad ea sic annotat Scholasticorum curiosas de eo disputationes perstringens: *Neminem vero? non interfuisti digladiationibus scholasticis, ubi nullus est vel bacalarius vel magistellus, qui ignoret, ignem fore elementarem illum, cujus domicilium est inter aërem et lunae globum, descensurum eum scilicet et incendio suo reliqua tria purgaturum elementa. Quodsi hoc parum probas, non deerunt, qui persancte dejerent, futurum ignem ex incendio radiorum solis in media plaga aëris excitato coëuntibus eo densissimis et ardentissimis radiis velut in speculum cavum et chalybeum. Sed non est mirum, tuo tempore non tantus erat ignis usus, quantus nunc, cum ut theologos omittam, philosophi sive decembri medio, sive medio julio nihil aliud ore, manibus pedibusque tractant et versant quam ignem. Ex philosophis fiunt theologi, et hanc philosophandi rationem etiam in scholas sanctiores transferunt, propterea istis longe facilius est de igne definire quam tibi et tui aequalibus vel majoribus.* Qualis ignis ille sit futurus.

22. Possunt vero omnia, quae de istoc igne Scholastici et eorum vestigia legentes Pontificii disputant, ad quatuor principalia capita revocari, 1. de ignis *illius natura et conditione*, 2. de ejus *origine ac generatione*, 3. de ejus *effectis ac operatione*, 4. de *tempore ac duratione*. 1. Naturam ac conditionem ejus Bonaventura 4. sent. dist. 47. sic describit, quod *futurus sit elementaris*, quod probare possit hisce rationibus 1) *quia Deus non amplius creat novas species*, Gen. 2, v. 2; 2) *per ignem elementarem potest peragi conflagratio. At natura agit per pauciora, multo magis Deus naturae dominus;* 3) *sicut per elementum aquae facta est mundi purgatio, sic per ignis elementum fiet ejusdem destructio ac conflagratio.* Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 16: *Tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione praeteribit, sicut est factum mundanarum aquarum inundatione diluvium;* 4) *Scriptura absolute ac simpliciter vocat ignem.* At in fidei articulis τὸ ῥητὸν arcte tenendum. Alii contra statuunt, fore ignem *prorsus novum ac praeternaturalem*, ab elementari igne specie distinctum; quorum sententia stabiliri posset hac ratiocinatione, quia ignis ille finalis differt ab elementari 1) *ratione causae efficientis*, quia ex causa supernaturali ab omnipotente sci- De ignis hujus 1. natura et conditione. XX. 38.

licet Dei virtute extraordinarie hic agente, adeoque ab igne irae divinae accendetur; 2) *ratione objecti*, consumet hic ignis non solum aërem et terram, sed etiam mare, se ipsum et omnia creata angelis et hominibus exceptis; 3) *ratione effecti*, quia elementaris ignis incinerando, hic vero annihilando operationem suam peraget. Adde, quod ignis, quo Sodomorum urbes conflagraverint, a Domino peculiariter dicitur excitatus Genes. 19. Quidam purgationem mundi non tam per *ignem* fore statuunt, quam per *rerum purgandarum ignitionem*, qualis est in ferro candente, quod non ipsam ignis formam substantialem, sed vehementem calorem recipere falso asserunt. Nos hic malumus ἐπέχειν quam alterutram ex his sententiis ejusdemque rationes refellere, judicamus enim, in his ac similibus quaestionibus tutiorem esse ignorantiae confessionem quam temerariae scientiae opinionem. Nescitur, qualis futurus sit ignis infernalis, et quis audebit exponere, qualis futurus sit ille ignis conflagrationis? *Ut boni grammatici Varro dicebat esse quaedam ignorare, ita multo magis cordati theologi est aequo animo nescire velle, quae Deus in verbo suo noluit revelare*, interim circa posterioris sententiae rationes notamus, posse Deum etiam rem naturalem ad effectus supernaturales instrumentaliter producendos divina et infinita sua virtute evehere, ut historia miraculorum et institutio sacramentorum manifestum faciunt.

2. Origine ac generatione. 23. 2. De *origine ac generatione* hujus ignis sex potissimum eminent sententiae. 1. Quidam existimant, elementum ignis ex concavo lunae globo descensurum, ut reliqua tria elementa expurget. Hieronymus Natalis in meditat. evang. p. 4: *Ignis elementum convertetur versus terram.* Josephus a Costa de noviss. temp. p. 588: *Omnium elementorum acerrimus ignis extremas partes in hac contentione obibit ac veluti firmissimo robore creaturarum pro Deo pugnantium adversus sceleratos agmen claudens impressione facta funditus evertet et profligabit.* Haec opinio nititur hypothesi ea, quod ignis ille futurus sit naturalis et elementaris, quodque non annihilando sed expurgando operationem suam sit peracturus. 2. Quidam subtilius philosophantur, *certo siderum concursu ultimum illud ac universale orbis incendium excitatum*
XX. 39. *iri, quando scilicet omnia sidera, quae nunc diversos agunt cursus, in Cancrum convenerint.* Haec opinio mathematicis praecipue arridet. 3. Quidam suspicantur, *ex radiis solaribus ardentissimis ac densissimis in nubibus mediam aëris regionem occupantibus, quasi in speculum concavum coëuntibus productum iri hoc incendium.* 4. Sunt qui opinantur, *ex ultimae tempestatis impetu et fulgurum frequentia accedente coelestium influentiarum virtute ac potentia accensum iri hunc ignem.* 5. Quidam opinantur, *ex subterraneis terrae cavernis, in quibus ignem conclusum teneri metallorum fossores testantur, hoc incendium erupturum* ac obvii cujusque absumtione tantopere invaliturum, ut ad sphaeram suam naturalem adscendat ac elementari igni aduniatur. 6. Gregorius de Valentia tom. 4. comment. in Thom. p. 2276. communiorem ac verisimiliorem ait esse sententiam, *excitatum iri illum tam ingentem ignem ex concursu repentino omnium naturalium causarum, quae possunt unquam in mundo ad ignis generationem concurrere* (Bonaventura 4. sent. dist. 47. art. 2: *Non solum ignis, qui est in sua sphaera, sed omnes ignes, et qui super terram, et sub terra sunt, concurrent ad illam conflagrationem), ac quidquid in igne illo crassum, descensurum cum impiis ad infernum ad poenam damnatorum, quod autem subtile et lucidum, remansurum in partibus superioribus ad gloriam et laetitiam beatorum.* Nobis hic probatur modestia Augustini d. l. qui *hominem scire* arbitratur *neminem, cujusmodi et in qua mundi parte futurus sit ille ignis, nisi cui forte Spiritus Domini revelaverit.* Religio igitur nobis est, ea quae in verbo revelata non sunt, definire et quae captum humanum exsuperant, scrupulosius inquirere.

24. 3. De *effectis ac operatione* hujus ignis respectu mundi destruendi duae potissimum exstant 3. sententiae. Quidam enim *purgandi* duntaxat ac *emundandi*, quidam vero *annihilandi* vim huic igni tribuunt. Priorem opinionem plerique ex Scholasticis et Pontificiis amplectuntur; posterior sententia emphaticis Scripturae dictis magis convenire videtur, qua de re inferius ex professo disputabitur, quando de forma consummationis quaestio instituetur. Si in genere de actionibus hujus ignis quaeratur, Barradius libr. 9. comment. in concion. evang. cap. 11. pag. 590. tres ejus actiones fore asserit. Prima erit *terrae combustio*, 2. Petr. 3, v. 10: *Terra et quae in ipsa opera sunt, consumentur*, exuret igitur terram, arborem, herbas, flores, animantia omnia, domos, metalla et omnia, quae sunt in terra, opera rediget in cineres. Ephremus libr. de poenitentia c. 4: *Cum viderimus igneum fluvium ab ortu solis usque ad occasum emanantem et veluti saeviens fluctibus mare montes ac valles devorantem terramque omnem et quaecunque sunt in illa exurentem.* Consentimus Barradio in hac ignis actione, sed improbamus, 1) quod ab objecto hujus combustionis excipit *coelos* cum apud apostolum v. 12. diserte addatur οἱ οὐρανοὶ πυρούμενοι λυθήσονται; 2) quod ignem illum *omnes homines*, qui tunc vivent, dicit esse interfecturum ac tam bonorum quam malorum corpora incineraturum, qua in parte sequitur Thomam in suppl. quaest. 74. art. 7. Carthusianum 1. Thess. 4. Abulensem in Matth. c. 24. quaest. 187. Sed contrarium asserit apostolus 1. Cor. c. 15, v. 51: *Non omnes obdormiemus, sed omnes immutabimur.* 1. Thess. 4, v. 7: *Nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum nubibus obviam Domino.* Contrarium asserunt patres plerique omnes. Confer ea, XI
quae in praecedente articulo de resurrectione mortuorum in quaestione de immutatione vivorum dicta sunt uberius §. 115. et sequentibus; 3) quod combustionem illam extremo judicio praemittit. Contrarium ostendimus in tractatu de morte non longe a principio. Secundam ignis illius actionem Barradius fore dicit *hominum justorum purgationem.* Idem

statuunt quidam ex veteribus et Scholastici fere omnes. Origenes hom. 3. in Psalm. 63: *Omnes venire necesse est ad illum ignem, etiamsi Paulus sit aliquis vel Petrus, veniet tamen ad illum ignem.* Similia habet lib. 8. in epist. Rom. homil. 14. in Luc. et hom. 13. in Jer. Lactantius lib. 7. inst. c. 21: *Justos cum judicaverit Deus, etiam igne eos examinabit.* Ambrosius in Psalm. 36: *Igne purgabuntur filii Levi, igni Esechiel et Daniel.* in Psalm. 118. octon. 3: *Et si aliquis ut Petrus sit vel Johannes, baptizatur hoc igne.* Thomas in supplem. q. 74. art. 8: *Ignis quantum pertinet ad virtutem naturalem ipsius, similiter aget in malos et bonos, qui vivi reperiuntur, utrorumque corpora in cinerem resolvendo; in quantum vero aget ut instrumentum divinae justitiae, diversimode aget in diversos, quantum ad poenam sensuum. Mali enim per actionem ignis cruciabuntur; boni vero, in quibus nihil purgandum invenietur, omnino nullum dolorem ex igne sentient, et divina virtute fiet, ut sine doloris cruciatu resolutionem corporis patiantur. Boni vero, in quibus aliquid purgandum reperietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne plus vel minus pro meritorum diversitate.* Glossa ordinaria 2. Thess. 1: *Ignis qui praecedet Christum, exuret terram et purgabit electos.* Josephus a Costa lib. 4. de nov. temp. c. 22. p. 639: *Igne illo, qui faciem judicis jam descendentis praecedet, ubique grassante sceleratos arsuros puto, probos et justos purgandos quidem, si quid labis insederit, ut insinuat apostolus 1. Cor. 3. sed non necandos.* Hieronymus Natalis in medit. evang. p. 4: *Beatorum quidem materia corporum purgabitur per ignem, damnatorum non purgabitur. Viventium autem exurentur corpora, et sanctorum quidem purgabuntur, sed non affligentur, eorum videlicet, qui sine ullo reatu poenae inventi fuerint; malorum vero non purgabuntur, sed affligentur aliorum animae et corpora temporali poena purgabuntur.* Sed hanc secundam ignis actionem negamus, 1. quia, ut in principio tract. de noviss. monuimus, Scriptura de purgandis materiali quodam igne piis nihil quidquam continet; 2. destituitur haec opinio unanimi piorum veterum consensu. Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 18: *Quaerat aliquis, an post factum judicium mundus iste ardebit, antequam pro illo coelum novum et terra nova reponantur, eo ipso tempore conflagrationis ejus, ubi erunt sancti, cum eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit? Possumus respondere, futuros eos esse in superioribus partibus, quo non adscendet flamma illius incendii, quemadmodum nec unda diluvii. Talia quippe illis inerunt corpora, ut illic sint, ubi esse voluerint. Sed nec ignem illius conflagrationis pertimescent immortales atque incorruptibiles facti, sicut virorum trium corruptibilia corpora atque mortalia in camino ardenti vivere illaesa potuerunt.* Ex quo etiam constat, librum 50. homiliar. in quo hom. 16. contrarium statuitur, Augustini non esse. Statuimus igitur, pios in *occursum Domino in aëra raptos* 1. Thess. 4, v. 17. ab ignis illius conflagratorii flammis prorsus immunes futuros, perinde ut Noahus cum suis in arca a diluvii aquis fuit conservatus. Resurgent enim in corporibus spiritualibus XX. 41.
ac glorificatis, proinde etiam incorruptibilibus, in quae nec ignis nec aqua nec ulla vis externa, ne ipsius quidem Satanae, quidquam agere poterit. 3. Origenes et Ambrosius *omnes* omnino *homines* ignem illum transituros statuunt, ad eorum igitur auctoritatem Pontificii provocare nequeunt, quippe qui justos a poena peccati adhuc persolvenda liberos eum pertransituros esse negant. 4. Nititur haec opinio falsis hypothesibus compluribus, videlicet quod *remissa culpa piis adhuc incumbat debitum luendae poenae;* quod *detur materialis quidam ignis peccatorum labem expurgans*; quod *ignis judicii sit omnia, sic etiam hominum corpora purgaturus;* quod *morituri sint, quos dies novissimus deprehendet vivos*; quod *1. Cor. 3. agatur de purgatorio quodam igne post hanc vitam peccata expurgante*; quod *conflagratio per ignem praecessura sit extremum judicium* etc. Tertiam ignis actionem Barradius statuit *mundi expurgationem. Expurgabit enim coelos et elementa juxta illud 2. Petr. 3, v. 12. coeli ardentes solventur et elementa ignis ardore liquescent. Expurgabuntur igitur coeli et elementa igne. Habent enim quasdam veluti sordes, quas ex peccatis hominum et daemonum contraxerunt. Nam quemadmodum violatum scelere homicidii templum sordes contrahit quasdam morales indigetque expiatione*; *sic violatus infinitis hominum flagitiis mundus sordes contrahit, a quibus est expurgandus. Admiscentur praeterea elementis extraneae affectiones et substantiae, quae illa quodammodo contaminant, ideoque decoquenda sunt, ut omnino pura ac sincera reddantur.* Atqui apostolus non nudae duntaxat expurgationis sed dissolutionis, exustionis, liquefactionis, adeoque interitus et abolitionis meminit, qua de re suo loco plenius. 4) De tempore ac duratione conflagrationis in Scripturis nihil exstat revelatum, ideo caveat humana praesumtio temere in alterutram partem quidquam asseverare. Ludolphus Carthusianus de vit. Christi part. 2. c. 87. hisce tribus ignis actionibus addit quartam. *Habebit,* inquit, *iste ignis officium quatuor ignium, videlicet ignis infernalis ad reproborum punitionem; ignis purgatorii ad bonorum a venialibus purgationem; ignis terrestris ad vegetabilium et sensibilium consummationem ac corporum incinerationem; et ignis elementaris ad elementorum subtiliationem et innovationis eorum dispositionem.* Sed de hac quarta ignis actione in tract. de inferno dicemus.

25. Antithesis. Seneca in naturalibus quaestionibus lib. 3. *per aquas periturum mundum* censet, quam inundationem prolixe describit ac in *novo illo mundo post diluvium restituto illum hominem* dicit *esse restituendum, qui sit inscius scelerum et melioribus auspiciis natus.* Addunt quidam ex Beroso, futuram illam inundationem, quando *sidera omnia, quae nunc diversos agunt cursus, in Capricornum convenerint.* Sed contrarium ex Scripturis facili

negotio demonstrari potest. Cumprimis vero apostolus Petrus destructioni mundi per aquas in diluvio factae opponit finalem mundi destructionem per ignem futuram, quae oppositio evidenter docet, mundum universum non esse aliquando per aquas periturum, 2. epist. 3, v. 6: *ὁ τότε κόσμος ὕδατι κατακλυσθεὶς ἀπώλετο*, v. 7. *οἱ δὲ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ πυρὶ τηροίμενοι* etc.

XX. 42.

CAPUT IV.

DE MATERIA CONFLAGRATIONIS.

Materia destructionis, totus mundus.

26. *Materia sive patiens* in hac conflagratione erit *mundus* sive *tota rerum universitas cum omnibus partibus et contentis*, exceptis solis angelis et hominibus. Probatur hoc 1. *ex dictis generalibus.* 4. Esdr. 6, v. 6: *Finis omnium creatorum.* c. 7, v. 30: *Convertetur seculum in antiquum silentium.* Matth. 13, v. 39. 40. 49. c. 24, v. 3. c. 28, v. 20: *consummatio seculi.* Rom. 8, v. 21: *Creatura liberabitur a servitute corruptionis.* 1. Cor. 7, v. 31: *Transit figura hujus mundi*, ubi nomen mundi generaliter accipitur pro tota coeli terraeque machina et omnibus in ea contentis. 1. Cor. 10, v. 11: *Fines seculorum.* Hebr. 9, v. 26: *Consummatio seculorum.* 1. Petr. 4, v. 7: *Omnium finis appropinquat.* 1. Joh. 2, v. 17: *Mundus transit.* 2. *Ex dictis specialibus*, quae coeli, solis, lunae, stellarum, terrae, montium, maris, elementorum etc. mentionem faciunt. Constat ex accurata locorum Scripturae collatione, nomine *coeli et terrae* omnes mundi partes ac totum systema universi coelestibus et elementaribus corporibus constans comprehendi, Esa. 1, v. 2. Ergo quando coelum ac terra dicuntur interitura, omnium creaturarum interitus significatur. Job. 14, v. 12: *Donec non erunt coeli.* Psalm. 72, v. 7: *Donec non amplius luna.* Psalm. 97, v. 5: *Montes sicut cera fluxerunt.* Psalm. 102, v. 27: *Coeli peribunt et sicut vestimentum veterascent.* Esa. 34, v. 4: *Tabescet omnis militia coelorum et complicabuntur sicut liber coeli et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu.* c. 51, v. 6: *Coeli sicut fumus deficient et terra sicut vestimentum veterascet et habitatores ejus similiter sicut haec interibunt.* Joël. 3, v. 20: *Sol et luna obtenebrabuntur et stellae retrahent splendorem suum*, v. 21. *movebuntur coeli et terra.* Soph. 1, v. 18. et c. 3, v. 8: *In igne zeli devorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitatoribus terrae.* 4. Esd. 16, v. 15: *Ignis succenditur et non exstinguetur, donec consumat fundamenta terrae.* Matth. 5, v. 18. c. 24, v. 35. Marc. 13, v. 31. Luc. 16, v. 17. c. 21, v. 33: *Coelum et terra transibunt.* 2. Petr. 3, v. 10. *Coeli magno impetu transibunt, elementa calore solventur, terra et quae in ipsa sunt opera, exurentur.* v. 12. *Coeli igne succensi solventur et elementa ignis ardore tabescent.* Apoc. 6, v. 12: *Sol factus est niger quasi saccus cilicinus, luna tota facta est sicut sanguis*, v. 13. *et stellae coeli ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos immaturos;* v. 14. *coelum recessit sicut liber involutus et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt.* Apoc. 20, v. 11: *A facie sedentis super thronum fugit coelum et terra, et locus non est eis inventus.* c. 21, v. 1: *Primum coelum et prima terra abiit et mare jam non amplius est.* 3. *Ex rationibus*, 1) quaecunque sunt creata, in fine mundi iterum destruentur; 2) quibus creaturis adhaeret corruptio, illis in fine seculi continget *liberatio ab hac corruptionis servitute* Rom. 8. v. 21; 3) Deus in fine seculi *nova faciet omnia* Apoc. 21, v. 5. 4. Ex veterum suffragiis; quotquot mundum *secundum substantiam* interiturum statuunt, illi etiam eundem cum omnibus partibus et contentis destruendum esse asserunt.

27. Interim tamen *angelos et homines* ab hac conflagratione excipimus. Utrique sunt *boni* vel *mali*. *Angelos bonos* ignis illius flammas nequaquam sensuros in propatulo est, sancti enim sunt et a peccato immunes, ergo etiam a peccati poena. *Homines bonos* ab hoc igne exceptos fore, constat ex eo, 1. quia resurgent in corpore incorruptibili, immortali, impassibili, spirituali et glorificato 1. Cor. 15, 43. 44. et 45. 2. Quos vivos dies novissimus deprehendet, *in ictu oculi in momento immutabuntur* 1. Cor. 15, v. 52. *nec praevenient eos, qui dormierunt, sed simul cum resuscitatis in nubibus rapientur obviam Domino in aëra* 1. Thess. 4, v. 15. et 17. 3. Sancti resurgent ad laetitiam et gloriam, non ad ignominiam et poenam. 4. Peccata ipsorum perfecte condonata, poenae relaxatae, labes et macula omnis abolita, nihil ergo vel purgandum vel puniendum vel abolendum superest. Lactantius lib. 7. instit. c. 21. quamvis *justos igni exanimandos* asserat, excipit tamen *perfecte justos. Quorum*, inquit, *peccata vel pondere vel numero praevaluerint, perstringentur igni atque amburentur, quos autem plena justitia et maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient, habent enim in se aliquid inde, quod vim flammae repellat ac respuat. Tanta est vis innocentiae, ut ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accepit a Deo hanc potestatem, ut impios urat, justis obtemperet.* *Angeli* et *homines mali* an ab hoc igne immunes sint futuri, merito dubitatur. Pro affirmante sententia urgeri posset, quod ignis ille corporeus et elementaris non possit agere in spiritus incorruptibiles, quodque impii post judicium dicantur statim *ituri in ignem aeternum* sive infernalem, non in hunc ignem conflagrationis, Matth. 25, v. 41. et 46. Pro negante sententia urgeri posset, quod ignis conflagrationis et ignis infernalis specie differre minime videantur, quodque ab universali illi totius orbis incendio etiam impii videntur in quibusdam Scripturae dictis involvi. Esa. 66, v. 16: *In igne Dominus judicabit et in gladio suo ad omnem carnem*, ubi tamen vox *ignis* metaphorice potius accipitur, sicut adjunctum nomen *gladii* ostendit. Dan. 7, v. 11:

Vidi, donec interfecta esset bestia et periisset corpus ejus et traditum esset ad comburendum igni. Soph. 1, v. 18. c. 3, v. 8: *In igne zeli devorabitur omnis terra; quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitatoribus terrae.* Malach. 4, c. 1: *Ecce dies Domini veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes contemtores et omnes facientes iniquitatem velut stipula, et inflammabit eos dies veniens.* Totum igitur hoc judicio Dei committamus sinceris ac seriis gemitibus orantes, ut ab igne conflagrationis et inferni liberemur *ac digni habeamur fugere ista omnia, quae ventura sunt* Luc. 21, v. 36.

ithesis. ontificii materia nflagrationis excipiunt coelos ellatos.

28. *Antithesis.* A conflagrationis materia Pontificii excipiunt 1. *coelos superiores sive stellatos.* Barradius lib. 9. comm. in conc. c. 11. p. 592: *Quosnam coelos ignis expurgabit? numquid eos, in quibus fulgent sidera? minime. Coelos expurgabit aëreos, i. e. ipsum aërem, qui in Scriptura saepe coelum appellatur.* Blasius de Viega in comm. Apoc. c. 21. p. 812: *Petrus cum ait, coelos esse igni*
XX. 44. *reservatos, coelorum nomine non sidereos, sed aëreos coelos intelligit, qui igni dicuntur reservati, quoniam ignis ille, quo universus mundus deflagrabit, ad aërem usque pertinget eumque puriorem efficiet.* Gregorius de Valentia tom. 4. comm. in Thom. p. 2277: *Petrus cum ait, coelos magno impetu transituros et ardore solvendos, non loquitur de sublimioribus illis corporibus coelestibus, sed de coelis aëreis, hoc est de toto illo spatio aëris.* Argumentis potest haec opinio oppugnari sequentibus: 1) *ex particulae universalis adjectione,* Psalm. 102, v. 27: *Coeli peribunt* וְכֻלָּם, *et omnes, sicut vestimentum veterascent.* Buxtorfius in Lex. exponit *universi ipsi, quotquot sunt*, veterascent. Jam vero *qui dicit omne, is nihil excludit.* Si omnes coeli sunt interituri, ergo nulli remanebunt superstites. Apoc. 21. v. 5: *Ecce nova facio omnia.* Ergo etiam *novos coelos*, ut habetur v. 1. 2) *Ex subjecti descriptione.* Illi coeli peribunt, qui sunt *opera manuum divinarum* Psalm. 102, v. 26. in quibus est *exercitus stellarum* Esa 34, v. 4. Joël. 3, v. 20. Apoc. 6, v. 10. Jam vero non solum aërei, sed etiam aetherei coeli sunt opera manuum divinarum; nec in aëreis sed in aethereis coelis stellae sunt infixae. Cassiodorus in Psalm. 102: *Quando dicit, coeli peribunt, finem eos habere declaravit, ut nullus in stellis gentili errore confideret, cum eas immutandas esse sentiret.* 3) *Ex distinctione.* Coeli, quos Petrus dicit *magno impetu transituros*, distinguuntur non solum a terra, sed etiam ab elementis 2. epist. 3, v. 10. et 12. Jam vero aërei coeli non distinguuntur ab elementis. Illa verba, *exspectamus coelos novos etc. non de aëre sed etiam de coelis superioribus explicanda sunt,* inquit Barradius d. l. inde colligo, quod etiam priora verba, *coeli reservantur igni, coeli peribunt,* non de aëre tantum, sed de superioribus coelis sint accipienda. 4) *Ex oppositione.* Sicut ex *terrae novae* creatione recte colligitur, priorem esse interituram, ita *coeli novi* creatione itidem recte infertur, prius esse transiturum, Esa. 65, v. 17. c. 66, v. 22. 2. Petr. 3, v. 13. Apoc. 21, v. 1. 5) *Ex partium enumeratione. Deficit sol* Sir. 17, v. 30. *stellae de coelo cadunt* Esa. 34, v. 4. Matth. 24, v. 29. Apoc. 6, v. 13. Ergo et coelum interibit. 6) *Ex patrum et gentilium testificatione.* Dicta patrum inferius enumerabuntur, dicta gentilium exstant superius §. 13. 7) *Ex adversariorum quorundam confessione.* Salmeron. disputat. 4. in Post. epist. Petri tom. 16. p. 138: *Quod quidam ex patribus verba Petri interpretantur, non de supremis et veris coelis, sed aëreis et aqueis esse intelligenda, ratione etiam ipsius textus revincuntur. Nam imprimis ostendimus, nunquam coelorum nomine in plurium numero aëreos et elementares coelos accipi, deinde post coelos nominatos subdit: Elementa vero calore solventur, et infra: Elementa ignis ardore tabescent, quod ad aërem et aquam et sphaeram ignis spectare videtur. Non possunt ergo per coelos accipi tria illa elementa, cum bis coelos ab elementis distinguat, additque tertio, terra autem et quae in ipsa opera sunt, exurentur, tanquam quae male servierint homini ingrato, qui rebellis exstitit creatori suo.* Blasius de Viega in comm. Apoc. 21. p. 812. fatetur, *in verbis Petri, coeli magno impetu transibunt, ipsa corpora coelestia intelligi.* Aliud igitur effugium quaerit, *per transitum,* dicit, *non esse intelligendam coelorum secundum ipsam substantiam immutationem, sed duntaxat mutationem in statum praestantiorem per transitum a motu ad quietem.* Sed huic detorsioni occurrit Salmeron. d. l. *Quod quidam,* inquit, *hunc transitum per cessationem coelorum a* XX. 45.
motu interpretantur, plane mihi violentum et extortum videtur. Solvi enim coelos igne per cessationem a motu, aliud est meo judicio et longe minus quam succensos igne solvi, et potius per alterationem et corruptionem significat coelos perire. Quidquid enim arripit ignis, solet vi sua et efficacia, ut ligna et saxa, in cineres convertere etc. Cum ait apostolus, magno impetu transibunt, videtur simile esse ei, quod Dominus dixit: Coelum et terra transibunt, quibus opponit: Verba autem mea non praeteribunt. Ergo non ita transibunt, ut maneant tantum sine motu, sed omnino transibunt, ut desinant esse, unde et alibi dixit: Donec transeat coelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteribit a lege. Nec his contentus Petrus idem repetit et inculcat: Per quem coeli ardentes solventur etc. Vides ergo, hanc repetitionem esse dicti prioris confirmationem, ut nequeat illam glossam admittere. Haec omnia Salmeron. rectissime. Nos frivolae isti expositioni opponimus hunc syllogismum. Si coeli *peribunt, veterascent ut vestimentum, complicabuntur sicut liber, deficient ut fumus, transibunt, igne succensi solventur, recedent ut liber involutus, fugient, ut locus eis non inveniatur,* utique non solum a motu cessabunt, sed etiam secundum substantiam interibunt vel ad minimum secundum formam et qualitates mutabuntur. Sed verum prius, ut constat ex dictis ad demonstrandum τὸ ὅτι finalis

mundi interitus supra allatis. Ergo et posterius. Omnes fere Pontificii vaticinium propheticum Esa. 30, v. 26: *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septuplo major*, in die novissimo dicunt esse complendum, utique ergo coelum et astra non tantum a motu cessabunt, sed etiam qualitatum alterationem per lucis incrementum sentient. Ambrosius Catharinus in comm. Hebr. 1. sic scribit: *Ex Scripturarum testimoniis cogimur fateri, futuram vere aliquam magnam coelorum alterationem per ignem et non tantum solam motus cessationem, per quam alterationem novi quodammodo fundentur coeli et longe fient pulchriores, quam nunc existant.*

Argumenta pro coeli aeternitate. 1. a coeli natura et conditione.

29. Argumenta pro coeli aeternitate formari possunt ejusmodi, 1. *a coeli natura ac conditione. Coelum vel non habet materiam,* ut voluit Averroës lib. 8. physic. com. 79. lib. 1. de coelo com. 20. et 95. libr. de substantia orbis c. 2. *vel constat materia a sublunaribus diversa*, Aristoteles lib. 12. metaphys. text. 10. ac lib. 8. metaphys. text. 12. *ut colligitur ex eo, quod Deus in principio dicatur creasse coelum et terram, id est duas distinctas massas, ex quarum una coelestia, ex altera vero sublunaria corpora postmodum formavit.* Origenes lib. 2. de princip. c. 8. Augustinus lib. 5. de Gen. ad lit. c. 5. lib. 11. de civ. Dei c. 32. Basilius hom. 1. hexaëm. Ambrosius lib. 1. hexaëm. c. 6: *Utique ergo coelum est incorruptibile et perpetuum.* Barradius tom. 3. lib. 10. comm. c. 1. p. 6128: *Communis philosophorum et theologorum sententia est, coelos esse incorruptibiles, quod vel ipse sensus renuntiat, cum tot annorum millibus nihil, quod corruptionem oleat, in illis sit conspectum.* Respondemus: 1) Salmeron. d. l. opponit, quod *Plato in Timaeo contrarium senserit*, et addit: *Videtur Petrus ista dixisse ad sententiam Aristotelis evertendam. Item constat, Aristotelem per illud principium, ex nihilo nihil fit, mundi creationem negasse et aeternitatem mundi posuisse ac certis demonstrationibus, ut ipse puta-*
XX. 46. *bat, evicisse, de animae etiam immortalitate juxta multorum patrum Graecorum sententiam haesitasse. Quid autem speres a philosopho ejusmodi tam clara et aperta dogmata pernegante? Certe, ut verum fatear, satis patienti animo ferre nequeo, cum video, quosdam adeo superstitiose ac mordicus tueri Aristotelis dogmata, ut malint multos textus Scripturae violentis glossis ac sensibus torquere, quam in unum impingere Aristotelem. Nam plus uni loco Scripturae, per quam loquitur Spiritus sanctus, tribuendum est quam universis philosophis unum et idem constanter dicentibus.* Adde 2) quod hypotheses hujus argumenti nondum sint sat firmiter demonstratae. Coelum enim ex materia et forma constare statuunt, ex Hebraeis rabbinus Aben Tybbon in opere physico cujus titulus רוח החן cap. 8. ex Graecis philosophis Aristoteles lib. 2. de generat. et corrupt. c. 9. text. 51. lib. 12. metaph. text. 10. lib. 1. de coelo text. 92. Simplicius lib. 1. de coelo comm. 8. ex Latinis Thomas part. 1. q. 66. art. 2. Capreolus 2. sent. dist. 12. q. 1. art. 1. conclus. 1. et reliqui fere omnes, quod ipsum ex motu, qualitatibus, substantiarum divisione et aliis principiis demonstrare in proclivi est. Illam vero coeli materiam cum materia sublunarium esse specie eandem, multi ex Scholasticis asserunt, Bonaventura 2. sent. dist. 12. q. 2. art. 1. Egidius de Roma in tract. de mater. coeli, Thomas de Argentin. 2. sent. dist. 12. art. 2. Durandus, Aureolus, Occamus ibid. q. 22. Scotus 2. sent. dist. 14. q. 1. quam opinionem theologiae magis consonam esse statuit Biel 2. sent. dist. 12. q. 2. art. 1. 3) Si vel maxime alterutra hypothesis hujus argumenti concedatur, nondum tamen ex ea aeternitas coeli posset demonstrari. Illud enim duntaxat sequeretur, coelum *naturaliter* esse incorruptibile. At hoc loco agitur de supernaturali et extraordinaria Dei actione, qua mundum interiturum esse sacrae literae asserunt. Duratio cujusque rei pendet a libera voluntate supremae causae omnium conservatricis, ut superius etiam monuimus. 4) Praestantissimi quidam theologi et philosophi quandam virium coelestium successivam diminutionem, adeoque etiam partialem corruptionem agnoscunt, quod inter cetera argumenta se evincere posse arbitrantur ex dicto psalmographi Psalm. 102, v. 27: *Coeli sicut vestimentum veterascent.* 5) Universam creaturam (et sic etiam coelum) esse corruptibilem statuit Chrysostomus homil. 10. ad populum et in com. Rom. 8. quem sequuntur, uti solent, Theodoretus, Theophylactus et Oecumenius in commentario illius loci. Confer glossam ordinariam Esa. 30.

30. 2. *Ex apostolica coeli interituri descriptione.* 2. sto
Illos coelos apostolus Petrus dicit transituros, qui coo
ex aqua et per aquam consistunt 2. epist. 3, v. 5. ita sea
Atqui coeli aetherei neque ex aqua, neque per aquam consistunt. Ergo non loquitur de coelis aethereis sed de aëre. Respondemus: 1) apostolus nuspiam dicit, coelos ex aqua et per aquam consistere, sed simpliciter sic ait v. 5: *Latet empaectas illos volentes, quod coeli erant prius et terra ex aqua et per aquam consistens.* De terra igitur separatim, non de coelo ac terra conjunctim hoc asserit. 2) Multo minus exclusivam addit, quod illi duntaxat coeli sint interituri, qui ex aqua et per aquam consistunt, sed v. 10. et 12. absolute pronuntiat, *coelos igne succensos esse dissolvendos*, ac ut superius monuimus, de illis coelis sese loqui ostendit, qui sunt ab elementis distincti, ac proinde nequaquam
de aëreis coelis agit. 3) Ac si vel maxime Petrus XI
hoc loco tantum de aëreis coelis loqueretur, quod salva veritate concedi nequit, nondum tamen sequeretur, illos duntaxat perituros, quia ex aliis Scripturae locis demonstrari potest, etiam aethereos coelos esse transituros. Inclusio unius non est exclusio alterius. 4) Coeli illi, quos Scriptura perituros asserit, Hebraeis vocantur שָׁמַיִם, quod quidam exponunt *aquae ibi*, ut hac ratione coelum etiam sidereum ex aqua formatum esse et aquas supra firmamentum collocatas adstruant, quidam vero rationem appellationis proferunt eam, quod coeli

sint a terra remotissimi, quia שָׁם locum remotum significat, ac formam dualis putant denotare distantiam a terra utrimque aequalem, vel duos mundi polos, circa quos coelum circumvolvitur. Schindlerus in voce שמה. Damascenus lib. 2. orthod. fid. c. 6: *Quidam naturam coeli dicunt esse ὑδατώδη, ut quod sit in medio aquarum genitum; alii ex quatuor elementis, alii quintum corpus et aliud ab illis quatuor esse.* 5) Quamvis aër dici possit ex aqua consistere, quia ex materia aquae effectus sit, dici tamen nequit consistere *per aquam*, quoniam absque aqua consistere potest, neque enim aqua, quae in eo gignitur, consistentiam aliquam illi tribuit. Quidam respondet, *dici aërem consistere per aquam, quia volucres aëris ex aqua sint ortae*, Cajetanus. At hoc nimis longe petitum, neque quispiam fando audivit, ad aëris consistentiam volucres pertinere, cum contra potius volucres ex aqua consistere fuissent dicendae, quia ex illa factae sunt. 6) Videt Barradius argumenti hujus infirmitatem, ideo alia ratione demonstrare nititur, in verbis Petri aëreos duntaxat coelos intelligendos. *Coelos*, inquit, *aërem significare, probatur ex eo, quia adjungit: Per quae ille tunc mundus aqua inundatus periit. Per quae, id est per quos coelos et terram, mundus diluvio oppressus est. Jam vero per quosnam coelos mundus inundatus periit? non per superiores, ex illis enim ne gutta quidem effluxit aquae, sed per inferiorem aërem, cujus cataractae apertae sunt aquarumve copiam infinitam in terras effuderunt. Per terram autem inundatus mundus periit, quia per aquas, quae super terram sunt, id est per aquas maris et reliquas, quae terrae visceribus concluduntur, obrutus est mundus diluvio.* At Barradiana illa interpretatio perquam dura est et coacta. Particula δι᾽ ὧν quidam vertunt *adversative*, quidam *illative*, quidam *relative*, ut superius monuimus. Si *relative* accipere velimus, respectus habebitur non ad coelos sed ad aquas et Dei verbum, quorum in praecedenti versiculo facta erat mentio, per aquas enim et Dei verbum diluvium fuit orbi introductum, sicut Dei verbo ex aquis in principio mundus fuit conditus. Per haec igitur, non autem per terram mundus fuit corruptus, terra fuit subjectum recipiens sive patiens corruptionis, nequaquam vero causa agens. Qui infaustum planetarum in trigono aqueo concursum diluvio causam praebuisse arbitrantur, vel per *fenestras coeli apertas* Genes. 7, v. 11. eas, quae supra firmamentum sunt, aquas in terram effusas esse opinantur, Barradio non concederent, coelos sidereos a causis primaevi mundi φθαρτικαῖς esse excludendos. Sed nos neutram hypothesin amplectimur.

fi- in- 48. as di- col- ne.

31. 3. *Ex finalis interitus cum diluvio collatione. Christus inter devastationem terrae per diluvium et finale orbis excidium comparationem instituit* Matth. 24, v. 37. Luc. 17, v. 26. *Jam vero aquae diluvii non potuerunt usque ad coelos stellatos assurgere, multo minus ullum eis nocumentum inferre. Ergo etiam ignis, quo conflagrabit mundus, non accendet orbes coelestes.* Respondemus: 1) comparatio non est extendenda ultra tertium, propter quod adhibetur. Christus vitam ac mores hominum, qui immediate ante diluvium vixerunt, cum statu novissimorum temporum finem mundi proxime antegressurorum comparat, nequaquam vero modum excidii utrobique parem fore asserit. 2) Noluit Deus per diluvium omnes mundi partes destruere ac devastare, quia seminarium aliquod generis humani in arca conservabat, erat igitur excidium illud mundi prioris *partiale et particulare*, sed in fine seculi completo omnium electorum numero mundus secundum omnes partes destruetur, erit igitur illud posterioris mundi excidium *totale et universale.* 3) In diluvio nec aër, nec aqua perierunt, quibus tamen elementis mundi finem allaturum esse exitium Pontificii negare nequeunt. Franciscus Maronius 4. sent. dist. 49. q. 4: *In diluvio non fuerunt omnia consumta, quia non pisces, sed illo igne omnia consumentur.* 4) Per diluvium orbis terrarum misere fuit devastatus ac destructus, sed per ignem conflagratorium juxta Pontificios expurgabitur ab adhaerentibus sordibus, ergo non est aequalis utriusque excidii ratio. 5) Petrus finalem mundi interitum cum diluvio comparans disparitatem rationis disertis verbis monstrat. De diluvii namque excidio versu 6. in genere dicit, quod ὁ τότε κόσμος, *mundus, qui tunc erat, aqua inundatus perierit,* ubi nomine mundi συνεκδοχικῶς accepto inferiores mundi partes cum maxima incolarum parte intelligit, sed de finali excidio distincte et in specie loquitur v. 7: *Coeli qui nunc sunt et terra eodem verbo reposita servantur in diem judicii;* v. 10. *coeli magno impetu transibunt, elementa calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur;* v. 12. *coeli igne succensi solventur et elementa ignis ardore tabescent*, quae ipsa partium mundi ἐξαρίθμησις ostendit, omnia, quae a summo coelo ad infimam usque terram in mundi systemate continentur, in fine seculi esse conflagratura.

32. 4. *Ex causarum interitus remotione. Coeli nulla indigent per ignem expurgatione, sicut sublunaria. Ergo etiam ab interitu in fine mundi erunt immunes.* Gersonius in summ. de gaud. paradisi f. 433: *In coelis propter impermixtionem nulla impuritas est, sed tantum imperfectio motus, unde non erit in iis purgatio per ignem, sed cessatio a motu.* Respondemus: 1) Scriptura non expurgationis, sed abolitionis in fine seculi futurae meminit. 2) *Coeli non sunt mundi in conspectu Domini*, inquit Eliphas Job. 15, v. 15. ad quae verba Osiander sic annotat: *Etsi omnia perfecte bona fuerunt in prima creatione, tamen quia creaturae sunt mutabiles praesertim propter hominum peccata, coelum ipsum etiam videtur viribus suis aliquantum deficere nec in primo perfectionis statu amplius constare.* Quidam tamen nomen coeli μετωνυμικῶς malunt accipere pro *coelitibus*, id est angelis, qui in conspectu Dei non sunt mundi, non *absolute* sed *comparate*, si scilicet ad summam divinae essentiae puritatem

4. Ex causarum interitus remotione.

comparentur. 3) Paulus Rom. 8, v. 22. generaliter loquitur, quod *omnis creatura simul ingemiscat et*
XX. 49. *a servitute corruptionis, cui subjecta est, liberari expetat.* Ergo coeli ab hac liberatione non sunt excludendi. 4) Sol ministrat lucem impiis non volens Matth. 5, v. 45. Rom. 8, v. 21. coelum per motum et influentias agit in haec inferiora eademque reddit frugifera, ut hominibus pessime iisdem abutentibus inserviant, ab hac vanitate et corruptionis servitute liberatio aliquando sequetur.

33. 5. *Ex Augustini assertione.* Is lib. 20. de civ. Dei c. 18. sic disputat: *Petrus commemorans factum ante diluvium videtur admonuisse quodammodo, quatenus in fine hujus seculi mundum istum periturum esse credamus. Nam et illo tempore periisse dixit, qui tunc erat, mundum, nec solum orbem terrae, verum etiam coelos, quos utique istos aëreos intelligimus, quorum locum ac spatium tunc aqua crescendo superaverat. Ergo totus aut paene totus aër iste ventosus, quod coelum vel potius coelos vocat (sed istos utique imos, non illos supremos, ubi sol et luna et sidera constituta sunt) conversus fuerat in humidam qualitatem* etc. *proinde qui coeli et quae terra, id est qui mundus, pro eo mundo, qui diluvio periit, ex eadem aqua repositus est, ipse igni novissimo reservatur in diem judicii* etc. Augustinum ut in aliis ita etiam hac in re sequitur Beda in comm. Marc. 14: *Docet Petrus, quod non alii coeli sint igne perituri, quam qui aqua perditi sunt, hoc est inania haec et nebulosa venturi aëris spatia.* Respondemus: 1) Augustinus et sua et aliorum ecclesiae doctorum scripta a canonica propheticorum et apostolicorum librorum auctoritate distinguit; nec *cum credendi necessitate sed judicandi libertate* eadem legenda esse asserit epist 7. ad Marcellin. epist. 19. ad Hieronym. epist. 48. ad Vicent. epist. 111. ad Fortunat. epist. 112. ad Paulin. in prooem. libr. 3. de Trinit. lib. 4. de anim. et ejus orig. c. 1. libr. 11. contra Faustum c. 5. et alibi passim. 2) Quantum ponderis insit rationi, quam ex textu apostolico pro adstruenda hac sententia producit, ex illis, quae hactenus dicta sunt, apparet. 3) Disputat Augustinus probabiliter, non autem dogmatum canones ponit. *Videtur*, inquit, *et quodammodo admonuisse* etc. In enarrat. Psalm. 101. rem in dubio relinquit ac neutram opinionem damnat. *Sunt*, inquit, *et coeli coelorum superiores in firmamento, sed utrum et ipsi perituri sint igne, an ii soli coeli, qui etiam diluvio periere, disceptatio est aliquanto scrupulosior inter doctos, nec facile, maxime in angustia temporis explicari potest.* 4) Ex eo, quod Augustinus disputat, *coelorum nomine in textu apostolico non aethereos sed aëreos coelos esse intelligendos*, nequaquam inferri potest, quod absolute et simpliciter negaverit, coelos aethereos esse interituros. Contrarium enim manifestum est ex c. 24. ejusd. libri, ubi contra Porphyrium ex Psalm. 102, v. 27. disputans inter cetera sic scribit: *Numquid quando coeli peribunt, mundus, cujus iidem coeli superior pars est et tutior, non peribit?* Et postea: *Possunt in textu apostolico* 2. *Petr.* 3. *isti coeli intelligi perituri, quos dixit repositos igni reservandos, et ea elementa accipi arsura, quae in hac ima mundi parte subsistunt procellosa et turbulenta, in qua eosdem coelos dixit esse repositos salvis illis superioribus et in sua integritate permanentibus, in quorum firmamento sunt sidera constituta* etc. *Hoc autem quod de psalmo commemoravi, nullum coelorum relinquere videtur, quod periturum esse non dixerit. Ubi enim dicitur, opera manuum tuarum sunt coeli, ipsi peribunt, quam nullum eorum ab opere Dei, tam nullum eorum a perditione secernitur.* Atque haec dicta sint de *coelo stellato*, an illud ab omni penitus corruptione vel saltem qualitatum immutatione in fine seculi futurum sit liberum; quid vero de *coelo empyreo*, quod supra orbes coelestes collocant, statuendum, an scilicet etiam ipsum sit interiturum, manifestum erit ex iis, quae in ultimo de novissimis tractatu disserentur.

34. 2. Excipiunt etiam Pontificii ab illa finali totius mundi *πανωλεθρίᾳ elementum ignis.* Gregorius de Valentia tom. 4. comm in Thom. p. 2276: *Verisimile est, ignem, quo terra conflagrabit, adscensurum ad sphaeram suam naturalem. Ignis, qui erit in sua sphaera naturali, cum ibi non habeat admixtas illas qualitates alienas, non alterabitur ab illo igne conflagrationis, sed tantum reliqua elementa et ignes aliqui, qui in inferioribus locis tunc reperientur impuri.* Blasius de Viega in comm. Apoc. 21. p. 812: *Ignis ille, quo universus mundus deflagrabit, ad aërem usque pertinget eumque puriorem efficiet.* Et postea: *Quod Petrus dicit, elementa calore solvenda, de aëre et aqua accipiendum est, quae cum terra, de qua statim subditur, terra exuretur, extremo illo igne purganda sunt.* Respondemus: 1) Scriptura in genere dicit, *mundum transiturum, seculorum consummationem et finem omnium appropinquare,* ut superius docuimus; 2) apostolus absolute et indefinite dicit, *elementa calore esse solvenda;* jam vero ignem ex elementorum numero excipere non possumus; 3) nulla hujus exceptionis affertur probatio vel in specie probabilis; 4) hypothesis hujus opinionis si non falsa, tamen dubia est et incerta, videlicet *ignem conflagrationis habere duntaxat vim elementa expurgandi, non autem eadem abolendi ac destruendi;* 5) ignis, si destituatur pabulo, se ipsum consumit ac interit; 6) Beda in comment. 2. Petr. 3. diserte asserit, *duo elementa, ignem videlicet et aquam, esse peritura, reliqua vero duo, terram et aërem, non esse peritura sed renovanda.* Haymo, Anselmus, Rupertus, Aretas in comm. Apoc. 21. in dubio relinquunt, an etiam ignis sit transiturus.

35. 3. *Superiorem aëris regionem.* Barradius lib. 9. comm. in conc. evang. c. 11. p. 592: *Quaeritur, quousque ignis sit adscensurus? respondet glossa interlinearis 2. Petr. 3. his verbis: Tantum adscendet ignis judicii, quantum adscendit aqua diluvii. Adscendit autem aqua diluvii quindecim cubitis super montes, Gen. 7. totidem adscendet*

ignis. Glossa ordinaria 2. Thess. 1: Ignis erit in mundo, qui praecedet Christum, tantum spatium aëris occupans, quantum occupavit aqua in diluvio. Eadem est Magistri et scholasticorum theologorum sententia. Respondemus: 1) contra hanc opinionem pugnant omnia illa, quae §. proxime praecedente adduximus. 2) Petrus dicit, *elementa calore solvenda*, non certas duntaxat elementorum partes. 3) Psalmographus asserit, *coelos omnes perituros*. Quodsi ergo ex hypothesi Pontificiorum nomine coelorum intelligendi sunt coeli aërei, non poterit esse alius sensus, quam totum et omne aëris spatium inter orbes coelestes et terram interjectum esse periturum. 4) Ecquis certos ipsos reddidit, ignem conflagrationis mundi non esse altius adscensurum, quam olim adscenderunt aquae diluvii?

XX. 51. Mare. 36. 4. *Mare.* Ribera in comm. Apoc. 21: *Fortasse ita mare renovandum, ut ne substantiam quidem suam retinere videatur, sicut terra et coelum, praesertim si verum, quod quidam dicunt, aquam non fore post mundi finem fluidam sed consolidatam et instar sphaerae conglobatam. Etenim neque jam fluet, neque refluet, nec ulli pisces futuri sunt, qui in ea natent, ut fluidam eam esse oporteat, atque ita major videbitur futura mutatio in aqua, quam in coelo et in terra, cujus causa non esse dicatur.* Barradius lib. 10. comm. c. 1. p. 611: *Aqua in novo mundo erit sicut crystallus, aër ut coelum, ignis ut luminaria coeli.* Respondemus: 1) repetantur ea, quae hactenus dicta. 2) Quid clarius illo oraculo apocalyptico cap. 21, v. 1. *mare jam non est?* in quem locum sic commentatur Primasius et ex eo Beda: *Utrum maximo illo ardore siccetur mare, an et ipsum in melius vertatur, non facile dixerim. Coelum quippe novum et terram novam, non autem et mare novum futurum legimus.* Idem in comm. 2. Petr. 3. *aquam perituram* dicit. Andreas Caesariensis in comm. Apoc. 21: *Notandum, de coelo et terra eum quidem dicere, abiit, id est mutatum est, de mari autem, mare non erit amplius. Quae enim utilitas maris, cum non sit opus hominibus illud navigare?* Haymo in comm. ejusd. loci titubanter incedit. *Quod sequitur*, inquit, *et mare jam non est, utrum ad literam, id est ut mare cum fluminibus exsiccetur, possit intelligi, an solummodo spiritualiter hoc dicatur, dubium est. Terra enim aquarum conjunctione subsistit, quoniam et infra et extra et supra aquas continet, ne naturali ariditate fatiscat, quoniam nisi aquis temperaretur, in cinerem redigeretur. Ideo utrum maximo illo ardore mare cum fluminibus siccetur, an et ipsum vertatur in melius, non facile dixerimus, quod etsi factum fuerit, per Dei potentiam, licet arida sit terra, satis subsistere poterit. Quatuor siquidem sunt elementa, ex quibus duo sunt immutanda in melius, sicut hic dicitur et Dominus in evangelio manifestat, cum ait, coelum et terra transibunt, id est immutabuntur; utrum autem mare vel ignis transeat, id est immutetur, Deus scit, licet hic legamus, et mare non est.* In simili dubio versantur Anselmus, Aretas et Rupertus ibid. 3) Frustra regerit Blasius de Viega d. l. *eodem sensu dictum esse a Johanne, et mare non est, quo antea dictum fuerat, primum coelum et prima terra abiit seu disparuit.* Concedimus sane, esse harum phrasium ἀδυναμίαν, sed negamus, per τὸ abire qualitatum duntaxat alterationem describi, cum ex parallelis Scripturae locis manifestum sit, totalem interitum et abolitionem eadem exprimi. Quid clarius illo effato, quod in capite proxime praecedente v. 11. exstat, *a facie sedentis super thronum fugit terra et coelum, et locus non est inventus eis?* Sed hac de re in sequenti quaestione dicetur plenius. Transitum enim recta jam facimus ad

CAPUT V.

DE FORMA CONSUMMATIONIS.

37. *Formam consummationis* dicimus fore non nudam qualitatum alterationem, sed ipsius substantiae abolitionem, adeoque totalem annihilationem, ut sic *terminus a quo* consummationis sive destructionis sit *esse*, *terminus* vero *ad quem non esse* sive *nihil*. Antequam vero hanc sententiam nostram ex sacris literis et rationum momentis demonstremus, notamus sequentia capita. 1. Non diffitemur, multos ex piis veteribus in eam concedere opinionem, quod mundus non κατ' οὐσίαν sit interiturus, sed κατὰ ποιότητας duntaxat sit immutandus. Irenaeus lib. 5. adv. haeres. cap. 36: *Non substantia neque materia conditionis exterminatur, verus enim et firmus, qui constituit illam; sed figura transit mundi hujus, hoc est in quibus transgressio facta est, quoniam veteratus est homo in ipsis, et propter hoc figura haec temporalis facta est praesciente omnia Deo. Praetereunte autem figura hac et renovato homine et vigente ad incorruptelam, ut non possit jam veterascere, erit coelum novum et terra nova.* Proclus apud Epiphanium haeres. 64: *Non placet autem, ut illud dicatur, quod omnia funditus pereant et terra et aër et coelum non futura sint. Exardescet quidem ad purgationem ac renovationem descensione facta totus mundus igne dilutus, non tamen ad perfectum interitum ac corruptionem deveniet. Si enim melius est non esse quam esse mundum, cur Deus, qui mundum fecit, quod pejus est elegit? frustra laboravit? Igitur ad hoc, ut sit et maneat, creaturam Deus construxit. Manet creatura in melius ac decentius renovata, exsultans et gaudens resurrectione ob filios Dei* etc. *At si non pereunt universa, dixerint adversarii, quomodo igitur Dominus coelum et terram praeteritura esse dixit, et propheta dixit: Peribit coelum veluti fumus et terra veluti vestimentum inveterascet? quandoquidem hic mos est Scripturis, respondebimus, ut hanc mundi transmutationem in meliorem ac magis gloriosam restitutionem interitum ac perdi-* Forma consummationis, XX. 52.

tionem dicant, tanquam videlicet prior figura pereat per universorum ad illustriorem statum immutationem. Nam nulla contrarietas est in Scripturis divinis. Praeterit enim figura hujus mundi et non mundus. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 15: *Creatus hic mundus rursus renovabitur* etc. *ut non maneat admiranda haec domus plena iniquitate. Pertransibit hic mundus, ut pulchrior restituatur* etc. *Non tristemur tanquam soli morientes, cum et astra moriantur, fortasseque rursus excitabuntur. Complicabit coelos Dominus, non ut perdat eos, sed ut rursus meliores illos excitet. Audi, quomodo peribunt coeli, mutabis eos ut vestimentum. Sicut perditio hominis dicitur, ut tamen resurrectio exspectetur, sic et coelorum resurrectionem exspectamus.* Hieronymus in c. 51. Esa.: *Perditio coelorum non interitum sonat, sed mutationem in melius* etc. *Si coelum et terra peribunt atque veterascent, qua consequentia habitatores ejus sicut ista morientur, cum animas esse perpetuas et resurrectura corpora noverimus? Ex quo perspicuum est, coelum et terram non perire, sed in melius commutari.* in c. 65. Esa.: *Ex loco Psalm. 102, v. 27. coeli sicut vestimentum veterascent, perspicue demonstratur, perditionem et interitum non abolitionem in nihilum sed commutationem sonare in melius. Neque enim illud, quod alio in loco scriptum est: Luna fulgebit ut sol, et sol septuplum lumen accipiet, interitum significat pristinorum sed commutationem in melius. Quod ut possit intelligi, nostrae conditionis ponamus exempla. Infans enim cum in puerum creverit et puer in juvenem et juvenis in virum et vir in senem, nequaquam per singulas aetates perit. Idem enim est, qui prius fuit, sed paulatim immutatur et aetati pristinae periisse dicitur. Quod in-*
XX. 53. *telligens et Paulus apostolus loquebatur: Praeterit enim figura hujus mundi. Consideremus, quid dixerit, figura praeterit, non substantia. Hoc idem significat et Petrus: Novos coelos et novam terram videbimus. Non dixit, alios coelos et aliam terram videbimus, sed veteres et antiquos in melius commutatos.* Augustinus lib. 20. de civ. Dei c. 14: *Peracto judicio desinet hoc coelum et haec terra, quando incipiet esse coelum novum et terra nova. Mutatione namque rerum non omnimodo interitu transibit hic mundus, unde et apostolus ait: Praeterit figura hujus mundi, non natura.* c. 16: *Illa conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quae corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quae corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant, ut scilicet mundus in melius innovatus apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis.* cap. 24: *Coeli intelliguntur perituri salvis illis superioribus et in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sidera constituta.* Chrysostomus homil. 10. ad popul. Antioch.: *Cum resurrexerimus et incorrupta sumserimus corpora, tunc et coeli corpus et terrae et mundi totius incorruptum erit et immarcessibile.* Idem homil. 5. ad Theodorum dicit, fore *quandam* ἀναλογίαν *corporum et ceterorum per immortalitatem et gloriam, ut quemadmodum illis propter nostrum peccatum servitutis et corruptionis jugum inductum fuit; ita nobis a morte liberatis illa quoque a corruptionis molestia liberanda et ad pristinum splendorem reducenda sint.* Cyrillus Alexandrinus in comm. Esa. 51: *Innovationem reparationemque ad meliorem statum apposite dixit mortem elementorum. Itaque fore praedicit, quemadmodum corporum humanorum, renovationem rerum creatarum, quasi a mortuis resurrectionem.* Salonius in Ecclesiasten: *Coelum et terra transibunt per meliorationem sed non per ablationem, quia igne judicii purgata meliorabuntur, quoniam renovabuntur, sed non penitus destruentur. Tantum quippe ardebit sursum et terra deorsum, quantum malitia hominum simul et daemonum coinquinari potuit.* Gennadius Massiliensis lib. de eccles. dogm. c. 69: *Elementa, id est coelum et terram, non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda, figuram quoque mundi, id est imaginem substantiae, transituram.* Andreas Caesariensis in comm. c. 6. Apoc.: *Coelum recessit sicut liber involutus. Per hoc significatur, coelum non subiturum aliquem interitum aut abolitionem sed tantum quandam involutionem et ad meliorem statum mutationem.* Gregorius Magnus lib. 17. moralium c. 7: *Coelum et terra per eam, quam nunc habent, imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt* etc. *Coelum et terra non alia condenda sunt, sed haec ipsa renovanda. Coelum igitur et terra transit et erit, quia et ab ea, quam nunc habet, specie per ignem tergitur et tamen in sua semper natura servatur.* Cononitae in seculo septimo *mundi creationem quidem secundum materiam et formam, interitum autem secundum formam solummodo* concedebant. Centuriae Magdeburgenses 7. col. 124. Isidorus Hispalensis lib. de doctr. et fide cap. 36: *Elementa, id est coelum et terram, non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda, figuram autem mundi, id est imaginem non substantiam, transituram.* Julianus Toletanus lib. 3. prognost. c. 46: *Mutatione rerum non omnimodo interitu transibit hic mundus* etc. Beda in 2. Petr. 3: *Coelum et terra consumta per ignem mox abeunte igne gratiorem resument speciem. Praeterit* XX. 54.
enim figura hujus mundi, non substantia, sicut et carnis nostrae non substantia perit, sed figura immutabitur, quando quod seminatur corpus animale, resurget spirituale. Damascenus lib. 2. orthod. fid. c. 6. circa fin.: οὐ παντελῶς ἀφανισθήσονται οἱ οὐρανοί, *non penitus disparebunt, nam veterascent quidem et velut amictus involventur et immutabuntur, et erit coelum novum et terra nova.* Nicephorus lib. 18. hist. eccl. c. 47. Johannem Philoponum hoc nomine taxat, *quod statuerit consummationem sive interitum visibilis hujus mundi ac rursum novi mundi creationem alteram*, et huic Philoponi sententiae opponit dogma Cononis, qui *mundi interitum*

juxta formam solummodo, non autem secundum materiam fore statuit. Similia occurrunt apud Alcuinum in comm. Psalm. 101. Ambrosium Ansbertum lib. 9. in Apocal. Eliam Cretensem in orat. 10. Gregorii Nazianzeni, Haymonem in comm. 1. Cor. 7. Rabanum lib. 4. de universo c. 10. Euthymium in comm. Psalm. 101. Anselmum lib. de similitud. c. 43. et in comm. 1. Cor. 7. **Item in epist. ad Hebraeos tom. 2. f. 466 in elucidario ejusdem tom. 3. f. 242.** Lyranum in comm. Hebr. 1. in comm. 2. Petr. 3. et in comment. Apocal. 20. etc.

38. 2. Proinde sententiam de substantiali mundi φθορᾷ seu interitu non defendimus ut *fidei articulum* ad salutem scitu ac creditu simpliciter necessarium, sed eam emphaticis Scripturae dictis, quae de fine mundi loquuntur, magis conformem esse dicimus. 3. Ex eo porro consequens est, illis, qui contrariam opinionem amplectuntur ac per ἀλλοίωσιν mundi transitum definiunt, non esse dicam haereseos temere scribendam. 4. Unde multi malunt in hac quaestione ἐπέχειν et futurae experientiae eventui rem committere, quam certi quiddam determinare. Jodocus Clichtoveus commentator Damasceni lib. 2. orthod. fid. c. 6. p. 87: *Nosse operae pretium est, non parvam apud auctores ambiguitatem agitari, quomodo perituri sint coeli et inveterandi. Quidam statuunt, mundum re ipsa et secundum substantiam interiturum; aliorum vero sententia est, elementa et coelos esse perituros non secundum substantiam, sed secundum proprietates et accidentia. Utra autem harum sententiarum sit veritati conformior et utri potius accedendum sit, haud facile est ex sacris literis dijudicare. Idcirco totum potius divinae ordinationi committitur sine accuratiore indagine. Ita enim futurum est, quemadmodum ipse constituit. Quomodo autem fore decreverit, non amplius pervestigandum est, neque ulterius perquirendum, quam divina determinaverunt eloquia, credendumque haud dubie, quod coelum et terra transibunt, Christi autem verba non transibunt, et hac sola fide contenti abire debemus. Satius enim est in hujusmodi inquisitionibus, ubi certum nihil ex Scriptura constat, pie dubitare quam temere quidquam definire.* Idem videtur quibusdam ex nostris. Heerbrandus in Compend. theol. in cap. de consumm. seculi quaest. ult. p. 537: *Num secundum accidentia et proprietates inhaerentes, an vero etiam secundum substantiam mundus sit periturus, non est humani ingenii acie curiose perscrutandum, sed constitutum hoc est in solius Dei Patris coelestis potestate et arbitrio.* Mylius in explic. Aug. confess. art. 17. p. 231: *Disceptationem illam, utrum φθορᾷ, an ἀλλοιώσει transitus mundi definiendus sit, pia ἐποχή rectissime dirimit, quae in sensu fu-*
XX. 55. *turae experientiae quam divinationum σκέψει certiorem esse quaestionis illius solutionem statuit.* Eadem verba repetit Hutterus disp. 22. de praecip. fid. artic. th. 28. Lobechius disp. 19. in August. conf. th. 48: *ζητούμενον illud, an mundus ratione qualitatum in melius commutandus sit, ut perpetuo duret, an vero οὐσίας seu substantiae ratione in nihilum sit transiturus, ἐποχή Christiana rectissime dirimit, Spiritus sanctus illud nuspiam exprimit* etc. Schilterus in disput. de duob. hominis noviss. in c. de transitu mundi thes. 16. commendat in hac quaestione sententiam Augustini epist. 78: *Magis eligo cautam ignorantiam confiteri quam falsam scientiam profiteri.* Meisnerus part. 1. sobr. philos. sect. 3. c. 3. q. 5: *τὸ ἐπέχειν hic est tutissimum et locum habere debet regula Bernhardi serm. 4. omnium sanct., quod nulli datum est experiri, nullus conetur effari* etc. 5. Quin et quidam ex nostris qualitatum immutatione mundum transiturum esse arbitrantur. Lutherus solitus fuit dicere: Der Himmel hat itzo sein Werckeltagskleid, dort aber wird er anziehen sein Sonntagskleid. In postill. eccles. dom. IV. post Trinit.: Die Sonne ist itzt nirgend so schön, hell und klar als da sie im Anfang geschaffen war, gewesen ist, sondern ist um der Menschen willen wol halb finster, russig und besudelt, an jenem Tage aber wird sie Gott wieder ausfegen und reinigen durchs Feuer, daß sie heller und klärer seyn wird, denn sie im Anfang ist gewesen. Weil sie aber muß um unser Sünde willen leiden und den ergsten Buben so wol als den Frommen leuchten, darum verlanget sie hertzlich nach jenem Tage, da sie wieder soll ausgeputzet werden und allein den Seligen mit ihrem leuchten dienen. Brentius homil. 53. in Lucam f. 621: *Num coelum et terra ita transibunt, ut nihil eorum omnino maneat? minime omnium. Non transibunt omnino, sed mutabuntur. Abjicient vestimentum corruptionis et induent novam vestem incorruptionis, futura quidem coeli ac terrae mutatio, non autem in totum abolitio.* Althamerus in conciliat. locorum pugn. cent. 1. loc. 4: *Coelum et terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda. Coeli solventur, id est fient alii mundiores, sicut aurum igne solvitur, non ut intereat, sed ut purius fiat expurgata scoria.* Philipp. Nicolai lib. 5. de vita aetern. c. 10. part. 1. operum Germ. p. 333: Es soll die itzige Welt verbrennen, und zwar im Feuer gantz untergehen, aber doch nicht *materialiter* mit Vernichtigung ihres Wesens, sondern *formaliter* nach ihrer itzigen Gestalt und baufelligen Zustand, quod ipsum declarat exemplo corporum ex pulvere ad vitam resuscitatorum. Pelargus cum adhuc esset orthodoxus, in Jesuitismo loc. 23. p. 203: *Sententia vera est, mare, quod ad varios usus hominumque commoda optimi creatoris jussu deservit, innovatum cum ceteris elementis et a servitute restituto homine liberatum iri.*

39. Hisce praemissis pro adstruenda mundi κατ' οὐσίαν destructione producimus haec argumenta. 1. *Ex Scripturae sacrae dictis.* In illis vero notanda 1. *emphatica futuri interitus descriptio.* Deuter. 32, v. 22: *Ignis succensus in furore meo ardebit usque ad infernum inferiorem et consumet terram* (Hebraeum תֹּאכַל *perdet, absumet*) *et fructum ejus et inflammabit fundamentum montium.* Job. 14, v. 12: *Non resurget homo, donec non erunt coeli,* Hebraeum עַד־בִּלְתִּי שָׁמַיִם. Psalm. 72, v. 7:

Argumenta pro adstruenda mundi κατ' οὐσίαν destructione. 1. Ex Scripturae dictis. 1. Descriptio

Florebit multitudo pacis usque ad non lunam, id est doneo non amplius sit luna. Psalm. 102, v. 27:
XX. 56. *Coelum et terra peribunt*, in Hebraeo est אָבַד *periit, interiit, omnimodam rei perditionem* notans, opponitur enim generationi. Ut ergo generatio formaliter et praecise sumta est ipsius substantiae productio, ita interitus seu corruptio est ejusdem destructio. Esa. 34, v. 4: *Tabescet omnis militia coelorum*, in Hebraeo est נָמַק *liquefactus, dissolutus fuit.* Esa. 65, v. 17: *Coeli priores non memorabuntur, nec adscendent super cor.* Dan. 9, v. 27: *usque ad consummationem.* c. 12, v. 4: *usque ad tempus finis.* Soph. 1, v. 18. c. 3, v. 8: *Igne zeli devorabitur omnis terra.* Matth. 5, v. 18. c. 24, v. 35. Marc. 13, v. 31. Luc. 16, v. 17. c. 21, v. 33: *Coelum et terra transibunt, παρελεύσονται.* Matth. 13, v. 39. c. 24, v. 3. c. 28, v. 20. *συντέλεια, consummatio, seculi.* 1. Cor. 7, v. 31: *Figura hujus mundi παράγει, praeterit.* 1. Cor. 10, v. 11. c. 15, v. 24: *deinde τέλος, finis.* Hebr. 9, v. 26: *in consummatione seculorum.* 1. Petr. 4, v. 7: *τέλος τῶν πάντων.* 2. Petr. 3, v. 7: *Coeli et terra reservantur igni.* v. 10. *Coeli magno impetu transibunt, elementa calore solventur, λυθήσονται, terra autem et quae in ea opera sunt, exurentur.* v. 12. *Coeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent.* 1. Joh. 2, v. 17: *Mundus παράγεται, transit.* Apoc. 10, v. 6: *Tempus non erit amplius.* c. 20, v. 11: *A facie sedentis super thronum fugit coelum et terra, et locus non est inventus eis.* c. 21, v. 1: *Primum coelum et prima terra abiit et mare jam non amplius est.* Confer quae de emphasi horum dictorum omnium ac singulorum allata sunt superius §. 7. et seqq. hic tale ex illis formamus argumentum. Quidquid ita transit, praeterit, abit, consumitur, inflammatur, exuritur, perit, tabescit, dissolvitur, ut conflagret, finiatur, consummetur et non sit amplius nec locus ei inveniatur, illud non qualitatum duntaxat immutationem sed ipsius substantiae abolitionem sustinet. Jam vero de coelo et terra emphaticis illis loquendi formulis omnibus Spiritus sanctus utitur. Ergo. *Quid est disparuisse coelum et terram et ita fugisse, ut locus eis uspiam inveniri non posset, nisi amplius non esse? pro eodem igitur non esse, abiisse et fugisse usurpanda sunt,* scribit Blasius de Viega in Apoc. c. 21. p. 812.

40. Ad hoc argumentum sententiae nostrae primarium variis modis excipiunt, qui contrarium defendunt. 1. *Coeli peribunt non quoad substantiam, sed quoad motum et statum*, Barradius libr. 10. conc. evang. c. 1. *Coelestia corpora immutabuntur non quoad substantiam, sed tantum secundum quendam transitum a motu ad quietem et ad alium statum praestantiorem*, Blasius de Viega in cap. 21. Apoc. *Coeli visibiles non amplius erunt secundum quid, id est secundum pristinam formam accidentariam*, Timplerus cap. 3. phys. generat. q. 11. Respondemus: haec exceptio non satisfacit emphasi dictorum Scripturae, ut cuilibet primo statim intuitu apparet. Quid enim? num *interire, perire, transire, liquescere, non amplius esse* etc. nihil aliud est quam cessare a motu? num *consummari, absumi, dissolvi, e memoria plane deleri* nihil aliud est quam immutari? sic ergo piorum corpora in die resurrectionis et judicii immutanda possunt dici interitura, peritura, quin et non amplius futura, imo quidquid in hac vita qualitatum alterationem sustinet, illud non amplius esse dici posset. Num *ita fugere, ut locus ei non amplius inveniatur*, est transire a motu ad quietem? sic ergo quidquid a motu quiescit, omni loco exsulare dicendum erit. Urgemus hoc argumentum. In quo τὸ esse coeli et maris consistit, illud in fine mundi abolebitur, quia de coelo et mari dicitur, quod *non amplius erunt.* Jam vero XX. 57.
esse coeli et maris consistit non in qualitatibus, non in motu, non in forma accidentaria, sed in forma essentiali. Ergo in fine mundi non qualitates tantum, non motus tantum, non forma accidentaria tantum, sed ipsa essentialis forma coeli et maris abolebitur. Aliud est *non* amplius *esse*, aliud vero *non* amplius *tale esse.* Scriptura simpliciter et absolute pronuntiat, coelum et mare non amplius futura, hoc non est temeraria audacia mutandum in eam loquendi formulam, quod non amplius sint *talia* futura. Quidquid ea ratione interit, ut dicatur *a conspectu Dei παντεπόπτου effugisse*, nec locus aliquis, in quo amplius exsistat, inveniatur, illud non accidentaliter duntaxat ratione qualitatum, sed essentialiter ratione substantiae interiisse censendum. Jam vero de coelo et terra Apoc. 20, v. 11. id diserte asseritur. Ergo literali verborum sensui in explicatione Scripturae tamdiu inhaerendum, donec evidens necessitas ab eo discedere nos cogat. Neque immerito quis dubitaverit, an cessatio a motu posset dici coeli perfectio. Coelum eo fine a Deo conditum est, ut perpetuo moveatur, hic coeli motus dependet ab ejus forma essentiali, proinde motus potius est coeli perfectio quam quies, perfectio enim rei consistit in eo, ut assequatur finem a Deo creatore sibi praestitutum. Confer ea, quae de coelorum interitu diximus superius §. 28. 2. *Verbum perire non semper est tota substantia interire, sed secundum quid duntaxat aboleri. Nam primus mundus aqua diluvii inundatus dicitur periisse 2. Petr. 3, v. 6. qui tamen secundum esse substantiale non fuit abolitus, impii in die judicii dicuntur perituri v. 7 qui tamen essentiae abolitionem vel annihilationem minime experientur*, Martinius in theol. p. 1076. Respondemus: Coelum et terra non tantum dicuntur interitura ac peritura, sed etiam non amplius futura ac ita transitura, ut locus eis non inveniatur, quod nec de primaevo mundo, nec de impiis Scriptura asserit. Abludit etiam exceptio a vero quaestionis statu, qui in eo consistit, an vocabulum ἀπολέσθαι significet mutationem rei οὐσιωδῶς manentis in statum meliorem, quod nos negamus. Cujus quaestionis pars affirmans ex primaevi mundi et hominum impiorum exemplis probari nequit, cum nec mundus primaevus per diluvium in meliorem statum fuerit mutatus, sed misere et hor-

ribiliter devastatus, nec impii in die judicii in meliorem statum sint mutandi, sed potius aeternae morti tradendi et sempiterno exitio perdendi. Si ea, quae in meliorem statum evehuntur, possunt dici *ἀπολέσθαι*, utique etiam de corporibus beatorum idem dici poterit, quod absonum. Scriptura non per *ἀπώλειαν* sed *μετασχηματισμόν*, gloriosam illam immutationem, corporum describit Philipp. c. 3, v. 21. Adde, quod sit maxima disparitas inter *ἀπώλειαν* mundi primaevi *per diluvium* ac praesentis mundi destructionem per *finale incendium;* ibi erat partium duntaxat quarundam mundi devastatio, hic erit totius machinae mundanae abolitio; ibi erat inundatio duntaxat per aquam superficiem totius *οἰκουμένης* occupantem, hic erit conflagratio per ignem coelum et terram absumentem; ibi seminarium aliquod humani generis manebat residuum, hic vero completo omnium electorum numero succedet finalis et perfecta hujus seculi consummatio. 3) *Coeli peribunt, id est perire possunt, si Deus velit, vete-*
X. 58. *rascent sicut vestimentum, id est poterunt veterascere*, Barradius d. l. Respondemus: Imo vero non solum de potentia corruptionis, sed de ipso actu psalmographus loquitur: *Coeli peribunt et veterascent.* Profero argumentum tale. Quo sensu ac respectu in opposito membro dicitur Deus permanere ac idem semper esse, eo etiam sensu ac respectu coeli dicuntur perire et veterascere. Jam vero Deus non eo tantum sensu ac respectu dicitur permanere ac idem semper esse, quod non tantum possit permanere et idem semper esse, sed quod ipso etiam actu permaneat ac semper idem sit. Ergo etiam coeli eo sensu ac respectu dicuntur perituri, non quod possint duntaxat perire, si Deus velit, sed etiam quod vere et ipso actu tempore divinitus constituto sint perituri. Urgeo etiam hanc regulam: In propheticis vaticiniis verba non sunt accipienda tantum de potentia, sed de ipso actu, alias nulla eorum foret certitudo, nullus usus. Sic quando Jacobus patriarcha dicit: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat Silo*, nequaquam est sensus, quod fieri possit, ut sceptrum in tribu Juda relinquatur usque ad Messiae adventum, sed quod re vera et ipso actu sit relinquendum in hac tribu sceptrum, donec Messias veniat. Idem judicium de vaticiniis reliquis. Jam vero nemo negare potest, Psalm. 102. et in aliis Scripturae dictis, quae de fine mundi loquuntur, proponi vaticinium. 4 *Verba Christi de coeli ac terrae transitu per comparationem intelligenda sunt, facilius est, perire coelos incorruptibiles quam mea verba*, Jansenius, Sanctius et alii ex Pontificiis, Piscator in epist. Rom. 8. observ. 17. Respondemus: Ostendimus superius §. 8. Christum non loqui *comparate* sed *absolute*, ac particulam *donec* non esse *exclusivam*, quasi nunquam futurum sit, ut coelum et terra transeant, sed *inclusivam.* Adde, quod haec exceptio non possit accommodari omnibus et singulis Scripturae dictis, quae de fine mundi agunt. Quis enim erit sensus dicti apud Jobum: *Non resurget homo, donec non erunt coeli?* num is, facilius est, coelos non esse, quam hominem non resurgere? Quis sensus oraculi Davidici: *Coeli peribunt, tu autem idem permanes?* forte is erit, facilius est, coelos perire, quam te non permanere eundem? At hac ratione propositiones absolutae mutantur in comparatas, ac nullum manebit Scripturae dictum, ex quo vel qualitatum duntaxat immutationem in mundo futuram probari possit, omnia enim per confictam illam comparationem explicari vel potius detorqueri poterunt. Explicent vero nobis Pontificii, quomodo haec interpretatio accommodari queat visioni apocalypticae: *Vidi thronum magnum candidum et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit coelum et terra, et locus non est inventus eis.* Num dicemus, hunc esse sensum, facilius est, coelum et terram fugere, quam judicem super thronum suum non sedere? At quis non videt, hoc esse coactum et confictum? quis non animadvertit, hunc sensum dictis Scripturae inferri, non autem ex illis nasci? 5. *Si coelum et terra per totalem abolitionem peribunt, qua consequentia habitatores ejus sicut ista morientur ac peribunt Esa. 51, v. 6. cum animas esse perpetuas et resurrectura corpora noverimus?* Est hoc argumentum Hieronymi in comm. illius loci. Respondemus: Hieronymus ibidem monet, quod verba prophetica, *coelum sicut fumus liquescent*, Aquila reddiderit *μειωθήσειαι, comminuentur in nihilum*, Symmachus *ἀλιώσονται, in salis modum conterentur et evanescent.* XX. 59.
Jam vero manifestum est, substantialem interitum his verbis emphatice exprimi. Verba Hebraea כְּמוֹ־כֵן recte verti possunt *sicut haec*, id est quasi nihil interibunt, sie werden vergehen als ein Schnipslein oder Kliplein, vide Lutherum in not. marginal. Adde, quod hominum interitum nemo possit vocare accidentalem duntaxat mutationem, multo minus in meliorem statum immutationem (alias quotquot moriuntur, ad perfectiorem statum eveherentur), sed est substantialis compositi destructio.

41. 2. *Comparatio.* Interitus coeli ac terrae confertur cum illis, quae totaliter et essentialiter corrumpuntur. Ergo ipsa quoque non accidentaliter duntaxat mutabuntur, sed substantialiter interibunt. Psalm. 97, v. 5: *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini.* Cera ab ardore solis non modo dissolvitur, sed etiam tandem plene ac plane absumitur. Psalm. 102, v. 27. Hebr. 1, v. 11: *Coeli sicut vestimentum veterascent.* Esa. 51, v. 6: *Terra sicut vestimentum veterascet.* Quando vestimentum veterascit, non mutatur in statum perfectiorem et pulchriorem mutatis duntaxat qualitatibus, sed potius successive atteritur et prorsus inveteratum ac detritum dissuitur ac disrumpitur, disruptum et usui minus commodum tandem abjicitur; sic veterascunt etiam coeli sicut vestimentum, tum quia ad interitum magis magisque inclinant, diminutis scilicet viribus et influentiis; tum quia substantialiter ac plenarie tandem interibunt instar vestimenti vetustate attriti. Esa. 34, v. 4: *Complicabuntur sicut liber coeli.* Apoc. 6, v. 14: *Coelum recessit sicut*

2. Comparatio.

liber involutus. Creatio coeli per *expansionem tabernaculi* seu cortinae descripta Psalm. 102, v. 26. est ipsius substantiae coeli productio, ergo etiam destructio ac interitus coeli per *complicationem libri* descriptus est ipsius substantiae coeli abolitio. Esa. 34, v. 4: *Omnis militia coelorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu*, quod Christus sic videtur exponere Matth. 24, v. 29: *Stellae de coelo cadent*, et Johannes huc videtur respicere Apoc. 6, v. 13: *Stellae coeli ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum a magno vento movetur.* Quemadmodum folium ab arbore decidens non mutatur in statum meliorem ac perfectiorem, nec qualitatum duntaxat alterationem sentit, sed secundum substantiam corrumpitur; sic coeli, quia ad morem foliorum cadentium defluere dicuntur, non ad statum perfectiorem elevari sed essentialiter corrumpi intelliguntur. Quando coelum instar libri complicabitur, stellae foliorum instar ab arbore cadentium defluent. Ergo non manebunt stellae firmamento infixae, sicut characteres literarum manent in libro complicato. Esa. 51, v. 6: *Coeli sicut fumus deficient.* Fumus non secundum qualitates duntaxat mutatur, multo minus in perfectiorem statum extollitur, sed a vento dissipatur, aut si ventus absit, sua sponte evanescit, unde ea, quae facili negotio, citissime et totaliter intereunt, fumo comparantur. Psalm. 102, v. 4: *Defecerunt dies mei sicut fumus*, quod v. 12. exponitur, *defecerunt sicut umbra.* Sap. 5, v. 15: *Spes impii tanquam fumus, qui a vento diffusus est.* 1. Cor. 7, v. 31: *Schema hujus mundi praeterit.* Sicut finita comoedia aulaea et quae comico actui inservierunt, e medio tolluntur, ut nuspiam amplius oculis intuentium sint obvia; sic decurso hujus vitae spatio coelum et terra in-
XX. 60. star cujusdam aulaei, quod hujus seculi comoediae inserviit, e medio tolletur nec amplius conspicietur.

42. Excipiunt 1. Psalm. 102, v. 27. *usurpari de interitu coelorum verbum* חָלַף, *quod mutationem duntaxat, non autem abolitionem significat.* Respondemus: Imo verbum hoc non tantum qualitatum mutationem ac rei alicujus renovationem, sed etiam quandoque rei interitum ac perditionem notat, ut significet idem quod *praeteriit, transiit* et in significatione activa *sustulit, removit, corrupit.* Esa. 2, v. 18. *idola mutabuntur*, Targ. יְסוּפוּן, *cessabunt, peribunt, ex terra tollentur.* Esa. 24, v. 5. *mutarunt statutum*, Targ. אַבְטִלוּ, *aboleverunt.* Cant. 2, v. 11. *imber transiit, sibi abiit* etc. Utraque vero significatio hic habet locum, quod coeli secundum qualitates sint mutandi, videlicet ante diem novissimum, et quod totaliter sint interituri, videlicet in die novissimo, ut colligitur ex addita similitudine vestimenti, quod primo quidem vetustate atteritur, postea vero plane disrumpitur ac interit. Adde quod in locis parallelis haec coelorum mutatio per ipsam τοῦ esse desitionem et abitionem describatur. 2. *Vestimentum coeli, id est splendor et claritas ipsius*, Psalm. 104, v. 2. *mutabitur, quia lux solis erit septuplo major*, Esa. 30, v. 26. *interim ipsa substantia permanebit, sicut homo mutato vestimento idem manet.* Blasius de Viega in Apoc. p. 813: *Non dixit regius vates, coelestia corpora omnino peritura, sed alio longe nobiliori et praestantiori, tum quoad lucem, tum quoad statum vestimento induenda, exploratum autem est, solius vestimenti mutationem non ad ipsam internam corporis mutationem pertinere.* Respondemus: Propheta regius non lucem et splendorem coelorum, sed ipsos coelos instar vestimenti mutandos esse asserit. *Omnes*, inquit, *sicut vestimentum veterascent et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur.* Quemadmodum ergo homo vetus vestimentum abjicit et novum induit; sic Deus coelos adspectabiles velut veterascens vestimentum mutabit ac novos coelos condet. Thomas in comm. Hebr. 1: *Sicut vestimentum assumitur ad usum, cessante vero usu deponitur; sic cum fuerit completus electorum numerus, mutabitur coelum quasi vestimentum, quia jam amplius ad rerum generationem et corruptionem non inservit.* 3. *Vestimentum potest mutari, ut tamen non penitus abjiciatur aut conscindatur, sed in futurum usum reservetur, sicut contingit in vestibus hiemi aptis, quas veris tempore seponimus et venturae brumae reservamus.* Lyranus in c. 1. Hebr.: *Sicut cessante frigore mutatur vestis, quae erat contra frigus necessaria, non quidem tunc mutatur sic vestis, quod corrumpatur, sed quia frigus cessat; sic coeli et elementa dicuntur mutari, quia motus coeli et alteratio elementorum, quae sunt propter generationem, manente tamen substantia cessabunt.* Respondemus: Psalmographus non nude ac simpliciter interitum coelorum comparat mutationi vestimentorum, sed vestimentorum *veterascentium ac vetustate attritorum*, quae ita mutantur, ut abjiciantur et eorum loco nova assumantur. Quemadmodum nova ac mutatoria vestis vocatur non illa, quae renovatur ac cui lacinia assuitur, sed quae ex novo panno conficitur; sic novi coeli dicuntur, non qui renovantur, sed qui de novo creantur. Gen. 45, v. 22. Jud. 14, v. 12. et 19. 2. Regum 5, v. 5. 22. et 23. חֲלִפוֹת שְׂמָלֹת, *mutationes vestium*, id est mutatoriae vestes dicuntur, non quae ex vetustis purgatae, renovatae, consutae etc. sed quae prorsus novae et a prioribus prorsus
diversae. Quando Genes. 41, v. 14. dicitur, Joseph XX. 61
mutasse vestes coram Pharaone sistendus, tum non est sensus, quod illas ipsas, quibus in carcere indutus erat, purgaverit ac interpolaverit, sed quod abjectis prorsus veteribus vestibus novas et a prioribus diversas induerit. Quemadmodum quando de vestimentis Israëlitarum in deserto oberrantium dicitur, quod per 40 illos peregrinationis annos *non inveteraverint* Deut. 8, v. 4. cap. 29, v. 5. tum sensus est, quod ipsorum quidditas manserit salva, ita e converso, quando vestimentum aliquod dicitur veterascere, tunc quidditatem suam non amplius sartam tectam retinet nec destructis qualitatibus vitiosis in statum perfectiorem mutatur, sed essentialiter per attritionem corrumpitur, et ut Poëta canit, *assiduo consumitur usu.* Jam vero David et Esaias

prophetae testantur, coelum et terram instar vestimenti inveteratura. Quando David a luctu surgens *vestes mutat* 2. Samuel. 12, v. 20. non pristinas a squalore et sordibus purgat, sed prioribus abjectis novas induit, sic Deus mutans coelum sicut vestimentum non renovat priores coelos, sed novos creat. 4. *Coeli complicabuntur sicut liber. Jam vero liber involutus non penitus interit.* Respondemus: quando liber convolvitur, nullus ejus ad lectionem manet usus, sic coeli in hac vita sunt liber τῆς θεογνωσίας, *annuntiant enim gloriam Dei* Psalm. 19, v. 1. sed in fine seculi hic liber convolvetur ac complicabitur, quia electi utpote intuitiva Dei notitia fruentes nullo amplius externo divinae cognitionis adminiculo indigebunt. Confer dicta parallela, quae de coelorum interitu agunt, ut et ea, quae de hac ipsa similitudine §. 7. et proxime praecedente sunt allata.

Oppositio. 43. 3. *Oppositio.* Psalm. 102, v. 27: *Coeli peribunt*, וְאַתָּה תַעֲמוֹד, *tu autem permanes* seu *stabilis manes.* Praefixum enim ו non solum est *copulativa*, sed etiam quandoque *adversativa*, quam significationem hoc loco eam obtinere, manifestum est ex serie textus. Sic ergo concludimus: Quo sensu ac respectu Deus dicitur permanere, eodem sensu ac respectu coeli dicuntur perire, alias non esset oppositio directa. Jam vero Deus dicitur permanere essentialiter. Ergo coeli intelliguntur perire essentialiter. Vel hoc modo: Quidquid in oppositione directa ac perfecta uni oppositorum tribuitur, alteri derogatur, et vice versa. Jam vero secundum essentiam permanere in hac oppositione Deo tribuitur. Ergo secundum essentiam permanere coelis derogatur. Quae enim alias foret oppositio, coeli perpetuo sibi similes et incorruptibiles a motu ad quietem aliquando transibunt, tu vero secundum essentiam permanebis? vers. 28. eadem oppositio emphatice repetitur: *Mutabis eos sicut vestimentum*, וְאַתָּה הוּא, *tu vero idem ipse*, scilicet es ac manes, *et anni tui* לֹא יִתָּמּוּ, *non deficient*, non consumentur. Anni, qui Deo tribuuntur ἀνθρωποπαθῶς, explicandi sunt θεοπρεπῶς, sunt enim anni aeternitatis omnis successionis prorsus expertes, sicut et dies, qui Deo tribuuntur Dan. 7, v. 9. sunt dies aeternitatis 2. Petr. 3, v. 18. תָּמַם significat *plene et totaliter consumtus est.* Quemadmodum igitur anni Dei non deficiunt, inde atque ideo, quia ipse secundum essentiam idem semper est ac manet; sic e converso vi oppositionis coeli ideo mutabuntur ac deficient, quia eorum essentia non manet eadem, sed abolebitur. Anni Dei non deficient, id est non XX. 62. erit tempus, quo Dei essentia varietur vel aboleatur. Ergo vi oppositionis coeli peribunt ac mutabuntur, id est erit aliquando tempus, quo essentia ipsorum mutetur ac aboleatur. Esa. 51, v. 6: *Coeli sicut fumus dissolventur, terra sicut vestimentum veterascet, salus autem mea in sempiternum erit et justitia mea non deficiet.* Quidam per salutem et justitiam μετωνυμικῶς intelligunt Christum salvatorem, qui a Deo nobis factus est *justitia* 1. Cor. 1, v. 30. sicuti etiam Esaiae 40, v. 8. et in aliis Scripturae locis sic vocatur. Quidam beneficam Dei promissionem de Messiae beneficiis, sed res eodem redit. Quemadmodum ergo salus et justitia inde atque ideo dicitur non deficere, quia manent in sempiternum Joh. 12, v. 34: *Audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum;* sic coeli inde atque ideo vi oppositionis dicuntur deficere, quia non durabunt in aeternum, sed aliquando essentialiter ac totaliter interibunt. Matth. 24, v. 35. Marc. 13, v. 31. Luc. 21, v. 33: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Verbum Dei non transibit seu stabile permanebit in aeternum Esa. 40, v. 8. non secundum externa πάθη sive accidentia, videlicet scriptionem, lectionem, praedicationem etc. sed ratione οὐσίας seu quidditatis. Inde sic colligimus: Quo sensu ac respectu verbum Dei dicitur manere, eo sensu coelum ac terra dicuntur transire, ut ostendit oppositio. Jam vero Dei verbum inde atque ideo dicitur manere, quia οὐσία, quidditas et materiale ejusdem, manet. Ergo coeli inde atque ideo dicuntur transire, quia οὐσίας et quidditatis abolitioni obnoxii erunt. Si statuatur, coelos qualitatum duntaxat mutationem, non autem substantiae abolitionem experturos, inter coeli ac terrae transitum ac verbi divini permanentiam non esset oppositio sed collatio. Ut enim accidentia seu formale externum verbi divini transit manente ejus quidditate ac materiali, sic coeli quoad qualitates et externa accidentia itidem transirent * manente eorundem οὐσίᾳ sive essentia. 1. Joh. 2, v. 17: *Mundus transit et concupiscentia ejus, qui autem facit Dei voluntatem, manet in aeternum.* Mundi vocabulum πρώτως ac principaliter hic accipitur ἠθικῶς pro mundanis voluptatibus ac vitiosis cupiditatibus, ἑπομένως ac consequenter etiam accipi potest φυσικῶς pro coeli ac terrae systemate, quia non solum *quidquid est in mundo*, videlicet *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae* v. 16. *transit*, sed ipsum etiam mundi aedificium aliquando per conflagrationem interibit, unde addit apostolus, *mundus transit et concupiscentia ejus.* Qua igitur ratione transit concupiscentia, ea etiam ratione transit ipse mundus, quia τὸ *transire* aequaliter de mundo et concupiscentia ejus praedicatur, et vice versa. Qua ratione illi, qui voluntatem Dei faciunt, manent, ea ratione mundus transibit, quia apostolus mundi transitum et eorum, qui voluntatem Dei faciunt, permanentiam directe invicem opponit. Jam vero concupiscentia prorsus ac totaliter interit, ac qui voluntatem Dei faciunt, in aeternum manebunt. Ergo mundus prorsus ac totaliter interibit, nec substantia ejusdem in aeternum manebit.

44. 4. *Novi coeli ac novae terrae promissio.* Esa. 65, v. 17: *Ecce ego creo coelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora et non adscendent super cor.* c. 66, v. 22: *Sicut coeli novi et terra nova, quos ego faciam, stant coram me, dicit Dominus.* 2. Petr. 3, v. 13: *Novos coelos et* XX. 63.

novam terram exspectamus secundum ipsius promissionem, in quibus habitat justitia. Apoc. 21, v. 1: *Vidi coelum novum et terram novam, primum enim coelum et prima terra abiit et mare jam non amplius est.* v. 5. *Dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia.* Observa 1) vocari coelos *novos* ac terram *novam*, non immutatos ac renovatos. 2) Eosdem dici *creandos.* Quamvis vero vox creandi respondens Hebraeo בָּרָא quandoque usurpetur pro formatione rei ex praejacente materia Gen. 1, v. 21. et 27. ac pro renovatione sive novarum qualitatum introductione Psalm. 51, v. 12. tamen prima ac propria significatione usurpatur pro alicujus rei ex nihilo productione Gen. 1, v. 1. Agnoscunt hoc ipsimet rabbini. Sic enim scribit rabbinus David Kimchi in lib. rad. כָּל לְשׁוֹן בְּרִיאָה הוּא הִתְחַדֵּשׁ הַדָּבָר וְיִצְאָתוֹ מֵאַיִן לְיֵשׁ, *omnis significatio creationis est innovatio rei et egressio ejus ab eo, quod non est, ad id, quod est*, et rabbinus Moyses Nachmanni in c. 1. Gen. scribit: אֵין אֶצְלֵינוּ בִּלְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ בְּהוֹצָאַת הַיֵּשׁ מִן הָאַיִן אֶלָּה לְשׁוֹן בָּרָא, *non exstat apud nos in lingua sancta, quo productionem rei cujuspiam ex nihilo exprimamus, nisi nomen bara.* Si coelos novos creare idem esset quod priores renovare, tunc dici etiam posset, *Deum in novissimo die novos homines creaturum*, quia corpora resuscitatorum novis qualitatibus induet. Sed posterius dici nequit, quia Deus non creabit homines novos, sed prius mortuos et exstinctos resuscitabit. 3) Priorum coelorum nullam amplius fore recordationem. At si priores κατ' οὐσίαν manerent, oculis intuentium perpetuo obversarentur, tantum abest, ut omnis eorum memoria penitus foret deleta. 4) Singulariter nota connexionem *vidi coelum novum et terram novam, primum enim coelum et prima terra abiit.* Quia primum coelum et prima terra abierunt, ideo novos coelos ac novam terram Deus creabit. Atqui si κατ' οὐσίαν primum coelum ac prima terra manerent, nec abiisse, nec in illorum locum novi coeli ac nova terra successisse dicerentur. 5) Ne quis τὸ παρέρχεσθαι, *abire*, de qualitatum duntaxat ἀλλοιώσει acciperet, ideo additum est, καὶ ἡ θάλασσα οὐκ ἔστιν ἔτι, *et mare jam non amplius est.* Sicut mare inde atque ideo dicitur abiisse, quia non amplius est, id est quia esse desiit; ita quoque coelum et terra inde atque ideo dicuntur abiisse, quia non amplius sunt, id est quia esse desierunt, quod non potest aliter quam de essentiali interitu accipi. Connexio probatur, quia harum universi partium est aequalis ratio. Si terra secundum substantiam maneret, utique etiam mare, cum terra per aquam consistat, 2. Petr. 3, v. 5. 6) Tandem v. 5. subjungitur *ecce nova facio omnia.* Non dicit immuto ac renovo omnia, sed *nova facio omnia,* id est quae post abitum prioris coeli et terrae facio, omnia sunt nova et a prioribus tota specie diversa. Excipiunt, *Petrum non dixisse, alios coelos et aliam terram videbimus, sed veteres et antiquos in melius commutatos*, Hieronymus in comm. Esa. 65. Respondemus: καινόν usurpatur non solum pro renovato ac secundum qualitates mutato, sed etiam pro alio ac secundum essentiam novo. Sic ἀσκοὶ καινοί dicuntur recentes a veteribus quoad essentiam diversi Matth. 9, v. 17. *novae linguae* sunt aliae linguae Marc. 16, v. 17. *nova vestis* est alia ac recens Luc. 5, v. 36. etc. Eodem modo accipitur Hebr. חָדָשׁ non solum pro renovato sed etiam pro alio. Sic Exod. 1, v. 8: *Surrexit rex novus*, id est alius, LXX interpretes ἕτερος, *alter*. Deut. 24, v. 5: *Cum acceperit vir uxorem novam*, id est aliam post XI. 6
prioris repudium vel mortem, LXX interpretes προσφάτως, nuper.

45. 2. Ex rationibus, 1. *ab incorruptibilitatis conditione.* ἀφθαρσία καὶ ἀθανασία est pars imaginis divinae, ad quam sola creatura rationalis condita, non autem creatura ulla alia. Sap. 2, v. 23: *Creavit Deus hominem ἐπὶ ἀφθαρσίᾳ et ad imaginem propriae similitudinis fecit eum*, quo dicitur ideo conditus fuit homo ad incorruptibilitatem, quia ad imaginem Dei fuit conditus. Jam vero nulla creatura alia praeter angelos et homines est ad imaginem Dei condita. Ergo etiam nulla creatura est ad incorruptibilitatem condita. Creaturae animatae longe sunt nobiliores inanimatis, unde muscam sole in ordine entium nobiliorem esse philosophi asserunt. Atqui nulla creatura corporea animata, solo homine excepto, ad immortalitatem et incorruptibilitatem condita, nec resurgent creaturae animatae in die novissimo, sed et individua et species earum in consummatione seculi abolebuntur. Ergo nec inanimes creaturae, coelum, sol, luna et stellae etc. erunt incorruptibiles. Augustinus lib. 21. de civ. Dei c. 8. ex libris Varronis refert, *stellam Veneris mutasse magnitudinem, cursum et figuram, idque accidisse tempore regis Ogygis*, ac notum est, patrum nostrorum memoria, anno scilicet Christi supra 1572. in signo Cassiopeae novam stellam apparuisse, ac postquam fere per biennium visa fuerat, iterum evanuisse, de qua licet diversa exstent mathematicorum et astronomorum judicia, tamen in ipso aethere eam situm habuisse ac veram stellam, non autem cometam in aëre accensum fuisse, colligitur ex eo, quod cometae, qui in elementari regione accenduntur, non ubique eundem intuentibus exhibent adspectum, sed ob propinquitatem nunquam eodem in loco observantur, si ad stellas fixas collatio fiat, quin et tardius quam sidera moventur, quorum neutrum in nova illa stella observatum fuit. Ex eo igitur apparet, ne ipsa quidem corpora coelestia a transmutationibus esse penitus libera. Confer ea, quae de coelis dicta sunt superius §. 28. 2. *A temporis cessatione.* Constat ex sacris literis, in consummatione seculi finem habiturum esse omne tempus. Apoc. 10, v. 6: *Jurat angelus, tempus non fore amplius.* Esa. 66, v. 23: *Et erit de mense in mensem et de sabbato in sabbatum*, id est erit in vita aeterna perpetua festivitas et quies pacatissima, quia neomeniae et sabbata erant populo Israëlitico dies festivi. Sic ergo verbis hujus seculi propheta describit res futuri seculi. Constat etiam ex communi theologorum ac philosophorum suffragio, meram et nudam aeterni-

2. Ex tionali 1. Al corru litati ditio

2. A por sati

tatem omnem temporis successionem excludere. Jam vero tempus est commensuratio durationis secundum motus corporum coelestium. Quodsi ergo cessabit tempus, utique etiam cessabit motus coelestium corporum, alias enim corporum glorificatorum duratio juxta illum posset numerari ac commensurari. Excipiunt, *motum coelorum cessaturum, non autem substantiam interituram.* Atqui motus coelorum dependet a propria eorum forma. Quod enim fingunt intelligentias orbibus coelestibus assistentes eosque moventes, suffragio sacrarum literarum destituitur,
65. ut suo loco plenius demonstratur. Cessante ergo motu coeli, cessabit finis, propter quem coelum conditum, cessabit perfectio, ad quam coelum conditum, cessabit propria formae operatio, in qua et cum qua coelum conditum. *Sicut deorsum ferri terrae naturale est, ita circulariter moveri coelo,* inquit Philosophus lib. 1. de coelo text. 15. Cessante ergo hoc motu naturali, interibit etiam ipsum coelum, unde subjungimus rationem 3. *a finis remotione.* Coelum conditum est fine eo, ut motu et influentiis in haec inferiora agat et ad creatoris agnitionem homini inserviat. Sed post seculi consummationem cessabunt vicissitudines generationum et corruptionum in sublunaribus, ergo cessabunt etiam influentiae coelorum in haec inferiora. In vita aeterna beati Deum videbunt a facie ad faciem, ergo non opus habebunt creaturarum magisterio. Tota rerum universitas fine eo condita est, ut homini viatori praebeat domicilium, victum et vestitum, atque ut sit θεογνωσίας quoddam speculum. Jam vero corpora beatorum glorificata nec victu nec vestitu nec terreno quodam domicilio indigebunt, nec in speculo amplius et aenigmate, sed clara et intuitiva visione Deum cognoscent; beati non amplius erunt in via, sed in patria, non amplius erunt *viatores*, sed *comprehensores*; ideo etiam non indigebunt amplius hujus vitae adminiculis. Quorsum illa terrae marisque restitutio cum vastissima aëris regione, si nullae erunt inferioris hujus orbis incolae, sed omnes aut coeli cives beatissimo Dei conspectu fruentes, aut inferni titiones a facie Dei et omnium creaturarum usufructu in aeternum abjecti? 4. *Ex coelestis Hierosolymae descriptione.* Esa. 60, v. 19: *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam et Deus tuus in gloriam tuam.* v. 20. *Non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Apoc. 21, v. 22: *Templum non vidi in nova illa civitate* descendente a Deo ex coelo, *Dominus enim Deus omnipotens est ipsius templum et Agnus,* v. 23. *et civitas non eget sole nec luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam et lucerna ejus est Agnus.* c. 22, v. 5: *Nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernae neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminat illos.* Si in coelesti Hierosolyma non est templum aliquod materiale, ergo nec aliud quoddam corporale domicilium. Si solis et lunae nobilissimarum creaturarum splendor non est incolis sanctae hujus civitatis necessarius, quanto minus reliquarum creaturarum usus. v. 25. *Nox non erit illic,* ergo nec τροπῆς ἀποσκίασμα Jac. 1, v. 17. *Deus erit omnia in omnibus* 1. Cor. 15, v. 28. Ergo nec sustentationem nec delectationem quaerent a creaturis.

5. *Ex absurdi consecutione.* Si coeli ac terrae exspectatur futura quaedam renovatio, utique etiam reliquarum creaturarum ἀποκατάστασις exspectanda erit, neque enim dari potest evidens ratio, cur quaedam duntaxat et non omnes creaturae sint renovandae. Si elementa sunt renovanda, utique etiam corpora mixta et animata ex elementis orta iisdemque praestantiora. Si animalia ac plantae renovandae, aut omnia, quae unquam exstiterunt, specierum individua renovabuntur, aut quaedam duntaxat, illa scilicet, quae extrema mundi conflagratio in die novissimo apprehendet. Si prius, quomodo novus ille orbis omnia individua animalium aëreorum, terrestrium, aquatilium, amphibiorum capiet, nisi mirandum in modum dilatetur ejusque pomoeria proferantur? Si posterius, quae potest dari ratio, cur Deus istaec tantum individua illo honore dignetur, neglectis, quae interierunt, reliquis omnibus? Priora, quae ante mundi finem interierunt, non minus quam posteriora, quae diem novissimum vivendo attingunt, vanitati fuere subjecta et promissionem liberationis a servitute corruptionis acceperunt, Roman. 8, v. 20. Eccur igitur illis duntaxat felicitas perennitatis et perennitas felicitatis contingit, reliquis in squalore et situ aeternum permanentibus? Francisc. Puccius advers. Socinum pag. 38: *Qui tenent, renovandam esse terram et coelum, audebunt dicere, terram fore sine bestiis, aquas sine piscibus, aërem sine avibus, et hos foetus elementorum perituros, qui sensu simili nobis praediti sunt, cum ipsa elementa, quae sensu illo carent, restituantur?* Sed et brutorum atque arborum illa individua renovata, quem praestabunt hominibus usum, quod ministerium, quale servitium? num speciem suam per generationem ac plantationem propagabunt? Si quis affirmet, statuenda erit denuo generationis et corruptionis in futuro seculo quaedam vicissitudo; si neget, cogitandum ipsi erit, quomodo tot myriadibus hominum ad vitam aeternam resuscitatorum tam pauca brutorum et vegetabilium individua sufficiant? Si terra per ultimum incendium expurganda et renovanda, utique cum omnibus speciebus erit renovanda, absque illis enim est *inanis et vacua,* omni prorsus ornatu destituta Gen. 1, v. 2. Si omnes species animantium terram incolentium restituendae, etiam omnia specierum individua, ut ostendimus. Sed haec omnia sunt ἀσύστατα. Si differentiae, quae dividunt genus, ad perfectionem et ornatum universi pertinent, consequens fuerit, mundum, qui hodie ante novissimam illam instaurationem eas obtinet, sed post instaurationem ex adversantium hypothesi magna ex parte illis destituetur, minus perfectum tunc fore, quippe praecipua ornatus et complementi sui parte fraudatum.

5. Ex absurdi consecutione.

Si quis excipiat, *divisionem generis* (substantiae corporeae) *in has differentias* (in simplicem et mixtam, animatam et inanimatam, rationalem et brutam, sensitivam et vegetativam) *huic solum seculo convenire atque omnes illas differentias, corporeum, animatum, sentiens* etc., *in homine ἐπιτομικῶς et eminenter reperiri*, is cogitet, primo idem excipi posse de coelo et elementis, quod huic scilicet duntaxat seculo illorum usus conveniat; deinde πολυποίκιλον Dei sapientiam multo magis in expressa distinctarum specierum ac formarum varietate quam in ista earundem epitome relucere, ac proinde si nostrae physices aliquis usus in futuro seculo futurus, rectiore consilio omnia nobis spectanda propositum iri, cum singula penitius introspicere ac plenius intelligere poterimus. Tilenus part. 2. disput.
6. Ex entium serie et connexione. 67. §. 45. et 46. 6. *Ex entium serie et connexione.* In entium gradu summum obtinet locum Deus, ens increatum et infinitum, cui competit aeternitas absoluta, ab *ante et post*, principio et fine prorsus carens. Proximo deinde loco statuuntur spiritus
XX. 67. creati, angeli scilicet et animae humanae, quibus proprie competit aevum, principium habens, sed fine carens. Ultima subsellia occupant substantiae corporeae, physicae, interitui ac corruptioni obnoxiae, principium ac finem suae durationis habentes, quae proinde non magis perennitatis quam substantiae spirituales incorporeae corruptionis sunt capaces. Si excipias, *coelum ut a qualitatibus contrariis, ita etiam ab interitu per naturam esse immune; elementa licet per partes generentur et corrumpantur, tamen perennem habere naturam in toto; animantium et plantarum individua interire, species vero permanere;* respondemus, haec omnia in hoc duntaxat seculo locum habere, quamvis de coeli incorruptibilitate non immerito dubitetur, sed in fine seculi haec omnia esse desitura, ut praecedentia argumenta ostendunt. Si regeras, *etiam corpora nostra, quamvis elementaria, tamen perpetuo esse victura;* respondemus, resurrectionem ex peculiari Dei beneficio, speciali promissione et supernaturali virtute provenire, ut suo loco ostendimus.

3. Ex patrum dictis. 46. 3. *Ex quorundam patrum dictis.* Clemens Romanus lib. 2. recognit. inducit apostolum Petrum duos docentem coelos, *unum superius et invisibile, perpetuum et aeternum, quod spiritus beati incolunt; alterum inferius, visibile, variis distinctum sideribus, corruptibile et in consummatione seculi dissolvendum ac prorsus abolendum, ut ejus corpulentiae amoto velamine appareat coelum illud excelsum iis, qui ejus adspectu digni sunt.* Hippolytus in orat. de consummat. mundi: *Fluvius igneus egrediens cum furore instar maris saevi exuret montes et colles et mare delebit ac aethera velut ceram inflammatione dissolvet, stellae cadent de coelo, sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, coelum more libri volutabitur.* Justinus Martyr in paraen. 1. ad Graecos p. 24: *Unde Plato de coeli dissolutione* (περὶ λύσεως οὐρανοῦ) *opinione concepta ita scripsit? an non id ipsum quoque ex sacris percepit vatibus atque ab ipsis hoc sic dictum esse arbitratus est?* Idem in quaest. et resp. ad orthod. q. 93. p. 348: *In consummatione non in coelo, quod nunc est, et in terra, quae nunc est, homines factorum referent retributiones, sed in coelo novo et in terra nova, secundum dicta Esa. 65. et 66. Psalm. 102. Hebr. 12.* etc. quaest. 94. pag. ead.: *Inductione melioris coeli καινῶς γινομένου, recens facti, firmamentum tolli necesse est, tanquam id quod ad constitutionem illam nulli rei sit et usui, ut ejus interitu vel tum demum coarguatur, vanum esse, quod de coelo, expers ipsum generationis et corruptibilitatis esse, circumfertur eorum hominum dogma, qui id ingenitum aeternumque esse et fine carere dixerunt.* quaest. 95. p. 349: *Si juxta apostolum Paulum praeterit habitus hujus mundi, certum est, simul necessario alia omnia, quae propter habitum mundi sunt effecta, cum mundi habitu esse praeteritura. Inducetur autem novum coelum et terra, ubi justis et injustis meritorum praemia tribuentur.* (Postea tamen addit: *aëre etsi ad respirationem non indigebimus, ad motum tamen et loci mutationem necessario utemur.*) Minucius Felix in Octav.: *Quis sapientum dubitat, quis ignorat, coelum cum omnibus, quae coelo continentur, ita ut coepisset, desinere? fontium dulci aqua marisve nutritum in vim ignis abiturum?* Hilarius can. 26. in Matth.: *Atque ut fides certa esset futurorum, amen dicendo professionem veritatis* (Christus) *adjecit, generationem nostram praeterire non posse, nisi universa ista transcurrerent,* XX. 68
eaque quae firma existimantur, coelum et terram, non futura, verba autem sua non posse non esse, quia illa ex conditione creationis suae, id est profecta de nihilo, habeant id in se necessitatis, ut non sint, haec autem ex aeternitate deducta id in se contineant virtutis, ut maneant. Idem in Psalmo 118. lit. lamed: *Non ait David in seculum seculi, neque in secula seculorum, sed in seculum verbum tuum permanet, scit, post hoc seculum coelum et terram praeterire Domino dicente, coelum et terra transibunt.* Chrysostomus in homil. ad Neoph. tom. 5: *Quid sibi vult, stellae cadent de coelo, sicut folia de ficu? Sicut enim vites, cum uvarum fructibus praegravantur, foliorum exposcunt auxilium necessarium, ut protegantur, cum autem deposuerint fructum, necesse est, ut foliis nudentur; sic se habet hoc seculum, quamdiu habuerit in se humanum genus, tenebit et coelum stellas, sicut et vitis folia. Nam nocte pereunte sine dubio stellarum utilitas simul cum nocte deficiet.* Eandem de *coelorum corruptibilitate* sententiam proponit Basilius libr. 1. hexaëm. et Gregorius Nyssenus lib. de creat. hominis c. 24. Ambrosius lib. 1. hexaëm. c. 6: *Haec igitur alii considerantes, stabilia esse non posse, aethereum corpus coeli stellarumque esse arbitrati sunt, quintam quandam naturam corporis introducentes, quo diuturnam coeli putarent mansuram esse substantiam. Sed non ista opinio propheticae potuit obviare sententiae, quam divina*

quoque Domini Jesu Christi Dei nostri majestas in evangelio comprobavit. Dixit enim David: Principio terram tu Domine fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli, ipsi peribunt etc. quod adeo probavit in evangelio Dominus, ut diceret: Coelum et terra praeteribunt, verba autem mea non praeteribunt. Nihil igitur agunt, qui propter coeli asserendam perpetuitatem quintum corpus aethereum introducendum putarunt. Philastrius haeres. 79. p. 34: *Alia est haeresis, quae dicit, mundum non mutari, sed in eodem statu permanere etiam post Domini nostri praesentiam.* p. 35: *Restauranda ergo potius, non pereunda annuntiat elementa, et quamvis impossibile Deo non est, ut qui fecit ex nihilo omnia, ut iterum delere possit omnia, quod ait beatissimus Job: Si autem destruxerit universa, quis ei dicet, quid fecisti? Ergo si ita senseris, omnipotentiam Domini Christi cognosces; sin ea restauranda quis aestimat, sequenter intelliget* etc. *Nam et apostolus elementa haec liquescere et ad nihilum venire nuntiat pariter et prophetat.* Juvencus praefat. in hist. evangel.:

Immortale nihil mundi compage tenetur,
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea sidera coeli.
Nam statuit genitor rerum irrevocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiet flamma ultima mundum.

Euthymius in comm. Matth. 24: *Stellae de coelo cadent tanquam nulli amplius usui futurae, nulla enim tunc erit nox.* Arnobius junior de Deo trino et uno: *Sicut ex nihilo factus est mundus, ita ad nihilum redigendus erit in fine seculi, quia scriptum est, ipsi peribunt* etc. Rupertus Tuitiensis in comm. Apoc. 20: *De istis coelis non dubium est, quin sint perituri, videlicet nimio calore soluti, quando super thronum suum magnus iste sedens apparebit. Mirabilis atque pavenda erit illa fuga coeli sive coelorum. Neque enim silentio fiet, sed terribiliter audienda est disruptio fugientium sive*
69. *fuga disruptorum seque disrumpentium, sicut vetus vestimentum rumpitur.*

ad- lo- inf- is.

47. 4. *Ex adversariorum quorundam suffragiis,* 1) *ex Scholasticis et Pontificiis.* Franciscus Maronius 4. sent. dist. 49, q. 4: *Videtur consonum verbo Scripturae, quod totus mundus debeat comburi, dicitur enim, coeli et terra transibunt* etc. *nisi sancti aliter exponerent auctoritates* (atqui vere piorum et sanctorum est non aliter exponere Scripturam, quam ipsa verborum evidentia requirit). Collegium Conimbricense lib. 1. de coelo c. 3. q. 1: *Quod multi patres,* videlicet Basilius hom. 1. et 3. in Genes. Theodoretus in comm. Rom. 8. Damascenus lib. 2. orth. fid. c. 6. Chrysostomus hom. 9. et 10. ad popul. Antioch. Justinus in resp. ad q. 93. 94. et 95. et in opusc. contra Arist. Irenaeus lib. 4. c. 16. Ambrosius lib. 1. hexaëm. c. 6. Gennadius de eccl. dogmat. c. 7. *et alii coelestes globos incorruptibiles esse negarunt, ad illud respondemus cum Thoma part. 1. q. 66. art. 2. pronuntiatum id ab eis ex mente Platonis, qui docuit, coelos non natura sua, sed Dei conservatrice beneficentia ab interitu servari. Verisimile quoque est, illorum aliquos accepisse incorruptibile pro eo, quod ex sua natura habet essendi necessitatem, ita ut nulla vi a suo esse decidere queat, quomodo solus Deus est incorruptibilis.* Sed haec explicatio non convenit omnibus patrum dictis, ut ipse sonus verborum ostendit, ideo etiam ipsimet Conimbricenses hujus suae responsionis infirmitatem agnoscunt et hanc ingenuam confessionem subjungunt: *Tametsi quidam sacrorum voluminum interpretes existimasse videantur, totam astrorum et coelestis mundi compagem divina virtute penitus evertendam aliamque in ejus locum surrogandam.* Franciscus Vallesius de natur. phil. c. 89. p. 484: *Plerique nolunt intelligere* (oracula Scripturae de interitu mundi), *mutandas esse naturas et formas corporum coelestium et elementarium, sed motum cum quiete commutandum et tempus cum aeternitate, manentibus tamen eisdem formis atque essentiis, atque ob has tam insignes mutationes, quas subibunt, dici mutanda faciendaque nova* etc. p. 485: *Sed majus aliquid mihi sonant illa oraculorum praescriptorum verba, mutandos coelos, ut opertorium ipsos perituros, solvendos, novos creandos* etc. *Videtur probabilissimum esse, mundum hunc corporalem, quem conspicimus, periturum aliquando esse, ac pro illo alium longe praestantiorem esse denuo creandum* etc. *Alienum enim omnino a ratione est, corpora natura mobilia quaeque naturali impetu feruntur, ut coelestes orbes, in aeterna violentia contineri. Nihil enim philosophis certius, quam nullum violentum esse aeternum. Coelum autem cum naturaliter feratur circulo, praeter naturam et violenter detineretur. Neque minor inferretur violentia elementorum naturae, si ea quoque, quali nunc sunt, natura durarent. Etsi enim corporibus suis ordine dispositis naturalis succederet quies, esset tamen necesse, statim et illum ordinem et quietem interturbari actione mutua elementarium virtutum, nisi essent activa passivis proxima sine ulla actione, quod nihilominus rationi repugnat. Quid enim posset illas inducias firmare nisi a majore virtute illata violentia?* etc. *Verisimilius ergo multo est, corpora haec coelestia et elementaria, quae ad hanc velut rerum genesin optime comparata nunc sunt, exacto toto tempore et elevatis successivis mutationibus, quasi toto jam negotio peracto, velut de-* XX. 70.
functa munere suo finiri atque alia pro illis longe pulchriora et aeternam illam requiem naturaliter expetentia et secundum se tota inalterabilia creari denuo, quae immutabilibus et aeternis subserviant, ut priora haec nascentibus et intereuntibus deserviunt modo. Ibidem tamen statuit, *mutationem, quae divina virtute futura sit in substantiam praestantiorem, non debere vocari annihilationem sed creationem.* 2) *Ex Calvinianis.* Beza in annot. majorib. Rom. 8, v. 20: *Vanitati, ματαιότητι, id est illi per ignem dissolutioni, quae annihilationis*

erit species, sicut aperte et copiose describitur 2. Petr. 3, v. 7. 10. 11. et 12. promittuntur enim novi coeli ac nova terra, non priorum restitutio sive in eundem, sive in meliorem statum. Nec iis possum assentiri, qui hanc dissolutionem ad solas qualitates referendam censent. Daniel Tilenus Sedanensis in Gallia professor part. 2. disputat. 67. § 37: *Qui cessaturam dicunt mundi essentiam non absolutam sed relativam, quemadmodum lapis manet lapis, etiam postquam desiit esse limes, hi nunquam suam sententiam cum testimoniis Scripturae, quae de interitu mundi agunt, conciliabunt. Ecquis enim lapidem, cum limes esse desinit, perire, aestuare, dissolvi, liquescere et exuri dixerit aut sicut fumum evanescere? aut quinam id, quod non aboletur, sed duntaxat renovatur, e memoria plane deleri nec amplius commemorari dicitur? quomodo stabit antithesis, qua Christus coelo et terrae interitum, verbis autem suis sempiternam durationem adscribit, si coeli non modo interituri non sunt, sed etiam in melius mutandi? an fidelium, quos judicium hoc superstites deprehenderit, corpora, dum transmutabuntur, recte quis dixerit interitura, aut vestimentum, cui psaltes coelos comparat, dum veterascit, in melius mutatur? Denique si homo, ut ait Job, non resurget, donec praetereat coelum, sequetur, nunquam illum resurrecturum, si nunquam istud est interiturum.* Joh. Chassanio in loc. comm. lib. 3. c. 22. n. 3. p. 409: *Liquido apparet, de novo aliquo coelo et terra non proprie hic agi, ne quis existimet, ut nonnulli censent, hunc mundum renovatum iri ipsamque mundi substantiam non perituram esse, sed ejus qualitatem, quatenus vitiosa et corruptioni per hominis lapsum est obnoxia. Non renovabitur nec mutabitur mundus, sed plane desinet et interibit, quod innuere videtur etiam Johannes Apoc. 21, v. 1. cui quaeso usui foret mundus nullis hominibus in eo amplius exstantibus?* Polanus in symph. cathol. c. 28. thes. 3. p. 960: *Destructio mundi, h. e. coelorum mobilium, elementorum et corporum elementarium, erit substantialis, non accidentalis, erit abolitio et annihilationis species, sicut coeli igni conflagrantes cum stridore sint praeterituri, elementa aestuantia dissolvenda terraque et quae in ea opera sunt, exurenda.* Bucanus in inst. loc. 38. q. 15. dictum Christi Matth. 24, v. 29. *stellae de coelo cadent,* secundum literam dicit esse intelligendum. Ergo stellae, quae pertinent ad integritatem mundi, non solarum qualitatum immutationem patientur, sed substantialiter abolebuntur. 3) Socinus Photinianus in resp. ad defens. Franc. Puccii c. 6. p. 135: *Ego profecto perspicere nondum possum, quibus verbis ex sanctis literis depromtis rerum coelestium immortalitatem seu potius perpetuam permansionem vel etiam renovationem aliquis confirmare possit, atque iis etiam globum hunc terrestrem annumerare. Quinimo multa ex divinis literis testimonia proferri possunt, quibus contrarium perspicue demonstretur.* Postea urget emphasin verborum *transire, praeterire, abire, non esse* etc. p. 143: *Vita haec animalis ac terrestris in die judicii cessare debet et ejus loco spiritualis ac coelestis substitui. Quid ergo vero coelo et vera terra in illa nobis opus erit? Nonne et coelum et terram, ut huic animali et terrestri vitae inservirent, Deus creavit? qua cessante, propter quam utrumque conditum fuit, an non et ipsa cessare debent? Cum Dominus Jesus aperte dicat, nos angelis Dei similes futuros, quid nobis cum coelo hoc, quod adspicimus, et cum terra hac, in qua habitamus, vel cum aliis ejusdem generis? Num quid angeli Dei hoc coelo et hac terra sive aliis ejusdem generis utuntur atque fruuntur? cui usui amplius futura sunt nobis omnia, quae in coelo vel in terra sunt, vel alia ejus similia? num quid ad cibos, quibus sustentemur, eorum ope et inde percipiendos, cum immortales futuri simus et nulla refectione opus habituri? Sed opinor, non quibus sustentemur, sed quibus deliciemur. Ergo et angeli ipsi, quorum pares futuri sumus, non solum cibis utuntur, sed etiam eos hujus coeli ope et ex hac terra sive ex aliis his similibus percipiunt, alioqui si aliunde suos cibos haberent, etiamsi in futuro seculo comedendum nobis esset, non tamen ob eam causam coelo aut terra aliqua vera nobis opus esset. Num fortasse aliquo sole et luna aliquibusve stellis ad diei et noctis distinctionem, ad tempestatum vicissitudines, ad annos notandos, propter quae sidera omnia creata fuerunt, opus erit nobis, qui in perpetua luce futuri sumus, qui nullam amplius mutationem aut varietatem sumus experturi, qui sempiternam vitam vivemus? Num luce hac creata et ipso sole ac luna ad locum illustrandum, ubi erimus, opus erit nobis, qui ipsam increatam lucem perpetuo praesentem habituri simus, quibusque Deus ipse et claritas ejus et Dominus Jesus agnus ille purissimus, in aeternum lucebunt ac vice solis et lunae erunt? Num ad oculorum oblectationem siderum egebimus nos, qui Deum ipsum praesentem intuebimur et aeternae majestatis ejus jucundissimo adspectu in omne aevum perfruemur? At credo, animantibus ceteris illud novum coelum et terra nova, non nobis usui erunt? Sed Petrus manifeste ait, nobis, non bestiis promissum fuisse a Deo novum coelum et novam terram. Quamquam non video, quomodo si bestiae non minus quam nos immortales sunt futurae, vel aliquo coelo ac terra egere possint, vel varietates et vicissitudines, quas coelum terrae impendens secum necessario affert, experiri queant.* Haec Socinus, non ineleganter contra coeli terraeque renovationem disputans. XX.

48. Antithesis 1. Qui mundum per annihilationem interiturum negant, in diversas abeunt sententias. Quidam enim *essentialiter* per ultimam illam conflagrationem mundum interiturum concedunt, sed negant, eundem *totaliter* per annihilationem interiturum. Statuunt enim, ex coeli ac terrae per universale incendium consumtorum cineribus novum coelum ac novam terram divina virtute Anti

per modum creationis secundariae in materiam indispositam agente subito ac miraculose emersura, perinde ut Arabica illa avis, quam Phoenicem vocant, rogum ex aromatibus sibi construens, quo corpus ejus ita absumitur, ut ex cineribus novus pullus producatur. Quemadmodum enim homo μικρόκοσμος interit *essentialiter*, quia compositum dissolvitur ac corpus anima destitutum in cineres resolvitur, interim tamen non interit *totaliter*, quia anima immortalis perseverat, quae corpori ex terrae
72. pulvere suscitando aliquando iterum unietur; ita quoque coeli terraeque machinam, quam μακρόκοσμον vocant, *essentialiter* per conflagrationen interire concedunt, sed *totaliter* eandem interire inficiantur, quia virtus Dei creatrix et conservatrix, quae est quasi anima mundi assistens, ex cineribus mundi per incendium absumti novum coelum ac novam terram creabit, *in quibus justitia* ac Deus ipse omnis justitiae auctor *habitabit* 2. Petr. 3, v. 13. Apoc. 21, v. 4. Atque eorum sententia veritati quam proxime videtur accedere. Quidam vero mundum κατ' οὐσίαν interiturum negant, interim qualitatum duntaxat alterationem quandam successuram autumant, perinde ut homo ex puero fit juvenis, ex juvene vir, ex viro senex absque ulla essentiae abolitione vel mutatione. Alii id declarant similitudine aurei poculi, quod contusum et corruptum per ignem ab aurifabro innovatur. Quidam nihil in mundo abolendum putant, nisi respectum illum, quem habet mundus ad finem suum in hoc seculo, puta ut generi humano per naturalem generationem propagando ac inprimis ecclesiae Dei colligendae tum hospitium, tum alia vitae subsidia praebeat, quo fine cessante dicunt, cessaturam ejus essentiam non *absolutam*, sed *respectivam*, quemadmodum lapis manet lapis, etiam postquam desiit esse limes. 2. Quidam existimant, *omnes omnino creaturas* per ignem renovandas atque a sordibus ex servitute corruptionis ipsis adhaerentibus expurgandas; quidam vero quasdam duntaxat instaurandas ac renovandas, quasdam penitus abolendas, quasdam et renovationis et abolitionis expertes in pristino suo statu permansuras arbitrantur. 3. De *coelo* in specie quidam statuunt, nullam in eo fore alterationem aliam, quam quod a motu ad quietem perpetuam sit transiturum. Quidam splendoris et lucis augmentum ipsi accessurum arbitrantur, adeoque non tantum ratione φορᾶς, sed etiam ratione ποιοτήτων mutationem in ipso secuturam statuunt. Utrique tamen ab igne ultimi incendii illud liberum fore asserunt. Quidam vero ipsam aethercam regionem sive coelum stellatum incendio illo postremo tanquam aurum in fornace purgandum abstersisque omnibus maculis ac sordibus purius reddendum, praestantioribus qualitatibus exornandum ac sub nova illa forma absque vicissitudine et mutatione ulla in sanctorum ac electorum habitaculum futurum iisque ad sempiternam felicitatem inserviturum arbitrantur. De *elementis* in specie quidam putant, duo ex illis, ignem videlicet et aquam, esse substantialiter peritura, cum eorum in novo coelo ac nova terra nullus futurus videatur usus, reliqua autem duo, terram et aërem, non peritura esse sed renovanda. Quidam contra disputant, nullum omnino elementum in fine mundi periturum, sed omnia duntaxat renovanda arbitrantur. De *terra* in specie quidam statuunt, eam ornatu specierum, h. e. animalium terram incolentium et plantarum e terra nascentium, prorsus destitutam fore; quidam vero etiam brutis animalibus et plantis in ea locum concedunt. 4. *De novo coelo et nova terra*, h. e. de coelo ac terra renovatis, discrepantes fovent opiniones. Thomas in additam. q. 91. art. 31: *Non erit nox alicubi super terram, sed solum in centro, ubi erit infernus, quia tunc lucebit luna quantum nunc sol, sol autem in septuplum quam nunc, corpora autem beatorum septies magis quam sol, quamvis hoc non sit aliqua auctoritate aut ratione probatum.* Ejus vestigiis insistens Barradius libr. 10. comm. in conc.
evang. c. 1. p. 611. eorum conditionem sic descri- XX. 73.
bit: *Coeli superiores post judicium stabunt ac quiescent, quia nullae generationes aut corruptiones, nulla diei noctisque vicissitudo erit amplius. Praeter hanc coelorum quietem novo splendore tam coelum, sol, luna, astra, quam elementa illustrabuntur a potentissima Dei manu. Terra erit in superficie pervia sicut vitrum, aqua sicut crystallus, aër ut coelum, ignis ut luminaria coeli. Neque solum claritatem illam a coelo obtinebunt, sed ipsamet novo splendore vestientur, quo tamen calor in eis nequaquam excitabitur, quia post judicium alteratio ab illis aberit. Tota etiam terra erit diaphana praeter tartareas cavernas, ut totus mundus beatorum oculis sit conspicuus nihilque lateat. Illas etiam terrae speluncas forsitan illuminandas censet* Paludanus 4. sent. dist. 48. q. 1. *in quibus post judicium pueri non baptizati recludentur.* Numquid vero terra arboribus floribusque convestita beatorum oculos oblectabit? an peribunt plantae, flores, animalia mixtaque alia? Respondet Anselmus in elucidario: *Terra, quae in gremio suo corpus Domini fovit, tota erit ut paradisus, et quia sanctorum sanguine est irrigata, odoriferis floribus, liliis, rosis, violis immarcescibiliter erit perpetuo decorata.* Guilelmus Parisiensis apud Dionysium Carthusianum lib. 4. dist. 48: *De terra quidam ex sapientissimis Christianorum dixerunt, quod graminibus semper virentibus et immarcescibilibus floribus ac perpetua amoenitate instar paradisi terrestris sit decoranda.* Sed Thomas ac reliqui theologi arbitrantur, *mixta omnia abolenda, sunt enim corruptibilia.* Ille vero novus status rerum est incorruptibilium. *Plantae*, inquit Thomas additam. q. 91. art. 5. *et animalia sunt de perfectione universi, secundum statum istum mutabilitatis, non secundum statum novitatis.* Bellarminus lib. 6. de amiss. gratiae et statu peccati c. 2. longe aliam novi illius mundi faciem nobis describit. *Omnino credibile est*, inquit, *post ultimi judicii diem elementum aquae ad locum suum naturalem*

esse rediturum totamque terram undique coopertum, nam ut theologi doctores communi consensu docent, post diem judicii nullae erunt plantae, nulla animantia, nulla corpora mixta, hominibus duntaxat exceptis etc. *Quare cum aqua initio mundi totam ambiret terram, ut natura ejus postulare videbatur, ac deinde jussu Dei in unum locum congregata fuerit, ut esset locus in terra generationi plantarum et animalium, certe generatione ista sublata ratio ipsa et natura rerum postulat, ut aqua ad locum pristinum revertatur, proinde locus infantum sine baptismo decedentium non alius erit quam infernus* etc. Atqui si terra tota aquis erit obruta, quomodo floribus et plantis erit decorata, quomodo in superficie instar vitri pervia, quomodo gratum oculis beatorum exhibebit spectaculum? Si infantes non baptizati in inferno tenebricoso, in quo erit nox perpetua, constituentur, utique non erunt in ejusmodi cavernis terrae, quae solis et elementorum claritate illuminentur. Ambrosius Catharinus in comm. 2. Petr. 3. *nec in centro terrae, h. e. in inferno, nec in cavernis terrae, sed in ejus superficie infantibus non baptizatis locum* assignat et hac ratione etiam superficiem terrae ab aquis liberat, nisi forte perpetuo aquis innataturos eos somniet. *Sed in quem usum* (inquit) *nova terra, si nullus habitaturus sit in ea? idcirco congruentissime creditur a multis, eos qui peccato proprio non merebuntur infernum, nec tamen in Christo recepti fuerunt per gratiam, quales pueri absque baptismo discedentes, hanc novam multo pulchriorem terram puram ab omni
XX. 74. corruptione et inquinamento possessuros, ubi perpetuo Dominum Deum laudabunt.* Hanc Catharini sententiam inter errores refert Jodocus Coccius Pontificius part. 2. thesauri lib. 10. art. 2. p. 1047. sed eam Salmeron. Jesuita amplectitur in comm. 2. Petr. 3. tom. 16. disp. 4. in post. Petri p. 140. *Adverte*, inquit, *terram novam formandam. At quaeso, bone Deus, in quem usum, nisi ut pueri, qui sine circumcisione et sine baptismo decesserunt, eam possideant, ut saepe probabiliter diximus?* Quidam per renovationem illam non solum novam lucem et claritatem elementis accessuram, sed etiam naturales eorum qualitates mutandas ac abolendas censent. Gersonius in summ. de gaud. paradisi fol. 433: *Sic purgabuntur elementa, quod proscindetur ab igne ejus combustibilitas, ab aëre obscuritas, ab aqua glacialis frigiditas, a terra gravitas et opacitas.* Se de novo illo coelo ac nova terra uberius dicetur in ultimi novissimi explicatione. 5. Quidam sententiam suam ut probabilem defendunt ac ἐποχῇ quadam hic utendum censent, quidam vero ut certum fidei articulum propugnant et contrariam sententiam erroris accusant. Quidquid tamen sit, in eo plerique omnes ex Pontificiis et Calvinianis consentiunt, quod mundus non secundum substantiam interiturus, sed secundum qualitates duntaxat sit immutandus. Ex Pontificiis ita statuunt Barradius d. l. Blasius de Viega in comm. Apoc. 21. p. 814. *Plusquam improbabilis*, inquit, *censenda est illa opinio, quae affirmat, coelestia corpora in die judicii quoad substantiam esse immutanda, cum communi doctrinae expositionique sacrarum literarum a patribus traditae et ab omnibus interpretibus theologisque receptae adversetur.* Conimbricenses lib. 1. de coelo c. 3. q. 1. art. 2. Gregorius de Valentia tom. 4. comm. in Thom. p. 2277. Ribera in comm. c. 21. Apocal. Josephus a Costa de noviss. Pererius disp. 14. in epist. Rom. c. 8. p. 507. et reliqui fere omnes. Ex Calvinianis Polanus sibi contrarius libr. 6. syntagm. c. 70. p. 517. Zanchius in tract. de fine mundi tom. 7. operum fol. 79. Aretius in problem. loco 157. p. 504. Piscator in epist. Rom. c. 8. observat. 17. et 2. Petr. 3. observ. 3. Goclenius disp. phys. 24. th. 71. Timplerus phys. gener. c. 3. q. 11. Martinus in defens. Sadeëlis p. 47. et 48. in theolog. p. 1076. Keckermannus curs. philos. disp. 20. q. ult. Alstedius in theol. didact. schol. sect. 4. c. 40. reg. 5. Bucanus in instit. theol. loco 38. q. 9. p. 431. etc.

Argumenta pro accidentali mutatione 1. Ex Scripturis.

49. Argumenta pro hac opinione petuntur 1. *ex Scripturis*, 2. *ex ratiocinationibus*. Ex Scripturis proferunt 1. *dicta generalia*, quae de mundi aeternitate loqui videntur. Deut. 33, v. 15. *colles aeterni.* Psalm. 89, v. 30: *Ponam thronum ejus sicut dies coeli.* Psalm. 148, v. 6: *Stare fecit ea in seculum.* Eccles. 1, v. 4: *Terra stat in aeternum.* c. 3, v. 14: *Opera, quae fecit Deus, perseverant in seculum* etc. sed ad illa jamdum superius §. 17. est responsum. 2. *In specie* proferunt haec dicta, quae propius ad statum quaestionis videntur accedere. 1. Psalm. 104, v. 29: *Abscondente te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum, et deficient et in pulverem suum revertentur;* v. 30. *emittes spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae.* Respondemus: 1) non de renovatione mundi futura in fine seculi, sed de annua et quotidiana mundi renovatione, quae XX. 75. individuis quotidie intereuntibus fit per conservationem specierum et novorum individuorum productionem, per veris post hiemem successionem, per terrae foecundationem etc. 2) Si ad renovationem in fine seculi futuram hunc locum referre velimus, consequens fuerit, etiam bruta animalia esse resurrectura ad incorruptibilitatem, quod tamen ipsimet renovationis patroni negant.

1. Ex Psalm. 104 v. 29.

50. 2. Esa. 30, v. 26: *Erit lux lunae sicut lux solis et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui.* Respondemus: 1) in sensu literali agitur de felicissimo et laetissimo rerum statu, quem post Assyriorum deletionem populus Israëliticus Dei beneficio sit persensurus. Quemadmodum enim tristis ac luctuosus rerum status verbis propheticis ac metaphoricis per occasum solis et lunae, per obfuscationem astrorum ac tristem coeli faciem describitur Esa. 13, v. 9. Jerem. 4, v. 23. etc. confer praeced. tract. §. 94; ita quoque laetitiae pacis ac quietis restitutio per splendorem solis ac lunae describi consuevit. Cum enim homines in anxietate con-

2. Ex Es. 30, v. 26.

stituti animo perturbantur, lumen solis ipsis quodammodo obscurum videtur; sed cum laetitia redit, tunc omnia vicissim ridere ac sidera ipsa splendidiora apparere videntur. Esth. 11, v. 8. de infelici Judaeorum statu dicitur: *Fuit dies illa tenebrarum et discriminis, tribulationis et angustiae, et ingens formido super terram;* sed de mutata in meliorem sortem Judaeorum conditione c. 8, v. 16. dicitur: *Judaeis nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium.* 2) Typice, mystice ac anagogice fatemur accommodari posse ad instaurationem ecclesiae incboandam per evangelicae lucis splendorem, quo antiquae legis umbra dispelletur (quo accommodant hanc prophetiam Cyrillus et Procopius in comment. Augustinus in quaest. utriusque Testamenti q. 105.), consummandam in ultimo Christi ad judicium adventu, per quem plena ab omnibus hostibus liberatio et perfecta felicitas piis continget (quo accommodant hoc vaticinium Hieronymus, Haymo et Lyranus in comment.); sed tunc μεταφορικῶς verbis hujus seculi res futuri seculi describi quilibet animadvertit. 3) Nam Esa. 60, v. 19. Apoc. 21, v. 23. coelestis Hierosolyma luce solis indigere negatur. Ac notum est, septenarium esse numerum perfectionis, nihil ergo aliud quam perfecta beatorum laetitia et gloria significatur.

ct. l. 51. 3. Actor. 3, v. 21. *dies judicii vocatur tempus ἀποκαταστάσεως πάντων. Ergo etiam mundi instauratio in eo fiet.* Respondemus: 1) Oecumenius τὸ ἀποκαθιστάνειν interpretatur εἰς πέρας ἐλθεῖν, quam significationem etiam exprimit Syrus. At haec interpretatio potius adversatur mundi renovationi. 2) Restitutio illa omnium explicanda est secundum fidei analogiam et intelligenda secundum subjectam materiam. Deo restituetur honor et gloria, quam princeps hujus seculi imminuit; ruinae angelorum per beatam illam ἀποκατάστασιν et beatorum hominum glorificationem implebuntur; corpora e terrae pulvere suscitata animabus restituentur et glorioso Christi corpori conformabuntur; pii in possessionem regni per lapsum Adae amissi post-
76. liminio quasi restituentur; defunctis parentibus restituentur liberi, maritis uxores, fratribus sorores, ac vice versa. In his beata illa ἀποκατάστασις consistit. 3) Petrus ipse restitutionem illam limitat ad ea, de quibus in verbo exstat divina promissio, addit enim πάντων ὧν ἐλάλησεν ὁ θεὸς διὰ στόματος πάντων ἁγίων αὐτοῦ προφητῶν, *quae locutus est Deus per os omnium sanctorum suorum prophetarum.* Quidam relativum ὧν referunt ad remotius videlicet χρόνων, sed rectius refertur ad propinquius, quia Deus non restituet simpliciter omnia, sed ea tantum, quae promisit se restituturum. 4) Si absolute ac simpliciter universalem omnium restitutionem statuere velimus, etiam damnatos, etiam bruta animalia, etiam paradisiacas arbores omnes et singulas ἀποκαταστάσεως illius cogemur reddere participes. 5) Si vel maxime ad coelum et terram illa restitutio referatur propter divinam promissionem Esa. 65, v. 17: *Ecce ego creo coelos novos et terram novam;* nondum tamen consequens erit, restitutionem illam fore per nudam qualitatum immutationem, cum per novam novi coeli ac novae terrae creationem futura promittatur. Qui pro obsoleta ac detrita veste novam ac longe pulchriorem reddit, is non minus vestem restituit, quam qui priorem interpolatam ac a sordibus detersam reddit.

52. 4 Rom. 8, v. 19: *Exspectatio creaturae revelationem filiorum Dei exspectat;* v. 20. *vanitati enim creatura subjecta est, non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe,* v. 21. *quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* v. 22. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscat et parturiat usque adhuc.* Hic locus apostolicus primarius est, quem pro contraria sententia vel maxime urgent. Expresse enim videtur apostolus asserere, quod creatura aeque ac filii Dei a corruptione sit liberanda et ad libertatem ab omni corruptione immunem traducenda. Respondemus: consideranda sunt in hoc dicto 1. *subjectum,* 2. *praedicatum.* Subjectum est ἡ κτίσις v. 19. et quidem πᾶσα ἡ κτίσις v. 22. Quid vero nomine *creaturae* h. l. intelligatur, de eo plurimum variant interpretum sententiae. Quidam de angelica, quidam de humana, quidam de corporali natura intelligunt. 1. Origenes, Theodoretus in comm. Nazianzenus orat. 1. in Julian. Cyrillus lib. 3. thesauri c. 1. etc. per creaturam intelligunt *angelos,* qui vanitati et servituti corruptionis non suae sed hominum, maxime electorum, serviunt et ab hac servitute liberabuntur in consummatione seculi et resurrectione piorum ad vitam aeternam. Quidam tamen piorum posteriora duntaxat verba v. 22. *omnis creatura ingemiscit,* quidam vero et priora et posteriora ad angelos referunt. Hieronymus in comment. dubius est, magis tamen inclinat in eorum sententiam, qui de angelis exponunt. *Diversi,* inquit, *hunc locum diversis modis exponunt, sive omnis creatura resurrectionis tempus exspectat, quia tunc in melius commutabitur, sive angelica, sive rationalis creatura. Petrus enim dicit, etiam angelos gloriam desiderare sanctorum.* Et postea: *Vanitati subjecta est creatura, si angeli hominibus ministrant, sicut angeli gaudent super poenitentes, ita dolent super converti nolentes.* Item: *Manifeste docuit apostolus, quia ingemiscentiam creaturae tribuit, quod non de irrationali vel insensibili creatura sermonem fecerit.* Sed haec inter- XX. 77.
pretatio probari non potest, 1) quia apostolus in genere loquitur πᾶσα ἡ κτίσις; 2) angeli sunt beati et in bono ac gloria confirmati, ergo de ipsis dici nequit, quod sint *vanitati subjecti* et ab ea liberandi, quod sint in dolore et gemitibus; 3) angeli non inviti sed sponte inserviunt hominibus Psalm. 103, v. 21. Hebr. 1, v. ult. etc. 4) explicatio illa occasionem dedit impiae haereticorum quorundam opinioni, cujus meminit Augustinus l. 83. quaest. q. 67. *quod angeli omnes in dolore et gemitibus sint, donec nos homines penitus ab omni miseria libere-*

4. Ex Rom. 8, v. 19.

mur. 2. Quidam *de creatura rationali*, videlicet de hominibus, textum apostolicum accipiunt, sed diversimode. Quidam enim *de hominibus in carne adhuc viventibus*, quidam *de spiritibus defunctorum* textum accipiunt. Illorum aliqui *in genere de omnibus hominibus*, ac proinde de homine, ut homo est et Dei creatura, intelligunt. Augustinus in exposit. proposit. epist. Rom. n. 53. et lib. 83. quaest. q. 67: *Omnis creatura in homine est, quia intelligit spiritu et sentit anima et localiter corpore movetur.* Probat ex eo, quia apostolus non dicit *totam*, sed *omnem creaturam*, et quia *absurdum est gemitum tribuere creaturae irrationali.* Idem statuunt Anselmus in comment. et ex Pontificiis Andreas Masius in c. 6. Josuae: *Omnis creatura*, inquiunt, *id est omnis homo, qui est nodus et vinculum omnis creaturae, microcosmus et mundi miraculum, quia homo ab omnibus creaturis aliquid participat, ab elementis scilicet esse, a plantis vegetari, ab animalibus sentire, ab angelis ratiocinari, et sic omnes creaturae patiuntur in homine et cum homine.* Sic creatura capitur pro homine Marc. 16, v. 15. Col. 1, v. 23. Atqui 1) nec de piis nec de impiis hominibus dictum apostolicum intelligi potest, ergo etiam de hominibus in universum accipi nequit. Non de illis, quia creturam ingemiscentem a piis expresse distinguit v. 23. Quidam sane, ut Aretius, Salmeronius, *de solis apostolis* in illo versiculo sermonem esse volunt, cum illi fuerint *Christianae ecclesiae primitiae*, confer Oecumenium in comm., sed contrarium ostendit *generalitas descriptionis*, loquitur enim Paulus de omnibus piis, *qui primitias Spiritus habent et redemtionem corporis exspectant* v. 23. *quique spe salvi facti sunt* v. 24. *qui per patientiam liberationem exspectant* v. 25. *quorum infirmitatem Spiritus adjuvat*, pro quibus *Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus* v. 26. *qui sunt sancti* v. 27. *qui Deum diligunt*, quibus *omnia cooperantur in bonum*, *qui secundum propositum vocati sunt* etc. v. 28. quae omnia non possunt ad solos apostolos accommodari. Neque vero Paulus sic loquitur, *non solum autem sed et nos Christi vel Spiritus primitiae*, quae phrasis ad apostolos referri peculiariter posset, sed dicit, *nos qui primitias Spiritus accepimus*, quod omnibus vere piis est commune. Socinus in resp. ad Pucc. p. 176. refert *ad Christum* piorum caput, ut sit sensus, omnes Christianos ab interitu et corruptione liberatum iri non secus ac Christus ipse liberatus fuit, ut sic respectus habeatur ad v. 17. *coheredes Christi, si tamen compatimur* etc. At quomodo de Christo dici potest, quod liberatus fuerit a servitute φθορᾶς, *cum caro ejus non viderit* διαφθοράν Psalm. 16, v. 10. Act. 2, v. 31. c. 13, v. 37? ut nihil dicam de eo, quod perquam coacte ad remotius verba apostoli referantur. Missa igitur hac interpretatione addit Socinus particulam *et* propter angelos fuisse anne-
XX. 78. xam, qui Dei beneficio ac liberalitate a corruptione absunt. Sed ostendimus jam ante, non satis commode de angelis dici posse, quod vanitati sint subjecti et a servitute corruptionis liberandi. Non de his, quia impii non tam solicite exspectant liberationem filiorum Dei, nec ingemiscunt pro illa obtinenda. 2) Apostolo non est propositum hoc loco explicare, quid sit in homine vel quid in homine patiatur, sed *quid extra hominem* una cum ipso patiatur. v. 21. *non solum ipsa*, creatura, *sed et nos ipsi* ἐν ἑαυτοῖς, *intra nos ipsos, ingemiscimus.* Cohortaturus enim pios ad patientiam in adversis proponit eis exemplum tum *ipsius Filii Dei Christi Jesu* v. 17. cum quo si patiantur, glorificationem certo exspectare possint; tum *totius creaturae*, quae propter Deum creatorem vanitati subjecta a servitute corruptionis aliquando liberabitur. 3) Gemitus tribuitur hoc loco creaturae non *proprie*, sed *metaphorice* per prosopopoeiam, ut postea monebitur. 4) Particula πᾶσα in Scripturis accipitur tum *collective*, tum *distributive*, ac pro ratione subjectae materiae explicanda est per τὸ *omnis* vel *tota.* Quidam ergo putant, hoc loco vertendam esse per τὸ *omnis*, cum apostolus loquatur non de *partibus*, sed *speciebus* creaturae, *totum* enim dicitur respectu specierum, *omne* respectu partium. Sed potest sine ulla absurditate accipi non solum *de generibus singulorum*, sed etiam *de singulis generum*, nam et *omnis creatura*, h. e. omnes creaturae corporalis species, *et tota creatura*, h. e. omnia specierum individua, servituti corruptionis sunt subjecta.

53. Quidam vero in specie *de certa hominum classe* locum hunc exponunt. Cum enim omnes homines in duas distribuantur classes, in *pios* scilicet ac *impios*, justos et injustos, renatos et non renatos, inde quidam de illo, quidam vero de hoc hominum genere locum explicant. Priorem interpretationem profert Gregorius in comment. Job. 3. lib. 4. moral. c. 41. *Justos*, inquit, *quamvis nullus desideriorum carnalium tumultus possideat, duris tamen vinculis eos in hac vita positos suae molestia corruptionis ligat. Aliud nempe justi de morte et aliud de corpore tolerant, et contra semetipsos quotidie interno certamine desudant* etc. *Verum haec creatura tunc a servitute corruptionis eripitur, cum ad gloriam filiorum Dei resurgendo sublevatur. Hinc itaque electi moleste vincti sunt, quia adhuc corruptionis suae poena deprimuntur, sed cum corruptibili carne exuuntur, ab omnibus, quibus nunc adstricti sunt, molestiae vinculis relaxantur.* Gregorium sequitur Lyranus in comment.: *Creaturae sunt boni, qui in creatione Dei manserunt, vel quia sunt causa omnium.* Item: *Creatura est homo non amans ista caduca, patienter tamen ferens, sciens, Deum subjecisse ad conservationem humilitatis, liberabitur autem a cura quaerendi victum et alia, quibus servitur nostrae mortalitati.* Eadem interpretatio probatur Cajetano, Catharino in comment. et Salmeronio disp. 17. in epist. Rom. tom. 13. p. 556. qui eam hisce ornant pigmentis: *Dicitur homo justus praecise creatura, vel quia is manet in eo bono, in quo creatus a Deo fuerat, in gratia scilicet et justitia; vel propter excellentiam,*

quia omnis creatura electorum hominum causa potissimum a Deo condita est atque eis praecipue deservit; quo sensu vox creaturae usurpatur Jac. 1, v. 18: Voluntarie nos genuit, ut simus initium aliquod creaturae ejus. Dicitur omnis creatura, ut significetur universitas justorum, cujuscunque nationis, sexus, aetatis, conditionis et professionis
XX. 79. *fuerint. Haec creatura, h. e. justus, exspectat revelationem gloriae filiorum Dei tanquam complementum praemii et consummationem suae felicitatis sibi promissum, interim subjectus est vanitati, h. e. rebus corporalibus et mutabilibus propter necessitates praesentis vitae circa eas occupatus* etc. Socinus in resp. ad defensc. Francisc. Puccii c. 6. p. 170. pro adstruenda istac interpretatione sequentia urget fundamenta: 1. *articulus additus voci κτίσεως* v. 19. *praeter numerum singularem aperte demonstrat, de insigni aliqua creatura verba fieri, de ea scilicet, cujus in praecedentibus fecerat mentionem, videlicet de hominibus per Spiritum Dei regenitis. 2. Non tantum in primis illis verbis articulus est, sed in sequentibus semper repetitur et postremo eo in loco ponitur, ubi necesse sit, si recte Latine interpretari velis, addere pronomen haec aut illa,* v. 22. *πᾶσα ἡ κτίσις omnis illa sive haec creatura. Si Paulus de omni creatura generatim loqui voluisset, non πᾶσα ἡ κτίσις, sed πᾶσα κτίσις dixisset, ac in superioribus, ubi non est nomen omnis, non in singulari, sed in plurali numero locutus fuisset. 3. Si de tota rerum natura apostolus verba facere voluisset, non dixisset πᾶσα, sed ὅλη κτίσις. 4. Res ipsa, de qua Paulus hic loquitur, de alia creata re praeterquam de homine per Spiritum Dei regenito verba haec intelligi vetat. Quaenam creatura patefactionem filiorum Dei exspectat praeter illos homines, qui divinitus edocti spiritum mentis suae renovati sunt? ἀποκαραδοκία ipsum actum et gestum exspectandi ante oculos ponit, significat enim exserto capite exspectare, at hic actus hominibus tantum competit. Quomodo omnibus creaturis unquam accommodabitur illud non volens, sed sua sponte? quomodo illud in spe? quomodo illud ingemiscit et parturit usque adhuc? num plusquam poëtice et per prosopopoeiam quandam prorsus inauditam haec omnia dicta fuisse asseverabimus? At quemadmodum non per prosopopoeiam de iis, qui primitias Spiritus habebant, sed secundum ipsissimam veritatem dicitur, quod intra se gemerent exspectantes adoptionem filiorum Dei; sic de omni illa creatura vere et non ficte dictum fuit, quod ingemisceret ac parturiret.* 5. *In aliis etiam Scripturae locis verbum creare pro regignere et quasi iterum creare ac nomen creaturae pro homine ponitur.* Sed quid de his rationibus statuendum sit, partim ex praecedentibus intelligi potest, partim ex sequentibus manifestum erit. Ostendimus jam ante, pios ab illa creatura secum ingemiscente distingui. Justi sunt ipsi filii Dei, *quorum revelationem creatura solicite exspectat,* utique ergo per creaturam non possunt praecise intelligi justi. Adde quod vox *creaturae* indefinite posita (quomodo v. 20. ponitur) nunquam in Scripturis pro solis piis et justis hominibus usurpatur, sed perpetuo additur quaedam descriptio ac ἐπεξήγησις, ut *creatura nova* 2. Cor. 5, v. 17. Gal. 6, v. 15. quanto minus ita accipi commode poterit, quando additur *particula universalis, πᾶσα,* quod fit v. 22. Socinus d. l. urget dicta apostolica Ephes. 2, v. 10. Jac. 1, v. 18. in quibus vox creaturae absolute posita usurpatur pro hominibus regenitis, sed *descriptio addita* significationem illam satis luculente demonstrat. *Creati sumus in Christo ad opera bona, genuit nos verbo veritatis.* Posteriorem interpretationem recitat Augustinus d. l.: *Creatura, h. e. homo infidelis, liberabitur a servitute corruptionis, h. e. a peccato, quia vocabitur ad fidem fietque filius, ut postea libertatem gloriae filiorum Dei consequatur. In eis* (inquit), *qui credituri erant, videbat apostolus, quod dicebat, quia creatura, h. e. natura hominis, quae tantummodo crea-* XX. 80.
tura est, nondum per fidem aggregata numero filiorum Dei, liberabitur a servitute interitus, ut interitui non serviat, cui serviunt omnes peccatores. Peccatori enim dictum est, morte morieris. Liberabitur autem in libertatem gloriae filiorum Dei, id est ut et ipsa perveniat ad libertatem gloriae filiorum Dei per fidem, quae fides cum in ea non erat, creatura tamen modo dicebatur, et ad ipsam refertur, quod sequitur, scimus, quia omnis creatura congemiscit etc. *erant enim adhuc credituri, qui spiritu subjacebant laboriosis operibus.* Sed apostolus hoc loco non agit *de liberatione a servitute peccati*, quae fit per fidem in hac vita, sed *de liberatione a servitute corruptionis*, quae non nisi in morte ac per mortem obtingit, quod ipsum ex v. 23. Augustinus ibid. recte colligit. *Haec adoptio,* inquit, *quae jam facta est in iis, qui crediderunt, in spiritu, non in corpore facta est. Nondum enim corpus reformatum est in coelestem illam mutationem, sicut spiritus jam mutatus est reconciliatione fidei ab erroribus conversus ad Deum* etc. Adde, quod impii et injusti quatenus tales servituti peccati sponte sint subjecti, nec desiderent ab ea liberari. Qui de spiritibus defunctorum textum exponunt, illi eum accipiunt *de animabus sanctorum ante Christum defunctorum*, qui liberationem ex limbo cupide exspectaverint. Hieronymus in comment.: *Omnem creaturam dicunt esse, quicunque usque ad adventum Christi justi fuerunt, quia et ipsi nondum accipientes exspectant, Deo pro nobis aliquid melius providente.* Et postea: *Communem creaturam nominat post Adamum et Evam justos, qui fuerunt usque ad tempus Christi* etc. Sed haec sententia 1) nititur falsa hypothesi; 2) nec satis commode de animabus in limbo dicetur, quod *vanitati et servituti corruptionis* fuerint subjectae, quia poenam duntaxat *damni*, non autem *sensus* illis alias tribuunt. 3) Apostolus dicit, *creaturam adhuc ingemiscere et exspectare.* Atqui eo tempore, quo apostolus haec scribebat, limbus jamdum erat eva-

cuatus, ut ipsimet hujus limbi architecti concedunt. Quod v. 20. indefinite dicitur, *vanitati subjecta est creatura*, illud quidam *specialissime, adeoque individualiter* de Adamo et Eva accipiunt, Hieronymus in comm. h. l. Quidam etiam sic dicunt, *Adam et Evam esse creaturam, quos olim serpens a spe divinitatis vanitati subjectos corruptioni effecerit deservire, non ex semetipsis peccantes, sed serpentis instigatione et consilio. Et ipsi*, inquiunt, *liberabuntur, ut jam non corruptioni deserviant.* Et postea: *Creatura autem Adam est et Eva, quae adhuc exspectat, a Deo se recipere adoptionem Vanitas est praevaricatio, cui subjecta Eva non propria voluntate, sed a serpente decepta spe illa, qua audierat, eritis quasi dii; servitus autem est corruptionis, quam audivit Adam, terra es et in terram ibis. In resurrectione autem recepturi sunt incorruptionem filiorum Dei.* Sed haec interpretatio iisdem evertitur argumentis, quibus prior, ac idem utrobique manet subjectum in propositionibus apostolicis, ut series connexionis ostendit.

54. 3. Quidam ergo non de *angelica*, nec de *humana*, sed de *corporali et irrationali creatura*, h. e. de tota universitate creaturae corporalis et ratione carentis, quae comprehendit coelos, elementa aliaque ex elementis constituta, locum apostolicum exponunt. Ita statuunt ex Graecis patribus Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus et
XX. 81. Oecumenius in comm. h. l. ex Latinis Hilarius lib. 12. de Trinit. Ambrosius lib. 4. hexaëm. et auctor commentariorum in epist. Pauli, qui sub nomine Ambrosii in operibus ejus exstant, et ex nostris plerique omnes. Probatur haec interpretatio 1) *ex creaturae appellatione. Κτίσις proprie significat*, quidquid est a Deo creatum, totam scilicet mundi machinam cum omnibus partibus et contentis. Syrus reddit בְּרִיְתָא a rad. בָּרָא, *creavit.* 2) *Ex invariata repetitione.* Apostolus in quatuor distinctis versiculis nomen *creaturae* quater repetit sine ulla variatione, permutaturus procul dubio hoc nomen voce alia, nisi creaturam generaliter acceptam intelligere voluisset. 3) *Ex aliorum locorum collatione.* Sap. 13, v. 5: *A magnitudine et specie et creaturis per analogiam generator illorum conspicitur.* Rom. 1, v. 20: *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, conspiciuntur*, ubi manifestum est nomen *κτίσεως* pro visibili creatura accipi. 4) *Ex oppositione.* Creaturae illi, de qua apostolus v. 19. 20. 21. et 22. egit, opponuntur v. 23. *homines*, et quidem *filii Dei spiritum adoptionis habentes.* 5) *Ex sufficienti enumeratione.* Si enim nec angelica, nec humana creatura intelligi potest, ut ostendimus, utique ergo creatura corporea, visibilis et irrationalis intelligitur. 6) *Ex interpretum testificatione.* Multi enim ex veteribus et recentioribus ita interpretantur, ut ostendimus. Diximus autem, intelligi *creaturam corpoream, visibilem et irrationabilem*, ut ab hoc subjecto propositionis apostolicae excludamus *angelos et homines.* Et sane angelos malos hic excludi, dubium nullum, quia illi non *liberabuntur a servitute corruptionis nec exspectant revelationem filiorum Dei in die novissimo secuturam*, sed diei illius mentione exhorrescunt, ut colligitur ex Matth. 8, v. 29. 2. Petr. 2, v. 4. Jud. v. 6. *Bonos angelos et spiritus defunctorum piorum creaturae* appellatione *simul* intelligi, statuit Aretius in prob. loc. 156. p. 499. *Miror*, inquit, *si de illis, qui in coelis agunt vitam beatissimam, textus apostolicus intelligi non possit. Sancti enim defuncti exspectant corporum suorum restitutionem, sine quibus beatissimam vitam agere non possunt, quibus dum carent, merito sub servitute interitus eo respectu dici possint. Sancti angeli gaudent peccatoribus poenitentibus, quibus dum serviunt, quid impedit, de illis etiam accipi ratione ministerii non naturae?* Sed de angelis non posse hunc locum intelligi, jam ante ostendimus. Regerunt, qui angelos ab apostolo nomine creaturae simul intelligi arbitrantur, 1. *angelos bonos dici subjectos vanitati et corruptioni non suae sed hominum, quibus inserviunt; 2. ab hac vanitate eosdem liberandos, quando totus mundus sua vanitate peribit et gaudium beatorum perfectum erit; 3. ingemiscere eos ac dolere suo quodam modo. Ut enim laetantur super peccatore poenitentiam agente* Luc. 15, v. 10. *sic ob corruptum hominum statum dolent, sensu miseriae nostrae afficiuntur et gloriam filiorum Dei, per quam ruinam suam sciunt esse reparandam, exoptant.* At haec omnia tum demum locum haberent, si angeli, ut reliquae creaturae corporeae, impiis inservirent, illud enim servitium apostolus praecipue hoc loco nomine *vanitatis* intelligit, ut ostendimus. Jam vero angeli piis duntaxat inserviunt. Adde, quod sit dispar ratio inter *laetitiam ac tristitiam.* Laetantur angeli peccatoribus poenitentiam agentibus, quia hic affectus non pugnat cum gloria et felicitate, in qua divinitus confirmati sunt; tristari autem ac dolere minime possunt, quia tristitia et dolor cum XX. 82
felicitate illa pugnat, in coelo enim *nec dolor nec gemitus* Apoc. 7. Explicationi de spiritibus pie defunctorum robur aliquod quaeri posset ex eo, quod Apoc. 6, v. 11. *animae martyrum* diem judicii ac resurrectionis solicite exspectare dicuntur; sed quia animas coelestis gloriae participes jamdum factas *vanitati adhuc subjectas et a servitute corruptionis adhuc liberandas* statuere perquam durum, ideo eas a latitudine subjecti in textu apostolico secludimus. Si quis vero omnino *sanctos angelos et animas pie defunctorum* nomine creaturae simul velit intelligere, is poterit v. 19. ubi *indefinite* ponitur creaturae nomen, de corporali, visibili et rationali creatura accipere, sed v. 22. ubi additur *particula universalis, πᾶσα ἡ κτίσις*, in genere de omni ente creato, de tota entis finiti latitudine accipere, quomodo accipitur Judith 16, v. 17. Apoc. 3, v. 14. ac *per ingemiscentiam et parturitionem* vehemens desiderium absque ullo doloris et molestiae sensu intelligere. Fateri interim cogetur, nihilominus ab hac creaturae universalitate excipi *angelos*

malos et animas damnatorum, itemque articulum v. 22. additum πᾶσα ἡ κτίσις videri ἀναφορικόν, ut sit sensus *omnis illa creatura*, scilicet de qua hactenus actum, adeoque αὐτὴ ἡ κτίσις, *illa ipsa creatura*, ut v. 21. habetur, *nobiscum ingemiscit*, qua ratione identitas subjecti in singulis quatuor versiculis evidenter confirmatur.

55. *Praedicatum* tria membra complectitur, 1. *subjectionis servitium*, 2. *exspectationis desiderium*, 3. *liberationis beneficium*. De primo dicit apostolus v. 20. ματαιότητι, *vanitati, subjecta est creatura, non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe*. v. 21. dicit, *eam esse constitutam sub servitute corruptionis*. Per ματαιότητα 1. Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius etc. intelligunt *corruptionem*. *Quemadmodum* (ait Chrysostomus in comm.) *homine corruptibili effecto creatura quoque corruptibilis est effecta, sic homine effecto incorruptibili et ipsa quoque subsequetur*. homil. 10. ad popul. Antioch.: *Deus mirabilem fecit hunc mundum sed corruptibilem. Vanitati creatura subjecta est, h. e. corruptibilis facta est Deo jubente. Jussit autem Deus sic propter hominem. Quoniam enim hominem creatura nutrire debebat corruptibilem, et ipsa corruptibilis esse debebat. Non enim decebat, corruptibilia hominum corpora incorruptibili creatura uti*. Diceretur ergo hoc sensu ματαιότης *servitus corruptionis*, h. e. corruptio, quae est quaedam servitus, ut enim servus invitus servit, ita creaturae intereunt invitae. Vera est haec interpretatio, sed non plena nec praecipuum apostoli scopum attingit. 2. Origenes lib. 1. περὶ ἀρχῶν c. 7: *Vanitas haec sunt corpora, in quae animae ante corpus exsistentes ob peccata sua sunt detrusae, et talia corpora sunt etiam sol, luna, imo et terra et coeli. Haec enim omnia habent animas, quae ante ea exstiterunt, ac consequenter possunt ipsa peccare judiciumque Christi aeque ac homines subibunt. Haec ergo corpora proprie exspectant resurrectionem, et ut a corruptione liberentur, proprie sperant et ingemiscunt*. Haec interpretatio haeretica est et absurda, ut ostendit Epiphanius haeres. 64. et Hieronymus in epist. ad Avitum. 3. Erasmus ματαιότητα vertit *frustrationem*, quod creatura non assequatur illud, quod utcunque contendit efficere, τὸ μάταιον enim quandoque signi-
83. ficat *frustraneum*, quod fit μάτην, *frustra*, quo agens non assequitur finem, quem sibi proposuit. Creaturae propositam habent incolumitatem sui, eam vero impedit φθορά sive corruptio, sed apostolus ipse ματαιότητα exponit per δουλείαν φθορᾶς. Natura meditatur *immortalitatem specierum* per quotidianam ac perennem individuorum successionem, sed hoc frustra fit, quia non solum *individua* quotidie intereunt, verum etiam ipsae species in consummatione seculi abolebuntur. 4. Socinus d. l. 180. *per vanitatem*, cui creatura, h. e. ut ipse interpretatur, *homines regeniti in hac vita* sunt subjecti, intelligendam esse dicit *non corruptionem simpliciter, quae omnibus animantibus, non tantum hominibus communis est, sed abjectionem, ignominiam et perpessiones illas, quarum antea apostolus mentionem fecerat et quae Christianorum sunt propriae, quas necessario non corruptio tantum, sed plerumque immatura etiam corruptio consequitur*. Sed in nullo Scripturae loco φθορά pro illis calamitatibus et passionibus piorum usurpatur. Vera igitur et genuina interpretatio est ea, qua *per vanitatem, cui creatura subjecta est*, intelligitur non solum defectus mutabilitatis, corruptio et mortalitas, cui omnes creaturae corporeae ac visibiles subjectae, sed etiam ac cumprimis servitium illud, quo creaturae in hac vita abusibus impiorum coguntur esse subjectae. — *Omnis homo vivens vanitas est*, inquit psaltes Psalm. 39, v. 6. quia ergo creaturae inserviunt homini, ideo per hoc servitium subjiciuntur vanitati. Omnes homines sunt mortales et corruptibiles, quia ergo creaturae inserviunt hominibus impiis nequiter eas abutentibus, ideo per hoc servitium subeunt δουλείαν φθορᾶς. *Sol oritur super bonos et malos, pluvia descendit super justos et injustos* Matth. 5, v. 45. aërem communiter hauriunt pii ac impii, terra omnes ex aequo alit et mortuos tam bonos quam malos in gremium suum recipit, terra nascentibus omnes fruuntur, cum tamen soli pii beneficiis illis digni sint; hoc ergo servitium impiis praestitum est illa ματαιότης ac δουλεία φθορᾶς, cui creaturae in hac vita coguntur esse subjectae. Sic vinum est bona et praeclara Dei creatura, sed cogitur in hac vita servire cupiditatibus ebriosorum. Haec est illa servitus corruptionis, *cui creatura illa subjecta est non volens*, unde *ingemiscit* et juxta prosopopoeiam apostolicam *expetit ab hac servitute liberari*, eligit enim potius non esse et in nihilum abire, quam abusui ebriosorum inservire et hac ratione contra creatorem suum quasi militare. Idem judicium esto de reliquis Dei creaturis. Potest cum hac explicatione conjungi prima et tertia, nam propter peccatum non solum homo morti, sed etiam tota creatura *corruptioni* est subjecta ac saepe cogitur luere poenam scelerum ab hominibus commissorum. Propter peccatum protoplastorum terrae maledictio denuntiatur, *ut germinet spinas ac tribulos* Gen. 3, v. 17. 18. in diluvio propter peccata hominum totus terrarum orbis misere vastatur; propter peccata Sodomitarum totus illius regionis tractus, qui ob pulchritudinem, amoenitatem et fertilitatem *paradiso* comparatur, igne coelitus depluto exuritur; in plagis Aegypti terra, aqua, aër propter Pharaonis obstinatam malitiam inficitur ac corrumpitur; impiis minatur Deus *coelum ferreum ac terram aeneam*, quae est misera vanitas et corruptio, cui propter hominum creaturis pessime abutentium peccata natura rerum est subjecta. Praecipuus insuper creaturarum finis est, ut ex illarum inspectione XI. 84.
Deum creatorem agnoscamus Rom. 1, v. 20. atqui hunc finem apud impios creatura non assequitur, ideoque in illis ad θεογνωσίαν informandis instar magistri negligentes et refractarios discipulos informantis frustra laborat, quae etiam est *vanitas et*

servitus corruptionis, quo sensu ac respectu tertia interpretatio cum quarta conjungi potest.

56. Ceterum huic vanitati et servituti corruptionis creatura dicitur subjecta *οὐχ ἑκοῦσα*, *non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe*, i. e. non proprio vel naturali motu se illi subjecit, sed Dei creatoris voluntate eidem subordinata sive certo modo atque ordine est subjecta. Syrus reddidit לָא בְּצֶבְיָנָהּ, *non pro voluntate sua, non sponte aut pro voto suo*, ac *προσδιορισμόν* adjectum *ἐπ' ἐλπίδι* conjunxit cum versu sequente 21. *in spe, quod et ipsa creatura liberabitur* etc. Quomodo vero creatura *non volens* vanitati subjecta? Qui per *vanitatem* intelligunt mutabilitatem et corruptionem, in varias abeunt sententias, cum esse mutabile et corruptibile videatur creaturae corporali ac visibili esse naturale, utpote proveniens ab essentialibus ejus principiis. Thomas illud *non volens* sic interpretatur, *quod defectus, qui consequuntur naturae corporeae mutabilitatem, cujusmodi sunt senium, putrefactio, corruptio* etc. *sint contra naturam particularem hujus vel illius rei, cujus nimirum appetitus tendit ad sui conservationem et fugit sui corruptionem*. Theophylactus refert ad Dei providentiam et creationem. *Hoc*, inquit, *significat, Dei providentia et cura mundum esse conditum, nec ipsum per se fuisse exstructum, sed totum ad commoditatem et usum hominis a Deo esse factum*. Alii referunt ad secuturam mundi renovationem: *Non volens dicitur, quia cum hic mundus exspectet mirabilem illam renovationem et statum gloriae, ad quem in resurrectionis tempore perventurus est, ideo praesentem hunc statum tanto ignobiliorem dicitur non velle, comparatione scilicet majoris boni, quod exspectat*. Sed quia per vanitatem et servitutem corruptionis diximus praecipue intelligi servitium, quod impiis in hac vita creaturae impendunt, ideo sensus est, quod creatura quasi abhorreat a pessimo illo impiorum abusu, interim tamen quia primitus ad usum hominis condita, ideo Dei creatoris imperio et ordinationi obsequitur. Cum enim apostolus per emphaticam prosopopoeiam totius creaturae corporeae universitatem velut unam quampiam personam nobis proponat, ut postea videbimus, ideo etiam sensum et appetitum ipsi tribuit, quod *non volens* vanitati illi, h. e. impiorum abusui, sit subjecta.

57. De secundo *praedicati* membro dicit apostolus vers. 19: *ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ ἀπεκδέχεται*, et vers. 22. *scimus, quod omnis creatura συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν*. Dixerat vers. 18. *passiones hujus temporis non esse condignas ad futuram gloriam, quae in nobis revelabitur*; v. 19. subjungit *αἰτιολογικῶς, solicita enim creaturae exspectatio revelationem filiorum Dei exspectat*, 1. ut quodammodo explicet magnitudinem ac pondus futurae illius gloriae, cujus causa, donec re ipsa contingat, omnes molestias et quaevis hujus vitae adversa aequo animo tolerare debeamus, cum etiam irrationalis creatura anxie ac solicite tempus illud, in quo gloria filiorum Dei manifestanda est, exspectet, quod magnum est argumentum, gloriam XI. 85.
illam esse augustam et inaestimabilem. 2. Ut certitudinem secuturae illius gloriae demonstret, quia enim omnis creatura revelationem filiorum Dei avidissime exspectat, ideo ea certissime suo tempore sequetur, neque enim illud universale totius naturae desiderium a Deo ipsi innatum atque insitum potest esse frustraneum. 3. Ut dignitatem filiorum Dei exprimat, quod illis non solum *omnia in bonum cooperentur*, *quod primitias Spiritus acceperint, quod cum Christo patiantur ac proinde etiam cum ipso glorificandi sint*, sed quod omnia etiam una cum ipsis ingemiscant, parturiant et liberationem eorum unice expetant. Magna autem in verbis apostoli est emphasis. Exspectationem illam creaturae revelationem filiorum Dei desiderantis vocat *ἀποκαραδοκίαν*, quod Hilarius l. 12. de Trin. vertit *longinquam*, Ambrosius *frequentem exspectationem*, jam inde scilicet a prima mundi origine vel saltem a lapsu protoplastorum coeptam et quotidie durantem; Theophylactus rectissime vertit *solicitam, anxiam et quasi exserto capite factam exspectationem*. Componitur enim haec vox ex *ἀπό*, *a*, *κάρα*, *caput*, et *δοκεῖν*, *videre*, qui enim aliquid videre magnopere desiderant et cupide exspectant, exporrecto sive exserto capite subinde illud prospiciunt, in altum suspiciunt, quasi rem desideratam inde exspectent. Syrus reddidit *omnis creatura exspectat et oculos intendit*, מְסַכְּיָא, *in specula quasi exspectat*. Philipp. 1, v. 20. utitur hac voce apostolus ad exprimendum vehemens illud *desiderium ac spem*, qua afflictiones, quas pro Christo patiebatur, in ipsius gloriam cessuras sperabat. In versione Aquilae habetur Psalm. 37, v. 7. pro הִתְחוֹל, *vehementer exspectavit instar parturientis*, qua similitudine etiam postea utitur apostolus. Polybius utitur hoc vocabulo *de anxia, solicita illa exspectatione, quam exercitus ad proelium parati habere solent, dum exspectant imperatoris mandatum*. Emphatice igitur vox *ἀποκαραδοκίας exspectationem creaturae solicitam* exprimit. Auget emphasin, quod apostolus non simpliciter dicit *creatura exspectat*, sed *exspectatio creaturae exspectat*, quo dicitur, creaturae tam anxie atque avide gloriam illam exspectant, ut videantur esse ipsa exspectatio. *Per revelationem filiorum Dei* intelligit plenariam communicationem gloriae coelestis in vita aeterna, quae filiis Dei in die novissimo continget, ut colligitur ex Col. 3, v. 4. 1. Joh. 3, v. 2. Haec filiorum Dei revelatio est *consummata consolatio, h. e. consummata gloria, quae non erit nisi resumtis corporibus*, ait Hilarius in Psalm. 125, v. 22. Addit, *creaturam συστενάζειν καὶ συνωδίνειν*, ubi recte notat Chrysostomus, quod apostolus *προσωποποιεῖ τὸν κόσμον, ὥστε ἐμφατικώτερον εἶναι τὸν λόγον, introducit totam rerum creatarum visibilium ac corporearum universitatem velut feminam quandam parturientem et ingemiscentem ob dolores, quos ante*

partum et in partu sustinet. Quia enim dies novissimus est tempus παλιγγενεσίας Matth. 19, v. 28. quo terra magno et mirando partu corpora resuscitatorum in lucem edet ac *filii resurrectionis* in vitam prodibunt Luc. 20, v. 36. ideo creaturam adventum diei novissimi cupide exspectantem parturienti et prae dolore ingemiscenti feminae confert. Talis prosopopoeia etiam in aliis Scripturae locis occurrit, sic mare, flumina, montes, arbores introducuntur a Spiritu sancto *ut plaudentes, jubilantes*
36. *et exsultantes* etc. Non autem simpliciter et absolute pronuntiat apostolus, *quod creatura ingemiscat et parturiat,* sed quod συστενάζει ac συνωδίνει, *simul ingemiscat* ac *simul parturiat*, vel quod creaturae inter sese, vel (quod convenientius est, ut apparet ex v. 23.) quod *una cum homine* ingemiscant et parturiant, h. e. in similitudinem parturientis doleant, anxie exspectantes tempus, quo filii Dei sive gloria filiorum Dei est revelanda. (Quamvis diversitas quaedam lectionis hic occurrat, quidam enim codices olim habuerunt *congemiscit et parturit*, quomodo legit Hieronymus in comm. cap. 24. Esa., quidam *congemiscit et condolet*, quidam *congemiscit et dolet*, Augustinus d. l., quidam *ingemiscit et parturit*, Cyrillus lib. 5. Thess. cap. 7. Hesychius lib. 5. in Levit. Ambrosius in comment.; sed dubium nullum, genuinam esse lectionem eam, quae habet *congemiscit et comparturit.*) Additus προσδιορισμός, ἄχρι νῦν diversimode exponitur. Qui *ad homines pios* referunt, sic exponunt, quod ille dolor ac gemitus per gratiam justificationis non sit ablatus, sed maneat in piis usque ad mortem; qui ad *spiritus defunctorum* referunt, eo sensu accipiunt, quod animae usque ad diem resurrectionis corporum suorum restitutionem et gloriae filiorum Dei revelationem exspectent. Sed quid de hisce hypothesibus statuendum sit, jam ante vidimus. De corporea, visibili et irrationabili creatura apostolo sermo est, quam dicit *usque nunc* exspectare, ut ostendat, desiderium illud esse non solum anxium, sed etiam continuum, quod jam inde a lapsu protoplastorum coeperit ac ab eo tempore perpetuo duraverit, quin et ad finem usque mundi duraturum sit.

58. *De tertio praedicati membro* tractat apostolus v. 21: *Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*, h. e. anxia illa creaturae exspectatio non frustrabitur suo eventu, quia creatura a servitio illo, quo impiorum abusibus servire cogitur, aliquando liberabitur. Quod additur εἰς ἐλευθερίαν τῆς δόξης diversimode exponitur. 1. Chrysostomus accipit *causaliter*, particulam enim εἰς exponit per διά, *propter* vel *in commendationem* libertatis et gloriae filiorum Dei, id quod declarat quadam similitudine. *Quemadmodum nutrix, quae infantem alit regium, illo ad regium principatum evecto et ipsa quoque bonorum fructuum percipit; pari ratione, cum homo gloria donabitur, hanc ejus gloriam ceterae creaturae, quae homini servierunt, participabunt.* Thomas in supplem. q. 91. art. 3: *Quemadmodum paterfamilias, cum dignitas filio nova confertur, illius famulos novo atque illustri amictu induit; sic Deus, cum nova sempiternaque dignitas homini in coelo tribuetur, creaturam, quae illi inservit, illustriore veste decorabit.* Sed haec explicatio renovationem mundi fore praesupponit, quod adhuc in quaesito est. 2. Quidam exponunt *exemplariter in libertatem*, h. e. in imitationem vel ad exemplum *libertatis gloriae* sive *gloriosae filiorum Dei,* ut sic similem quandam libertatem, stabilitatem et immortalitatem cum filiis Dei reliquae creaturae intelligantur acceptae. 3. Ambrosius accipit *temporaliter*, quia εἰς ἐλευθερίαν accipit pro ἐν ἐλευθερίᾳ, *in libertate,* ut sic denotetur tempus, quo liberanda erit creatura a servitute corruptionis, nimirum quando filiis Dei *libertas gloriae*, h. e. gloriosa liberatio ab omni miseria, infirmitate, mutabilitate, afflictione adeoque ab omnibus corporis et animi malis obtinget. 4. Posset etiam particula εἰς exponi *eventualiter*, ἐκβατικῶς, creatura *liberabitur a servitute corruptionis in* XX. 37.
libertatem gloriae filiorum Dei, h. e. quando creatura in consummatione seculi ab illa vanitate et servitute corruptionis liberabitur, tunc *libertas gloriae* sive gloriosa libertas filiorum Dei in publico angelorum et hominum conspectu manifestabitur.

59. Hisce probe observatis facile apparet, ex hoc loco apostolico mutationem praesentis mundi in statum meliorem non posse apodictice demonstrari, 1. quodsi enim *de creatura angelica vel humana* subjectum apostolicae praedicationis accipiatur, nihil praesidii in hoc textu invenient, qui accidentium duntaxat abolitionem defendunt. Sed quia interpretationes illae, licet magnis in ecclesia doctoribus probatae, textui minus conveniunt ac simplicius est *per creaturam* intelligere universam creaturam corpoream, visibilem et irrationalem, ideo addimus 2. apostolum nequaquam dicere, *quod liberanda sit creatura a corruptione*, quae phrasis substantiali interitui opposita videri poterat, *sed a servitute corruptionis*, quae eidem minime adversatur. Renati in hac etiam vita liberantur *a servitute peccati* Rom. 6, v. 7. interim non liberantur plenarie *ab ipso peccato*, quippe quod in carne ipsorum adhuc habitat Rom. 7, v. 17. Si Christianus in Turcia captivus detineatur ac misera servitute prematur inque ea tandem moriatur, is liberatur a servitute corruptionis, sed non ab ipsa corruptione, quia corpus ejus in pulverem convertitur. Si creaturae liberantur *a servitute corruptionis*, h. e. a servitio, quod hominibus impiis in hac vita mortali impendere coguntur, interim tamen ipsae non sunt nec fiunt liberae a corruptione. 3. Liberatio illa creaturae non fit per renovationem, restaurationem, incorruptibilitatis communicationem inque meliorem statum mutationem, sed per ipsam corruptionem atque annihilationem, quando scilicet hominibus impiis non amplius cogentur servire. Quo enim sensu *vanitas et servitus corruptionis* ipsis tribuitur, eodem sensu opposita *liberatio a servitute corruptionis* ipsis assignanda, ut ostendit oppositio. Jam vero *vanitas*

et servitus corruptionis creaturae tribuitur sensu eo, quod impiis turpiter ac nefarie contra voluntatem creatoris illis abutentibus coguntur in hac vita servire. Ergo etiam liberatio a servitute corruptionis eo sensu illis tribuenda, quod servitium illud una cum hac vita mortali desinat, quae servitii abolitio non solum *per renovationem* ac restaurationem, sed etiam *per annihilationem* fieri potest, ac proinde *ab indeterminato ad determinatum*, *a genere ad certam speciem*, *a liberatione ad modum liberationis* per renovationem non debet fieri progressus. 4. Tertullianus libr. de anim. c. 42. de Epicuro memorat, *quod mortem ad nos nihil pertinere*, *hoc evincere voluerit argumento, quod dissolvitur, sensu caret*, *quod autem sensu caret*, *nihil ad nos*. Seneca in consolat. ad Marciam, *per mortem homini liberationem ab omnibus malis contingere* dicit atque interim in morte totaliter hominem interire opinatur. *Mors*, inquit, *omnium et solutio est, et finis, ultra quam mala nostra non exeunt*. Ibid.: *Non potest esse miser*, *qui nullus est*. Quod ille sensu Epicureo de homine ad immortalitatem condito falso affirmavit, illud ad creaturas corporeas propter hujus vitae usum conditas sano sensu applicare possumus. Interitus creaturae servitii illius, cui in hac
XX. 88. vita subjecta est, et solutio est et finis, ultra quam servitium illud non exit. 5. Merito vero urgemus illud, quod apostolus nomine *creaturae* non tantum intelligat coelum, elementa ac terram, sed omnes omnino corporeas, visibiles et irrationales creaturas, quae abusui impiorum in hac vita non minus quam coelum, terra; et elementa sunt subjectae. Quodsi ergo *liberatio illa a servitute corruptionis* aliquando futura esset per renovationem et incorruptibilitatis participationem, consequens foret, non solum coelum et elementa, sed etiam corpora mixta ac omnium specierum in brutis et arboribus individua esse aliquando renovanda et ad incorruptibilitatem resuscitanda, quod tamen nec ipsi renovationis patroni concedunt. Vim hujus instantiae Franciscus Puccius in defens. adv. Socinum ferre non potuit, inde p. 38. disputat, *etiam bruta animantia esse ad incorruptibilitatem resuscitanda*. 6. Ideo vero apostolus maluit dicere, *creaturam liberandam a servitute corruptionis*, quam totaliter interituram, tum quia voluit usurpare talem phrasin, quae etiam de homine praedicari posset, nec tamen hominis respectu interitui esset opposita, jam vero totalis interitus ac corruptio in die novissimo hominibus non competit, liberatio autem a servitute corruptionis hominibus est etiam communis; tum quia voluit in prosopopoeia allegorica et hyperbole illa metaphorica, qua creaturis irrationalibus actus quosdam rationis dedit, persistere, quo dicitur, si creaturae abusui impiorum in hac vita subjectae sensus ac rationis essent participes, praeoptarent potius omnimodam annihilationem quam talem servitutem. 7. Ex phrasi εἰς ἐλευθερίαν colligi nequit, *terminum ad quem* liberationis fore unum ac eundem creaturae cum filiis Dei, alias enim sequeretur, creaturam etiam vitae aeternae et coelestis gloriae filiis Dei promissae fore participem, sed denotatur duntaxat *liberationis tempus*, ut ex Ambrosio monuimus. Quidam addunt, *non institui identitatem*, *sed generalem comparationem*, cujus sensus hic sit, sicut certa est liberatio filiorum Dei a sua vanitate et servitute corruptionis, cui in hoc mundo subjacent, sic etiam certa erit reliquarum creaturarum a vanitate liberatio, quamvis liberationis modus utrobique plurimum variet. Confer Feurbornium in disp. contra Phil. Caesarem th. 132. et seqq.

60. 5. 1. Cor. 7, v. 31: *Figura hujus mundi praeterit*. *Figura*, inquit, *praeterit*, *non natura*. Respondemus: 1) ex subordinatis fiunt pugnantia. Et *figura* et *natura* sive substantia mundi praeterit, ut ex aliis Scripturae dictis intelligitur. 2) Johannes 1. epist. 2, v. 17. simpliciter dicit, *mundus transit et concupiscentia ejus*. 3) Scopus apostoli est docere, quod nihil in mundo stabile sit ac firmum, nihil constans ac perpetuum, sed omnia fugacia et fluxa, sic ergo utendum esse mundo, ne eo abutamur, non esse corde adhaerendum rebus illis fluxis ac transitoriis, sed animum ad coelestia esse elevandum. Huic scopo magis congruit sententia de substantiali mundi interitu quam de accidentali mutatione. 4) Per *mundum* interprete Piscatore in scholio 31. p. 1000. et aliis intelliguntur res hujus mundi et ad hanc vitam necessariae. Eas vero penitus desituras nemo inficiari potest. Confer quae de hoc loco dicta superius §. 9. 5. 1. C 7, v. 3 Figura jus mu praeter

61. 6. 1. Thess. 4, v. 17: *Rapiemur in nubibus in aëra in occursum Domino; ergo etiam in novo mundo aër ac nubes dabuntur*. Respondemus: 1) beatus ille raptus et occursus finalem mundi πανωλεθρίαν praecedet, ut suo loco ostendimus. 2) Coelestis Hierosolyma *per novum coelum ac terram novam praefigurata nec solis*, *nec lunae splendore indiget* Esa. 60, v. 19. Apoc. 21, v. 23. quanto minus caliginosi hujus aëris nubibus indigebit? 3) Si in novo mundo nubes et alia meteora locum habebunt, ergo etiam generationis et corruptionis vicissitudines in eo erunt, quia meteora generantur ex vaporibus et fumis e terra elevatis ac resolvuntur in pluvias et ventos etc. 4) Sicut nubes, in quibus Christus ad judicium redibit, ita quoque nubes, in quibus electi rapientur obviam Christo, semel duntaxat istud ministerium exhibebunt ac munere suo postmodum defungentur, succedet enim aeterna serenitas et pacatissima tranquillitas omnis caliginis et nubium expers. 5) Quinimo quales futurae sint illae nubes, in quibus Christus veniet ad judicium et in quibus electi Christo obviam rapientur, hominem exacte scire arbitramur neminem, quamvis probabiliter de illis disseri possit. XX. 89. 6. 1. Th 4. v. 1 Rapien in nub bus in occursu Domin

62. 7. 2. Petr. 3, v. 11. apostolus sic concludit: *Coelum et terra in adventu Christi renovabuntur; ergo multo magis nos renovari oportet, qui properamus Christo obviam in adventu ejus*, Zanchius in tract. de fine mundi tom. 7. oper. pag. 80. Respondemus: 1) apostolus non *renovationis* sed *dissoluti-* 7. 2. P 3. v. 1 Coelum et terr renova buntur

onis ac conflagrationis mentionem facit. v. 7: *Coeli et terra reservantur igni in die judicii.* v. 10. *Coeli magno impetu transibunt, elementa calore solventur, terra et quae in ea opera sunt, exurentur.* v. 11. *τούτων οὖν πάντων λυομένων, cum haec omnia dissolvenda sint*, v. 12. per adventum diei Domini *coeli igne succensi solventur et elementa ignis ardore tabescent.* Ecquis vero dixerit, *transire, conflagrare, dissolvi* esse idem quod *renovari?* 2) Apostolus non concludit *a pari* nec *a minori ad majus*, coelum et terra renovabuntur, ergo multo magis nos renovari oportet; sed doctrinae de reditu Christi ad judicium et interitu mundi hactenus expositae usum practicum monstrat, qui consistit in exhortatione ad studium pietatis et sanctitatis, perinde ut Christus, postquam dixerat Luc. 21, v. 33: *Coelum et terra transibunt,* subjungit v. 36: *Vigilate omni tempore, orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare coram Filio hominis.* 3) In quo argumento apostolico major est emphasis, quam si renovatio duntaxat coeli ac terrae statuatur. Veniet Dominus ad judicium ex improviso sicut fur in nocte; veniet terribilis et gloriosus, destruet enim coelum ac terram; veniet judicaturus ac damnaturus impios. Ergo non solum aequum ac fructuosum, sed etiam necessarium est, sancta conversatione et serio pietatis studio ad illum Salvatoris nostri adventum nos praeparare. Coelum, terra, mare et omnia, quae in illis sunt, ultimo illo orbis incendio conflagrabunt. Ergo terrenis et transitoriis rebus non adhaereamus amore inordinato, sed coelestia et aeterna bona quaeramus, id vero aliter fieri nequit quam serio ac sedulo pietatis studio.

Ex rationibus. A Dei veritate immutabilitate. 63. 2. *Rationes* petuntur 1. *ex Dei veritate et immutabilitate. Deus verus, firmus ac immutabilis est, qui constituit mundum, ergo non destruet ejus substantiam*, Irenaeus lib. 5. c. 36. Respondemus: invertimus argumentum: Deus veritas est et verbum ejus verum. Atqui praedixit in verbo suo, mundum esse *interiturum, transiturum, conflagraturum.* Ergo hoc suo tempore certissime sequetur. Confer ea, quae superius dicta §. 39. 2. *Ex coeli firmitate.* **Ex coeli firmitate.** *Coeli ἀφθαρσία non potest alio argumento melius stabiliri quam experientia tot seculorum et aetatum, quibus mirabilis constantia in coelesti mundo observata est; cum in inferiori, quia corruptibilibus constat corporibus, tam multiplex sit varietas, tam perennis mutatio*, Conimbricenses lib. 1. de coelo c. 3. q. 1. art. 2. *Coelos esse incorruptibiles ipse sensus renuntiat, cum tot annorum millibus nihil, quod corruptionem oleat, in illis sit conspectum*, Barradius l. 10. comment. in conc. evang. cap. 1. p. 612. Respondemus: idem argumentum est cum eo, quod apostolus refellit 2. Petr. 3, v. 4. eadem ergo danda solutio, quam exposuimus §. 18. adde quod hypothesis argumenti, videlicet nihil mutationis ac corruptionis jam inde a prima mundi origine esse deprehensum, sit incerta, ut docuimus §. 11. membr. 4.

A coeli nobilitate. 3. *A coeli nobilitate. Coelum est creatura nobilissima, ergo a substantiali interitu erit libera.* Respondemus: animantia bruta, utpote animata, longe sunt nobiliora, unde *muscam sole praestantiorem* esse philosophi asserunt, quidquid enim vita et sensu pollet, nobilius est eo, quod utroque destituitur et ad ministerium rerum inferiorum sive sublunarium divinitus est ordinatum. Jam vero animantibus brutis ἀφθαρσίαν ipsimet renovationis patroni derogant. 4. *Ab utilitate. Ad hoc innovatio mundi ordinatur, ut mundo innovato manifestis indiciis quasi sensibiliter Deus ab homine videatur. Creatura autem praecipue in Dei cognitionem ducit sua specie et decore,* Thomas in supplem. q. 91. art. 3. Respondemus: *nunc per speculum in aenigmate videmus, tunc autem a facie ad faciem* 1. Cor. 13, v. 12. *videbimus enim Deum sicut est* 1. Joh. 3, v. 2. *ac Deus erit omnia in omnibus* 1. Cor. 15, v. 28; haec *intuitiva* notitia necessitatem *specularis et aenigmaticae cognitionis* prorsus excludit. *Coelestis Hierosolyma non habet templum, Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et Agnus* Apoc. 21, v. 22. in hac vita mundus nobis est templum divinae cognitionis, sed in altera vita templi illius nulla erit necessitas, nullus usus. Si ministerium verbi ad cognitionem Dei tunc non amplius erit necessarium, quanto minus creaturarum magisterium? 5. *A necessitate. Sanctorum corpora in loco erunt, ergo etiam mundi substantia manebit,* Aretius l. 157. pag. 504. Respondemus: hypothesis argumenti negatur, corpora enim glorificata a θνηταῖς δυσχερείαις, inter quas est locus corporeus ambiens et circumscribens, erunt libera, ut suo loco demonstrabitur. 6. *Ab inutilitate. Existimandum est, coelos et elementa non esse corrumpenda vel peritura, quod ad substantiam attinet, sed quod ad accidentia spectat. Nam quorsum Dominus alios novos coelos novaque creabit elementa, cum haec ita perficere ac decorare possit, ut alia, quae creare potest, exaequent?* Barradius d. l. pag. 610. XX. 91. Respondemus: non quid possit, sed quid velit Deus, spectandum. Corporeum coelum ac corporea elementa hisce, quae hodie exstant, conformia vel per renovationem, vel per creationem in vita aeterna exstitura, facilius dicitur quam probatur. 7. *Ex coeli et terrae novitate. Exspectamus coelos novos ac terram novam* Esa. 65, v. 17. 2. Petr. 3, v. 13. *Ergo mundi substantia manebit.* Respondemus: quae futura sit novi illius coeli ac novae terrae conditio, quae natura, quae figura, *illud oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscendit* Esa. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9. *Oculus non vidit, quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis adscendit, quia cor hominis debet illuc adscendere.* Nos nihil praestantius nihilque nobilius animo concipere possumus quam coelum tot astrorum lampadibus exornatum ac terram tot arborum et fructuum speciebus decoratam; Scriptura igitur per συγκατάβασιν nobis condescendens verbis hujus seculi gloriam et felicitatem futuri seculi describit ac duo hujus universi

Marginalia (right): 4. Ab utilitate. — 5. A necessitate. — 6. Ab inutilitate. — 7. Ex coeli et terrae novitate.

extrema, summum scilicet coelum ac infimam terram, nominat, ut typo hujus mundi, in quo nunc vivimus, μέλλουσαν illam οἰκουμένην Hebr. 2, v. 5. in qua aeternum victuri sumus, utrumque nobis adumbret. Quodsi in typicis, parabolicis ac mysticis illis descriptionibus τὸ ῥητόν arcte quispiam tenere velit, statuere etiam cogetur aurum, margaritas, gemmas, arbores cum nostris specie convenientes in coe-
8. Ex diluvii conformitate. lesti Hierosolyma futuras. 8. *Ex diluvii conformitate. Sicut in diluvio non periit mundi substantia, ita nec in fine seculi interibit*, Martinus in theol. p. 1076. Respondemus: primaevus ille mundus per diluvium non est in meliorem statum mutatus, sed misere devastatus, at illi sperant, per ultimum incendium mundum iri renovatum. Agnoscant ergo rationis disparitatem, quam evidentius probamus ex eo, quod destructio mundi per diluvium ex Dei decreto nec *totalis* nec *finalis* fuerit, quia reservatum fuit in arca generis humani seminarium, nec dum completus erat electorum numerus, sed destructio, quae per ignem conflagrationis sequetur et *totalis* et *finalis* erit, quia tempori succedet mera aeternitas, ac *coeli novi* et *terra nova* divinitus creabuntur. In dicto apostolico 2. Petr. 3, v. 6. parum praesidii invenire poterunt, quia vox *mundi* ibi non significat totum universum, quo sensu in aliis Scripturae dictis de consummatione seculi agentibus accipitur, siquidem mundus ille dicitur *aqua inundatus*, at aqua non inundavit firmamentum, nec ignem, nec superiorem aëris regionem, sed notat superficiem *οἰκουμένης*, orbis terrarum habitabilis, ac bestias et homines super illam degentes, quam aqua non in meliorem statum redegit, sed horribiliter destruxit. Sic ergo etiam ille mundus, qui in fine seculi conflagrabit, non in meliorem statum per alterationem redigetur, sed potius per annihilationem destruetur.
9. Ex rationis paritate. 9. *Ex rationis paritate. Homo est finis omnium creaturarum, quare cum homo renovandus sit, consentaneum est, ut reliquae etiam creaturae ipsius causa conditae renoventur. Sicut dignum fuit, quod elementa purgarentur, eo quod infecta fuerant propter peccatum hominis; sic dignum erit, ut mundus innovetur propter glorificationem hominis, ut hac ratione totus mundus, prout possibile est,*
XX. 92. *conformetur homini glorificato.* Gersonius in summ. de gaudiis paradisi fol. 433: *Deus primo creavit mundum, hoc est coelum et terram, postea ex terra formavit corpus primi hominis, a quo totum genus humanum propagatum; ex illo genere humano accepit massam sanguinis, e qua corpus Filio suo formavit, quod is in personae unitatem assumit; ita quoque ordine retrogrado primum corpus Filii sui ex mortuis suscitavit, renovavit et ad dextram suam in coelestibus collocavit, postea omnium hominum corpora in die novissimo ex pulvere suscitabit, denique etiam corpus mundi ad incorruptibilitatem renovabit.* Respondemus: est dispar ratio microcosmi ac macrocosmi. Microcosmum sive hominem Deus creavit non solum ad hanc *animalem* et *transitoriam*, sed etiam ad *spiritualem, coelestem et aeternam vitam*, ideoque etiam corpora hominum ex mortuis suscitabit; sed macrocosmum sive totam visibilium creaturarum universitatem condidit duntaxat propter praesens seculum, uti in vita animali hominum usui inserviret, ideoque ἀφθαρσίας et aeternitatis eam minime participem fecit, sed ut certum temporis articulum ab aeterno ei constituit, in quo et cum quo per immediatam creationem debuit capere exordium, ita quoque certum temporis articulum aeterno decreto ei praefixit, in quo et cum quo durationis suae finem obtinere debeat. 10. *Ex* 10. E[x ju]stitiae [ae]qualita[te]
justitiae aequitate. Creaturae in hac vita homini praestiterunt obsequium et ministerium, aequum igitur est, ut renovationis aliquando percipiant praemium, Gersonius d. l. Respondemus: consequens ergo foret, etiam bruta animalia ad incorruptibilitatem esse resuscitanda, quia ipsa non minus quam coelum et terra obsequium homini praestitere. Quinimo animantia, arbores, plantae, aves, pisces etc. non solum operam et obsequium, sed ipsam quoque vitam et substantiam hominis usui impenderunt. Quodsi ergo coelo ac terrae obtinget renovatio in obsequii hominibus exhibiti praemium, jure majore et aequiore animantia illud exigere et sperare poterunt. *Coelos novos ac terram novam* gratuiti praemii loco piis promissa esse apostolus asserit 2. Petr. 3, v. 13. sed de praemio renovationis creaturis inanimatis vel animatis reliquis promisso altum in Scripturis est silentium.

CAPUT VI.

DE FINE CONSUMMATIONIS SECULI.

64. Egimus hactenus *de causa efficiente, materia et forma consummationis seculi*, restat ut de ejusdem *fine* brevibus disseramus. *Finis*, propter quem totum hoc universum destruendum, est vel *primarius ac principalis*, vel *secundarius ac minus principalis*. *Primarius* Deum, *secundarius* homines respicit. Finis consummationis. 1. principalis glori[ficatio]
1. *Finis principalis est Dei glorificatio*, in destructione enim mundi conspicietur 1. *Dei veritas et immutabilitas*. Deus ab aeterno decrevit et hoc suum decretum in verbo patefecit, quod certo et constituto tempore visibilem illam coeli terraeque machinam destruere ac novum coelum et novam terram creare velit. Quando igitur hoc decretum exsecutioni dabit, gloriam suae veritatis coram angelis et homini- XX. 9[2]
bus manifestabit seque veracem et immutabilem esse ipso facto demonstrabit. 2. *Dei potentia et majestas*. Quemadmodum Deus in mundi creatione potentiam ac majestatem suam exseruit, cum rerum omnium ex nihilo productio sit infinitae potentiae opus (Tertullianus in apolog. cap. 16: *Quod colimus, Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum verbo, quo jussit, ratione, qua disposuit, virtute, qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum ma-*

jestatis suae); ita quoque in mundi destructione eandem divinam suam potentiam et majestatem ostendet. Ut enim *naturaliter* ex nihilo nihil fit, ita quoque *naturaliter* nullum ens in nihilum abit, sed divina ac supernaturalis virtus ut potuit ex nonente ens producere, ita ens in non-ens iterum poterit redigere. 3. *Dei justitia ac irae divinae severitas.* In ultimo illo totius orbis incendio manifestabit Deus iram suam adversus hominum peccata, quod sit *ignis consumens* Deuter. 4, v. 24. Hebr. 12, v. 29. Quemadmodum enim in devastatione mundi per *diluvium*, in excidio Sodomorum per *ignem* coelitus deplutum ac in aliis particularibus terrae devastationibus per *eluviones*, *terrae motus*, *incendia* etc. iram suam adversus peccata incolarum demonstravit, quia per hominum malitiam *terra dicitur corrumpi* Gen. 6, v. 12. *contaminari ac pollui* Levit. 18, v. 27. *poni in salsuginem* Psalm. 107, v. 34. ita quoque in finali illa totius universi conflagratione flagrantem suam iram adversus extremam hominum impietatem manifestabit. Psalm. 11, v. 6: *Pluet Dominus super peccatores ignem et sulfur.* Psalm. 50, v. 3: *Veniet Deus noster et non silebit*, *ignis coram eo vorabit.* 2. Thess. 1, v. 7: *Patefiet Dominus de coelo cum flamma ignis infligens ultionem.* Quando ergo homines impii ad sinistram judicis constituti coelum ac terram igne succendi videbunt, ineffabili horrore concutientur, facile enim ex eo intelligent, infernalem ignem sibi esse paratum, in quo aeternas scelerum suorum poenas persolvant. Pii vero hoc Dei judicium grato corde et ore praedicabunt, sicut de Babylonis incendio dicitur Apoc. 18, v. 20: *Exsulta super eam coelum*, hoc est beati coelites et sancti apostoli et prophetae, *quoniam judicavit Deus judicium vestrum de ea.* cap. 19, v. 1: *Audivi vocem turbarum multarum in coelo dicentium, alleluja, laus et gloria et virtus Deo nostro*, v. 2. *quia vera et justa sunt judicia ejus.*

[illegible] 65. *Secundarius finis* hujus συντελείας est *piorum liberatio.* Luc. 21, v. 28: *His fieri incipientibus*, hoc est signis hisce mundi finem praesto esse denuntiantibus, *respicite et attollite capita vestra, scientes, quod appropinquet redemtio vestra.* Quemadmodum enim mors pii hominis est ipsius *redemtio particularis*, quia per mortem quilibet vere pius a peccato et omnibus peccati poenis liberatur ac quoad animam coelestis gloriae ac beatitudinis particeps redditur; sic consummatio seculi erit omnium piorum *liberatio universalis*, tunc enim omnium piorum animae corporibus ex terrae pulvere suscitatis vel divina virtute efficaciter immutatis iterum unientur ac regno Satanae et mortis penitus destructo, omnibus ecclesiae hostibus prorsus abolitis, omnibus calamitatibus et adversis perfecte cessantibus in plenariam regni coelestis possessionem introducentur. Sodomae conflagratio erat Lothi liberatio; sic etiam mundi conflagratio erit omnium piorum plenaria liberatio, qua comparatione utitur apostolus 2. Petr. 2, v. 6: *Deus civitates Sodomorum et Gomorraeorum in cinerem redigens eversione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi erant, ponens;* v. 7. *et justum Loth oppressum a nefandorum luxuriosa conversatione eripuit;* v. 8. *habitabat enim apud eos, qui animam justam iniquis operibus cruciabant.* v. 9. *Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos.* Si quis in arce quadam captivus detineretur, illi liberatio contingeret, si arx illa vel fulmine tacta vel subjectis flammis accensa igne conflagraret; sic praesens hic mundus est piorum carcer, quando igitur Deus ipse coelesti igne hunc carcerem accendet, tunc pii ex eo in coelestis patriae regiam eluctari et postliminii quasi jure restitui poterunt.

66. Quaeritur hoc loco, *an mundus conflagratione periturus fuisset, si nec primi parentes, nec posteri eorum peccassent, sed in concreata integritate ἀκινήτως perstitissent?* Rationes pro utraque quaestionis parte probabiles afferri possunt. Arbitror autem, distinguendum esse *inter rem et rei modum*, hoc est inter ipsam seculi *consummationem* et mundi *conflagrationem* sive per ignem destructionem. Consummatio seculi videtur etiam in statu integritatis locum habuisse. Neque enim Deus hominem ad animalem duntaxat vitam in hoc seculo traducendam condiderat, sed ut transacto animalis vitae in his terris curriculo ad vitam coelestem et gloriosam elevaretur, proinde etiam mundus non erat a Deo hoc fine conditus, ut in aeternum perduraret, sed ut completo eorum numero, quos Deus ab hominibus generari et consortes regni coelestis habere voluit, iterum annihilaretur, quia cessante animali omnium hominum vita nullus amplius futurus erat mundi usus. Ut ergo generatio hominum non fuisset in infinitum exporrecta, sed certum habuisset finem ac terminum, quo adventante omnes ac singuli homines in terris viventes ad vitam in coelis spiritualem et gloriosam fuissent translati; ita quoque mundi duratio non fuisset interminabilis ac perpetua, sed una cum animali hominum vita suum habuisset finem. Sed modus consummationis videtur fuisse diversus, per simplicem scilicet *annihilationem*, non autem per *ignis conflagrationem*, 1. quia particulares orbis devastationes per eluviones aquarum, incendia, terrae motus ac hiatus etc. sunt poenae peccatorum et irae divinae signa. Ergo de universali orbis incendio idem videtur statuendum. Jam vero in statu integritatis peccato ac proinde etiam irae divinae nullus fuisset locus. 2. Conflagratio mundi in die judicii erit impiis praeludium ac typus quidam infernalis ignis, in quem erunt praecipitandi; jam vero homines in statu integritatis persistentes ab infernali igne mansissent liberi. 3. Sicut homo in concreata justitia persistens absque mortis interventu ex vita animali in spiritualem et coelestem fuisset evectus; sic mundus absque conflagrationis interventu appetente durationis suae fine divina virtute fuisset annihilatus, ac novum coelum et terra nova ejus loco creata. 4. In statu integritatis nec mortuorum resurrectio, nec terribilis judicii

Quaeritur, an mundus conflagratione periturus fuisset, si primi homines non peccassent?

administratio locum habuisset, proinde etiam horri-
XX. 95. bilis illa mundi conflagratio ab eodem exsulasset. 5. Vanitati et servituti corruptionis subjecta est creatura propter hominem, ideo etiam finali illi per ignem destructioni propter hominum peccata videtur subjecta. Haec de proposita quaestione probabiliter disserimus, *sed ut in re obscurissima non adjuvantibus sacrarum literarum oraculis nihil certi definimus.*

CAPUT VII.

DE ADJUNCTIS CONSUMMATIONIS SECULI.

Adjuncta consummationis seculi. 1. Tempus.

67. *Adjuncta consummationis seculi sunt* 1. *tempus,* 2. *modus,* 3. *antecedentia et consequentia.* 1. *Tempus consummationis* est dies novissimus, in quo etiam mortui resurgent et extremum judicium instituetur. Ideo enim dies universalis resurrectionis et extremi judicii vocatur *dies novissimus* Joh. 6, v. 39. 40. 44. et 54. cap. 11, v. 24. cap. 12, v. 48. ac *tempus novissimum* 1. Petr. 1, v. 5. quia post illum diem non erit alius, cessabit enim dierum' ac noctium vicissitudo, Apoc. 22, v. 5: *Nox non erit ultra.* cap. 10, v. 6: *Tempus non erit amplius*, sed mera ac nuda aeternitas omnem temporis successionem prorsus excludens. Sed hanc immediatam adventus Christi, resurrectionis universalis, extremi judicii et consummationis seculi connexionem negarunt quondam *Chiliastae*, quos Augustinus lib. 20. de civ. Dei cap. 7. *Milliarios*, Philastrius lib. de haeresib. cap. 59. pag. 26. *Chilionetitas*, Damascenus lib. de haeres. pag. 579. vocat *Pepuzianos* eo, quod Pepuzam urbem quandam desertam, quae Galatiam a Cappadocia ac Phrygia dividit, divinum quiddam esse dixerint eamque Hierusalem esse existimaverint; vulgo appellantur *Millenarii.* Docent enim, *Christum ante diem novissimum e coelo in terram rediturum, pios defunctos resuscitaturum ac cum illis, uti etiam iis, quos vivos inveniet, oppressis omnibus impiis, vitam corporalibus deliciis abundantem per mille annos in his terris exacturum, inchoato terreno, corporali ac visibili regno et finitis demum mille annis illius regni consummationem seculi et universalem omnium resurrectionem esse secuturam;* quamvis in quibusdam circumstantiis hujus dogmatis apud patronos ejusdem sit quaedam discrepantia, ut postea apparebit. 1. Primus chiliasticae opinionis in ecclesia novi testamenti auctor fuisse videtur *Cerinthus*, pestilens haereticus, qui *Christum ex congressu maritali genitum et nudum hominem esse* blasphemavit. De eo enim ex Gajo ecclesiastico quodam auctore sic scribit Eusebius libr. 3. histor. eccles. c. 25. (in edit. Musc. in Christophors. edit. est cap. 28.) *quod per revelationes' velut a magno apostolo scriptas portentosa quaedam dogmata quasi per angelos sibi ostensa mentitus attulerit, regnum Christi post resurrectionem terrenum futurum et carnem nostram denuo Hierosolymis concupiscentiis ac voluptatibus carnis servituram dicens, et cum inimicus esset Scripturis Dei, numerum cujusdam millenarii festi nuptiis deputatum seducere volens, futurum dixerit.* Ibid. ex narrationibus Dionysii Alexandrini Cerinthianam haeresin sic describit: *Hoc doctrinae illius dogma fuit, terrenum futurum Christi regnum et quae ipse concupiscebat, cum corporis studio teneretur et admodum carnalis esset, in his illud fu-* XI
turum somniabat, ventris scilicet et eorum, quae sub ventre sunt, impletionibus, hoc est cibo, potu ac nuptiis, et ut ista honestius commentatus videretur, dies festos et victimas et sacrificiorum mactationes adjecit. Idem libr. 7. cap. 24. in princ.: *Cerinthus haeresis illius, quam Cerinthianam vocant, conditor docuit, regnum Christi fore terrenum, et quae ipse tanquam corporis sui studiosus et vehementer carnalis concupiverat, in illis se futurum somniavit, ventris videlicet et eorum, quae ventri subsunt, saturationibus, cibis nempe ac potibus et nuptiis, et quibus ista majore cum jucunditate acquirenda putavit, diebus festis, victimis ac sacrificiorum mactationibus.* In supplemento haeresium a Philastrio praetermissarum haeres. 6. p. 106. Cerintho tribuitur, quod dixerit, *regnum Christi post resurrectionem Hierosolymis futurum, ubi mille annis homines libidini et voluptatibus indulsissent.* Augustinus lib. de haeres. ad Quodvultd. cap. 8: *Cerinthiani, a Cerintho dicti, mille annos post resurrectionem in terreno regno Christi secundum carnales ventris et libidinis voluptates futuros fabulantur, unde etiam Chiliastae sunt appellati.* Nicephorus lib. 3. histor. eccles. cap. 34. de Cerintho sic scribit: *Post resurrectionem adstruit, terrenum futurum Christi regnum et carnem tum primas obtinentem denuo cupiditatibus in Hierusalem inservituram atque cum sacrarum Dei Scripturarum sit hostis, seducere homines volens mille annorum nuptiarum celebritatibus destinatum mundum refert.* Isidorus lib. 8. orig. tom. 1. p. 10: *Cerinthiani, a Cerintho quodam nuncupati, mille annos post resurrectionem in voluptate carnis futuros praedicant, unde et Graece Chiliastae, Latine Milliastae sunt appellati.* 2. Quia vero de Cerintho constat ex Epiphanio haeres. 28. p. 91. Philastrio haeres. 36. p. 17. et Augustino de haeresib. cap. 8. quod fuerit *Semijudaeus*, siquidem circumcisionis et sabbati observationem docuit esse necessariam ac fuit antesignanus *pseudoapostolorum*, contra quos synodus apostolica Act. 15, v. 10. fuit congregata; ideo verisimile est, Cerinthum hoc suum dogma ex Judaicae synagogae mammillis suxisse. Notum enim est, Judaeos mundanum et terrenum aliquod regnum a Messia exspectasse, quod scilicet *aliorum monarcharum more in terris regnaturus, omnes gentes debellaturus ac populum suum omnium rerum affluentia et abundantia corporali beaturus esset,* unde etiam recentiores Judaei formam quan-

dam chiliastici regni tempore Messiae secuturam esse somniant. Fingunt, *Judaeos in terram Canaanaeam esse reducendos inque ea omnis generis deliciis corporalibus fruituros, cumprimis vero insigni quodam convivio excipiendos, quod parandum sit ex Leviathan pisce et Behemoth tauro, utroque mirae magnitudinis animali, ac vino de gan Eden seu paradiso, quod jam inde a mundi origine ibi reconditum servetur, potandos; demortuos Judaeos putant resuscitatum iri, ut fiant hujus gaudii participes; utrosque, tam vivos quam mortuos, vitae restitutos ad multa secula sine morbo ac molestia, imo sine senectute vitam producturos, perpetuam aëris benignitatem sensuros, bona gentium possessuros, in summa auri, argenti et voluptatum abundantia perpetuo victuros* etc. Quidam addunt *avem Zis, quae Bariuchne* dicitur, cujus quanta sit magnitudo, apparet ex eo, quod fingunt, *ovum ejus e nido ejectum aliquando lapsu suo confregisse trecentos cedros et confractum submersisse sexaginta pagos, quodque ipsa avis expansione alarum suarum sphaeram solis contegere possit.* In Talmud ordine 4.
97. tract. 3. nugantur, *Deum quinta die creasse pisces duos magnitudinis paene interminatae, Leviathan appellatos, quorum corporum vastitatem cum ipse secum animo perpenderet, veritus, ne omne piscium genus a tam magnis beluis degluteretur et ne ab ipsis mare universum navigiis invium redderetur, sicque humani generis commercia penitus tollerentur, si ex illis proles propagaretur, occidit foemellam et ex ejus salitis carnibus salsamenta delicatissima paravit justis et electis suis post hanc vitam comedenda, masculum vero sibi vivum reservavit, ut cum eo succisivis diei horis quotidie luderet, quo accommodant illud* Psalm. 104, v. 26: *Draco iste, quem creasti, ut cum eo luderes.* Vide librum Abcoth Rochel, h. e. specierum aromaticarum, Aben Ezra et Raschi in peruschim apud Helvicum elench. Judaeor. tertio cap. 2. de officio Messiae, Buxtorffium in synag. Judaic. cap. 36. p. 511.

68. 3. Optandum vero, cum *Cerintho* vel certe cum *Judaica synagoga* chiliastica illa somnia fuisse sepulta, sed negari nequit, *quosdam ex antiquissimis ecclesiae doctoribus* eadem ex parte fuisse amplexos. De *Papia*, episcopo Hieropolitano, qui inter pios veteres primus chiliasticae opinionis semina sparsit, sic scribit Eusebius lib. 3. hist. eccles. cap. 36: *Quaedam idem commentatur tanquam ex viva traditione ad se relata et peregrinas quasdam Salvatoris parabolas et doctrinas cum aliis nonnullis fabulosis adjecit, in quibus etiam millenarios quosdam annorum post resurrectionem mortuorum futuros dixit, in quibus regnum Christi in hac terra corporaliter consistere debeat, quae illum ex eo suspicatum puto, quod apostolicas disputationes non recte acceperit, nec quae ab illis per hypodigmata dicta sunt, rite considerari, eo quod admodum modico esset judicio praeditus, sicut ex ipsius libris judicium capi poterit, attamen quam plurimis post se ecclesiasticis viris ejusdem erroris causam dedit, qui ad antiquitatem ipsius respexerunt.* Probe vero notandum, quae fuerit occasio erroris in Papia, quam ibidem Eusebius disertis verbis exponit, videlicet quod *neglectis vel certe parvi habitis Scripturis traditiones apostolicas consectatus fuerit.* Sic enim eum loquentem ibidem introducit: *Ubi quisquam venit, qui seniorum assectator fuerat, seniorum verba exquirebam, quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, aut Jacobus, aut Johannes, sive Matthaeus, vel alius quisquam ex discipulis Domini, quid Aristion et senior Johannes, discipuli Domini, dixerint. Cogitabam enim, me non tantum utilitatis ex libris, quantum ex viva ac permanente voce relaturum.* Sic ergo memorabili Papiae exemplo Deus ecclesiam monere voluit, quam periculosum sit incertas traditiones praetermissis Scripturis sequi. Confer Nicephorum lib. 3. hist. eccles. c. 20. Ceterum quod Eusebius addit, *Papiam quam plurimis post se ecclesiasticis viris ejusdem erroris causam dedisse,* illius effati veritatem luculente suo confirmant exemplo *Justinus, Irenaeus, Apollinarius, Tertullianus, Victorinus Pictaviensis, Nepos Aegyptius, Severus, Sulpicius, Coracion et Lactantius,* qui omnes Chiliasticae opinioni applauserunt. Unde Baronius in annal. ann. 118. sect. 2. scribit, *ultimis Trajani temporibus errorem irrepsisse in nonnullos fideles auctore Papia episcopo Hieropolitano de millenario, quem Apollinarius pertinacius propugnando in haeresin perduxerit. Justinus* in dial. cum Tryphone pag. 239. sic scribit: *Ego autem et si qui rectae per omnia sententiae Christiani sunt, et carnis resurrectionem futuram novimus, et mille annos in Hierusalem instaurata et exornata et dilatata, sic-* XX. 98.
ut prophetae Ezechiel et Esaias et alii promulgant. pag. 240: *Vir apud nos quidam, cui nomen erat Johannes, e duodecim apostolis Christi unus, in ea, quae illi exhibita est, revelatione Christi fideles nostros annos mille Hierosolymis peracturos esse praeloquutus est, ac postea universalem et, ut semel dicam, sempiternam omnium unanimiter simul resurrectionem et judicium futurum. Irenaeum* Chiliastam fuisse, testes sunt Eusebius d. l. et Hieronymus in catalog. illustrium in cap. de Papia, sed in quinque illis libris Irenaei adv. haereticos, qui adhuc supersunt, disertis verbis illud non habetur. Quidam illud colligere volunt ex lib. 3. c. 23. pag. 352. ubi dicit: *Quotquot diebus hic mundus factus est, tot et millenis consummatur,* quia Chiliastae statuunt, completis sex annorum millibus a mundo condito Antichristum cum omnibus suis membris, videlicet hominibus impiis, esse perdendum ac ligandum Satanam, ut interim per septimum annorum millenarium Christus cum electis regnum pacatissimum super terram sit habiturus, quo millenario completo rursus modico tempore ante judicium Satanas sit solvendus, ac paulo post Christus ad extremum judicium celebrandum rediturus. Sed ostendimus in tract. praeced. opinionem de sex mundi millenariis etiam aliis ex patribus placuisse, qui

chiliastici erroris non fuere suspecti, nedum rei. Dicendum igitur, Eusebium et Hieronymum ex aliis Irenaei libris hoc collegisse, aut Irenaeum a chiliasmi accusatione absolvendum esse. De *Apollinario*, quod Judaicam mille annorum δευτέρωσιν a Papia in ecclesiam Christianam introductam secutus fuerit, testatur Hieronymus d. l. *Tertullianus* lib. 3. adv. Marcion. c. 24. p. 400: *Confitemur, in terra nobis regnum repromissum, sed ante coelum, sed alio statu, utpote post resurrectionem in mille annos in civitate divini operis Hierusalem coelo delata, quam et apostolus matrem nostram sursum designat , et πολίτευμα nostrum, hoc est municipatum, in coelis esse pronuntians, alicui utique coelesti civitati eum deputat. Hanc et Ezechiel novit, et apostolus Johannes vidit, et qui apud fidem nostram est novae prophetiae sermo testatur.* (Observa, Tertullianum probationem chiliasmi etiam ex prophetia paracleti Montanistica arcessere, quidam tamen nomine *novae prophetiae* Apocalypsin Johannis malunt intelligere, *ut etiam effigiem civitatis ante repraesentationem ejus conspectui futuram in signum praedicarit* etc.) *Hanc dicimus excipiendis resurrectionis sanctis et refovendis omnium bonorum utique spiritualium copia in compensationem eorum, quae in hoc seculo vel despeximus, vel amisimus, a Deo prospectam, siquidem justum est et Deo dignum, illic quoque exsultare famulos ejus, ubi sunt et afflicti in nomine ipsius; haec ratio regni coelestis. Post cujus mille annos, intra quam aetatem concluditur sanctorum resurrectio, pro meritis maturius vel tardius resurgentium, tunc et mundi destructione et judicii conflagratione commissa demutati in atomo in angelicam substantiam, scilicet per illud incorruptelae superindumentum, transferemur in coeleste regnum.* Ibidem Tertullianus asserit, *se in libro de spe fidelium hac de re latius egisse*, sed liber ille Dei beneficio non amplius exstat. *Victorinum Pictaviensem* vel, ut alii scribunt, Pitabionensem in comm. Apocal. inter Chiliastas numerat Hieronymus in catal. de vir. illustr. cap. de Papia, in praefat. comm. in Apoc. et lib. 11. in Ezech. De *Nepote Aegyptio* et *Coracione* Eusebius lib. 7. histor. eccles. c. 22. circa fin. sic scribit:
XI. 99. *Nepos quidam Aegyptiorum episcopus promissiones Dei sanctis in Scripturis factas nimis Judaico more reddendas docebat et millenaria quaedam annorum corporalibus deliciis in hac terra futuris decernebat, et quoniam opinionem hanc suam ex Apocalypsi Johannis probare se posse putabat, librum de illa composuerat illumque Elenchum Allegoristarum inscripserat. Hunc itaque Dionysius* (Alexandrinus) *commentariis de promissionibus inscriptis impugnat et primo sententiam suam de dogmate illo ponit, in altero vero de Apocalypsi Johannis disputat.* cap. 23. recitat Eusebius verba Dionysii: *Commentarium quendam Nepotis proferunt, quo valde nituntur, ut qui irrefragabiliter regnum Christi super terram hanc futurum ostendat. In aliis multis Nepotem laudo ac diligo cum propter fidem sedulitatemque et exercitium in Scripturis, tum propter multam ipsius psalmodiam, et hominem admodum veneror praesertim tanquam eum, qui jam ad quietem praecessit; at veritas amica est et prae cunctis honoranda, et si quid recte dicitur, laudandum et approbandum candide, quae vero non sane scripta videntur, inquirenda sunt et refellenda. Quodsi praesens esset et nudo sermone dogma suum assereret, satis esset sine scriptis conferre interrogandoque et respondendo adversarios convincere et conciliare; quoniam vero scriptum exstat, sicut quibusdam videtur, admodum probabile, et nonnulli doctores legem et prophetas nihili faciunt, evangeliis adhaerere detrectant et apostolorum epistolas contemnunt, hujus vero syngrammatis doctrinam tanquam magnum aliquod et absconditum mysterium continentem profitentes, simpliciores fratres nostros nihil sublime nec magnificum neque de glorioso ac vere divino Domini nostri adventu, neque de nostra resurrectione ex mortuis et aggregatione nostri et conformatione ad ipsum sentire permittunt, sed minuta et mortalia, qualia sunt haec praesentia in regno Dei speranda suadent, necessarium est, ut et nos velut praesentem fratrem nostrum Nepotem alloquamur.* Postea addit: *Cum in Arsenoite essemus, ubi diu ante hoc dogma emersit, ita ut schismata et integrae ab ecclesiis defectiones fierent, convocatis presbyteris et doctoribus ex fratribus illorum vicorum, praesentibus etiam fratribus, quotquot adesse volebant, publice eos ad dogmatis hujus inquisitionem exhortatus sum. Et cum hunc mihi librum* (Nepotis Aegyptii) *quasi armaturam quandam et murum inexpugnabilem proferrent, totum triduum una cum illis a mane ad vesperam usque considens, quae in eo scripta sunt, discutere conatus sum. Ubi etiam constantiam, veritatis studium, tractabilitatem et intelligentiam in fratribus vehementer admiratus sum, quod recto ordine et μετ᾽ ἐπιεικείας interrogarent ac responderent et obsequerentur, nec ullo modo contentiose quae semel statuerunt, si falsa esse deprehenderentur, retinere nec rursus contradictiones subtrahere, sed quantum fieri poterat, proposito instare et confirmare conarentur, et tamen rursus, ubi ratio exposcebat, sententiam mutare et veritatem una nobiscum confiteri non revererentur, sed bona cum conscientia absque ulla hypocrisi cordibus ad Deum expansis, quae demonstrationibus ac divinarum Scripturarum doctrinis comprobabantur, amplecterentur. Et tandem ipse doctrinae hujus antesignanus et auctor nomine Coracion audientibus fratribus cunctis, qui aderant, confessus est nobisque pollicitus, se posthac opinioni illi nolle attendere amplius neque de illa disputare nec mentionem facere nec docere, quod abunde satis oppositis esset argumentis convictus. Reliqui vero fratres praesentes propter hanc collationem, erga cunctos demissionem et consensionem gaudebant.* Haec Dionysii narratio de multis utiliter monere potest, quae fuerit origo erroris chiliastici, contemtus scilicet XI.

Scripturarum et amor incertarum traditionum, qua moderatione in illo redarguendo pii veteres fuerint usi, quam lata acceperit incrementa, quis fuerit disputandi modus in primitiva ecclesia observatus, ex quibus principiis contra errores fuerit pugnatum, quinam ad disputationes de fidei dogmatibus institutas admissi fuerint etc. *Severum* Chiliastis accenset Hieronymus lib. 11. in Ezech. cap. 36. *Neque enim* (inquit) *juxta Judaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant, auream de coelo exspectamus Hierosolymam, nec rursum passuri circumcisionis injuriam, nec oblaturi taurorum ac arietum victimas, nec sabbati otio dormiemus, quod et multi nostrorum et praecipue Tertulliani liber, qui inscribitur de spe fidelium, et Lactantii institutionum volumen septimum pollicetur, et Victorini Pitabionensis crebrae expositiones et nuper Severus noster in dialogo, cui Gallus nomen imposuit, et ut Graecos nominem et primum extremumque conjungam, Irenaeus et Apollinarius.* Idem in praefat. lib. 18. in Esaiam refert, *Irenaeum, Tertullianum, Lactantium, Apollinarium, Severum, Sulpicium magnamque catholicorum hominum multitudinem in Victorini opinione fuisse.* Quod *de Lactantio* Hieronymus memorat, ex ipsius scriptis adhuc reliquis liquido patescit; lib. 7. instit. cap. 24. p. 433. sententiam suam hisce exponit verbis: *Cum Christus deleverit injustitiam judiciumque maximum fecerit ac justos, qui a principio fuerunt, ad vitam restauraverit, mille annis inter homines versabitur eosque justissimo imperio reget. Tum qui erunt in corporibus vivi, non morientur, sed per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabunt, et erit soboles eorum sancta et Deo cara; qui autem ab inferis suscitabuntur, ii praeerunt viventibus velut judices. Gentes vero non exstinguentur omnino, sed quaedam relinquentur in victoriam Dei, ut triumphentur a justis ac subjugentur perpetuae servituti. Sub idem tempus etiam princeps daemonum, qui est machinator omnium malorum, catenis vincietur et erit in custodia mille annis coelestis imperii, quo justitia in orbe regnabit, ne quod malum adversus populum Dei moliatur. Post cujus adventum congregabuntur justi ex omni terra, peractoque judicio civitas sancta constituetur in medio terrae, in qua ipse conditor Deus cum justis dominantibus commoretur* etc. *Tunc auferentur a mundo tenebrae illae, quibus offundetur atque obcoecabitur coelum, et luna claritudinem solis accipiet nec minuetur ulterius; sol autem septies tanto, quam nunc est, clarior fiet; terra vero aperiet foecunditatem suam et uberrimas fruges sua sponte generabit, rupes montium melle sudabunt, per rivos vina decurrent et flumina lacte inundabunt; mundus denique ipse gaudebit et omnis rerum natura laetabitur erepta et liberata dominio mali et impietatis et sceleris et erroris. Non bestiae per hoc tempus sanguine alentur, non aves praeda, sed quieta et placida erunt omnia, lupus ovem non rapiet, canis non venabitur, accipitres et aquilae non nocebunt, infans cum serpentibus ludet. Denique tunc fient illa, quae poetae aureis temporibus facta esse jam Saturno regnante dixerunt* etc. *Cum vero deletis religionibus impiis et scelere compresso subjecta erit Deo terra,*

Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces, omnis feret omnia tellus etc.

(Observa, Lactantium non solum ex Sibyllis sed etiam ex poëtis chiliasticum illud regnum describere.) *Vivent itaque homines tranquillissimam vi-* XX. 101.
tam et copiosissimam et regnabunt cum Deo pariter, et reges gentium venient a finibus terrae cum donis ac muneribus, ut adorent ac honorificent regem magnum, cujus nomen erit praeclarum ac venerabile universis nationibus, quae sub coelo erunt, et regibus, qui dominabuntur in terra. Haec sunt, quae a prophetis futura dicuntur etc. *Hieronymus* Chiliastarum opinioni minime quidem assensus est, quia lib. 18. in Esaiam dicit, *Dionysium elegantem scripsisse librum, in quo irrideat mille annorum fabulam et auream atque gemmatam in terris Hierusalem, instaurationem templi, hostiarum sanguinem, otium sabbati, circumcisionis injuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias et cunctarum gentium servitutem rursusque bella, exercitus ac triumphos et superatorum neces mortemque centenarii peccatoris,* ac lib. 4. in Ezech. cap. 36. vocat *Judaicas fabulas* et in comm Dan. 7. dicit: *Sancti nequaquam habebunt regnum terrenum, sed coeleste, cesset ergo mille annorum fabula* etc. Interim tamen non ausus fuit eam expressis verbis damnare, veterum scilicet auctoritatem nimiopere veritus, sic enim scribit lib. 4. in Jerem. cap. 19: *Judaei sibi auream et gemmatam Hierusalem restituendam putant rursumque victimas et sacrificia et conjugia sanctorum et regnum in terris Domini salvatoris, quae licet non sequamur, tamen damnare non possumus, quia multi ecclesiasticorum virorum et martyres ista dixerunt. Unusquisque in suo sensu abundet et Domini cuncta reserventur judicio.* Hieronymi vestigiis insistit *Augustinus* lib. 20. de civ. Dei cap. 7. non longe a princip. sic scribens: *Qui propter haec hujus libri* (Apocalypseos) *verba primam resurrectionem futuram suspicati sunt corporalem, inter cetera maxime numero annorum mille permoti sunt, tanquam oporteret in sanctis eo modo velut tanti temporis fieri sabbatismum, vacatione scilicet sancta post labores annorum sex millium, ex quo creatus est homo et magni illius peccati merito in hujus mortalitatis aerumnas de paradisi felicitate dimissus est, ut, quoniam scriptum est: Unus dies apud Dominum sicut mille anni et mille anni sicut dies unus, sex annorum millibus tanquam sex diebus impletis sequatur velut sabbati septimus in annis mille postremis, ad hoc scilicet sabbatum celebrandum resurgentibus sanctis. Quae opinio esset utcunque tolerabilis, si aliquae deliciae spirituales in illo sabbato affuturae sanctis per Domini praesentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opi-*

nati fuimus aliquando, sed cum eos, qui tunc resurrexerint, dicant immoderatissimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus sit tantus ac potus, ut non solum nullam modestiam teneant, sed modum quoque ipsius incredulitatis excedant, nullo modo ista possunt nisi a carnalibus credi. Hi autem, qui spirituales sunt, istos ista credentes χιλιαστάς appellant Graeco vocabulo, quod verbum e verbo exprimentes nos possumus Milliarios nuncupare. Idem tamen in lib. de eccl. dogmatib. (modo Augustinus illius libri auctor sit) cap. 55. confidentius eos refellit. *In divinis,* ait, *promissionibus nihil terrenum vel transitorium exspectemus, sicut Meletiani sperant. Non nuptiarum copulam, sicut Cerinthus et Marcion delirant, non quod ad cibum vel ad potum pertinet, sicut Papiae auctore Irenaeo et Tertullianus et Lactantius acquiescunt, neque per mille annos post resurrectionem regnum Christi in terra futurum et sanctos cum illo in deliciis regnaturos speremus, sicut Nepos docuit, qui primam resurrectionem justorum et secundam impiorum confinxit, et inter has duas mortuorum re-*
XX. 102. *surrectiones gentes ignorantes Deum in angulis terrarum in carne servandas, quae post mille annos regni in terra justorum instigante diabolo movendae sunt ad pugnam contra justos regnantes et Domino pro justis pugnante imbre igneo compescendas atque ita mortuas cum ceteris in impietate ante mortuis ad aeterna supplicia in incorruptibili carne resuscitandas.* lib. de haeresib. ad Quodvultdeum c. 8. *Chiliastas* in haereticorum classem compingit.

69. Ceterum quod *quosdam ecclesiae veteris doctores* Cerinthi dogma *ex parte* duntaxat amplexos fuisse diximus, illud Ludovic. Vives in comm. lib. 20. August. de civ. Dei cap. 7. disertis verbis nobiscum asserit, ac in disp. 3. novis quibusdam fanaticis opposita hisce illud confirmatum dedimus argumentis, 1. non est verisimile, pios veteres Judaica somnia et Cerinthiana portenta de gemmata et aurea Hierosolyma in terris exstruenda ac voluptatibus carnalibus in eadem sperandis fuisse amplexos. Ecquis enim credat, illos circumcisionis et sabbati observationem, sacrificiorum oblationem in Christiana ecclesia iterum exspectanda statuisse? 2. Irenaeus, quem Eusebius et Hieronymus Chiliastis accensent, lib. 1. adv. haeres. cap. 25. Cerinthum haereseos accusat, lib. 3. cap. 3. eum vocat *inimicum veritatis* atque addit, *Johannem apostolum noluisse cum ipso communi uti balneo.* lib. ejusdem cap. 11. circa med. refert, *Johannem evangelicam suam historiam Cerintho opposuisse.* At quis credat, Cerinthum ab Irenaeo haereticis fuisse annumeratum, si cum ipso eadem sensisset? Neve quis excipiat, *Irenaeum a Cerintho in aliis dissensisse, in chiliastico autem regno ipsi ὁμόψηφον fuisse,* notandum, quod Victorinus, quem Hieronymus itidem facit Chiliastam, commentarium suum in Apocalypsin hisce concludat verbis: *Ergo audiendi non sunt, qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant, qui cum Cerintho haeretico sentiunt.* 3. Cerinthus natu major fuit ipso Papia. Quodsi ergo Papiae opinio per omnia eadem fuisset cum Cerinthi haeresi, utique Hieronymus in catal. illustr. Cerintho potius quam Papiae ejus originem tribuisset. 4. Cerinthus in illo regno futuras omnes improbas voluptates, foedam scilicet epularum ingluviem, ventris et ea, quae sub ventre sunt, exquisitissima incitamenta docebat, sed patres nullam malorum hominum improbitatem aut impietatem aut injustitiam in illo regno futuram crediderunt. Cerinthus ipsum Christum nondum surrexisse, sed appetente chiliastico regno demum suscitandum esse docuit, a quo errore patres fuere alienissimi. 5. Augustinus lib. 20. de civ. Dei cap. 7. *spiritualium deliciarum* mentione patrum opinionem a Cerinthiana haeresi sejungit. Tertullianus etiam lib. 3. adv. Marcion. c. 24. *Hierosolymam illam coelo delatam divini operis futuram* asserit *ac sanctos in ea spiritualium bonorum affluentia refovendos esse* significat. Interim tamen inficias ire non possumus, Lactantium ac Nepotem *corporalium deliciarum* mentionem injicere ac Hieronymum lib. 11. in Ezech. indistincte veteres illos ecclesiae doctores *Judaicarum fabularum patronos* constituere, quo dubio procul respicit Chemnicius, quando in orat. de lect. patrum primo locorum theol. tomo praefixa asserit, *Irenaeum chiliasticae opinioni addictum in fundamento errasse.* Confer Sixtum Senensem lib. 5. bibl. sanctae annot. 233. p. 411. et l. 6. annot. 347. p. 573.

70. 4. *Epiphanius* haeresin Dimoeritarum, per- XX. 10
fectam Christi incarnationem negantium, refellens haeres. 77. p. 859. in Lat. p. 435. in Graec. inter cetera sic scribit: *Alii dixerunt, senem dixisse, quod in prima resurrectione millenarium quendam annorum absolvemus in iisdem versantes, in quibus etiam nunc, nimirum et legem et alia servantes et omnia, quae in usu sunt in mundo, nuptiisque ac circumcisione et aliis participantes; id quod non valde de ipso credidimus. Verum sicut quidam affirmarunt, hoc dixisse ipsum asseruerunt. Et quod quidem scriptum est de millenaria hac secta in Apocalypsi Johannis, et quod apud plerosque receptus est liber etiam apud ipsos, manifestum est. Plurimi vero et pii de spiritualibus edocti et quae spiritualiter in ipsa se habent cognoscentes, vera quidem esse, in profunditate autem declarata esse credunt. Non solum enim hoc illic profunde dictum est, sed etiam alia multa.*

71. 5. Nostro seculo chiliasmum in ecclesiae proscenium reduxerunt *Anabaptistae*, de quibus Augustana confessio art. 17. sic loquitur: *Damnant et alios* (nostrae ecclesiae), *qui nunc spargunt Judaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum pii regnum mundi occupaturi sunt, ubique oppressis impiis*; Philipp. Melanthon in disp. de furoribus et deliriis Anabapt. tom. 1. Witeb. Lat.: *Anabaptistae affirmant, oportere ante novissimum diem in terris regnum Christi tale exsistere, in quo pii dominentur et omnes reges impios opprimant ac deleant.* Anno 1530. quidam, cui nomen *Augu-*

stinus Weber, arte pellio, imperii chiliastici tempus praesto esse ratus insomniorum praestigiis ac revelationum peculiarium mendaciis in spem regni quorundam animos erexit ac coetus in horto quodam congregavit. Detecta postmodum conjuratione, cum in ducatu Wirtenbergensi urbe cessissent, poenas temeritatis debitas persolverunt, referente Xysto Betulejo comment. in Lactant. lib. 7. c. 14. Weberum illum quinquennio post, anno scilicet Christi 1535. secuti sunt seditiosi Anabaptistae in urbe Westphaliae Monasterio, Thomas Muentzerus, Johannes Leydensis et alii ejus farinae vel potius furfuris complures, quorum historiam late describunt Sleidanus lib. 10. commentar. Antonius Corvinus in historica relatione de Monasteriensium obsidione, Fridericus Staphylus in epit. theol. Luther. et Lambertus Hortensius Montfortius de tumult. Anabapt. Durante obsidione librum ediderunt sub titulo *Restitutionis totius mundi*, in quo tempus ac cursum seculorum omnem in tres partes dividunt, *ac primum quidem mundum inde ab Adam usque ad Noahum inundatione periisse; alterum, in quo nos hodie versamur, igni periturum; tertium plane novum esse futurum, in quo justitia regnet. Prius vero quam hic postremus illucescat, eum, qui nunc sit, oportere per ignem expurgari, sed id non ante futurum, quam sit revelatus Antichristus et illius oppressa plane potentia, tunc demum fore, ut collapsa sedes Davidis erigatur et Christus regnum suum in terris obtineat et prophetarum omnium scripta compleantur; praesentem vero mundum esse velut aetatem Esau, nam et in eo silere justitiam et pios affligi, sed ut a captivitate Babylonica, sic etiam nunc a tantis aerumnis adesse tempus liberationis ac restitutionis, et futurum, ut impiis cumulate rependantur illorum scelera, sicut in Apocalypsi denuntiatum sit, hanc autem restitutionem antecedere futurum seculum, ut impiis omnibus oppressis justitiae velut domicilium ac sedes adornetur.*

04. 72. 6. A recentioribus Judaeis et Anabaptistis contagium hujus erroris promanavit ad *Antitrinitarios et Arianos*, qui Judaeorum vitula in pervertendis Scripturae dictis libenter arant. Johannes Erasmi Arianus in libro contra Tyraeum Jesuitam disputat, *regnum papae in his terris eversum iri a magnis ecclesiae testibus et doctoribus*, puta Arianis, et ex Apocalypsi suspicatur, *pios ac coelestis doctrinae studiosos tunc iterum colligendos esse in ovile sub fidis pastoribus, ubi annorum Antichristianorum meta ad ultimum suum terminum pervenerit*, quod anno 1588. futurum speravit. *Interim*, inquit, *non desinunt afflictiones piorum ante sabbatismum septimi millenarii ac beatum initium regni mille annorum* etc. *sentio, septimi mundi millenarium pertinere ad quietem ecclesiae, quando celebrabitur coena nuptiarum Agni, quando sabbatismus erit. Haec felicitas septimi millenarii tum septenis diebus et annis, tum etiam septem tubarum, sigillorum et phialarum numero renuntiatur; sed septimo millenario ac regno Christi finito exorietur beatissima lux aeterni regni Dei, quod erit extra temporis mensuram* etc. *Aevum, quod est sine initio, ab omni aeternitate coalescet cum aevo post absolutum gaudium regni Christi. Inter haec duo aeva, quorum illud initio, hoc fine caret, interjacet mundus, h. e. spatium septem millenariorum, et in eo* dicit *consistere eminentiam regni Dei super regna mundi et Christi. Ecclesiae sua tranquillitas constare non potest nisi deletis Antichristis, ideo proxime huic quieti praemittenda finalis destructio omnium hostium, a quibus pax ecclesiae hactenus fuit interturbata. Tunc piorum erit sanctissimus consensus in una fide ac cognitione veri Dei, sublata erunt intestina dissidia, mali et impostores separabuntur a piis, ut nulli sint in ecclesia seductores, quod non erat in ecclesia apostolica, in qua colluvies quaedam erat bonorum et malorum, ideoque tot scandala, tot sectae in ea exstiterunt* etc. Et postea: *Tunc Christus clarissime conspicietur in templo Dei, hoc est in ecclesia Dei, Christo autem recte cognito Deus quoque, utpote cujus gloria in Christi facie lucet, rectissime cognoscetur et quidquid ad Christianam religionem pertinet, mire simul illustrabitur, exoriente hoc sole Jesu Christo.*

73. 7. Arianorum et Anabaptistarum affines sunt *Photiniani*, qui ut in divinitate Christi neganda, ita quoque in chiliastico regno stabiliendo eum illis amice conspirant. Quamvis enim tum Valentinus Schmalcius in lib. de divin. Christi cap. 15. p. 95. edit. Racov. anno 1608. tum Faustus Socinus in miscellan. p. 50. Chiliastas refellant, inter quos Socinus scribit, *nullo pacto sibi probari sententiam de futuro ejusmodi Christi regno*, *sed se credere, illam esse falsam, absurdam et perniciosam* p. 51. *seque aperte videre, eam pugnare cum perpetuo consensu, qui in scriptis prophetarum et apostolorum deprehendatur* pag. 56. addit tamen ex mente suorum, *quos pietatis studiosos* vocat p. 50. *et vitam plane spiritualem degere, aut certe degere perpetuo studere* testatur p. 69. *istud regnum Christi corporale futurum esse in terra, et quidem in ipsa Judaea super Judaicum populum Hierosolymis, postquam Dei nutu ac providentia urbs illa in ea provincia eodem loco, ubi antea erat, instaurata fuit* p. 51. quod ipsum etiam olim Cerinthum sensisse ostendimus superius.

74. 8. Circa annum Christi 1578. quidam *Nathanaël Aelianus* librum edidit, quem inscripsit *Mattan Ia*, in eo negat, *statim post secundum Christi adventum secuturum judicium, sed prius fore Christi in terris regnum;* addit, *symbolum apostolicum* XX. 105.
non posse eas scripturas, quibus suam opinionem se confirmare putat, evertere, denique judicandi verbum illic non proprie sumi, sed metaphorice pro regnare, ut in libro Judicum apud Hebraeos judices significabant reges. Ibidem *Christi regnum non in coelis sed in terris futurum, quo ii, qui in hac vita propter Christum opes et vitam amiserunt, redivivi centuplum recipient, quo Christus suos ab*

oppressione et servitute gentilium liberabit. Post extremum judicium nullum amplius Christi regnum fore, sed morte de medio sublata omne imperium Patri tradendum esse, Scripturam Christo in coelis, non in terris regnum promittere. 9. David Georgius, Hollandus, haereticus pestilentissimus, inter reliqua paradoxa, quae in historia Basiliensi de ipsius vita et morte commemorantur, etiam hoc proposuit, *se esse verum illum Davidem a Deo missum, ut extremis hisce temporibus regnum Israëlis restitueret Jacobique tabernaculum instauraret, se esse regem et Christum, Patris coelestis filium, in quo se oblectet Pater, natum non ex carne, sed ex Spiritu sancto et Spiritu Christi Jesu, qui Spiritus Christi, carne ejus in nihilum redacta, quodam in loco sanctis omnibus ignoto hactenus servatus nunc Davidi Georgio totus quasi traditus sit atque in ejus animam infusus, se igitur esse eum, qui domum Israëlis verosque Levi filios, nimirum eos, qui dogmata ipsius suscipiunt eumque sequuntur, una cum verbo Dei tabernaculo sit Spiritu instauraturus, non cruce, rebus adversis aut morte, quemadmodum ille alter Christus, sed clementia et spiritus Christi amore et gratia* etc. Ex illius schola dubio procul prodierunt illi, quorum meminit Cornelius Jansenius episcopus Gandavensis in conc. evang. cap. 123. p. 842. qui in Belgio *se esse Christum regem Sionis* mentiti fuere, quibus nec signa nec prodigia defuerunt, per quae hominibus imposuerunt.

75. 10. Hujus Davidis Georgii soboles sunt nostri *Methistae, novi Enthusiastae, Ezechielis Methi,* qui se *Eliam Sionis* vocat, asseclae, quorum quidam anno 1616. nostram hanc Jenensem academiam turbabant, sed Dei praepotentis gratia et professorum pia diligentia ad saniorem mentem tandem reducebantur. Illi praeter errores alios complures, a veteribus haereticis mutuatos, utpote *quod Filius Dei carnem suam e coelo secum attulerit, non autem ex Maria virgine assumserit, quod regeneratio fiat per veteris substantiae abolitionem, quod Spiritus sanctus non detur per praedicationem evangelii, sed duntaxat excitetur, cum jam ante in corde hominis eum habitare oporteat, quod per ministerium illorum, qui non ipsimet habent Spiritum sanctum, non conferatur Spiritus sanctus,* quamvis pure ac sincere doceant, *quod Scriptura sit litera mortua, quod homo justificetur formaliter per essentialem Dei justitiam inhabitantem, quod regeneratio non possit fieri per baptismum aquae* etc. Chiliastarum somnia magna ex parte amplectebantur. *Tria* enim statuebant *secula* juxta numerum trium in divinitate personarum. Primum tribuebant *Patri*, quod coepisse dicebant *in promulgatione protevangelii;* secundum *Filio*, quod coepisse arbitrabantur in *ipsius incarnatione et adventu;* tertium *Spiritui sancto*, cujus seculi initium *hoc nostro tempore* futurum idemque per *mille annos* secuturum suspicabantur. Primum vocabant *vetus*, secundum *novum*, tertium *novissimum testamentum,* in cujus limine se versari gloriabantur. Inde porro inferebant, *distinguendum esse inter renovatos primi, secundi ac tertii seculi. In primo seculo,* dicebant, *regeneratio non potuit* XX. 106.
externis sensibus deprehendi, quia externus homo in renatis hujus seculi fuit fortior interno; in secundo seculo homo internus fuit fortior externo, nondum tamen homo externus plene fuit abolitus in secundi seculi renatis; in tertio autem seculo plane abolendum in renatis dicebant *hominem externum, unde renatos illius seculi* negabant *ulterius peccare posse, nec* dubitabant *respectu perfectioris regenerationis in tertio illo seculo ipsis prophetis et apostolis sese anteferre, quippe quibus nondum obtigerit illa Spiritus sancti mensura ac plena regenerationis perfectio.* Vide disputat. tres novis illis fanaticis oppositas. 11. Anno Christi 1592. *Franciscus Puccius,* Florentinus, homo fanaticus, librum edidit sub titulo *de Christi Servatoris efficacitate in omnibus et singulis hominibus, quatenus homines sunt* etc. in quo una cum plurimorum aliorum errorum farragine etiam Chiliastarum defendit. *Dies,* inquit, *seu tempus judicii divini multa complectitur. Nam aliquot anni terentur in excoquendo et purgando mundo et in conflictu inter Christum et Antichristum eorumque nationes. Mille anni quinquies promittuntur pacato sanctorum regno, aliquod tempus quoque dabitur ultimo conatui Satanae, cui demum succedet resurrectio et judicium mortalium omnium et status ille consistens et quietus creaturarum, in quem nulla pugna aut mutatio cadet.* Ibid.: *In primis diebus septimi angeli clangentis promittitur illustrissima victoria de Satana et Antichristo, quibus conjectis et conclusis in abyssi carcerem incipiet regnum illud mille annorum, in quo summa potestas divinarum humanarumque rerum erit penes immortales pontifices et reges, sub quorum judicio et gubernatione sanctissima florebunt omnes virtutes et exsulabunt omnia vitia et fluent aurea illa ecclesiae secula, quae prophetae, apostoli ac Sibyllae passim promittunt ac describunt, quo tempore elapso fiet resurrectio singulorum hominum.* Huic scripto Puccii piam et eruditam refutationem opposuit Lucas Osiander theologus Wirtenbergensis editam Tubingae an. 1593. 12. Cramerus theologus eximius, amicus noster et frater honorandus part. 2. de regno Christi cap. 4. p. 310. meminit cujusdam *commentatoris in Apocalypsin,* qui novum et subtilem quendam chiliasmum de regno evangelico excogitavit. Statuit enim, *futuram esse omnimodam Antichristi utriusque tum Turcici, tum Romani πανωλεθρίαν ante mundi finem, ecclesiam futuram esse et oecumenicam et catholice evangelicam deletis omnibus haeresibus, cessantibus omnibus persecutionibus, pressuris, bellis, tyrannide, idque per mille annos, hoc est tempus bene longum sed Deo praecise notum, in quo regni evangelici statu tamen rejecit, quidquid Judaismum sapit, quidquid item politicum dominatum. Omnimodam etiam Satanae ligaturam, quoad privatum quemque, non admisit, corporalem Christi conversationem sustulit, corporalem item fidelium resuscitationem et*

judiciariam sanctorum administrationem, sed hanc opinionem in primo ovo, antequam excluderetur, suppressam esse adjicit. 13. *Paracelsus* pronuntiavit, *revolutis astris mundum debere ad primordium recurrere et in illo seculo futurum esse paradisum cum summa felicitate. Fratres Roseae crucis* itidem chiliastico somnio favent. *Nostro seculo*, inquiunt in confess. sua p. 70. *desinet omnis falsitas, servitus, mendacium, tenebrae.* Seculi divisionem paulo aliter quam Methistae instituunt. *Quaedam secula*, inquiunt p. 72. *auditu, rerum cognitione, sunt adepta, quaedam visu, alia odoratu, alia gustu; his succedet seculum elocutionis, cum mundus a so-*
XX. 107. *pore suo gravi evigilabit et obviam ibit novo soli orienti pedibus nudis, nudo capite, cum gaudio, tunc erit seculum praedicationis, quod seculum postea vocant sextam aetatem, i. e. regnum chiliasticum*, quod futuris adhuc temporibus, si ipsis credimus, in terra sperabimus. Ibidem generalem reformationem in politia, theologia et artibus circa annum Christi 1621. 1622. 1623. et novum regnum futurum concludunt, ac tessera ipsorum est *Jesus mihi omnia*, i. e. rex in millenaria felicitate et postea in aeternitate. In scripto cujusdam Dantiscani ad fratres Rosicrucios legimus *tres mundos seculi*, quorum primus est *innocentiae*, secundus *peccati*, tertius *regnum sanctorum* in novo paradiso revoluta; tres etiam gradus divinae sapientiae, quorum unus *terrenus*, alter *coelestis*, tertius *supercoelestis* etc. tertio mundo vel regno sanctorum millenario tribuit *novam religionem, novam politiam, novam philosophiam, novam medicinam.*

76. 14. Quidam ex Pontificiis chiliasmo plus aequo accedunt. Editus est Landshutae in Bavaria typis Johannis Wissenburgeri anno 1524. liber ab auctore Pontificiae religioni addicto, conscriptus anno 1519. sub titulo *Onus ecclesiae*, in quo chiliastica opinio iterum in lucem revocatur, quia c. 62. et seqq. *triplex Christi adventus* statuitur et his verbis explicatur: *Primus Christi adventus fuit in carnem, quando homo factus mundo apparuit; secundus erit in virtute et efficacia spirituali ad interficiendum Antichristum magnum et ecclesiam reformandam; tertius quando in majestate sua juxta consummationem seculi ad judicandum mundum veniet. Primus fuit in sexta mundi aetate ad judicandam veterem synagogam; secundus erit juxta finem sexti status mundi ad judicandum Antichristum magnum; tertius erit in fine septimi status mundi et ultimi millenarii, nam septem mundi status et septem millenarios facit, quando veniet ad judicandum orbem.* De primo adventu intelligit illud Petri: *Tu es Filius Dei, qui venisti in hunc mundum;* de secundo illud, ubi quaerunt discipuli: *Quod signum adventus tui?* de tertio illud, quod additur ibidem, *et consummationis seculi?* Primi adventus praecursores remotos dicit fuisse *prophetas*, proximum *Johannem Baptistam;* secundi adventus praecursores facit *Bernhardum, Franciscum, Dominicum* ac similes, sed remotiores, proximos vero *Enoch et Eliam.* De hoc adventu intelligit vaticinia Esa. 11, v. 4. Jer. 23, v. 5. Dan. 7, v. 13. Matth. 10, v. 23. 1. Cor. 15, v. 24. adeoque omnia, in quibus de propinquo Christi adventu ab apostolis mentio fieri videtur. Statum illius septimi millenarii sic describit: *Post occisum Antichristum et regnum ejus abolitum pax dabitur ecclesiae et Satan rursus alligabitur, pii primas obtinebunt super terram et quiete agent, Judaei ad Christum per Enoch et Eliam convertentur*, quo accommodat vaticinia Esa. 2, v. 2. cap. 35, v. 10. Jer. 30, v. 8. cap. 31, v. 34. Apoc. 8, v. 1. cap. 18, v. 1. etc. Quietissimum illum ac felicissimum ecclesiae statum per mille annos duraturum existimat usque ad persecutionem gentium Gog et Magog, quas *Antichristi caudam* facit. Gentes vero illas exponit *de decem tribubus, quas Salmanassar rex Assyriorum trans flumen transtulit in terram alienam, quas in novissimo tempore Dominus reducturus sit juxta vaticinium in lib. 4.* Esdr. c. 13, v. 40. *tunc* dicit, *rursus solvendum esse Satanam ac persecutionem fore maximam, quamquam brevi duraturam*, quo accommodat vaticinia Apoc. 12, v. 12. c. 17, v. 12. *Post devictas tandem gen-* XX. 108.
tes Gog et occisos decem reges juxta finem ultimi millenarii totum mundum ante finale judicium putat *ad Christum convertendum et in summa pace acturum*, quo adducit dictum Joh. 10, v. 16: *Erit unum ovile et pastor unus*, itemque descriptionem novae Hierosolymae Apoc. 21. et 22. In hoc etiam statu putat *Satanam prorsus rejiciendum, non tantum ligandum, ut antea*, juxta dicta Ezech. 28, v. 16. Joh. 12, v. 31. Apoc. 20, v. 10. quem statum dicit *duraturum usque ad finale judicium per Christum celebrandum, cujus praecursorem* facit *Johannem Evangelistam.* Haec omnia auctor illius libri a cap. 61. usque ad finem. Neve quis excipiat, hanc fuisse opinionem privatam a reliquis Pontificiis damnatam ac eo in libro multa antipapistica contineri, notamus, librum illum in Bavaria cum approbatione superiorum esse editum. Conferri etiam monemus ea, quae Pontificii de statu mundi post futuram renovationem disputant, in quibus quaedam carnalia et chiliastica, quin et Cerinthiana corporalium voluptatum seminaria haberi, nemo inficias ire poterit, vide §. 28. Cumprimis vero observetur, qualem describant ecclesiae in terris statum post Antichristum interfectum. Tradunt enim, tempus illud, quod inter miraculosam ab Antichristo reportatam victoriam et Christi judicis adventum intercedit, *Christianos in summa laetitia, quiete, abundantia et gratiarum actione perpetua esse traducturos.* Viega in Apoc. p. 765. Josephus a Costa lib. 2. de novissim. cap. 17. p. 560. Schopperus de Antichr. p. 53.

77. 15. Ex *Calvinianis* Piscator Herbornensis disputat in comm. c. 20. Apoc. *solos martyres ante universalem hominum resurrectionem esse resurrecturos et mille annis cum Christo in coelo regnaturos, deinde vero reliquos homines ex morte in vitam revocandos.* Parum etiam abest a chiliasticis

opinionibus, quod Antichristum Romanum armis corporalibus debellandum et postea quietissimum ecclesiae statum successurum putant, cum Scriptura *spiritu oris Christi ipsum interficiendum* ac demum ultimo Christi adventu penitus delendum esse praedixerit, 2. Thess. 2, v. 8. non ergo *manu humana* sive multitudine exercitus exstirpabitur, sed manu et potentia Dei, sive verbo potentiae, quia spiritus oris Christi significat ipsum verbum cum efficacia Spiritus sancti conjunctum, sicut etiam Esa. 11, v. 4. *virga oris et spiritus labiorum* appellatur, quod *verbum est gladius spiritualis* Ephes. 6, v. 17. Hebr. 4, v. 12. quo Antichristus hactenus feliciter oppugnatus et regnum ejus in multorum cordibus expugnatum, corporalibus vero armis parum fuisse profectum experientiae testimonio comprobatum exstat. Mornaeus in praefat. myst. iniquit. ad Britanniae regem Jacobum: *Antichristum calamo tam feliciter confixisti, quidni propediem ultore gladio gloriose eum transfixurus? Venatio illa tanto munerario orbi exhibenda belluae illius apocalypticae, quae sane regia indagine, regiis plagis, venabulo demum tuo sola jam digna* etc. *Apage rex magne calamos. Alios mores haec aetas postulat, aliis posthac telis opus. Novus nobis prodeat ex Britannia Constantinus Maxentium Pharaonem alterum in ponte Milvio calcaturus, pessumdaturus* etc. *Romam intrepidus nunquam frustra tentatam recta ducat. Quis ad ipsum tubarum clangorem subsessuros colles, procubituros muros, molem adeo ipsam dubitet? At pergat ille judiciorum Dei exactor rigidus, Jovem Capitolinum de sede nunquam reponendum excussis fulminibus exturbet, Babylo-*
XX. 109. *nem ipsam refuso Tiberi, restagnante ipso Averno, nunquam emersuram molae instar demergat.* In praefat. ad ecclesiae Romanae sectatores eidem operi praefixa circ. fin.: *Vos reges tamdiu inebriati, quid circumspicitis? quin Omnipotentis consilium haud irritum impletum accurritis? quin belluam illam desolatam et nudam facitis carne devorata, igni comburitis?* Confer Paraeum in cap. 19. Apocal. cumprimis vero Jacobi Brocardi mysticam et propheticam in librum Geneseos interpretationem editam Lugduni anno 1593. in qua multa chiliastica occurrunt.

78. 16. Beato nostro Luthero chiliasmi maculam affricare conantur Pontificii quidam scriptores, Fevardentius in comm. 2. epist. Petri et Jodocus Coccius lib. 10. thesauri art. 9. p. 1155. propterea quod in colloquiis mensalibus statum vitae aeternae per *carnales voluptates et delicias* describere videatur. Sic enim loquitur in mensal. coll. f. 454: *Deus novam terram creabit et novum coelum, quin et nova creabit animalcula et catellos, quorum cutis erit aurea et pili de lapidibus pretiosis, non devorabunt se mutuo animalia, ut sunt bufones, serpentes et id genus alia, quae hic venenata sunt et nocere solent propter originale peccatum. Tum vero nobis non solum innocua erunt, sed et amicabilia et grata, ut cum iis animi causa lusuri simus.* Et paulo ante: *Ibi formicae, ciniphes et omnia foetida et male olentia animalia merae deliciae erunt et optimum odorem spirabunt.* Respondemus: 1) Lutherus non de *regno quodam chiliastico* Christi judicis adventum et universalem mortuorum resurrectionem antecessuro, sed de *regno gloriae* in vita aeterna et statu piorum in futuro seculo loquitur. 2) Statum illum describit verbis *parabolicis*, *symbolicis ac hyperbolicis*, quae non sunt proprie et *κατὰ ῥητόν*, sed similitudinarie ac mystice accipienda. Sic in comm. 1. Cor. 15. dicit, *futurum in altera vita, ut coelum, si velis, merum aurum pluat, gemmis fluat, arborum folia sint argentea, gramina et flores agri smaragdos referant.* 3) Ipse Spiritus sanctus ejusmodi symbolicis ac parabolicis coelestis gloriae descriptionibus utitur Apoc. 21, v. 22. ut ex corporeis ad incorporea, ex visibilibus ad invisibilia nos deducat.

79. Ceterum ex his, quae de Chiliastarum tribu satis ampla diximus hactenus, liquido apparet, non esse eandem omnium de hoc regno chiliastico spem et opinionem. 1. Quidam enim *chiliasmum subtilem* in pace ecclesiae, perfecta justitia, quiete a tentationibus, fidei orthodoxae conformitate universali etc. consistentem; quidam vero *chiliasmum crassum* in corporalibus deliciis ac voluptatibus fluitantem propugnant. 2. Quidam regnum illud *ante resurrectionem*, quidam *post resurrectionem* inchoatum iri sperant, nisi dissidentes illas opiniones hoc distinctionis foedere conciliare velimus, quod inchoandum sit post resurrectionem sanctorum, vel certe martyrum, et ante resurrectionem universalem omnium hominum. 3. Quidam opiniones suas proferunt ut *probabiles* et futuro eventui totum negotium suspensi ac dubii permittunt; quidam vero eas ut *apodicticas* demonstrationes cum credendi necessitate ecclesiae obtrudere satagunt. 4. Quidam de chiliastico et phantastico illo regno disputant *θεωρητικῶς* in scholis ac libris; quidam vero illud promovere nituntur *πρακτικῶς*, sicut Anabaptistae Monasterienses, qui omnes magistratus impios e medio tollendos esse docuerunt, ut pacatissimum illud regnum sequi XX. 110.
posset. 5. Quidam *in genere* tradunt, regnum illud Christi in his terris esse instituendum; quidam vero *in specie* terram Canaan designant, in quam etiam Judaeos reducendos sperant. 6. Quidam *tempus durationis* hujus regni soli Deo exacte notum esse dicunt; quidam vero praecise *millenarium* annorum ei assignant. 7. Quidam *omnes pios* et sanctos prius resuscitandos sperant, ut regni hujus consortes fiant, Judaei *solos Israëlitas*, Piscator *solos martyres;* quidam illos denuo ante judicium extremum dicunt morituros; quidam vero eos perpetuo cum Christo victuros esse sperant. 8. Quidam ex *sacris literis*, quidam ex *Sibyllarum oraculis*, quidam ex *traditionibus apostolicis*, quidam ex *libris apocryphis*, maxime ex 4. libro Esdrae, de hoc regno disputant. Sic ergo in qualitate, tempore et subditis hujus regni ac modo et principiis disputandi de hoc regno patroni ejus inter se non satis conveniunt.

rgumenta contra hiliastarum opinionem. 1. Opinio est γραφος.

80. Nos chiliasticae opinioni, quocunque tandem minio pingatur ac quacunque cerussa obducatur, larvam detrahendam esse censemus ac proinde sequenti argumento generali eam impugnamus. Quaecunque opinio est 1. ἄγραφος, 2. ἀντίγραφος, repugnans Scripturae et 3. experientiae, ea merito repudianda. Talis vero est chiliastica opinio a nobis hactenus descripta. Ergo. Quod ἄγραφος sit, patet ex primo ejus in ecclesia auctore. Papias Hierapolitanus episcopus *ad traditiones apostolicas* ejus originem revocabat, sed verisimile est, *Cerinthi impura dogmata* sub ementito apostolicarum traditionum praetextu ipsi fuisse instillata, neque enim ullo modo probabile fieri potest, apostolos alia viva voce tradidisse, alia vero literis mandasse. Constat ex 2. Thess. 2, v. 2. inter media probandi, quibus seductores Thessalonicensibus persuadere voluerunt, diem Domini instare, fuisse etiam τὸν λόγον, i. e. praetextum traditionis apostolicae; eodem argumento in palliandis erroribus etiam alios fuisse usos, dubium nullum. Irenaeus scriptor antiquissimus ea, quae de translatione animarum piarum *in paradisum terrestrem* disserit, *ab apostolorum discipulis per traditionem se accepisse* asserit lib. 5. adv. haer. cap. 7. p. 322. at nemo negare potest, traditionem illam Scripturis sacris adversari, qua de re annotabo ingenuam confessionem Pererii in Gen. lib. 3. cap. 2. q. 5: *Irenaeus affirmat, se quod de paradiso tradit, a presbyteris Asiae, discipulis apostolorum, accepisse. Sed quid tum postea? an ideo quodcunque ab istis presbyteris proditum tanquam certum et indubitatum doctrinae Christianae dogma haberi debet? nonne constat, illos ipsos presbyteros eodem referente Irenaeo quaedam falsa et divinis literis contraria docuisse?* Idem judicium esto de traditione apostolica, ad quam Papias provocavit. Scriptura enim nuspiam testatur, *ante diem novissimum tam beatam millenarii alicujus tranquillitatem et pacatissimum ecclesiae in terris statum adhuc esse exspectandum, in quo Christus regnum aliquod terrenum inchoaturus et cum suis in hoc mundo abolito peccato, morte et omnibus malis suavissime et quietissime regnaturus sit.* Quaecunque vero pro stabilienda illa opinione ex Scripturae prophetiis afferuntur, ea vel de primo Christi adventu in carnem, vel de statu ecclesiae Novi Testamenti in genere, vel de gloria coelesti triumphantis ecclesiae
XX. 111. in vita aeterna demum exspectanda loquuntur ac proinde ἀπροσδιονύσως καὶ ἀπαιδεύτως ad chiliastica somnia confirmanda adhibentur.

2. Est ἀντίγραφος, uod probatur 1. x regni Christi onditione.

81. Quod sit ἀντίγραφος, probamus rationibus ex Scriptura petitis. 1. *A regni Christi conditione.* Regnum Christi in sacris literis describitur ut *spirituale et aeternum*, non autem ut *corporale et terrenum.* Ergo Chiliastae frustra sperant, Christum per mille annos terrenum aliquod regnum esse administraturum. Antecedens probatur ex illis *Scripturae dictis*, 1) quae expresse negant, *regnum Christi esse terrenum et mundanum.* Christus de ratione et constitutione regni sui a Pilato quaesitus negat, illud esse ἐντεῦθεν et ἐκ τοῦ κόσμου τούτου Joh. 18, v. 36. quod testimonium Christi Paulus vocat τὴν καλὴν ὁμολογίαν 1. Tim. 6, v. 13. inde quaesitus ad regnum terrenum capessendum *fugit in montem* Joh. 6, v. 15. 2) Quae contra illud *spirituale, coeleste et aeternum* esse testantur. Psalm. 45, v. 7: *Sedes tua Deus in seculum seculi.* Psalm. 72, v. 5: *Timebunt te cum sole et ante lunam in generatione generationum.* Psalm. 89, v. 30: *Ponam in seculum seculi semen ejus et thronum ejus sicut dies coeli.* Esa. 9, v. 6: *Pater aeternus princeps futuri seculi,* v. 7. *corroborabit regnum a modo usque in sempiternum.* Dan. 2, v. 44: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur, ipsum stabit in aeternum.* cap. 7, v. 14: *Potestas ejus potestas aeterna, quae non aufeтetur, et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Luc. 1, v. 33: *Regnabit in domo Jacob in aeternum et regni ejus non erit finis.* 2. Tim. 4, v. 18: *Liberabit me Dominus εἰς βασιλείαν ἐπουράνιον*, unde Christus post suam adscensionem dicitur *consedisse ad Dei dextram in excelsis* Hebr. 1, v. 3. *in coelestibus* Eph. 1, v. 20. *in coelis* Hebr. 8, v. 1. 3) Quae regnum Christi describunt, ex illa enim descriptione evidenter colligi potest, illud non terrenum et corporale, sed aeternum et spirituale esse. Regnum Christi sic describitur, quod sit internum, in cordibus hominum locum habens, quodque gloria et splendor ejus ab oculis hominum sit remotus. Psalm. 45. multa de regno Messiae admodum bellicosa et speciosa praedicuntur, sed mox additur v. 7. *omnis gloria filiae regis ab intus*, at qualis ornatus filiae regis, talis etiam ornatus hujus regni, videlicet internus, ab externo rerum mundanarum splendore longissime distinctus. Luc. 17, v. 20: *Regnum Dei*, et sic etiam regnum Christi, *non venit cum observatione*, sed v. 21. *ecce regnum Dei intra vos est.* Col. 3, v. 3: *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*, v. 4. *cum autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria.* Hebr. 2, v. 8: *Nondum videmus ei omnia esse subjecta.* 1. Joh. 3, v. 2: *Filii Dei sumus, sed nondum apparuit, quid futuri simus.* Describitur Christi regnum ut catholicum et universale, per universum terrarum orbem se extendens, quod de mundano ac terreno aliquo regno dici nequit. Psalm. 2, v. 8: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.* Psalm. 22, v. 28: *Adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium.* Psalm. 72, v. 8: *Dominabitur a mari usque ad mare, a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Esa. 49, v. 6: *Dedi te in salutem gentium, ut sit salus mea usque ad extremum terrae.* Dan. 2, v. 35: *Lapis, qui percusserat statuam, factus est mons magnus et implevit universam terram.* Zach. 9, v. 10: *Potestas ejus a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad fines terrae.* cap. 14, v. 3: *Ruptura oliveti extendit se ad omnes mundi cardines.* Rex ipse describitur ut *pauper* Zach. 9, v. 9.

XX. 112. quae qualitas regibus mundanis minime competit nec sponte ab eis assumitur, quod tamen a Christo factum 2. Cor. 8, v. 9; ut *pacem locuturus gentibus* Zach. 9, v. 10. at reges mundani non verbis sed armis pacem procurant; ut *justitiae doctor et salvator* Esa. 63, v. 1. ut *mitis, mansuetus ac pacificus;* Esa. 42, v. 2: *non clamabit, nec attollet vocem*, v. 3. *calamum quassatum non conteret*, v. 4. *non erit tristis nec turbulentus, donec ponat in terra judicium* etc.; Daniel. 7, v. 13. coronatur non a dynastis terrenis sed ab *antiquo dierum*, i. e. a Patre coelesti, ad quem adducitur non in curru aureo vel eburneo, sed *in nubibus coeli*, a quo etiam accipit non terrenam et egenam, sed *aeternam potestatem et regnum perpetuo duraturum.* Beneficia hujus regni sunt spiritualia et coelestia. Jer. 23, v. 5. cap. 33, v. 14: *Suscitabo Davidi germen justum, in diebus illis salvabitur Juda, et hoc est nomen, quod vocabunt eum Jehovah, justitia nostra.* Zach. 9, v. 9: *Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator*, v. 11. *in sanguine testamenti educis vinctos de lacu, in quo non est aqua.* Huc referenda sunt omnia Scripturae dicta, quae de spirituali redemtione ab hoc rege exspectanda loquuntur, quod *contriturus sit caput infernalis serpentis* Gen. 3, v. 15. quod *benedictionem allaturus* Gen. 22, v. 18. quod *iniquitates expiaturus et perfectam justitiam adducturus sit* Dan. 9, v. 24. etc. 4) Quae regnum Christi a terrenis et mundanis regnis diserte distinguunt. Esa. 9, v. 6: *Principatus ejus super humeros ejus.* Matth. 20, v. 25: *Reges gentium dominantur, vos non sic;* v. 28. *sicut et Filius hominis non venit, ut sibi ministraretur, sed ut ministraret.* Joh. 18, v. 36: *Si ex mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ne traderer Judaeis*, unde etiam Petrum ab usu gladii revocat Matth. 26, v. 52. *Arma militiae nostrae non sunt carnalia*, inquit apostolus 2. Cor. 10, v. 4. Non est, quod excipiant, *haec omnia de primo duntaxat Christi in carnem adventu esse accipienda*, quia principium in eo petunt, quod in secundo Christi adventu terrenum et corporale aliquod regnum in hoc mundo inchoatum iri arbitrantur; Scripturae dicta, quae de qualitate regni Christi loquuntur, sunt immotae ac perpetuae veritatis, nec ullibi in Scripturis asseritur, quod Christus aliud quoddam regnum in terris sit inchoaturus, sed quod in secundo adventu pios ex omnibus malis liberatos in plenariam coelestis regni possessionem introducturus sit. Certe si Christus e coelis in terras corporaliter esset descensurus, cum piis visibiliter conversaturus et per mille annos in omni deliciarum genere cum ipsis versaturus, regnum Christi desineret esse coeleste et aeternum ac inciperet esse corporale, terrenum et transitorium, sicque qualitas illa, quam velut ἴδιον πάθος Christi regno prophetae et apostoli assignant, mutaretur. Adde quod Scriptura de Christi regno non pluraliter sed singulariter ubique loquatur, Psalm. 45, v. 7. 1. Cor. 15, v. 24. etc. distinguitur quidem ratione modi et objecti in regnum *potentiae, gratiae et gloriae*, interim *ratione essentiae* ac *ratione sui* manet unum regnum. Atqui si praeter spirituale et aeternum regnum Christo tribueretur chiliasticum aliquod regnum per mille annos in terris administrandum, non amplius esset unum, sed geminum ἀντιδιῃρημένως sibi invicem oppositum; unum enim esset *temporale*, alterum vero *aeternum;* unum *spirituale*, alterum *corporeum;* unum *universale*, alterum vero ad *certa loca, tempora et personas restrictum.*

82. 2. *Ex piorum in his terris constitutione.* XX. 113. 2. Ex piorum in his terris conditione.
Sors et status piorum in his terris ita describitur in sacris literis, ut opinationes et imaginationes pacatissimi et felicissimi cujusdam regni prorsus excludat. Job. 7, v. 1: *Militia est vita hominis super terram.* Psalm. 34, v. 20: *Multae tribulationes justorum.* Sir. 2, v. 1: *Accedens ad Dei servitium praepara animam ad tentationem.* Matth. 5, v. 4: *Beati, qui lugent*, v. 10. *beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam;* v. 11. *beati estis, cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me;* v. 12. *gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa* (non in terra, sed) *in coelo.* Joh. 16, v. 33: *In mundo pressuram habetis.* Act. 14, v. 22: *Per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum coelorum.* Rom. 8, v. 17: *Coheredes Christi sumus, si tamen compatimur.* 1. Cor. 4, v. 11: *Usque in hunc diem et esurimus et sitimus et nudi sumus et colaphis caedimur et instabiles sumus* etc. 2. Tim. 3, v. 12: *Omnes qui pie volunt vivere, in Christo Jesu persecutionem patientur.* Hebr. 12, v. 6: *Quem Dominus diligit, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit.* v. 8. *Si extra disciplinam estis, cujus participes sunt omnes, nothi estis et non filii.* Hujus generis praedictiones ac descriptiones in Scripturis occurrunt longe plurimae, adeo ut non immerito quis dixerit, totam Scripturam nihil aliud esse quam perpetuam consolationem piis sub cruce in hac vita ingemiscentibus propositam. Christus et apostoli non promiserunt piis *carnales in mundo delicias*, sed contra potius per contemtum voluptatum carnis ac per patientiam et tolerantiam adversitatum ad regnum coelorum contendendum esse docuerunt Matth. 16, v. 24. Luc. 14, v. 26. Rom. 5, v. 3. c. 6, v. 4. c. 8, v. 5. Tit. 2, v. 12. 1. Petr. 1, v. 6. Hebr. 10, v. 36. etc. Atqui si chiliasticum aliquod regnum in terris esset sperandum, tales piorum descriptiones in eo non possent habere locum. Non est, quod excipiant, *tales praedictiones duntaxat pertinere ad tempus hujus vitae, chiliasticum illud regnum antecessurum*, quia *zizania tritico intermixta* erunt usque ad *tempus messis*, id est usque ad seculi consummationem Matth. 13, v. 30. ac militans Christi ecclesia sic describitur, quod usque ad consummationem seculi variis tribulationibus futura sit obnoxia, Matth. 24, v. 13: *Qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit;* quamdiu durabit hoc seculum, tamdiu etiam durabit perse-

cutorum violentia et piorum patientia. Calamitates piorum non nisi in hujus vitae fine finem accipiunt, Apoc. 2, v. 10: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae*, unde *spes* duntaxat salutis piis in hac vita promittitur, *res* vero futurae vitae reservatur Rom. 8, v. 24. 2. Cor. 5, v. 7. In vita aeterna demum peccatum et omnes peccati poenae, mors et omnia mala penitus abolebuntur 2. Petr. 3, v. 13. 1. Cor. 15, v. 54. Apoc. 21, v. 4; in hac vero vita renatis cum peccato, Satana, mundo, morte et variis adversitatibus adhuc colluctandum teste universa Scriptura. Huc pertinent *parabolae Salvatoris*, quae ostendunt mixtionem bonorum et malorum in ecclesia permansuram usque ad diem judicii et consummationem seculi, Matth. 13, v. 30. 39. 49. c. 25, v. 32. Atqui si mille annis ante seculi consummationem ecclesia meris deliciis ac voluptatibus, exstinctis omnibus impiis, in sperato illo regno chiliastico esset perfruitura, quomodo permixtio bonorum et malorum usque ad consummationem seculi
. 114. permaneret? quomodo ecclesia sub cruce gemeret usque ad mundi finem? quomodo pii per totam vitam sub pressuris essent constituti? Breviter, chiliasticum regnum aut ad praesens, aut ad futurum seculum pertinet. Prius dici nequit, quia descriptio ejus non convenit cum piorum in hoc seculo conditione; posterius itidem dici nequit, quia futurum seculum non mille annorum termino includitur, sed est aeternum et interminatum. Si excipere velint, *millenarium illum quietissimum esse intermedium quendam statum inter seculum praesens et futurum*, opponimus illis immediatam oppositionem inter *praesens et futurum seculum*, quae cogitationem de statu quodam intermedio prorsus excludit, Matth. 12, v. 32.

diei ssimi opinione. 83. 3. *A diei novissimi appropinquatione.* Si mille anni, quibus Christus in terris cum suis in omni bonorum abundantia dicitur regnaturus, nondum sunt inchoati, nedum finiti, sequitur, ultra mille annos nostra tempora a die judicii et consummatione seculi adhuc distare. Ratio connexionis est manifesta, quia ante judicii diem chiliasticum illud regnum adhuc inchoandum et finiendum esse statuunt. Consequens repugnat tum *dictis Scripturae*, quae mundi finem *in propinquo* esse testantur, 1. Cor. 10, v. 11. 1. Petr. 4, v. 7. Jac. 5, v. 8. 1. Joh. 2, v. 18. Apoc. 6, v. 11. tum *signis illis*, quae mundi finem proxime antecessura a Christo et apostolis sunt praedicta, Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. 1. Thess. 5. 2. Thess. 2. 1. Tim. 4. 2. Petr. 2. quorum pleraque vel jamdum impleta, vel in ipsius complementi ἀκμῇ versantur. Confer ea, quae in praecedenti tractatu de illis signis dicta, ut et Chunmannum Flinspachium in tractat. de conjecturis extremorum temporum, Philippum Nicolai lib. 2. de regno Christi et alios, qui prudentem nostrorum temporum collationem cum Christi et apostolorum de fine seculi vaticiniis instituerunt. Non est, quod excipiant, *mille annos coram Deo esse sicut diem unum* Psalm. 90, v. 4. 2. Petr. 3, v. 8. *ac proinde veritati vaticiniorum de fine seculi proxime instante per hypothesin chiliastici regni nihil decedere*, quia propinquitas illa non aestimatur respectu aeterni *Dei*, sed respectu *nostri*, ut colligitur ex dicto Christi Matth. 24, v. 32: *Ab arbore fici discite parabolam, cum jam ramus ejus fuerit tener et folia nata, scitis, quia in propinquo est aestas;* v. 33. *ita et vos, cum videritis haec omnia, scitote, quia prope est in januis.* Quando ficus protrudit folia et grossos, in propinquo adest aestas, sic praesentibus signis a Christo praedictis finis mundi proxime instat. Quamvis ergo respectu signorum e longinquo finem mundi antecedentium exceptio illa locum habere possit, tamen respectu propinquorum, immediatorum ac proximorum signorum non potest admitti. Adde quod ex illis ipsis signis a Christo et apostolis in Scriptura praedictis evidenter colligatur, statum novissimorum temporum fore longe miserrimum, invalituram omnis generis impietatem et securitatem, pressuras et angustias ad summum usque gradum perventuras, ut in praec. tract. §. 88. fuit demonstratum. At si ante mundi finem tam pacatus et quietus in terris status, qualem Chiliastae nobis describunt; esset sperandus, quomodo tristissimae illae querelae ac praedictiones veritatis robur obtinerent? Sicut diluvium immediate praecessit projecta hominum malitia, sicut Israëlitarum ex Aegypto liberationem antecesserunt graves pressurae, sicut partum antegrediuntur ὠδῖνες; XX. 115.
ita consummationem seculi pressurae gentium, anxietates cordium, antichristianae persecutiones, extrema hominum securitas ac totius naturae gemitus, non autem chiliasticum aliquod regnum, in quo deletis impiis justitia, tranquillitas et omnium rerum copia vigeat, antecedet. Vanum proinde est suavibus somniis de beato quodam in his terris millenario adhuc exspectando sese oblectare, ac longe consultius ad Christi adventum proxime instantem et judicium extremum brevi secuturum vera poenitentia, fide, precibus, studio pietatis ac patientia sese praeparare.

84. 4. *Ex substantiali mundi interitu ac destructione.* In secundo Christi adventu *coelum et terra transibunt et a facie sedentis super thronum ita fugient, ut locus illis non amplius inveniatur* Apoc. 20, v. 11. *Quando videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute multa, coelum et terra transibunt* Matth. 24, v. 30. et 35. quando *dies Domini adveniet*, id est quando Dominus e coelo adveniet, tunc *coeli magno impetu transibunt* 2. Petr. 3, v. 10. Transibunt autem non per renovationem ac qualitatum immutationem, sed per substantialem abolitionem, ut paulo ante demonstravimus. Ergo Christus post suum e coelis reditum non regnabit in terra mille annis, alias enim terra deberet superstes manere. Non est, quod excipiant, *distinguendum esse inter adventum Christi ad regnum millenarium et ad judicium extremum, in posteriore demum adventu coelum ac terram esse abolenda.* Scriptura enim non nisi unicum

4. Ex substantiali mundi interitu ac destructione.

Christi e coelis adventum in nubibus exspectandum describit, cum quo mortuorum resurrectionem, extremi judicii administrationem, piorum glorificationem et impiorum damnationem immediate conjungit, ut postea demonstrabitur. Hoc loco expendimus emphasin dicti apostolici 1. Cor. 15, v. 23: *Quando illi, qui sunt Christi, in adventu ejus excitabuntur,* v. 24. *erit deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et omnem potestatem et virtutem.* In adventu Christi erit finis non spiritualis *et coelestis ipsius regni*, illud enim aeternum esse superius ostendimus, sed *hujus seculi*, utique ergo Christus in suo adventu non inchoabit terrenum aliquod in hoc seculo regnum. Christus in suo adventu tradet regnum Deo et Patri. Ergo non inchoabit demum novum aliquod regnum. Christus in suo adventu evacuabit omnem principatum et omnem potestatem, puta terrenam. Ergo non instituet inter suos terrenum et corporale quoddam regnum.

5. Ex immediata novissimorum connexione.

85. 5. *Ex immediata adventus Christi connexione cum universali omnium hominum resurrectione, judicii extremi administratione, hujus seculi consummatione, novi coeli ac terrae creatione, piorum in occursum Christi obviatione, piorum coelestibus praemiis et impiorum aeternis suppliciis.* Si in die novissimo demum pii *in Christo mortui* ad beatam vitam sunt resuscitandi, utique ante illum non revocabuntur ad hanc vitam, ut mille annis cum Christo in terris regnent. Sed verum prius, ut constat ex dictis Joh. 6, v. 39. 40. 44: *Resuscitabo eum in die novissimo.* c. 11, v. 24: *Resurget in resurrectione in die novissimo.* Quomodo vero dies resurrectionis esset novissimus, si post eum non
XX. 116. solum aliquot dies, sed etiam mille anni sequerentur? 1. Thess. 4, v. 16: *Ipse Dominus in jussu et voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* At haec tuba erit novissima, post quam non audietur alia, per quam reliqui homines excitentur et ad judicium congregentur, 1. Cor. 15, v. 52. Manet ergo etiam posterius. Si Christus in secundo suo adventu judicium statim instituet, utique post adventum suum non regnabit mille annis in terris. Ratio connexionis est, quia ante judicium chiliasticum illud regnum institutum iri sperant. Sed verum prius, ut colligitur ex processu judiciali Matth. 25, v. 31: *Cum venerit Filius hominis, congregabuntur ante eum omnes gentes.* Ergo et posterius. Si in Christi e coelis reditu pii defuncti e mortuis excitati ac vivi superstites rapientur in nubibus in occursum Domini in aëra, ut semper sint cum Domino; utique Christus non descendet in terram, ut in ea per mille annos cum piis regnet, aliud enim est, pios ad Christum in coelos subvehi, aliud vero, Christum ad pios in terras descendere. Sed verum prius, ut patet ex disertis verbis apostoli 1. Thess. 4, v. 17. Ergo. Si cum secundo Christi adventu praesentis coeli ac terrae abolitio et novi coeli ac terrae creatio erit immediate conjuncta, utique post illum adventum Christus non regnabit cum piis in priore terra. Sed verum prius, Esa. 66, v. 15: *Ecce Dominus in igne veniet.* v. 22. *Sicut coeli novi et terra nova, quos ego facio* etc. 2. Petr. 3, v. 12: *In adventu Domini coeli igne succensi solventur,* v. 13. *exspectamus autem coelos novos ac terram novam.* Apoc. 21, v. 1: *Vidi coelum novum et terram novam, primum enim coelum et prima terra abiit.* Ergo. Si Christus in secundo suo adventu pios statim ad se in coelum recipiet, impios autem in infernum detrudet, utique non inchoabit terrenum aliquod in hoc seculo regnum. Sed verum prius, Matth. 25, v. 31: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua,* v. 34. *dicet his, qui a dextris sunt: Venite benedicti Patris mei.* Joh. 14, v. 3: *Iterum veniam et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis.* 2. Thess. 1, v. 7. 8. 9. et 10. cum revelatione Domini de coelo piorum glorificatio et impiorum aeterna damnatio immediate connectuntur. 2. Tim. 4, v. 1: *Testificor coram Deo et Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos per adventum ejus et per regnum ejus.* Ergo non elapsis ab adventu mille annis sed in ipso adventu.

6. Ex simultanea resurrectionis assertione.

86. 6. *Ex simultaneae omnium hominum resurrectionis assertione.* Scriptura testatur, in secundo Christi adventu *omnes homines*, tam impios quam pios, esse *uno eodemque tempore*, imo hora, imo momento resurrecturos. Dan. 12, v. 2: *Quidam resurgent ad vitam, quidam ad judicium.* Joh. 5, v. 28: *Qui in monumentis sunt, audiunt vocem Filii hominis* v. 29. *et procedent quidam ad resurrectionem vitae, quidam ad resurrectionem judicii.* 1. Cor. 15, v. 24. post piorum resurrectionem apostolus non meminit alterius cujusdam universalis resurrectionis, sed *finis* sive consummationis seculi. Sed Chiliastae contra fingunt, *solos fideles primum resurrecturos et quidem mille annis ante universalem omnium hominum resurrectionem ac seculi hujus consummationem.* Piscator de solis martyribus id statuit.

7. Ex piorum in vitam revocatorum descriptione. XX. 117.

87. 7. *Ex piorum in vitam revocatorum et praemiorum illis reddendorum descriptione.* Pii ex mortuis in vitam revocati dicuntur futuri ἰσάγγελοι Matth. 22, v. 30. Marc. 12, v. 25. Luc. 20, v. 36. et *vitae aeternae heredes* Dan. 12, v. 2. Matth. 25, v. 46. *possidentes regnum paratum ipsis a constitutione mundi* Matth. 25, v. 34. illud vero regnum *non est cibus ac potus*, vel aliae deliciae terrenae ac corporeae, sed *justitia, pax et gaudium in Spiritu sancto* Roman. 14, v. 17. unde etiam de piis ex morte suscitatis dicitur, *quod non sint nuptui tradendi vel elocandi* Matth. 22, v. 30. quod satiandi sint non cibis corporeis, sed *Dei conspectu* Psalm. 17, v. ult. *Agnus in medio throni deducet illos ad vivos fontes aquarum* Apoc. 7, v. 17. Praemia, quae tum ipsorum animabus a corporibus solutis, tum ipsis in vitam revocatis ex gratia promittuntur, non sunt corporalia, terrestria, temporalia ac finem habitura, neque in terris speranda, sed spiritualia, coelestia et aeterna in coelis conferenda. Matth. 5,

v. 12: ***Merces vestra copiosa erit in coelis.*** 2. Cor. 4, v. 18: *Quae videntur, temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna.* Phil. 3, v. 20: *Πολίτευμα nostrum in coelis est, unde Salvatorem exspectamus.* 1. Petr. 1, v. 4: *Hereditas incorruptibilis et incontaminata et immarcescibilis reservatur in coelis.* Apoc. 3, v. 12: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei et foras non egredietur amplius* etc. cap. 11, v. 15: *Factum est regnum hujus mundi Domini nostri et Christi ejus, et regnabit in secula seculorum* etc. Quemadmodum igitur terrenae deliciae repugnant statui coelesti et naturae angelicae, ita quoque repugnant conditioni piorum e morte ad vitam aeternam excitatorum. Corpora eorum in ipsa statim resurrectione erunt spiritualia 1. Cor. 15, v. 47. ergo etiam gaudium, quo perfruentur, erit spirituale. Status ipsorum erit coelestis. Ergo etiam praemia ipsorum erunt coelestia. Confer Feurbornium in append. disputat. Philippo Caesari oppositae.

Dicta patrum.

88. Ex *patribus* chiliastico regno semper aliqui contradixerunt. **Adversus Chiliastas scripsit olim Gennadius presbyter Massiliensis, ut testatur Johannes Trithemius in suo libro de ecclesiasticis scriptoribus: *Quo utinam frui liceret, magnum quidem, ut opinor, nobis adjutorium praefuisset.* Alphonsus de Castro lib. 3. adv. haeres. verbo Beatitudo, haeres. 2.** De Dionysio Alexandrino Hieronymus lib. 18. in Esaiam commemorat, *quod elegantem scripserit librum, in quo irrisit mille annorum fabulam et auream atque gemmatam in terris Hierusalem* etc. Ipse Hieronymus vocat *Judaicas fabulas*, ut superius monuimus. Epiphanius haeres. 28. p. 91. et Philastrius haeres. 59. p. 26. haereticis accensent *Chilionetitas*, idem facit Augustinus haeres. 8. p. 15. Damasus episcopus Romanus in synodo Romana anno 373. habita *Chiliastarum* errorem damnavit. Augustinus lib. de eccles. dogmatib. c. 55. et ex eo Gennadius Massiliensis lib. de dogmat. eccles. c. 54. ac Rabanus Maurus lib. 4. de universo c. 10: *In divinis repromissionibus nihil terrenum, nihil transitorium exspectemus, sicut Meletiani sperant, non nuptiarum copulam, sicut Cerinthus et Marcion delirant, non quod ad cibum vel potum pertinet, sicut Papia auctore Irenaeus et Tertullianus et Lactantius acquiescunt; neque per mille annos post resurrectionem regnum Christi in terra futurum et sanctos cum illo in deliciis regnaturos speremus, sicut Nepos docuit, qui primam justorum et secundam impiorum resurrectionem confinxit, et inter has duas*
XX. 118. *mortuorum resurrectiones gentes, ignorantes Deum, in angulis terrarum in carne reservandas, quae post mille annos regni in terra justorum instigante diabolo movendae sunt ad pugnam contra justos regnantes et Domino pro justis pugnante imbre igneo compescendas atque ita mortuos cum ceteris in impietate mortuis ad aeterna supplicia incorruptibili carne resuscitandos.* Possunt autem huc referri dicta patrum, 1. in quibus negant, Christi regnum esse terrenum et mundanum; 2. in quibus resurrectionem, extremum judicium et piorum glorificationem cum secundo Christi adventu immediate conjungunt; 3. in quibus statum piorum post resurrectionem ut coelestem ac spiritualem describunt; 4. in quibus negant, quietem et immunitatem ab adversis in hoc seculo piis obtingere. Dionysius Areopagita lib. de div. nominib. c. 1: *Tunc quando immortales incorruptibilesque facti erimus et ad imaginem Christi beatissima dignati requie, semper cum Domino erimus visibili quidem ipsius divina praesentia castissime contemplando fruentes, lucidissimis nos circumfulgente luminibus, non secus ac discipulos in sacratissima illa transfiguratione sua. Porro spiritualis ipsius et intelligibilis lucis* (*mente perturbatione omni et materia libera*) *participes facti ejus, qui sensum omnem superat, unionis lucidissimorum radiorum incognitis ac beatissimis jactibus erimus supercoelestes spiritus.* Origenes homil. 5. in Psalm. 36: *Spes futurae repromissionis et gratiae et hereditatis talis futura, ut os justorum non cibis et potu, neque deliciis et voluptatibus, non vescendo epulis, sed meditando sapientiam repleatur.* Gregorius Nyssenus orat. 1. de pauper. amand.: *Quando spoliis illius assidue fluentis carnis exuti immortalitatem induerimus, vitam ingrediemur beatam, nullum finem habituram, nullis malis obnoxiam, in summis et admirandis, quaeque hic a nobis comprehendi non possunt, versantem gaudiis et voluptatibus.* Damascenus lib. 2. orth. fidei c. 1: *Post resurrectionem non constabit suus tempori dierum noctiumque numerus, verum unus potius vesperae expers dies erit, sole nempe justitiae probis hominibus splendide ac laete illucente, peccatoribus contra una nox sempiterna.* Theophylactus in c. 18. Joh.: *Non est de mundo regnum Christi, sed supernum et ante secula, et non hinc, h. e. ex terrenis, constitutum, sed hic quidem imperat et regit, non autem est hinc, neque constitutum ex illis inferioribus.*

Argumenta Chiliastarum. 1. Ex Scripturis. 1. Ex V. T.

89. *Argumenta*, quibus Chiliastae utuntur, in sex distribui possunt classes, 1. quaedam petita sunt *ex vaticiniis propheticis et apostolicis Veteris ac Novi Testamenti*, 2. quaedam ex libris apocryphis, 3. quaedam ex Sibyllinis oraculis, 4. quaedam ex *traditionibus ἀγράφοις*, 5. quaedam ex *poëtarum carminibus*, 6. quaedam ex *ratiocinatione*. Ad prophetica vaticinia provocant Tertullianus et Lactantius, sed diversimode. Lactantius in genere dicit lib. 7. instit. c. 25: *Haec sunt, quae a prophetis futura dicuntur, quorum testimonia et verba ponere opus non esse duxi, quoniam esset infinitum, nec tantam rerum multitudinem mensura libri caperet, tam multis uno spiritu similia dicentibus, simulque ne fastidium legentibus fieret, si ex omnibus collecta et translata congererem.* Tertullianus vero lib. 3. contra Marcion. c. 24. quaedam *in specie* adducit. *Civitatem illam*, inquit, *novit Ezechiel c. 40. eandem praedixerunt prophetae fidei Christianae ante exhibitionem ejus in signum fidei de ea praedicantes. Si Abrahae semen primum debet esse instar*

XX. 119. *arenae Gen. 22, v. 17. c. 32, v. 12. deinde instar stellarum Gen. 15, v. 5. erit seculum prius millenarium, postea aeternitas coelestis. Benedictio Jacobi est de rore coeli et opimitate terrae Gen. 27, v. 28. ergo primum invitamur ad coelestia, postea aeternam felicitatem in millenario consecuturi. Idem probatur benedictione Esavi Gen. 27, v. 39: In pinguedine terrae et rore coeli desuper erit habitatio tua*, quod sic exponit Tertullianus: *Judaeorum dispositio a terrenis bonis imbuta per legem postea ad coelestia credendo per evangelium deducitur. Ergo antecedit paradisus secularis, sequitur aeterna gloria.* Eodem applicat somnium Jacobi de porta coeli Gen. 28, v. 17. *Portam coeli non nominasset, si coelum non aditur apud creatorem, ut per mundum secundum peccati adeatur mundus millenarius et inde adscendatur coelum.* Amos 9, v. 6: *Aedificat in coelo adscensum suum* vel coenaculum suum *et tabernaculum super terram fundavit. Aedificat non sibi soli sed et suis, qui cum illo erunt. Ergo in terra est felicitas millenaria, inde translatio in coelum aeternitatis.* Adducit etiam haec dicta prophetica Esa. 49, v. 18: *Omnibus his velut ornamento vestieris et circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Esa. 60, v. 8: *Qui sunt isti, qui velut nubes volant et quasi columbae ad fenestras suas?* v. 9. *adducam filios tuos e longinquo, argentum eorum et aurum eorum;* v. 10. *aedificabunt filii peregrinorum muros tuos et reges eorum ministrabunt tibi;* v. 11. *aperientur portae eorum jugiter.* Dan. 7, v. 13: *Ecce cum nubibus coeli quasi filius hominis veniebat.* Zach. 5, v. 9: *Levavi oculos et vidi, ecce duae mulieres egredientes et ecce quasi spiritus in alis earum.* Recentiores Chiliastae complura cumulant dicta. Esa. 2, v. 2: *In novissimis diebus mons domus Domini in vertice montium et gentes ad eum fluent* etc. cap. 11, v. 6: *Habitabit lupus cum agno et pardus cum hoedo* etc. cap. 25, v. 6: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in hoc monte convivium pinguium* etc. cap. 30, v. 26: *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.* cap. 35, v. 9: *Non erit ibi leo et rapax bestia non adscendet per eam;* v. 10. *redemti a Domino venient in Sion et revertentur cum jubilatione.* cap. 60, v. 13: *Ecce servi mei comedent, ecce servi mei laetabuntur et jubilabunt prae exsultatione cordis.* v. 19. *Exsultabo in Hierusalem et gaudebo in populo meo.* cap. 66, v. 23: *Erit mensis ex mense, sabbatum ex sabbato, veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea.* Jer. 30, v. 8: *Conteram jugum ejus de collo tuo et vinculum ejus disrumpam, et non servient in eo alienis,* v. 9. *sed servient Domino Deo suo et David regi suo, quem suscitabo eis.* cap. 31, v. 34: *Non docebit ultra vir proximum suum, omnes enim cognoscent me.* Esech. 36, v. 10: *Multiplicabo in vobis homines omnemque domum Israël, et habitabuntur civitates et ruinosa instaurabuntur, et replebo vos hominibus et jumentis* etc.

90. Ad haec et similia dicta *in genere* respondemus: 1. Prophetica vaticinia, quae de beneficiis corporalibus, videlicet de *multiplicatione posteritatis, introductione in terram Canaan, liberatione ex captivitate Babylonica* etc. loquuntur, prudenter discernenda sunt ab illis, quae de beneficiis spiritualibus, videlicet *de vocatione gentium per praedicationem evangelii* in Novo Testamento et *communicatione coelestis gloriae in vita aeterna* agunt. Prioris generis vaticinia jamdudum sunt completa, ideo eorum complementum frustra in Novo Testamento exspectatur. 2. Per comparationem posteritatis Abrahae cum *arena maris et stellis coeli* unum idemque denotatur, videlicet miranda dilatatio et multiplicatio seminis Abrahae, cujus promissionis complemen- XX. 12
tum describitur 1. Reg. 4, v. 20. Esa. 10, v. 22. cumprimis vero multitudo spiritualis seminis Abrahae, i. e. credentium ex Judaeis et gentibus per evangelium ad regnum Messiae vocatis, quomodo illam promissionem esse accipiendam colligitur ex Esa. 48, v. 19. Ose. 1, v. 10. Rom. 4, v. 18. c. 9, v. 27. 3. Benedictio *de rore coeli et pinguedine terrae* in sensu literali fertilitatem, in sensu synecdochico ac spirituali omnis generis beneficia corporalia ac spiritualia, nequaquam vero millenarii cujusdam imaginariam felicitatem complectitur. 4. Quaedam prophetarum vaticinia, cumprimis historica ac didactica, tam *generalia*, quae ad omnes homines, quam *specialia*, quae ad certum aliquem populum pertinent, accipienda sunt ῥητῶς καὶ ἱστορικῶς, ut quando Esaias dicit, *virginem esse concepturam ac parituram Immanuelem*, quando praecursorem Messiae vocat *vocem clamantis in deserto*, quando *passionem et mortem Messiae* praedicit; quaedam vero μυστικῶς, τυπικῶς, συμβολικῶς καὶ ἀλληγορικῶς, ad quam posteriorem classem pertinent, quae de statu ecclesiae militantis in Novo Testamento ac statu ecclesiae triumphantis in coelis metaphoricis verbis agunt. 5. In illis enim si quis τῷ ῥητῷ nimis arcte adhaerescere velit, statuere cogetur, *terrenam Hierosolymam iterum exaedificandam, Israëlitas ex omnibus gentibus ad eam congregandos, sacrificia corporalia et externa denuo offerenda, adeoque Leviticum Veteris Testamenti cultum esse reducendum*, cujus contrarium suo loco demonstravimus. 6. Repetenda igitur hoc loco regula, *quemadmodum prophetae cultum Novi Testamenti describunt verbis ad legalem Veteris Testamenti cultum proprie pertinentibus et ex eo desumtis; ita quoque regnum Christi spirituale depingunt vocabulis rerum terrenarum ex statu ecclesiae sub Veteri Testamento usitato petitis*, quae proinde typice ac metaphorice sunt explicanda. *Quemadmodum apostoli verbis hujus seculi describunt res futuri seculi, ita prophetae verbis Veteris Testamenti describunt res Novi Testamenti.* 7. Cum regnum Christi, quod in ecclesia administrat, duplex sit, videlicet *gratiae et gloriae*, ideo prophetae utriusque descriptionem saepius conjungunt, proinde cum beneficia Christi passione ac merito parta piis in hac vita obtingant *inchoative*, in futura vita *consummative*, ideo quaedam prophe-

tarum de beneficiis et regno Christi beneficia intelligenda sunt de statu ecclesiae in hac vita per inchoationem, de statu autem ecclesiae in futura vita per complementum. 8. Moyses est fons et oceanus prophetarum, ex quo omnium reliquorum de Messiae beneficiis vaticinia velut rivuli quidam promanant. Quaecunque igitur apud prophetas de Christi regno et beneficiis occurrunt, ea ex protevangelica illa promissione Gen. 3, v. 15. *semen mulieris conteret caput serpentis*, explicanda sunt et aestimanda. Jam vero *conterere caput serpentis* infernalis est beneficium spirituale complectens liberationem a peccato, destructionem regni Satanae et mortis, reparationem justitiae amissae etc. Ergo etiam reliqua, quae de beneficiis Messiae apud prophetas occurrunt, vaticinia spiritualiter sunt explicanda. Sic Messias dicitur *regnaturus in Sion*, scilicet spirituali, id est in ecclesia, *conquassaturus capita inimicorum*, scilicet spiritualium, *confracturus currus et equos*, scilicet spiritualiter, *pugnaturus sagittis et armis*, scilicet spiritualibus, *gesturus sceptrum*, scilicet spirituale, *reducturus Israëlitas ex captivitate*, scilicet spirituali. 9. Ipsimet prophetae vaticiniis suis quaedam inspergunt, ex quibus reliquorum ex-
X. 121. plicatio desumenda. Sic in Psalm. 45. multa de Messiae regno verbis ex mundani et terreni cujusdam regni constitutione petitis disseruntur, sed tandem additur v. 14. *omnis gloria filiae regis ab intus*. Ezech. 40. proponitur ecclesiae restitutio et regni Christi propagatio sub figura novi aedificii, templi et urbis sanctae, sed v. 2. explicationis loco praemittitur: *In visionibus Dei adduxit me in terram Israël et dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi aedificium civitatis vergentis ad austrum.* Ex quo colligitur, non agi de restauratione terrenae civitatis Hierosolymae, quippe quae respectu montis Sion non ad austrum sed ad septentrionem fuit sita, ut patet ex Psalm. 48, v. 3. 10. Denique omnium optima vaticiniorum propheticorum interpretatio ex complemento in Novo Testamento descripto peti potest ac debet. Illud vero qualitatem regni Christi et verbis et factis liquido expressam ob oculos nobis ponit.

Esa. 65, secun- m dies i vitae. 91. Specialem explicationem meretur vaticinium illud propheticum, quod peculiariter pro chiliastico regno urget Justinus in dial. cum Tryph. p. 240. Esa. 65, v. 22: *Secundum dies ligni vitae dies populi mei erunt, opera laborum eorum multiplicabuntur. In his verbis*, inquit Justinus, *mille annos in mysterio arcane designari intelligimus. Ut enim Adae dictum est, quo die de ligno edisset, eo die moriturum etiam esse, scimus, illum mille annos non implevisse; novimus quoque, dictum illud, quod dies Domini sit sicut mille anni, huc pertinere.* Respondemus: 1. v. 17. praecedit: *Ecce ego creo coelos novos et terram novam*, quod 2. Petr. 3, v. 13. Apoc. 21, v. 1. ad statum ecclesiae triumphantis et coelestem beatorum patriam applicatur. 2. Loquitur igitur propheta de *spirituali*, non autem millenario quodam Christi regno, cujus beatitudo ac felicitas per ministerium evangelii in hac vita inchoatur, in futura autem erit perfectissima et consummata. 3. Diserte additur v. 18. *gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his, quae ego creo;* ergo felicitas illa, de qua propheta loquitur, non terminabitur mille annorum spatio, sed in omnem aeternitatem sese exporriget. 4. versu 20. habetur, quod *puer centum annorum moriturus et peccator centum annorum maledictus sit futurus*, hoc non potest ad regnum chiliasticum, quippe a quo mors et maledictio prorsus exsulant, applicari, explicandum igitur de pueris sive stultis, id est impiis, qui toto vitae tempore non didicerunt ea, quae ad salutem consequendam necessaria; illi *morientur et maledicti erunt*, id est morti aeternae tradentur et audient horribilem illam vocem, *discedite maledicti*, quod in novissimo die futurum testatur Christus Matth. 25, v. 41. Jam vero dies novissimus ex hypothesi adversantium chiliastico regno finem imponet. 5. Quod v. 21. subjungitur, *aedificabunt domos et habitabunt in eis, plantabunt vineas et comedent fructus earum;* v. 22. *non aedificabunt domos, et alius inhabitabit, non plantabunt vineas, et alius comedet fructus*, illud non potest κατὰ ῥητόν accipi, quia in futuro seculo nec domus aedificabuntur, nec vineae plantabuntur, explicandum igitur μυστικῶς καὶ συμβολικῶς hoc sensu, quod omnium rerum, quae pios oblectare possint, copia et affluentia ipsis praesto sit futura, quod maledictio Dei prorsus sit auferenda, quia divinae maledictionis, quam Deus peccatoribus interminatur Deut. 28. pars quaedam est, quod in hac vita quidam aedificant domos, nec tamen eas inhabitant, quod vineas plan- IX. 122.
tant, nec tamen fructibus earum vescentur. 6. Quod dies populi sancti dicuntur futuri *ut dies ligni*, illud nunquam finiendam istius felicitatis possessionem παραβολικῶς indicat. Per lignum enim συνεκδοχικῶς intelligitur lignum praestantissimum *cedrinum*, quod cariem minime sentit, sed perpetuo durat. Justinus septuaginta interpretum versionem secutus addit verbum *vitae*, ut videatur respectus haberi ad *arborem vitae* in paradiso, sed in Hebraeo textu illud non habetur. 7. Fundamentum, quo Justini ratiocinatio nititur, est admodum lubricum. Adae praedictum erat eo die eum moriturum, quo de fructibus arboris vetitae manducavit, unde millenarium annorum in hac vita non complevit. Ergo quia piis promittuntur hoc loco dies *secundum dies ligni vitae*, in mundano quodam regno per mille annos vivent. Atqui in Hebraeo habetur numerus pluralis כִּימֵי, *secundum dies ligni*, qui non satis congruit conjecturae, quod uni diei respondeant mille anni. Quid si per inversionem procederemus hoc modo? Adamus, quia contra Dei mandatum ex arbore vetita comedit, aeternae morti per hanc transgressionem factus est obnoxius. Ergo pii beneficio Messiae, secundi Adami, aeternae vitae, non autem millenarii cujusdam regni participes redduntur.

92. Ex Novo Testamento potissimum haec vati- 2. Ex N. T.
cinia proferunt. 1. Matth. 26, v. 29. Marc. 14, v. 1. Matth. 26, v. 29.

Non bibam de genimine vitis.

25: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usque ad diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Luc. 22, v. 16: *Non manducabo ex eo, donec impleatur in regno Dei;* v. 18. *non bibam de genimine vitis, donec regnum Dei veniat.* Respondemus: Christus expresse addit, se illud bibiturum *novum*, id est novo ac peculiari modo, ergo non potest de vulgari cibo ac potu vel de communi manducatione ac bibitione accipi. Quia vero *regnum Dei* diversimode in Scripturis accipitur, tum pro *regno gratiae* in hac vita, tum pro *regno gloriae* in vita altera, inde diversae hujus loci apud veteres et recentiores commentatores occurrunt interpretationes. Euthymius in cap. 26. Matth. accipit de *regno futuri seculi*, ut sic metaphorica manducatio ac bibitio intelligatur, de qua apud Lucam v. 29. statim sequitur, *dispono vobis, sicut Pater mihi disposuit regnum*, v. 30. *ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Bibere enim vinum metaphorice accipitur pro convivari et esse hilarem, convivari pro frui coelestibus gaudiis. Assidere mensae Christi est participem fieri laetitiae et gloriae cum Christo in regno coelesti. Quidam per *regnum Dei* intelligunt tempus resurrectionem Christi insecutum, in quo Christus cum discipulis suis manducavit ac bibit Act. 10, v. 41. Quidam per *regnum Dei* accipiunt ecclesiam hoc sensu: non manducabo pascha typicum, donec impleatur a me in regno Dei, id est in ecclesia, impletum autem est pascha typicum, quando Christus eucharistiam instituit, ut loco sacramenti agni paschalis in ecclesia Novi Testamenti celebraretur, qua ratione particula *donec* erit exclusiva, significat enim Christum nunquam posthac pascha Judaicum velle celebrare, sed ejus antitypum eucharistiam instituere, quae in Novi Testamenti ecclesia illius vicem suppleat. Quaenam interpretatio reliquis anteferenda sit, in harmonia uberius dispicietur. 2. Joh. 10, v. 16: *Alias oves habeo, quas me adducere oportet, et erit ovile unum et pastor unus.* Respondemus: Non de millenarii cujusdam regni promissione, sed de gentium ad ecclesiae consortium per evangelii praedicationem vocatione Christus loquitur. Cum enim dixisset Matth. 15, v. 24. *se non esse missum nisi ad oves perditas domus Israël*, id est ministerium praedicationis in propria persona a se peragendum Israëlitico populo potissimum deberi Roman. 15, v. 8. ideo ne gentes a consortio regni et beneficiorum ejus penitus exclusae judicentur; addit hoc loco, *se adhuc alias habere oves, quae non sint ex hoc ovili*, puta gregis Israëlitici, illas vero per praedicationem apostolorum et internam Spiritus sancti efficaciam eidem conjunctam se velle ad ecclesiae ovile adducere, ut hac ratione ex Judaeis et gentibus in Novo Testamento una fiat ecclesia. Basilius homil. in Psalm. 28: *Dominus de Judaeorum atrio et ovili locutus dixit: Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, ostendens nimirum, et aliud quoddam ovile vere sanctum esse, in quod congregandae sint oves Christi, ii videlicet, qui ex gentibus ad salutem sunt praedestinati, hoc est ecclesiam hanc, in qua veri adoratores adorant in spiritu et veritate.* Gregorius homil. 14. in evang.: *Redemtionem nostram, qui ex gentili populo venimus, Dominus adspexerat, cum se adducere et alias oves dicebat. Hoc quotidie fieri, fratres, adspicitis, hoc reconciliatis gentibus factum hodie videtis. Hodie quasi ex duobus gregibus unum ovile efficit, quia Judaicum et gentilem populum in sua fide conjungit, Paulo attestante, qui ait, ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum. Dum enim ad aeternam vitam ex utraque natione simplices eligit, ad ovile proprium oves deducit.*

2. Joh. 10, v. 16. XX. 123. erit unum ovile.

3. Eph. 5, v. 5: *Nullus fornicator aut immundus aut avarus habet hereditatem in regno Christi et Dei. Ergo aliud est regnum Christi, scilicet millenarium, cujus finis erit in die novissimo* 1. Cor. 15, v. 24. *aliud vero regnum Dei, scilicet aeternum in vita futura.* Respondemus: Quidam putant, membrum posterius esse ἐξηγητικὸν prioris. In regno *Christi et Dei*, id est quod etiam est regnum Dei, quia Deus hoc regnum ipsi dedit et per Christum in regnum Dei traducimur, cum qua expositione fere consentit, quod quidam statuunt, esse idiotismum Hebraicum, quo *conjunctio copulativa* ponitur loco *pronominis relativi.* In regno Christi et Dei, id est qui est Deus. Similia exempla vide 1. Sam. 20, v. 2. Psalm. 118, v. 27. Esa. 39, v. 6. etc. Simplicissime respondetur, per *regnum Christi* intelligi *regnum gratiae* in hac vita, per *regnum Dei regnum gloriae* in futura vita, quia notorii peccatores non debent tolerari in ecclesia, sed excommunicari, nec habebunt ullum in coelesti gloria locum. Differt autem regnum Christi a regno Dei non οὐσιωδῶς sed οἰκονομικῶς, *non re sed rei modo*, quia *regnum Christi* significat formam regiminis, qua Deus ecclesiam suam in his terris per verbum et sacramenta colligit et adversus hostes tuetur; *regnum* autem *Dei* significat eam regiminis formam, qua devictis omnibus hostibus ecclesiam triumphantem in coelis Deus regit eique a facie ad faciem sese conspiciendum praebebit. De millenario autem quodam Christi regno altum in Scripturis est silentium. Confer ea, quae praeced. tractat. §. 112. diximus.

3. Ephes. 5, v. 5. ne fornicat. regno Chr. et Dei.

4. 1. Thess. 4, v. 17: *Nos, qui vivimus, rapiemur simul cum resuscitatis in nubibus obviam Domino in aëra et sic semper cum Domino erimus. Dominus autem prius veniet ad resuscitationem per millenarium, deinde ad regnum gloriae. Ergo primo cum eo erimus in terra, deinde in coelo.* Ita Tertullianus. Respondemus: est petitio principii. Scriptura unicum duntaxat novit Christi e coelo reditum, cum quo resuscitatio non piorum tantum sed omnium omnino hominum, judicii extremi administratio, piorum in nubibus in occursum Christi subvectio ac aeterna eorum in coelis glorificatio nexu immediato erunt conjuncta, ut vidimus superius.

4. 1. Thess. 4, v. 17. rapiemur obviam Domino XX. 124

93. Cumprimis vero ex Apocalypsi urgent, quod cap. 20, v. 2. *Satanas dicitur ligandus per mille annos*, ac v. 6. *sancti dicuntur cum Christo regna-*

5. Ex Apoc. 20. v. 6.

turi mille annis, in quo vaticinio propriam sedem chiliastici regni statuunt. Respondemus 1. *in genere.* 1) Graeca sive orientalis ecclesia de auctoritate hujus libri olim dubitavit, uti constat ex Eusebio lib. 3. hist. eccles. cap. 21. 22. et 36. lib. 7. cap. 24. Hieronymo epist. ad Dard. Amphilochio in jambis ad Seleucum, Junilio in quaestionibus cap. 4. Quamvis vero tum propter κριτήρια interna, tum propter antiquissimorum patrum Graecorum et Latinorum testimonia in praelect. de script. canon. enumerata librum hunc et canonicum et ab apostolo Johanne scriptum esse libenter agnoscamus, tamen cum in ecclesia primitiva de auctore hujus libri aliquando dubitatum fuerit, ideo ad secundi ordinis canonicos libros eum referimus, qua de re d. l. plenius actum fuit. 2) Proinde etiam a Chiliastis jure ac merito postulamus, ut talem hujus libri ac cumprimis controversi istius loci interpretationem proferant, quae cum reliquis canonicis scriptis minime pugnet, sed exactissime consentiat. 3) Prophetiae ante complementum non habent liquidam et certam expositionem, nisi ipsius Spiritus sancti illuminatio accedat, Jer. 23, v. 20. cap. 28, v. 9. Dan. 12, v. 4. Irenaeus lib. 4. adv. haeres. cap. 43. p. 277. nemo igitur vitio nobis vertere poterit, quod antequam accedat complementum, incertis Chiliastarum opinionibus fidem adhibere nolimus, praesertim quia non cum probandi libertate, sed cum credendi necessitate ecclesiae easdem obtrudunt. 4) Omnis prophetia sive interpretatio Scripturae debet esse *fidei analoga* Rom. 12, v. 7. Atqui chiliastica illa Apocalypseos interpretatio non est fidei analoga, ut patet ex fundamentis superius adductis. 2. *In specie.* Varias diversorum interpretum expositiones adduximus et expendimus in disput. 3. contra novos Fanaticos ann. 1616. instituta, ex qua illud unicum hic repetimus, quod maxime probabilis videatur illorum sententia, qui initium istorum mille annorum in *Constantini Magni* imperio constituunt, tunc enim Satanas, qui primis trecentis a Christo nato annis imperatores ethnicos et praesides Romanos ad horribiles Christianorum persecutiones impulerat, ligatus est, quia sub Constantino pax ecclesiae fuit data et persecutiones conquieverunt, nec potuerunt amplius gentes, de quibus praecipue Apocalypsis agit, idolomaniam suam tanta violentia et immanitate propagare. Juxta hanc hypothesin finis istorum mille annorum incidet in annum Christi 1300. circa quod tempus Satanas iterum solutus Ottomanicam familiam excitavit, sub quo *Gog et Magog*, id est imperium Turcicum, de quo v. 8 hujus capitis agitur, maximum acquisivit robur et gens illa Saracenica majori quam antea conatu adversus ecclesiam saeviit occupata maxima et florentissima orbis parte et tandem capta urbe Constantinopoli, quae fuit
XX. 125. Orientalis imperii sedes, ut hac ratione inter imperium Constantini, qui ab ecclesia persecutiones prohibuit, et Ottomani Turcici, qui ecclesiam gravissime afflixit, mille isti anni interjaceant. Et quia illam Satanae alligationem et ecclesiae quietem sub Constantino Magno demum secutam praecesserunt horribiles persecutiones ab ethnicis imperatoribus excitatae, in quibus aliquot millia Christianorum sunt occisa, ideo Johannes in visione sua introducit *animas istorum martyrum decollatorum sive occisorum*, (per speciem enim συνεκδοχικῶς et phrasi Hebraea significatur genus) *propter testimonium Jesu et propter verbum Dei*, id est propter constantem Christianae doctrinae confessionem, quarum felicitatem et gloriam consolationis ergo exponit. Illis conjungit animas *eorum, qui non adoraverunt bestiam et imaginem ejus, neque acceperunt characterem ejus in frontibus aut in manibus suis*, hoc est qui a papizantibus et mahumeturientibus haeresibus animas suas custodiverunt, Christo et ipsius verbo in fidei puritate ac simplicitate adhaerentes, quia Satana jam ligato, id est cessantibus externis illis persecutionibus, quas ecclesia a gentibus sustinuit, variae haereses utriusque Antichristi tam orientalis, quam occidentalis semina prodromi in ecclesiam sunt exortae. Ut enim *Pelagianismus* erroribus papalibus, sic *Arianismus* furoribus Mahumeticis incunabula praebuit. De his piorum martyrum et confessorum animabus (quibus etiam conjungi possunt animae eorum, qui soluto jam Satana in persecutionibus papisticis ac Turcicis interficiuntur) pronuntiat Johannes, primo quod *sedes judiciariae ipsis fuerint datae*, in signum scilicet judicii exercendi, secundo quod *vixerint* ac tertio quod *cum Christo mille annis regnaverint.* Judicium exercuerunt adversus persecutores suos, a quibus fuerunt interfecti. Ut enim sanguis piorum de terra ad coelum *clamat* et vindictam adversus effusores exposcit Gen. 4, v. 10. Hebr. 12, v. 24. sic etiam animae ipsorum in coelo *subter altari clamant* et vindictam sanguinis sui ac fratrum suorum exposcunt Apoc. 6, v. 9. Vixerunt in coelesti scilicet pace, tranquillitate et gloria. Tyranni indicabant, eos et anima et corpore exstingui Sap. 3, v. 2. sed Spiritus sanctus hoc loco et alibi passim in Scripturis testatur, quod statim a morte in coelesti gloria vivant. Denique *cum Christo regnarunt*, plene scilicet devictis omnibus hostibus, diabolo, carne, mundo et omnibus adversis. Neque ex particula *donec* inferre licet, finitis istis mille annis felicitatem illam sanctorum etiam fuisse finitam, quia ut habet regula Nazianzeni orat. 2. de filio p. 143. quam multis Scripturae exemplis confirmat Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 18. p. 5: *particulae usque, donec et similes non omnino ponuntur ad distinctionem futuri temporis, sed ponunt illae quidem quo usque, verum quod ab eo sequitur, non inficiantur.* Exempla habentur Gen. 28, v. 15. 1. Sam. 15, v. 35. 2. Sam. 6, v. ult. Psalm. 110, v. 1. Esa. 22, v. 14. cap. 42, v. 4. Matth. 28, v. 20. etc. Ideo vero nominatim exprimuntur *mille anni*, quia expletis illis memorabile quid ecclesiae accidit, quod scilicet Satana iterum soluto persecutionibus gravissimis denuo oppugnata fuerit. Confer disput. Feurbonii, amici nostri singularis, contra Philipp. Caesarem, quae habetur tom. 7. disput. Giess. et dictam disputationem nostram contra Fanaticos, (in qua etiam reliqua ora-

cula apocalyptica, quae pro chiliastico regno stabiliendo afferuntur, exposuimus) quam utramque magna
XX. 126. ex parte Affelmannus, amicus noster honorandus, in heptados quaestionum ann. 1618. in Acad. Rostoch. ad disputandum propositae quaestionem 6. redegit.

2. Ex libris apocryphis.
94. 2. *Ex libro 4. Esdrae* pro beato illo terreni cujusdam regni millenario a recentioribus multa afferuntur, sed respondemus: Quamvis Ambrosius in lib. de bono mortis quartum illum librum ab ipso Esdra *non sine divina revelatione editum ac Paulum apostolum in his, quae prope finem prioris epistolae ad Corinthios de diversis claritatis et gloriae electorum ordinibus scripserat, Esdrae sententiam secutum esse* asserat, et lib. 2. comment. in Luc. ex septimo illius libri capite prophetiam *de tempore adventus Christi ac mortis ejus deque futura mundi ad Christum conversione* alleget; quin et in epistola ad Horontianum, quae est in ordine 21. suadeat, *librum quartum Esdrae legendum esse, quia in ipso anima coelestis esse substantiae demonstretur et philosophorum nugae de ipsius substantia confutentur;* quamvis etiam Cyprianus multis ante Ambrosium annis ex hujus libri cap. 5. desumsisse videatur, quod in libr. adversus Demetrianum scribit, *mundum senescere et ad finem jam imminentem properare,* quo dubio procul respexit Genebrardus, quando lib. 2. chronol. anno mundi 1638. p. 90. eum inter *sacros et canonicos libros* recenset, ac Pistorius apostata, quando in motivis apostas. Badensis p. 34. Lutherum accusat, quod hunc librum ex bibliis avulserit; tamen indubitanter statuimus, librum illum esse *apocryphum,* 1. quia nec Hebraice, nec Graece scriptus invenitur; 2. in multis locis *redolet fabulas Judaicas,* teste Hieronymo in illius praefatione; 3. continet quaedam dogmata fidei analogiae minus congrua; cap. 4. dicit, *animas sanctorum detineri quibusdam abditis promtuariis in inferno, donec impleatur numerus omnium electorum veniatque supremi judicii dies, in qua omnes simul inde educentur*; cap. 5. eandem sententiam repetens assimilat ultimi judicii ac retributionis diem *coronae, in qua sicut neque primum est, neque postremum, sed simul omnia, ita in retributione aeternae felicitatis piarum animarum velocitas novissimarum tarditatem non praeveniet, sed omnes simul et eodem tempore exspectatam beatitudinem consequentur*; cap. 6. refert, *Deum quinta die inter celera animantia creasse duo maxima animalia, alterum Henoch, alterum Leviathan dicta, quorum immensas corporum moles, cum nec septima terrae pars simul associatas capere posset, Deum utrumque loco disjunxisse et Henochum collocasse in una ex septem partibus terrae, in qua sunt montes mille, Leviathan vero posuisse in altera ex septem partibus terrae, in qua sunt omnes aquae, quas Deus tertia die jussit congregari in locum unum, ubique ipsum aversare, ut ex eo paret cibum, quibus voluerit et quando voluerit,* quae fabula magnam cum nugis thalmudicis paulo superius recensitis cognationem habet; cap. 14. docens, quo tempore mundus finem sit habiturus, tradit, *adesse ultimam seculi senectutem ac finem mundanae durationis, cujus universum tempus divisum sit in duodecim partes, ex quibus cum jam praeterierint partes decem ac undecimae partis dimidium, nihil ultra superesse, nisi quod restat post dimidium undecimae, hoc est residuum undecimae partis cum parte duodecima omnium postrema.* At juxta hanc hypothesin mundi finis jamdudum adesse debuisset. 4. Quidam existimant, hunc librum esse *alterius Esdrae* ab illo, qui primi libri est
auctor, quoniam hic in principio hujus libri scribit, XX. 127.
se descendisse ab Aaron per decem et novem generationes, ille vero in cap. 7. libri sui scribit, *se progenitum ex Aaron per quindecim tantum generationes.* 5. Destituitur ecclesiae tum *Israëliticae,* tum *Christianae* testimonio. De Israëlitica ecclesia id ipsum manifeste constat ex Josepho lib. 1. contra Appionem; de Christiana ecclesia idem probatur ex concilio Laodiceno can. 59. Epiphanio lib. de mens. et ponderib. p. 534. Melitone apud Eusebium lib. 4. cap. 25. et aliis patribus, quorum testimonia numero plurima, pondere gravissima pro adstruenda nostra de canonicis et apocryphis libris sententia in praelect. de Scriptura adduximus. Hieronymus in praefat. inter *apocrypha tam obscuri auctoris, quam incertae auctoritatis scripta* hunc librum rejicit et quae in eo narrantur, *somnia ac fabulas* vocat; Lyranus eum *in canone non esse* admonet et in expositione prorsus praetermittit. 6. Saniores Pontificii, qui tamen ad libros apocryphos in canonem recipiendos alias admodum sunt proclives, ex canone eundem excludunt. Ludov. Vives in comm. libr. 18. de civit. Dei cap. 36: *Tertius et quartus libri Esdrae inter apocrypha rejiciuntur, quos Hieronymus vocat somnia;* Sixtus Senensis lib. 1. biblioth. sanct. sect. 3. p. 28: *Ex Cypriani et Ambrosii auctoritate accidisse arbitror, ut divinis Scripturis hic liber conjungeretur, quem postea diligentius perspectum communis fere omnium patrum consensus inter apocryphos habendum censuit, idque ut puto propter quaedam suspecta dogmata in ipso tradita, quae regulis orthodoxae fidei aperte contradicere videntur;* Martinus Delrio lib. 1. disquisit. magicar. cap. 5. q. 1. sect. 1. p. 60: *Liber Esdrae quartus apocryphus est*; Bellarminus lib. 1. de Christo cap. 20: *Quartus Esdrae liber sine dubio non est canonicus, cum a nullo concilio referatur in canonem et non inveniatur neque Hebraice, neque Graece, ac demum contineat* c. 6. *quaedam fabulosa de pisce Henoch et Leviathan, quos maria capere non poterant, quae rabbinorum talmudistarum somnia sunt* etc. Eadem est sententia Gregorii de Valentia, Costeri et aliorum.

95. 3. *Ex Sibyllinis oraculis* chiliasticum regnum 3. Ex oraculis Sibyllinis.
probat Lactantius lib. 7. instit. cap. 24. ubi hos Sibyllae versiculos adducit:

Κλῦτε δέ μου, μέροπες, βασιλεὺς αἰώνιος ἄρχει.

Item:

Καὶ πόλιν, ἣν ἐποίησε θεὸς, αὐτὴν ἐποίησε
Λαμπροτέραν ἄστρων καὶ ἡλίου ἠδὲ σελήνης.

Item:

Οὐδὲ λύκοι σὺν ἄρνεσ' ἐν οὔρεσιν ἀμιλλῶνται,
Χόρτον γὰρ λύγκες τ' ἐρίφοισιν ἅμα βόσκονται,
Ἄρκτοι σὺν μόσχοισιν ὁμοῦ καὶ πᾶσι βροτοῖσι.
Σαρκοβόρος τε λέων ἄχυρον φάγεται παρὰ φάτναις,
Σὺν βρέφεσίν τε δράκοντες ἀμήτορσι κοιμήσονται.

Item:

Καὶ τότε δὴ χαρὰν μεγάλην θεὸς ἀνδράσι δώσει·
Καὶ γὰρ γῆ καὶ δένδρα καὶ ἄσπετα θρέμματα γαίης
Δώσουσιν καρπὸν τὸν ἀληθινὸν ἀνθρώποισι
Οἴνου καὶ μέλιτος γλυκέως λευκοῦ τε γάλακτος
XX. 128. *Καὶ σίτου, ὅπερ ἐστὶ βροτοῖς κάλλιστον ἁπάντων.*

Item:

Εὐσεβέων δὲ μόνων ἀγί αχθὼν πάντα τάδ' οἴσει,
Νάματα μὲν μέλιτος ἀπὸ πέτρης ἠδ' ἀπὸ πηγῆς
Καὶ γάλα τ' ἀμβροσίης ῥεύσει πάντεσσι δικαίοις.

Respondemus 1: De Sibyllinorum carminum origine et auctoritate diversae sunt eruditorum sententiae. Justinus in paraenet. 1. ad Graecos p. 27. oracula Sibyllarum *proxime ad prophetarum doctrinam accedere asserit*, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Lactantius etc. gentilibus eadem constanter opponunt, Bellarminus lib. 1. de Christo c. 11. *Sibyllas multo clarius quam ullos prophetarum de Christo praedixisse* magna audacia asserit. Vide librum Onuphrii de Sibyllis, commentarios Ludovici Vivis ad libr. 18. Aug. de civ. Dei cap. 23. Wolffium cent. 1. lection. memorab. non longe a princ. Frider. Tilemannum in discursu philolog. Erasmi Schmidii libellum de Sibyllis etc. ubi multa ἀξιομνημόνευτα de Sibyllinorum oraculorum auctoritate inveniuntur. Quidam vero parum fidei illis tribuunt. Constat enim ex epistola imperatoris Aureliani ad senatum Romanum apud Vopiscum, libros Sibyllinos propheticis monumentis non minus opponi consuevisse quam pantheon, ethnicorum templum, ecclesiae Christianae. *Miror, vos, patres sancti,* (inquit Aurelianus) *jamdum de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis*, ex quo facile apparet, in ecclesiis Christianorum Sibyllarum nomen non fuisse magni habitum, neque id injuria, cum gentilium daemonolatriam ex libris Sibyllinis confirmari solitam fuisse, in propatulo sit. Quod Eusebius in vit. Constant. dicit, τοὺς πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ἀπιστεῖν, *plerosque testimonia illa repudiare*, id non minus de Christianis quam ethnicis quidam accipiunt. Ambrosius in comment. 1. Cor. 2. *Pythonem diabolum per Sibyllas locutum esse* asserit. *Hic* (Python) *est,* inquit, *qui per verisimilia fallitur et fallit, hic est, qui per Sibyllam locutus est, sensum nostrorum secutus, locum volens inter coelestes habere.* Cui conforme est illud Augustini libr. 18. de civit. Dei cap. 46: *Cum Scripturis nostris non credunt, complentur in illis suae, quas caeci legunt, nisi forte quis dixerit, illas prophetias Christianos finxisse de Christo, quae Sibyllae nomine vel aliorum proferuntur, si quae sunt, quae non pertinent ad populum Judaeorum*, et cap. 47. in princ.: *Quisquis alienigena, id est non ex Israël progenitus nec ab illo populo in canonem sacrarum literarum receptus, legitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram notitiam venit aut venerit, ad cumulum a nobis commemorari potest, non quo necessarius sit, etiamsi desit, sed quia non incongrue creditur, fuisse et in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est et qui hoc etiam praedicere impulsi sunt, sive participes ejusdem gratiae fuerint, sive expertes, sive per malos angelos docti sunt, quos praesentem Christum, quem Judaei non agnoscebant, scimus fuisse confessos.* Casaubonus exerc. 1. ad Baron. apparatum n. 18. p. 72. disputat, *oracula illa, quo apertiora sunt, eo videri suspectiora. Scimus enim, quam exiles veritatis scintillae priscis temporibus populo Judaico illuxerint; ecquis vero credat, tam profunda mysteria gentibus fuisse clarius patefacta quam illi populo, quem Deus optimus maximus ut peculiariter suum dilexit ac suamet ipsius et fidelium suorum servorum voce erudiit?* etc.
Apostolus tempora ante Christum appellat χρόνους XX. 129.
ἀγνοίας Act. 17, v. 30. ac saepe repetit, doctrinam de salute generis humani ante Christi incarnationem fuisse mysterium a seculis et generationibus absconditum, nunc autem manifestum sanctis ejus, Rom. 16, v. 25. Eph. 3, v. 9. Coloss. 1, v. 26. Quibus effatis quomodo sua constare poterit veritas, si praecipua doctrinae Christianae mysteria gentibus fuere proposita? Praeterea apud Platonem, Aristotelem, Theophrastum et tot alios e paganis curiosissimos omnium disciplinarum scrutatores, eorum, quae hodie apud Sibyllas miramur, nullum penitus exstat vestigium. Denique primis ecclesiae temporibus plurimi exstiterunt, qui coelestem veritatem figmentis suis adjutum ire non dubitarunt, quo facilius scilicet nova doctrina a gentium sapientibus admitteretur, quo ex fonte dubio procul orti libri sexcenti, quos illa aetas et proxima viderunt ab hominibus minime malis sub nomine etiam Domini Jesu et apostolorum aliorumque sanctorum publicatos, quorum plurimos Gelasius in c. Sancta Romana. dist. 15. enumerat. Hisce Casauboni argumentis addi posset, quod Sibyllinorum oraculorum auctoritate acceptata aliquid propheticum extra scripturas propheticas esset agnoscendum, quod magna fuerit piorum veterum in laudandis pseudepigraphis evangeliis aliisque commatis non boni scriptis ταχυπείθεια, quod nondum liquido constet, quae et quotnam Sibyllae fuerint, quaeve carmina pro γνησίως Sibyllinis aestimanda, quod pleraque in illis ambigua et obscura, ut modo in hunc, modo in illum accipi possint sensum etc. 2. Sed seposita hoc loco de Sibyllinorum oraculorum auctoritate uberiori dissertatione breviter dicemus, ad normam propheticae et apostolicae scripturae exigenda esse omnia, quae extra eam de Christianae doctrinae capitibus occurrunt. 3. Proinde sicut prophetarum vaticinia, quae de ecclesiae in hoc vel futuro seculo felicitate tractant, symbolice ac parabolice explicanda esse superius ostendimus, ita id ipsum quoque de Sibyllarum oraculis statuendum dicimus.

4. Extraditionibus apostolicis. 96. 4. *Ad traditiones apostolicas* provocavit Papias primus chiliasticae opinionis in ecclesia auctor, ut constat ex Eusebio lib. 3. hist. eccles. c. 36.
5. Ex carminibus poëtarum. 5. Ad *poëtarum carmina* recurrunt Tertullianus libr. 3. contra Marcion. c. 24. et Lactantius libr. 7. institut. cap. 24. Sed respondemus: 1. ostendimus in praelect. de Script. traditiones, quae pro apostolicis extra et praeter Scripturam in fidei articulis venditantur, a vera ecclesia non esse recipiendas, cum adversentur *perfectioni Scripturae* et expressae Christi et apostolorum prohibitioni Matth. 15, v. 6. Marc. 7, v. 7. Gal. 1, v. 8. Coloss. 2, v. 8. cum sint *figmentum Pharisaicum et haereticum*, cum sint *fallaces et incertae*, tum *ratione originis*, tum *ratione numeri*, tum *ratione diversitatis*, tum *ratione effectus*, denique cum non sint *a Christo et apostolis profectae*. 2. Longe vero minus ex poëtarum fabulis Christianae religionis dogmata probari possunt, cum divinam veritatem humanis conspurcare nugis perquam sit absurdum et praeposterum. Ubi de fide et doctrina coelitus revelata agitur, nunquam et nuspiam poëtarum testimoniis apostolus utitur, sed de moribus contra ethnicos disputans ex poëtarum fonte pauxillum proponit degustandum.

XX. 180. 6. Ex ratiocinationibus. 97. 6. *Ratiocinationes* quasdam format Tertullianus lib. 3. adv. Marcion. c. 24. sed ponderis admodum exigui. 1) *Justum est et Deo dignum, illuc quoque exsultare famulos ejus, ubi sunt et afflicti in nomine ipsius.* Respondemus: Imo vero potiora piorum praemia differuntur in vitam aeternam. Matth. 5, v. 12: *Merces vestra copiosa erit in coelo.* 2. Cor. 4, v. 18: *Quae videntur, temporalia sunt, quae non videntur, aeterna.* Habet quidem pietas *promissionem praesentis et futurae vitae* 1. Tim. 4, v. 8. interim promissiones hujus vitae intelligendae sunt *cum exceptione crucis*, de omnimoda enim quiete et immunitate ab omnibus adversis, periculis et tentationibus in hac vita piis exspectanda nihil in Scripturis praedictum. 2) *Christus sublimiora promisit, ergo etiam humiliora millenarii, scilicet felicitatem, praestabit.* Respondemus: Eadem ratiocinatione inferre possem, omnes vere pios et Christianos in hac vita fore divites, potentes, honoratos etc. quia coelestia bona piis promissa longe praestantiora sunt terrenis divitiis, mundana potentia et externis hujus vitae honoribus. Quae et qualia praemia piis aliquando sint reddenda, non ex nostrae rationis praedicamentis, sed ex sacrarum literarum tabulis unice discendum. 3) *Regni praeconium soli Christo reservatum, ut per famulos quidem terrena gloria, coelestis vero per ipsum Deum annuntiaretur.* Respondemus: Sicut una atque eadem Christi ac prophetarum et apostolorum doctrina, ita quoque una eademque promissio. Coelestis Paterfamilias per *suum servum* ad coenam Lucae 14, v. 17. per *servos suos* ad nuptias Filii Matth. 22, v. 3. hoc est ad communicationem bonorum spiritualium ac coelestium, homines invitat, mittit ad vineae colonos, primo quidem *servos*, mox etiam *Filium suum* Matth. 21, v. 34 et 37. proinde non alia per servos, alia per Filium nobis offert. Sed in re manifesta pluribus opus non est.

98. Exposuimus hactenus primum consummationis seculi *adjunctum*, videlicet *tempus*, quo mundi interitus sit secuturus, succedit alterum, quod est *modus*. Eum vero nobis describunt apostoli in sequentibus vaticiniis, 1. Cor. 15, v. 52: *In novissima tuba resurgent mortui.* 1. Thess. 4, v. 16: *Ipse Dominus in celeusmate, in voce archangeli et in tuba Dei descendet.* 2. Petr. 3, v. 10: *Adveniet dies Domini ut fur, in quo coeli magno fragore transibunt, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ea opera sunt, exurentur.* v. 12. *Per adventum diei Domini coeli igne succensi solventur et elementa ignis ardore tabescent.* Audietur ergo tuba Dei et vox archangeli, conspicietur flamma ignis omnia absumentis, audietur horribilis fragor, cum quo coeli igne succensi collabentur. Quemadmodum enim ad sonitum tubarum *muri Hierichuntis* concidebant Jos. 6, v. 20. sic tuba ultima clangente tota coeli terraeque machina corruet. Apoc. 6, v. 14: *Coelum recessit sicut liber involutus et omnis mons et insulae de locis suis motae sunt.* cap. 21, v. 11: *Vidi thronum magnum candidum et sedentem super eum, a cujus facie fugit terra et coelum, et locus non est inventus eis.* 3. *Antecedentia* hujus conflagrationis et interitus sunt *signa* tum *remota*, tum *propinqua* diem novissimum denuntiantia, reditus Christi e coelo in nubibus ad judicium, resuscitatio mortuorum, extremi judicii administratio, piorum in occursum Christi in nubibus obviatio etc. *Consequentia* sunt novi coeli ac novae terrae creatio, aeterna piorum praemia, aeterna item impiorum supplicia, adeoque omnia illa, quae inter extremi judicii consequentia numeravimus in tract. prox. §. 112.

2. Modus. 3. Antecedentia et consequentia. XX. 131.

CAPUT VIII.

DE COGNATIS CONSUMMATIONIS SECULI.

Cognata consummationis seculi. 99. *Cognata* hujus ultimae συντελείας ac πανωλεθρίας sunt 1. *diluvium*, quo totus terrarum orbis misere fuit devastatus, et in quo praeludium ultimae destructionis nobis proponitur, teste Christo Matth. 24, v. 37. Luc. 17, v. 27. et Petro 2. epist. 2, v. 5. et cap. 3, v. 6. 2. *Excidium Sodomiticum*, in quo igne coelitus depluto Sodoma cum vicinis quatuor urbibus fuit exusta. Augustinus lib. 16. de civ. Dei c. 30: *Veniente igneo imbre de coelo tota illa regio impiae civitatis in terram versa est.* Idem lib. 21. de civ. Dei c. 5: *Poma in terra Sodomorum gignuntur et ad maturitatem perveniunt, sed morsu pressuve tentata in fumum ac favillam corio fatiscente vanescunt.* c. 7. *De fructibus Sodomitarum arborum non tantum literae fide dignae indicant, verum etiam tam multi se loquuntur expertos, ut hinc dubitare non possim.* c. 8. *Poma Sodomae interiorem favillam mendaci superficie maturitatis includunt.* Ludov. Vives in comm. dicti lib. c. 5. hoc confirmat

ex aliis historiographis ac inter reliquos adducit *Solinum*, qui in polyhistore sic scribit: *Duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum, apud quae pomum gignitur, quod habeat speciem licet maturitatis, mandi tamen non potest, nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitio tantum eximiae* [extimae] *cutis cohibet, quae vel levi tactu pressa fumum exhalat et fatiscit in vagum pulverem.* Sic ergo perpetuum hujus incendii atque excidii μνημόσυνον hominibus Deus ob oculos ponere voluit. Quod autem in eo conflagrationis finalis ac totalis totius scilicet universi nobis proponatur, colligi potest ex verbis Christi Luc. 17, v. 28. et seqq. atque apostolorum, Petri 2. epist. 2, v. 6. Judae v. 7. ubi Sodoma et Gomorrha expresse appellantur δεῖγμα. 3. *Omnes particulares regionum devastationes* per incendia, eluviones aquarum, terrae motus ac hiatus etc. quarum exempla historiae et experientia suppeditant longe plurima.

CAPUT IX.

DE PUGNANTIBUS.

Pugnantia. 100. *Pugnantia* sunt 1. *Epicureae cogitationes* de fine mundi nunquam secuturo, quas describit Petrus 2. epist. 3, v. 3; 2. *ethnicorum de mundi aeternitate opinio;* 3. *haereses* in ecclesia de mundo in eodem statu perpetuo mansuro excitatae; 4. *quaevis corruptelae*, quibus ὀρθοδοξία hujus articuli (XX. 132.) *directe* vel *oblique* labefactatur, quas suo loco in antithesi cujusque capitis recensuimus superius; 5. *curiositas* eorum, qui certum diem vel annum consummationi seculi praefinire ausi fuere.

CAPUT X.

DE USU HUJUS LOCI.

[…]us hujus [d]octrinae. Theore[t]icus. 101. *Usus* hujus loci est 1. θεωρητικός, 2. πρακτικός. *Theoreticus* est 1. διδασκαλικός, ut confessionis nostrae de interitu mundi suo tempore secuturo fundamenta ex Scripturis teneamus et fidem nostram adversus quosvis errores probe muniamus; 2. ἐλεγκτικός, ut Epicureas et ethnicas opiniones de mundi aeternitate detestemur iisque scutum immobile ex verbo Dei opponamus. (. Practicus. . Generalis.) *Practicus* est vel *generalis*, vel *specialis*. 1. Generalis, ut hujus novissimi perpetuo memores omnia visibilia fugacia, fluxa et transitoria esse cogitemus ac ad pietatem sedulo nos conformemus. 2. Petr. 3, v. 11: *Cum haec omnia* (coelum, terra et elementa) *dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus ac pietatibus?* Matth. 24, v. 2. Marc. 13, v. 2. Luc. 21, v. 6. discipulos pulcherrimam et augustissimam templi Hierosolymitani structuram admirantes Christus ad excidii propediem instantis considerationem revocat. *Videtis*, inquit, *has magnas aedificationes, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Pari ratione quoties pulcherrimam et affabre exstructam coeli terraeque machinam intuemur, statim subeat animum nostrum cogitatio de fine mundi, in quo omnia dissolventur ac corruent. Meminerimus, Christum perpetuo auribus et cordibus nostris illud instillare: *Videtis haec omnia, dico vobis, veniet dies, in quo non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur*, imo in favillas et cineres redigatur. Si quid pretiosi, si quid speciosi in mundo vides, *caudam*, hoc est finem, respice, tandem enim in nihilum abibit.

102. 2. *Specialis* usus est vel παιδευτικός, *informatorius* vel παραμυθητικός, *consolatorius*. Παιδευτικός est vel ἐπανορθωτικός, *correctorius*, vel *exhortatorius*, 1. Ἐπανορθωτικός usus in eo consistit, quod pia de proxime instante consummatione seculi meditatio revocat nos 1. *ab inordinata mundi dilectione*, 1. Cor. 7, v. 29: *Tempus breve est. Reliquum est, ut qui habent uxores, sint tanquam non habentes,* v. 30. *et qui flent, tanquam non flentes, et qui gaudent, tanquam non gaudentes, et qui emunt, tanquam non possidentes,* v. 31. *et qui mundo hoc utuntur, tanquam non abutentes, praeterit enim figura hujus mundi. Breve est tempus* sive ad vitam nostram, sive ad seculi hujus durationem respiciamus, qui ergo uxores habent, sint *tanquam non habentes*, non nimiopere rei uxoriae adhaerescant, sed animum, mentem et amorem in Deo unice defigant, in gratiam uxorum non discedant a divinorum mandatorum observatione, nec propter uxores vocationem ad coelestem coenam contemnant Luc. 14, (XX. 133.) v. 20. vel ut ipse apostolus v. 33. exponit, *non nimis solicite cogitent de illis, quae sunt hujus mundi, quomodo placeant uxoribus*, sed soliciti sint de his, *quae sunt Domini, quomodo placeant Domino. Qui flent, sint tanquam non flentes, qui gaudent, tanquam non gaudentes*, i. e. nec in adversis animo sint nimium demisso, nec in prosperis nimium elato, non patiantur, se dolore et tristitia ob amissa vel erepta mundi bona opprimi, nec finem desiderii et substantiam gaudii in terrenis constituant. *Qui emunt, sint tanquam non possidentes*, quia praedia et agri non dantur ipsis in possessionem perpetuam, sed in communicationem usufructuariam; qui negotiantur, *possideant* res terrenas, sed caveant, ne ab ipsis *possideantur*, i. e. ne cor rebus illis fluxis et momentaneis apponant. *Qui utuntur mundo, tanquam non abutentes*, videlicet inordinato et nimio amore eidem adhaerendo. Verus rei usus in eo consistit, ut illa utamur taliter, qualis est. Jam vero mundus non est stabilis, firmus, perpetuus, sed fluxus, transitorius et momentaneus. Ergo etiam eo non utamur tanquam re perpetua sed fluxa obiter et in transcursu. Augustinus tract. 40. in Johan.: *Utere mundo, quemadmodum viator in stabulo* (sive diversorio Luc. 10, v. 35.) *utitur mensa, calice, urceo, dimissurus non permansurus.* Idem lib. 15. de civ. Dei cap. 7: *Boni ad hoc utuntur mundo, ut fruantur Deo*, contra

(Margin: 2. Specialis. 1. Informatorius. 1. correctorius. Revocat nos meditatio de consummatione seculi 1. ab inordinata mundi dilectione.)

mali, ut fruantur mundo, uti volunt Deo. Idem lib. 5. contra Julian. Pelag.: *Quid est quasi non utantur, nisi non diligant, quo utuntur, quoniam tale est, ut bene aliter non utantur? Praeterit figura hujus mundi;* quotquot ergo inordinato et nimio amore mundo adhaerent, una cum mundo praetereunte praetereunt, imo pereunt. Gregorius part. 3. curae pastoral. admonit. 28: *Praeterit figura hujus mundi, dicit apostolus, ac si patenter dicat, nolite constanter mundum diligere, quando et ipse non potest, quem diligitis, stare, incassum cor quasi manentes figitis, dum fugit ipse, quem amatis,* quae verba repetit Anselmus in comm. h. l. Confer, quae de hoc apostolico dicto superius §. 8. allata. Nimirum proponit nobis apostolus duo consideranda, quorum intuitu cor nostrum ab amore mundi avertere possimus, *temporis*, quo in mundo versari nobis datum, *exiguitatem* et *mundi* ipsius evanescentis *finem ac vanitatem; tempus breve est et figura mundi hujus praeterit,* ergo ita mundo utere, ac si mundus non esset, mox enim ex eo tibi emigrandum, mox videbis ipsum evanescere. Gal. 6, v. 14: *Per Christum mihi crucifixus est mundus et ego mundo,* id est quae mundus reputat crucem, ego delicias reputo, et quae mundus delicias reputat, ego crucem reputo. *Crucifixus sum mundo per Christum,* i. e. cum Christo crucifixo et per ipsum mundo sum mortuus, ac mundi honores, voluptates, divitiae, odia etc. non me magis afficiunt quam mortuum, ac vicissim eadem tam non tangunt ac afficiunt me, ac si essent mortua et inefficacia, quia omnia brevi sunt moritura, id est transitura ac peritura. Augustinus in expos. epist. ad Gal.: *Mundus mihi crucifixus est, ut me non teneat, et ego mundo, ut eum non teneam, i. e. ut neque mundus mihi nocere possit, neque ego de mundo aliquid cupiam;* et in lib. de salutar. document.: *Sicut homo mortuus in sepulcro nulli detrahit, nemini violentus exsistit, neminem calumniatur, neminem opprimit, non invidet bonis, non insultat malis, non luxuriae carnis servit, non odiorum flamma inardescit, non potentibus aut di-*
XX. 184. *vitibus hujus seculi adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non turbae maximae sibi adstantis curam gerit, non auro argentoque sive pallio circumdatus distenditur, non salutationibus potentum delectatur, non se injuriis fatigat; non eum superbia inflat, non ambitio hujus seculi necat, non vana gloria turpiter jactat, non hujus seculi falsae divitiae inflant, non rabies vesani furoris exagitat, non pulcherrima species feminarum avidum reddit, non contentiones hujus seculi perturbant, non audacia extollit, non gaudia hujus seculi delectant* etc. *ita spiritualiter mundo mortuus talia nec facit, nec patitur.* Cassianus lib. 4. de institut. monach. c. 35: *Crux nostra timor Domini est, sicut ergo crucifixus quis jam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi vel convertendi habet potestatem; ita et nos voluntates nostras ac desideria non secundum id, quod nobis suave est ac delectat ad praesens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus. Et sicut is, qui cruci affigitur, non jam praesentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino solicitudine curaque distenditur, nulla possidendi concupiscentia permovetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla aemulatione succenditur, non de praesentibus dolet injuriis, non praeteritarum jam recordatur seque, cum adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum, illuc praemittens sui cordis intuitum, quo se non dubitat illico transiturum; ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id est non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis, mortuos esse, illuc habentes oculos animae nostrae defixos, quo nos sperare debemus momentis singulis migraturos.* 1. Joh. 2, v. 15: *Nolite diligere mundum neque ea, quae sunt in mundo;* v. 17. *et mundus transit et concupiscentia ejus,* i. e. quia mundus et omnia, quae sunt in eo, opinione citius transeunt, ideo non debemus corde nostro ei adhaerescere, sed animum et cor ad Deum, qui in aeternum permanet, elevare. Augustinus lib. 5. contr. Jul.: *Non dixit Johannes, nolite uti mundo, sed nolite diligere mundum. Qui enim non diligens utitur, quasi non utens utitur, quia non ejus rei causa utitur, sed alterius quam diligens intuetur, ut etiam non diligens hac utatur.* De hac mundi et rerum mundanarum fugaci instabilitate et instabili fugacitate pulchre disserit Nazianzenus tract. de vitae itinerib. qui sub fin. operum exstat. *Humana omnia,* (inquit) *metus, risus, lanugo, umbra, ros, flatus, volatus, vapor, somnium, fluctus, navis vestigium, aura, pulvis, orbis quidam perpetua conversione similia omnia volvens, nunc stabilis, nunc rotans, nunc labilis, nunc fixus, anni temporibus, diebus, noctibus, laboribus, morte, moeroribus, voluptatibus, morbis, calamitatibus secundisque rerum successibus, quod non sine magna sapientia a Deo constitutum, ut discamus a stultae carnis cogitatione mentem abrumpere, vitam ab hac vita alienam ducere et cum altero mundo mundum hunc commutando difficultates omnes hujus vitae molestiasque forti animo perferre.* Confer quae de hisce dictis apostolicis Gal. 6, v. 14. 1. Johan. 2, v. 15. adduximus superius §. 9. Utinam vero de futura mundi consummatione frequentius cogitaremus ac invicem colloqueremur; ita profecto fieret, ut a mundi amore cor nostrum magis abstraheretur. Sicut *hederam Jonae* vermiculus corrodebat, Jon. 4, v. 7. sic omnibus mundanis ac terrenis rebus adhaeret corruptio, qua tandem dissolvuntur. Quinimo non solum corruptio, sed et maledictio terrae adhaeret Gen. 3, v. 17. eccur igitur terrena tantopere diligimus? Si mundus per inordinatum amorem ani- XX. 1
mae nostrae unitur, etiam princeps mundi eidem unietur. De hoc mundi amore in cordibus mortificando pulchre philosophantur pii veteres. Augustinus epist. 45. ad Argum.: *Mundus tanta rerum labe contritus est, ut etiam speciem seductionis amiserit. Nam quantum illi laudandi atque praedicandi sunt, qui dignati non sunt etiam cum mundo florente*

florere, tantum increpandi et accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat. serm. 29. de morbis Domini: *O munde immunde quid strepis? quid avertere conaris? tenere vis periens, quid faceres, si maneres? quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris?* serm. 245. de temp.: *Si finis mundi est, migrandum est de mundo, non amandus est mundus. Ecce turbatur mundus et amatur mundus. Quid si tranquillus esset mundus? formoso quomodo haereres, qui sic amplecteris foedum? flores ejus quomodo colligeres, qui ab spinis non revocas manum?* Gregorius homil. 18. in Ezech.: *Si talem mundum adhuc diligimus, non jam gaudia sed vulnera amamus* etc. *Despiciamus ex toto animo hoc praesens seculum vel exstinctum. Finiamus mundi desideria saltem cum mundi fine.* homil. 28. in evang.: *Sancti isti, ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu conculcaverunt.*! *Erat vita longa, salus continua, opulentia in rebus, foecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, et tamen cum in se ipso floreret, jam in eorum cordibus mundus exaruerat. Ecce jam mundus in se ipso aruit et adhuc in cordibus nostris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, undique percutimur, undique amaritudinibus replemur, et tamen caeca mente carnalis concupiscentiae ipsas ejus amaritudines amamus. Fugientem sequimur, labenti inhaeremus. Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando nos mundus delectatione retraxit a Deo; nunc tantis plagis plenus est, ut ipse nos jam mundus mittat ad Deum.* homil. 36. in evang.: *Sic teneamus ea, quae sunt hujus mundi, ut tamen per ea non teneamur, sit res temporalis in usu, aeterna in desiderio, sit res temporalis in itinere, aeterna desideretur in perventione.* Est et hoc Gregorii: *Mundus est instar nucis cassae, exterius pulcher videtur, sed si cultello veritatis aperiatur, ostendit putredinem et vermes.*

va- 103. 2. *Ab avara divitiarum acquisitione.* Matth. 6,
iti- v. 19: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra,*
ac- *ubi aerugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt*
ne. *et furantur*, i. e. terrena omnia corruptioni, putredini et furum insidiis sunt obnoxia, ergo ea non habeamus pro veris thesauris. c. 16, v. 26: *Quid prodest homini, si lucretur mundum universum, animae vero suae detrimentum patiatur?* quo dicitur mundus transitorius est ac periturus, si quis ergo vel maxime totum acquireret mundum, nullum obtineret lucrum, si non esset *in Deo dives*, quia pereunt mundana, anima vero avari mundana contra justitiae legem possidentis in aeternis tormentis vivet. Jac. 5, v. 1: *Plorate divites*, v. 2. *divitiae vestrae putrefactae sunt et vestimenta vestra a tineis sunt comesa*, v. 3. *aurum et argentum vestrum aeruginavit, et aerugo eorum in testimonium erit vobis et manducabit carnes vestras sicut ignis; thesaurizastis in novissimis diebus*, quo dicitur cum non solum ex verbo audiatis, sed etiam coram conspiciatis, imo manibus palpetis, mundi finem imminere, terrenis omnibus putredinem et corruptionem adhaerere, tamen in novissimis mundi diebus thesaurizastis, ideo XX. 136.
aerugo terrenis divitiis adhaerens in die judicii erit vobis in testimonium, quod non pro veris divitiis ac vero thesauro ea habere debuissetis. Quid *aurum et argentum*, quod tantopere omnes concupiscunt? spuma in visceribus terrae ex sulfure et mercurio nata. Quid *sericum*, quo fastuosi superbiunt? stercus vermium. Quid *vestes laneae?* vellus occisorum pecorum. Quid *palatia?* lapides insensiles. Quid *agri?* torpens humus. Quid *omnia terrena*, ex quibus divitiae comparantur? vanitas, fumus, nihil. *Qui in terra thesaurizant*, inquit Augustinus in enarr. Psalm. 48. *similes sunt illis, qui fruges suas in imis et humidis locis recondunt, non animadvertentes,*' *hinc fore, ut citissime putrescant.* Terrenae divitiae aut nos deserent in seculi consummatione, aut nos eas deseremus in morte. Pereunt congregata omnia, sed deterius perit eorum congregator, quia *labor avarorum non solum est periturus, sed etiam peremtorius*, Bernhardus conversat. cap. 15.

104. 3. *A poenitentiae dilatione.* Sicut mors homini certa est, hora autem mortis eidem incerta! sic consummatio seculi certa est, tempus autem consummationis incertum et incognitum. Poenitentiam ergo nostram non differamus in crastinum, fieri enim potest, ut hic ipse dies vel mundo, vel nobis sit novissimus. Omnia visibilia clamant, finem mundi adesse, eccur igitur nostris peccatis non imponimus finem? aeterna praesto sunt, cur aeternitati nondum nos paramus? Filii et filiae Jobi mutua inter se laeti convivia curantes aedium ruina subitanea opprimuntur Job. 1, v. 19. sic in consummatione seculi coeli terraeque repentinus erit collapsus, quo securi et impoenitentes in infernum usque deprimentur.

3. A poenitentiae dilatione.

105. 2. *Παραινετικός* sive *exhortatorius* usus in eo consistit, quod meditatio consummationis seculi excitat nos 1. *ad sincerum Dei timorem. Coeli et terra* magno ac horribili fragore *aliquando transibunt* 2. Petr. 3, v. 10. timeamus propter illum interitum, ne ipsius interitus tempore inutiliter terreamur. *Me ergo non timebitis*, ait Dominus Jerem. 5, v. 22. *et a facie mea non pavebitis? qui posui arenam terminum mari* etc. Si timendus est Dominus, propterea quod possit repagula maris recludere et inundationem orbi immittere, quanto magis timendus erit, quia flamma ignis coelum ac terram aliquando constituit absumere? 2. *Ad coelestium desiderium et amorem.* Primum coelum et prima terra abibit, creabit autem Deus *novum coelum et novam terram, in quibus justitia habitat* 2. Petr. 3, v. 13. Apoc. 21, v. 1. ad novum illud coelum ac novam terram, ad praemia illa beatorum invisibilia spretis visibilibus ac transitoriis toto pectore adspiremus. Nazianzenus tractat. de vitae itineribus: *Ideo constitutum est, ut res omnes hujus vitae incertae sint ac instabiles, ut rerum firmarum stabiliumque amore ac desiderio inardescamus.* Advenae hic sumus et *peregrini* Psalm. 39, v. 13. *πολίτευμα nostrum in*

2. Exhortatorius. Excitat nos haec meditatio 1. ad sincerum Dei timorem.

2. Ad coelestium amorem.

coelo Phil. 3, v. 21. *non habemus hic civitatem manentem, futuram igitur inquiramus* Hebr. 13, v. 14. Relinquamus mundum, antequam nos relinquat, exeundum nobis ex Aegypto, relinquendus est mundus, si volumus Domino servire. *Relinquendus au-*
XX. 137. *tem non loco sed animo; non itinere proficiscendo sed fide proficiendo,* Origenes homil. 3. in cap. 4. Exod. non passibus corporeis sed affectu mentis. 3. *Ad beneficentiae fervorem.* Dum adhuc in mundo sumus, mundanis ad aliorum inopiam sublevandam recte utamur et de transitoriis ac perituris thesaurum non periturum nobis comparemus. Nihil *ex mundo pereunte auferre possumus* 1. Tim. 6, v. 7. praeter ea, quae in manus pauperum velut in Christi gazophylacium collocavimus. Jacob. 5, v. 3. arguuntur divites, quod *in extremis diebus thesaurizaverint*, id est quod mundi fine jamdum appetente de thesauris mundi colligendis soliciti fuerint, beneficentiae erga pauperes interim obliti. Manna in privatis aedibus asservata putruit, sed in arcam Domini reposita illaesa mansit; sic quae ad privatos usus avaritia colligit, peribunt, sed quae in Christi honorem pauperibus dantur, manebunt et in die judicii praedicabuntur. Lactantius lib. 6. instit. c. 12: *Quid verere fluxum et fragile bonum facere sempiternum ac thesauros tuos Deo custodi tradere?* lib. 7. c. 12: *Transfer ad magnum sacrificium male peritura, ut pro his transituris muneribus habeas a Deo munus aeternum.* Augustinus epist. 80: *Omnia terrena peribunt, sed bona opera non pereunt, quae de bonis transeuntibus fiunt.* 4. *Ad beatae emigrationis ardorem.* Mundi finis in propinquo est, promto igitur atque aequo animo ex illo tanquam ex vetusta et ruinae proxima domo excedamus. Cyprianus serm. de mortal. circa fin.: *Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus jam fatigata, jam lassa aedificiis senectute labentibus ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Mundus ecce nutat et labitur et ruinam sui non jam senectute rerum sed fine testatur, et tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore subtractus ruinis imminentibus exuaris?* Augustinus epist. 136. ad cler. et pop. Hippon.: *Sicut ad loca munitiora festinantius migrant, qui ruinam domus vident contritis parietibus imminere; sic corda Christiana quanto magis sentiunt mundi hujus ruinam crebrescentibus tribulationibus propinquare, tanto magis debent bona, quae in terra recondere disponebant, in thesaurum coelestem impigra celeritate transferre. Et si aliquis humanus casus acciderit, gaudeat, qui de loco ruinoso emigravit; si autem nihil tale fuerit subsecutum, non contristetur, qui quandoque moriturus, immortali Domino, ad quem venturus est, bona propria commendavit.*

3. Ad beneficentiae fervorem.

4. Ad beatae emigrationis ardorem.

106. *Παραμυθητικός* sive *consolatorius* usus in mundi odiis ac persecutionibus, adeoque adversis omnibus, quae pii in mundo sustinent, locum obtinet. Mundus diversorium est, in quo diabolus agit hospitem, qui pios utpote coeli cives et mundi peregrinos duriter tractat, impiis vero, qui sunt mundi cives et coeli exsules, suaviter abblanditur; sed Christus hoc diaboli hospitium aliquando coelesti igne succendet et furorem ejus potenter compescet. Mundus est piorum carcer, in quo pii omnis generis adversa sustinere coguntur; sed Christus ad judicium e coelo redux carcerem illum destruet ac captivam ducens captivitatem suos liberabit. Joh. 15, v. 19. dicit Christus ad discipulos: *Si de mundo essetis, mundus, quod suum est, diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, pro-* XX. 13
pterea odit vos mundus. cap. 16, v. 33: *In mundo habetis pressuram, sed confidite* etc. Augustinus in enarr. Psalm. 79: *Ad omne peccatum et ad omne bonum amor et timor ducit. Ut facias bene, amas Deum et times Deum; ut autem facias male, amas mundum et times mundum. Quidquid tibi iniquo promiserit mundus, numquid potest dare, quantum dabit justo Deus? quidquid tibi justo minatus fuerit mundus, numquid potest facere, quod facit iniquo Deus?* Ut ergo mundus non est inordinate amandus, ita quoque non est praepostere timendus. Quaecunque enim adversitates in mundo piis obtingunt, una cum mundo desinunt.

3. Consolatorius.

CAPUT XI.

DEFINITIONEM HUJUS NOVISSIMI SUBJUNGIT.

107. Ex illis, quae hactenus dicta, talis hujus quarti novissimi exstrui potest *definitio*. Consummatio seculi sive destructio mundi est Dei actio, qua per ignem coelum, terram, mare et omnes creaturas, quae in eis sunt, solis angelis et hominibus exceptis, in nihilum rediget ad veritatis, potentiae ac justitiae suae manifestationem et piorum hominum liberationem. Faxit omnipotens Deus, ut novi illius coeli ac novae illius terrae, quae post seculi consummationem divina virtute creabuntur, cives et incolae simus ac cum omnibus sanctis angelis et beatis hominibus divinae gloriae hymnum in omnes nunquam finiendorum seculorum aeternitates cantemus, dicentes: *Salus et gloria et honor et virtus Domino Deo nostro* Apoc. 19, v. 1. *Sedenti in throno et Agno benedictio et honor et gloria et robur in secula seculorum* Apoc. 5, v. 13. Amen, Amen.

TRACTATUS QUINTUS

- 139.

DE INFERNO SEU MORTE AETERNA.

1.

ıtinu- ıtio. Terribile est *mors*, terribilius *judicium*, terribilissimum *infernus* mortem et judicium impiorum secuturus, Hebr. 9, v. 27. Apoc. 6, v. 8. Aristoteles quidem morte nihil noverat terribilius, unde *θάνατον* vocat *πάντων φοβερῶν φοβερώτατον*, sed hoc terribilissimo aliquid terribilius in verbo Dei nobis proponitur, videlicet *infernus*, qui terribilis est propter *tormentorum atrocitatem*, terribilior propter *suppliciorum diversitatem*, terribilissimus propter *poenarum aeternitatem*. Illius comminatione a peccatis Deus nos revocare conatur, *quia gehennae meminisse, non sinit in gehennam incidere.* Psalm. 7, v. 13: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit et paravit illum*, in quem locum sic commentatur Basilius: *Comminatorius sermo est, non statim minatur vulnera, plagas, mortes, sed armorum vibrationem, velut praeparationem quandam ad ultionem intentat. Quemadmodum ergo, qui arma abstergunt ac poliunt, pugnae mox ineundae acrem affectum et alacritatem significant; sic et sermo hic Dei motum ad ultionem ostendere volens gladium illum vibrare dixit.* Nimirum Deus non ex improviso poenis temporalibus et aeternis impios non praemonitos opprimit, sed *arcum suum prius tendit ac parat, antequam feriat*, i. e. poenas prius minatur, quam infligit, quod paterni et benevoli animi est indicium. Si enim delectaretur hominum perditione, prius poenam immitteret, quam eandem comminaretur. Psalm. 60, v. 6: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus*, ut est in vulgata versione, quem locum sic accipit Augustinus in enarr. illius psal. ut summam Dei misericordiam nobis in eo proponi doceat, quod per comminationes suppliciorum peccatores soleat monere, ut ea curent per poenitentiam subterfugere. Nostrum est, monentem ac minantem audire, a facie arcus fugere et quotidiana gehennae meditatione a peccatorum studio mentem revocare. Sin minus, quanto magis supplicium differtur, tanto gravius ac funestius infertur, perinde ut in arcu, quanto longius chorda trahitur, tanto fortius sagitta emittitur. De materiali arcu recte quidem usurpaveris illud XX. 140.
Poëtae:

Non semper feriet quodcunque minabitur arcus,

sed de arcu divinae irae ac vindictae hoc cogitari vel dici nequit. Esa. 30, v. 32: *Erit transitus virgae fundatus.*

2. Postquam igitur de *morte* et *judicio extremo* actum fuit hactenus, consequens est, ut de *inferno*, in quem post judicium extremum diaboli et impii praecipites dabuntur, in posterum dicamus. Quare enim prius de *impiorum damnatione* quam de *piorum glorificatione*, h. e. prius de inferno quam de coelo, agendum censeamus, ejus ordinis rationem exposuimus in prooemio generali tractatus de novissimo. Commendat vero nobis hanc doctrinam 1. *maxima utilitas*, 2. *summa necessitas.* Utilitatem demonstramus tum *a priori*, videlicet ex *divina revelatione;* tum *a posteriori*, videlicet *ex consequente fructificatione.* Prior demonstratio sic habet: Quidquid Deus in verbo suo revelavit, illud utile est ad *διδασκαλίαν, ἔλεγχον, παιδείαν καὶ ἐπανόρθωσιν.* Ratio est, quia Scriptura *θεόπνευστος* revelatum Dei verbum complectens ad hos fines dicitur utilis 2. Tim. 3, v. 16. Jam vero doctrinam de inferno Deus in verbo suo nobis revelavit, ut patebit ex sequenti *ἐργασίᾳ*. Ergo. Posterior demonstratio sic institui potest: Cujus pia et quotidiana meditatio revocat homines a studio peccandi et ad serium Dei timorem animos ipsorum inflectit, illud in ecclesia doceri utile est ac fructuosum. Sed pia et quotidiana inferni meditatio utrumque praestat, ut in usu practico inferius monstrabitur. Ergo. *Necessitatem* probamus 1) *ex divino mandato*, tum *generali*, *memorare novissima* Sir. 7, v. 40; tum *speciali*, quod elicitur ex omnibus Scripturae dictis, quae de infernalibus poenis tractant, eo namque fine Deus in verbo suo de illis agit, ut hominum animis incul-

Doctrinae hujus commendatio.

centur. 2) *Ex officii ecclesiastici debito.* Incumbit ecclesiae doctoribus *vitam et mortem*, hoc est divinas promissiones et comminationes poenarum tum temporalium, tum aeternarum ex lege et evangelio, auditoribus fidei suae commissis proponere Deuter. 30, v. 15. adeoque *ex thesauro suo vetera et nova proferre* Matth. 13, v. 52. 3) *Ex prophetarum, Christi et apostolorum exemplo*, illi enim non solum doctrinam de piorum aeterna gloria, sed etiam de impiorum sempiterna ignominia auditoribus suis inculcarunt. 4) *Ex carnis nostrae torpore ac veterno.* Major hominum pars securitati et impietati dedita peccatorum lethargo est oppressa; illi talibus comminationibus velut aciculis quibusdam excitandi. Ipsimet pii circumferunt adhuc carnem et sanguinem, expositi sunt tentationibus Satanae, posita ob oculos habent perversa mundi exempla, a quibus ad omnis generis peccata quotidie solicitantur; necessarium igitur est illud peccati *προφυλακτικόν* ipsis instillare, quod is, qui *peccat contra conscientiam, aedificet ad gehennam, quod ignis infernalis ligna ac materia nihil aliud sint quam peccata* etc.

XX. 141.

CAPUT I.
DE ὈΝΟΜΑΤΟΓΟΓΙΑ.

1. Ἐτυμολογία. 3. Initium tractationis faciemus ab *ὀνοματολογίᾳ*, ut vestigiis hactenus observatis arcte insistamus. *Infernus*, plur. *inferna*, quo nomine pro inferis vulgo utimur, in ea significatione non est satis Latinum, sed meliore voce destituti cogimur eo uti. Augustinus libr. 12. de Genes. ad liter. cap. 34. ante med.: *Inferi eo, quod infra sint, Latine perhibentur.* Anselmus libr. 1. de imagine mundi cap. 11. infernum ex eo dictum putat, *quod sit inferius sive infra nos positus, ut enim terra est in medio aëre, sic infernus*, inquit, *est in medio terrae.* Idem repetit Paludanus 4. sent. dist. 44. q. 6. Sed hypothesis illa, quod *infernus sit in centro terrae*, dubia est, ut suo loco videbimus. Ethnicis quidem et scriptoribus illa etymologiae ratio probatur, quia voluerunt inferos et superos non solum status conditione, sed etiam locorum habitaculis distingui, ac cadentibus in terram corporibus iisdemque humo tectis sub terra censebant, reliquam vitam agi mortuorum. Sed in ecclesia de statu et loco inferni judicandum est, non ex nominis Latini ab ethnicis mutuati etymologia sed ex Scriptura sacra. Isidorus in lib. etymolog. infernum putat esse dictum *quasi intus furnum*, id est nigrum, cum furnus idem sit quod niger. Junius in animadv. ad controv. 1. Bellarminus lib. 4. cap. 10. art. 2. p. 594. *ab inferendo* mavult deducere. Nam mortui efferuntur domo et humo inferuntur, inde *inferium vinum* Trebatio apud Arnobium lib. 7. et Festo, et *aqua arferia* eidem et conjugata alia ejusmodi, ac leges de mortuis sepeliendis dicuntur leges *de inferendis mortuis.* Graecum *ᾅδης* variis modis *ἐτυμολογεῖται*, 1. quidam Hebraeam quaerunt derivationem ac formatum putant ab אֲדָמָה *terra*, quod probant ex oraculo Sibyllae; 2. plerique *ᾅδης* dictum putant *ἀντιφραστικῶς* ab *ἥδομαι*, *delector*, ut *ᾅδης* sit quasi *ἀτερπής, ὅτι οὐδεὶς ἐν αὐτῷ ἥδεται καὶ χαίρει*, *quod nullus in eo delectetur et gaudeat*, sicut et *Charon* infernalis nauta *κατ' ἀντίφρασιν ἀπὸ τῆς χαρᾶς* dicitur, quod janitor ille ac *portitor Orci*, ut a poëtis vocatur, neminem gaudio afficiat. Augustinus d. l. *Origo nominis in Graeca lingua, quo appellantur inferi, ex eo quod nihil suave habeant, sonare perhibetur;* 3. quidam deducunt ab *ἄω*, quod est *πνέω*, quasi *viventibus spiritum adimat* vel quia *mortis halitus omnia perflat;* 4. multi derivant ab *Α μορίῳ στερητικῷ*, et *ἰδεῖν*, *videre*, ut *ᾅδης παρὰ τὸ μὴ ἰδεῖν ἢ ὁρᾶσθαι* dicatur, *ὃν οὐκ ἔστιν ἰδεῖν*, cum sit *tristis sine sole domus*, in quo nulla lux, sed merae tenebrae; vel quod mortuos oculis viventium subtrahat *διὰ τὸ ἀφανεῖς ποιεῖν τοὺς ὑπὸ τὴν γῆν γενομένους;* 5. quidam sine antiphrasi *ᾅδην* dictum putant quasi *ἀνδανόν*, eo quod *mors grata sit*, ubi de vita desperatum; 6. apud Platonem Socrates *ᾅδην* dicit esse *σοφιστήν* eloquentissimum, sic dictum *ἀπὸ τοῦ εἰδέναι πάντα τὰ καλά*, quia nemo inde huc vult reverti, sed illius sermonibus demulcetur ac detinetur. Atqui non *persuasionis sed coactionis*, *nec voluptatis sed necessitatis est*, quod nemo ex inferis revertatur, recte autem dici potest, quod Satanas infernalis princeps sit magnus sophista, multos blandis persuasionibus decipiens et in infernum secum trahens, in quo est practica non XX
πάντων τῶν καλῶν, sed *πάντων τῶν κακῶν* notitia, et ex quo nulla iterum patet redemtio. Quarta etymologia ut simplicior reliquis videtur praeferenda, quia *ᾅδης* cum ι subscripto literae initiali α pro *ἀΐδης* apud poëtas usitato usurpatur, quam etiam probant Eustathius et Henricus Stephanus. Varinus in voce *ἄϊς* col. 79. *ᾅδης, ὥς τινές φασι, λέγεται κατὰ συναίρεσιν τοῦ ἀΐδης*. Hebraeum שְׁאוֹל dictum a שָׁאַל, *postulavit*, quia infernus est insatiabilis et inexplebilis, multos devorat et plures semper appetit. Esa. 5, v. 14: *Dilatavit infernus animam suam* sive desiderium suum *et aperuit os suum praeter morem, et descendet decorus ejus et multitudo ejus et turba ejus et coetus ejus ad eum.* Proverb. 27, v. 20: *Infernus et perditio non saturabuntur.* cap. 30, v. 16: *Infernus et sterilis matrix, terra non satiata aquis et ignis nunquam dicunt: sufficit.* Junius d. l. aliam etymologiae rationem affert, quemadmodum enim Latinis *desiderari* dicuntur, qui deficiunt aut moriuntur, sic Hebraeis nomine שְׁאוֹל appellatur locus eorum, qui *desiderantur*, a verbo, quod postulare vel desiderare significat.

4. **Nonnulli observant dicuntque 1. שְׁאוֹל, *ᾅδης*, 2. Ὀ
metonymice significat *diabolum* Hos. 13, v. 14. 1. νομι
Cor. 15, v. 55: *Ποῦ σου ᾅδη τὸ νῖκος;* quod de diabolo intelligendum docet Apoc. 12, v. 6. et seqq. cap. 20, v. 10. et 14; 2. pro *ποῦ damnatorum* Num. 16, v. 33. Deut. 32, v. 22. Esa. 14, v. 9. 12. 15.

Luc. 10, v. 15. cap. 16, v. 23; 3. pro imis et profundissimis terrae locis, altissimo oppositis Job. 11, v. 8. cap. 26, v. 6. Psalm. 139, v. 8. Esa. 7, v. 11; 4. pro *gravissimis afflictionibus* 1. Sam. 2, v. 6. 2. Sam. 22, v. 6. Psalm. 86, v. 13. Psalm. 116, v. 3; 5. pro *sepulcro* Genes. 42, v. 38. 1., Reg. 2, v. 6. Job. 14, v. 13. cap. 17, v. 13. Psalm. 141, v. 7.** Nos in tract. de morte §. 173. diximus, nomen שְׁאוֹל quinque potissimum modis in Scripturis accipi, 1. pro *inferno* seu *ποὺ* damnatorum, in quo scilicet damnati torquentur; 2. *pro doloribus inferni*, qui in hac vita quandoque hominem comprehendunt; 3. *pro extremo humilitatis gradu;* 4. *pro morte ac transitu hominum* ex hac vita sive status mutatione et conditione mortuorum in genere; 5. *pro sepulcro.* Has significationes omnes ac singulas exemplis e Scriptura petitis ibidem comprobavimus et secundam significationem ad primam, tertiam ad secundam, quintam ad quartam certo modo reduci posse ostendimus. Ad quintam classem reduci potest illa significatio, qua accipitur *generaliter* pro imis et profundis terrae locis Job. 11, v. 8. Psalm. 139, v. 8. Amos 9, v. 2. quia sepulcra in terrae cavernis effodi solent. Si quis tamen pro peculiari classe eam ponere malit, non refragabimur. Hebraeo שְׁאוֹל respondet Graecum *ᾅδης*, quo LXX interpretes illud semper exprimunt, (si unicum excipias locum 2. Sam. 22, v. 6. ubi vertunt per *θάνατον*) et Latinum *infernus*, quo vulgata versio utitur, totidem ergo etiam erunt significationes vocis *ᾅδου* et inferni. Notandum hoc 1. *contra Bellarminum*, qui lib. 4. de Christo cap. 10. vocem שְׁאוֹל *ordinarie accipi* putat *pro loco animarum subterraneo et raro vel nunquam pro sepulcro*, qua ratione primam significationem opponit quintae. Atqui 1) *etymologia* ostendit, quod significet in genere quoddam quasi *petitorium sive postulatorium*, quod tam de sepulcro quam de inferno accipi potest. 2) *Usus Scripturae* demonstrat, non tantum de loco damnatorum sed etiam de doloribus inferni in hac vita,
ſ. 143. de extremo humilitatis gradu, de statu mortuorum in genere ac de sepulcro accipi. Quod enim ultimam significationem, cui inprimis infensus est Bellarminus, attinet, ea sequentibus Scripturae dictis confirmari potest, Gen. 42, v. 38: *Deducetis canos meos cum dolore ad sepulcrum.* Potest quidem quarta significatio ad hujus dicti explicationem assumi, interim tamen respectus etiam habetur ad quintam, quia corpus defuncti senis una cum canis sepulcro infertur. 1. Reg. 2, v. 6. dicit ad Salomonem rex David morti proximus de Joabo: *Non deduces canitiem ejus pacifice scheolah.* v. 9. de Simei: *Deduces canos ejus cum sanguine scheolah.* At quis credat, Davidem morti vicinum hostibus suis aeternum exitium fuisse imprecatum? quin potius agit, ut rex politicus, qui ex usu reipublicae esse animadvertens, magna scelera non manere impunita, novo regi dat mandatum de capitalibus suppliciis facinorosis inferendis. Adde quod ad politicam magistratus jurisdictionem non pertineat aeternas poenas inferre. Job. 14, v. 13: *Quis mihi hoc tribuat, ut in scheol protegas me et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, quo mei recorderis?* cap. 17, v. 13: *Etiamsi diu exspectavero, tamen scheol domus mea, et in tenebris stravi lectulum meum.* At quis sibi persuaderi patietur, Jobum ex desperatione infernum sibi optasse? adde quod *ἐξήγησις* addita luculentam praebeat explicationem, vult enim abscondi in scheol, *donec pertranseat Dei ira;* jam vero ex inferno nulla redemtio speranda, nec recordabitur Deus damnatorum, ut eos liberet; ac postquam dixerat Jobus, *scheol domus mea*, statim addit v. 14: *Putredini dixi, pater meus es tu, mater mea et soror mea, vermibus.* cap. 21, v. 13: *In momento descendunt in scheol*, Chald. לְבֵית קְבוּרְתָא, *in domum sepulturae*, quamvis etiam de inferno accipi possit, ut postea videbimus. Psalm. 6, v. 6. Esa. 38, v. 18: *In inferno quis confitebitur tibi?* illud ibidem Psalm. 6, v. 6. sic exponitur: *non est in morte, qui memor sit tui*, et clarius adhuc Psalm. 30, v. 10: *Numquid confitebitur tibi pulvis?* Confer Baruch. 2, v. 17. Psalm. 141, v. 7: *Dissipata sunt ossa nostra in os scheol.* At pii Israëlitae ab hostibus interfecti non descendebant in infernum nec ossa in infernum, sed in sepulcrum disperguntur. Prov. 1, v. 12: *Deglutiamus eos, dicunt impii sicut scheol viventes*, explicatio statim additur, *et integros sicut descendentes in cisternam sive foveam sepulcralem.* Ezech. 31, v. 17: *Etiam ipsi cum eo descendent in scheol ad interfectos gladio.* Jon. 2, v. 3. dicit propheta, se vociferatum esse *e ventre sepulcri*, cum esset in ventre ceti. Si obvertere velint, *haec omnia de limbo, inferni vestibulo ac προπυλαίῳ, in quod animae piorum in Veteri Testamento descenderint, accipienda esse*, petunt principium, ostendimus enim in tractat. de morte §. 172. limbum illum esse et *ἄγραφον* et *ἀντίγραφον*. 3) Nec est, quod metuat Bellarminus, *ne articulus de descensu Christi ad inferos cum articulo de sepultura Christi confundatur*, aliud enim est quaerere de vocabuli significatione *in genere*, aliud vero *in specie* quaerere, quomodo haec vox in articulo de descensu Christi ad inferos accipiatur. 4) Urget Bellarminus, quod *Graece sepulcrum dicatur τάφος non ᾅδης, quod in quibusdam Scripturae locis ᾅδης non possit accipi pro sepulcro, quodque Stephanus nullum invenire potuerit auctorem, qui pro sepulcro posuerit ᾅδην.* Sed ad primum respondemus per *inficiationem*, dantur enim in Scripturis Veteris Testamenti exempla, in quibus sepulcrum non solum *τάφος* sed etiam *ᾅδης* vocatur, ut ostendimus. Urgemus collationem Tob. 13, v. 12: *Et senectutem* XX. 144.
ejus deducam cum dolore εἰς ᾅδου, pro quo habetur Tob. 6, v. 16: *Et deducam vitam patris mei cum dolore εἰς τὸν τάφον.* 2. Maccab. 6, v. 23: *Ut se permitteret ad infernum*, id est sepulcrum. Blasius de Viega in comm. cap. 1. Apocal. p. 99: *Infernus accipitur pro sepulcro, Psalm. 113, v. 17: Non mortui laudabunt te Domine neque omnes, qui*

descendunt in infernum, id est qui in sepulcris conduntur. Eodem sensu accipit locum Job. 21, v. 13. Christophorus a Castro Jesuita in comm. cap. 2. Baruch. p. 497: *Quamvis inferni aut inferorum nomine aliqui velint intelligi sinum Abrahae, tamen verius et usui Scripturae convenientius accipiemus sepulcrum, ut accepit Jacob Genes. 37, v. 35. cum dicit: Descendam ad filium meum lugens in infernum, hoc est lugere non desinam, donec me sepulturae mandetis. cap. 44, v. 29: Deducetis canos meos cum moerore ad inferos, id est me senio confectum cogetis celerrime mori et in sepulcrum abire. Psalm. 30, v. 4: Domine eduxisti ab inferno animam, salvasti me a descendentibus in lacum vel sepulcrum, id est revocasti me a morte, vitam mihi restituisti, ne descenderem in sepulcrum.* Eandem significationem statuit in sequentibus Scripturae dictis' Psalm. 88, v. 4. Job. 17, v. 13. etc. Ad alterum *per distinctionem.* In quibusdam Scripturae locis accipitur pro inferno, in quibusdam pro sepulcro; haec ergo significata sese mutuo non evertunt. Ad tertium *per limitationem*, Stephanus non adduxit e profanis scriptoribus ejusmodi exempla, non quia invenire nulla potuit, sed quia non necessarium esse existimavit, neminem enim hanc significationem negaturum arbitratus est. Quid? quod ex vocis etymo ostendit, ᾅδην in genere dici *quemlibet locum tenebricosum et invisibilem*, quod etiam ad sepulcrum applicari potest. Lucianus in dial. de luctu dicit, ᾅδην esse locum sub terra profundum.

5. 2. *Contra Bezam*, qui in explicat. Actor. 2, v. 37. πρώτως de sepulcro intelligit. *Descendere*, inquit, *ad inferos proprie significat sepulcro condi. Nam certe Hebraeis scheol idem propria significatione declarat atque* בּוֹר et קֶבֶר, *quae vocabula sepulcrum significant.* Hugo Sanfordus adhuc longius progreditur, quando lib. 2. de descen. Christi ad inferos dist. 11. p. 14. et seqq. disputat, *per scheol non animarum sed corporum regionem, adeoque nihil aliud quam sepulcrum notari*, nimirum ut obtineant, per descensum Christi ad inferos in symbolo apostolico intelligendam esse sepulturam, qua ratione quinta significatio nominis inferni opponitur primae. Respondemus: 1) nomen scheol et ᾅδης non solum *sepulcrum* sed etiam *infernum* significare ex usu Scripturae et vocabuli etymologia apparet. 2) Praesto enim sunt clarissima Scripturae dicta, in quibus pro inferno utrumque usurpatur. Num. 16, v. 33: *Descenderunt vivi scheolah.* Atqui seditiosi illi in peccatis suis mortui non tantum in sepulcrum, sed etiam in infernum descenderunt, unde Bucanus in inst. theol. loc. 40. q. 10. p. 455. recte statuit, *ibi non intelligi sepulcrum*, ut vox inferni solet interdum usurpari. Deut. 32, v. 22: *Ignis succensus in furore meo usque ad infernum inferiorem.* Psalm. 49, v. 15: *Sicut oves in inferno positi sunt.* Psalm. 55, v. 16: *Descendunt in infernum viventes.* Confer Prov. 27, v. 20. cap. 30, v. 16. Esa. 5, v. 14. cap. 14, v. 9. 15. cap. 28, v. 15. Ose. 13, v. 14. In Novo Testamento nomen ᾅδης in eadem significatione usurpatur Matth. 11, v. 23. Luc. 10, v. 15: *Tu Capernaum usque ad coelum exaltata in infernum detraheris*, ubi oppositio inter coelum et infernum manifeste ostendit, nomine ᾅδου denotari summam XX. 1
et imam infelicitatem, ignominiam ac miseriam damnatorum, quae Capernaitis cum diabolis et reliquis damnatis hominibus futura sit communis, contemtus enim verbi non tantum poenis *temporalibus*, sed etiam ac vel maxime *aeternis* punitur. Matth. 16, v. 18: *Portae inferorum non praevalebunt adversus ecclesiam*, id est nulla vis, nulla potestas diaboli, inferorum principis, ecclesiam poterit evertere, sed petrae Christo innixa perpetuo stabit inconcussa. In portis olim exercebantur judicia ac consultationes, et portae ac muri non solum *ornamentum;* sed et *munimentum* praestant urbibus; quando ergo *portae inferorum non praevaliturae dicuntur adversus ecclesiam*, sensus est, quod nec impia fraude haereticorum, nec manifesta vi tyrannorum everti possit, quod omnia consilia et machinationes tum ipsius diaboli, tum organorum ejus, haereticorum puta ac tyrannorum, quibus ecclesiam adorientur, irrita et frustranea sint futura. Luc. 16, v. 23: *Dives epulo* ἐν τῷ ᾅδῃ *attollit oculos suos.* Id vero non de sepulcro, sed de damnatorum loco accipiendum esse patet ex cruciatu et tormentis, in quibus dives se constitutum conqueritur, ex oppositione coeli et inferni, ex reditus et liberationis ἀδυναμίᾳ, adeoque ex omnibus descriptionis circumstantiis. Confer Chrysostomum homil. de Lazaro. Actor. 2, v. 27. et 31: *Non relinques animam meam in inferno*, ubi agitur de descensu Christi ad inferos, quem a sepultura distinctum articulum esse suo loco demonstratur. (Quidam tamen malunt de cognata significatione secunda, videlicet de doloribus inferni, quos Christus in sanctissima sua anima ante mortem persensit, nomen ᾅδου hic exponere propter emphasin verbi ἐγκαταλείψεις. Sed hac de re alibi plenius.) 1. Cor. 15, v. 55: *Ubi stimulus tuus, o mors? ubi victoria tua, inferne?* Atqui Christus non solum a morte, sed etiam ex inferno, id est ab aeterna damnatione, nos liberavit. Apoc. 1, v. 18: *Habeo claves mortis et inferni*, id est sum dominus mortis et inferorum, vici mortem et infernum, competit mihi summum dominium in mortem et infernum, ut possim ex utroque liberare et ad utrumque damnare, victori enim claves portarum urbis tradi solent. Apoc. 6, v. 8: *Mortem sequitur* ὁ ᾅδης. Quidam per ᾅδην intelligunt *sepulcrum*, cum sit sermo de peste letifera et morte corporali sive temporali, sed potest etiam commode de *inferno* accipi, quia mors temporalis in impiis est initium aeternae damnationis ac mors per se et in se extra Christum considerata est vehiculum ad infernum. Apoc. 20, v. 13: *Mors et infernus reddiderunt mortuos suos.* Piscator et quidam alii per infernum intelligunt *sepulcrum*, existimant enim, describi tres classes mortuorum, unam scilicet eorum, qui in mari submersi, alteram eorum, qui extra mare mortui, sed mansere insepulti, tertiam eorum, qui in sepulcris reconditi;

sed commodius vertitur per *infernum*, ut sit sensus, futurum in extremo judicio, ut illi quoque, quos infernus vivos absorpserat, inde revocentur ad judicium. Augustinus lib. 20. de civit. Dei cap. 15: *Mors et infernus reddiderunt mortuos suos. Mors propter bonos, qui tantummodo mortem perpeti potuerunt, non et infernum; infernus autem propter malos, qui etiam poenas apud inferos pendunt.* Si obvertas v. 14. addi, *quod mors et infernus missi sint in stagnum ignis, id vero non satis commode exponi posse de inferno, alias enim sequetur, infernum missum esse in infernum, ac proinde per infernum intelligi sepulcrum hoc sensu, quod aliqui et quidem plerique illorum, quos mors et sepulcrum reddiderant, missi fuerint in stagnum ignis;* respondemus, nullam in eo esse absurditatem, si dicatur, quod infernus *μετωνυμικῶς* acceptus, id est animae impiorum, quae ex inferno revocatae erant, corporibus suis redunitae in infernalem ignem fuerint projectae. Augustinus d. l. existimat, nominibus illis significari *diabolum, quoniam mortis est auctor et infernarum poenarum, universamque simul daemonum societatem.* Quidam exponunt hoc modo, mors et infernus respectu piorum et glorificatorum penitus sunt deleta et exstincta, ut in eos nullam amplius obtineant potestatem, sicut diabolus et omnes ecclesiae hostes, qui in lacum ignis projecti 1. Cor. 15, v. 54. 55. Quidquid sit, interim relinquitur illud, per infernum non sepulcrum sed damnatorum domicilium hic intelligi. 3) Ac proinde nullus in Novo Testamento occurrit locus, in quo vox ᾅδης non possit satis commode de inferno accipi, quod probe notandum. Origenes lib. 3. περὶ ἀρχῶν: *Infernus superior terra, inferior tartarus appellatur.* 4) Rabbinus Mardochai Nathan in cap. conc. Hebr. p. 874. eodem modo exponit. שְׁאוֹל, inquit, *idem est quod sepulcrum, infernus, gehenna*; rabbinus David Kimchi in Psalm. 9. in illud *convertantur impii in infernum*, idem rabbinus David et rabbinus Aben Ezra in illud Psalmi 139. *si descendero in infernum, ades*, rabbinus Levi in Job. cap. 26. et Proverb. 15. exponunt per *locum damnatorum;* Chaldaeus interpres plerumque reddidit per גֵּיהִינָם, *gehennam.* Galatinus lib. 6. de arcan. cap. 7: *Infernus apud Hebraeos multis appellatur nominibus, ex quibus unum est scheol.* Schindlerus in lexic. p. 1782: *Scheol significat primo sepulcrum, deinde infernum, gehennam.* Buxtorfius in thesaur. p. 754: *Scheol sepulcrum, infernus, significat in genere locum humanorum corporum post mortem, unde communiter pro sepulcro, interdum etiam pro inferno ponitur.* 5) Calvinus in psychopann. scribit, *scheol interdum accipi pro sepulcro, sed ut plurimum pro statu damnatorum.* Beza lib. contra Brent. *in meridie eos coecutire* dicit, *qui ex historia Lazari et divitis Luc. 16. non deducunt verum locum inferorum, ubi damnati torqueantur.*

6. 3. *Contra Photinianos*, qui statuunt, infernum nihil aliud esse quam *statum mortuorum*, atque ad infernum descendere nihil aliud esse quam *mori*, qua ratione quartam significationem opponunt primae. Cumque mors ipsis sit *annihilatio*, animae scilicet et corporis exstinctio, ut in tract. de morte §. 149. ostendimus, consequens est, esse in inferno ipsis nihil aliud esse quam in nihilum redigi. Socinus in tract. de eccles. in explicat. loci Matth. 16, v. 18. p. 69: *Infernus in sacris literis ubique (nisi vehementer fallor) significat statum ac conditionem mortuorum, atque ea differentia, quae est inter mori et esse in statu mortuorum, eadem et non alia re vera est inter mortem et infernum, quod quidem attinet ad ipsas sacras literas, in quibus non alio quam praedicto sensu distinguitur haud raro inter mortem et infernum, ita ut infernus aliud plus significet quam mors, quemadmodum aliquid plus est esse in statu mortuorum quam mori.* Et postea: *Portae inferni re vera nihil aliud sunt quam ipse infernus, non aliter atque portae mortis idem re vera sunt quod ipsa mors.* Psalm. 9, v. 14. Psalm. 107, v. 18. p. 70: *Est igitur sensus Christi verborum, ipsum infernum seu omnem vim ac potestatem inferni non praevalituram ecclesiae, id est eos, qui* XX. 147.
vere Christiani fuerint, in mortuorum statu et conditione non remansuros sive, ut ex ipso verbo praevalendi elicitur, mortuorum statum et conditionem illis non dominaturam. Schmaltzius contra Frantzium disp. 7. poster. in August. confess. p. 409: *Solos pios victuros in aeternum, nonne est petitum ex penetralibus sacrarum literarum? Jam si quis inde colligat, impios aeternum non victuros, id non nostrae sententiae, sed sacris literis potius asscribendum esset.* p. 410: *Cum porro de interitu vel judicio daemonum legitur, nonne delendos eos esse hinc jure colligi potest?* p. 414: *Locus Matth. 10, v. 28. perditionem tantum animae in gehenna, non cruciatum denuntiat.* p. 415: *Impios futuros etiam immortales, nempe in aeternum opprobrium, nec usquam sacrae literae comprobant, nec quidquam ex illis afferri posse videtur, unde sententia illa probari possit.* Idem in refut. disp. 3. de person. Christi p. 71: *Descensus Christi ad inferos aliud nihil significat quam statum Christi post mortem, qui idem scilicet fuerit cum statu aliorum mortuorum, et necessarium quoddam consequens mortis censendus est.* Et postea: *Descensus Christi ad inferos est tantum conditio consequens mortis perpessionem.* Huic Photinianorum somnio ex parte assurgit Antonius de Guevara in exegemat. in Hab. not. 108. et seqq. ubi *portas inferni* per *portas mortis* *ἐξηγητικῶς* declarat. Sed ostendemus inferius, infernum non esse definiendum per *ἀνυπαρξίαν*, sed per gravissimorum et aeternorum cruciatuum passionem; hoc loco breviter monemus, dicta Scripturae, quae pro stabilienda prima τοῦ שְׁאוֹל καὶ ᾅδου significatione adduximus, non posse Photiniano sensu exponi, tum quia *non entis ut nullae actiones et qualitates, ita quoque nullae passiones*, quas tamen damnatis in inferno constitutis longe atrocissimas Scriptura attribuit, tum quia absurdissimae inde orientur expositiones. Nam *vivum in infernum de-*

scendere erit vivum in statum mortuorum transire, Num. 16, v. 33. Psalm. 55, v. 16. *Christum ad infernum descendisse* hunc habebit sensum, quod Christus in nihilum fuerit redactus, cum tamen anima in manu coelestis Patris fuerit, corpus omnis *φθορᾶς* expers in sepulcro quieverit; *si in infernum descendero, tu ades*, hunc pariet sensum, si in nihilum redactus fuero, tu ades etc. Confer quae in quaest. de resurrectione impiorum suo loco superius sunt dicta. Certe qui Photinianam explicationem dicti Matth. 16, v. 18. amplectuntur, quod a non nemine factum esse constat, illi statuere cogentur, esse singulare ecclesiae, id est vere piorum, privilegium, ex statu mortuorum liberari atque ex opposito reliquos extra ecclesiam adeoque omnes impios in illo statu mortuorum manere, qua ratione impiorum resurrectionem consequenter negari in propatulo est.

2. Ὁμωνυμία. 7. Ad *homonymiam* referri potest, 1) quod quidam ex veteribus statuunt, inferni nomine *μετωνυμικῶς* in quibusdam Scripturae dictis intelligi ipsum *diabolum*, quo referunt Job. 26, v. 6. Proverb. 30, v. 16. Apoc. 1, v. 18. cap. 20, v. 14. Augustinus lib. 20. de civit. Dei cap. 15.' Beda in comm. Proverb. 30. Gregorius lib. 17. moralium cap. 12. Primasius et Ansbertus in cap. 1. Apocal. cui expositioni probabilitas conciliari potest ex collatione v. 10. cum 14. in cap. 20. Apoc. quia quod in v. 10. dicitur, *diabolus missus est in stagnum ignis et*
XX. 148. *sulfuris*, id in v. 14. hisce verbis efferri videtur: *infernus missus est in stagnum ignis;* 2) quod nomen inferni in quibusdam Scripturae dictis accipitur pro *ipsa damnatione* sive morte aeterna, quam diaboli et homines impii sustinebunt, in quibusdam vero pro *πού*, in quo ejusmodi supplicia patientur, qua de re in quaestione *περὶ τοῦ τί ἐστι* plenius agetur.

3. Συνωνυμία. 8. *Synonymia* inferni sunt complura. Hebraeis praeter scheol vocatur 1) אֲבַדּוֹן, *perditio*. Job. 26, v. 6: *Nudus scheol coram eo, et non est operimentum* לָאֲבַדּוֹן, cui parallelus est locus Proverb. 15, v. 11: שְׁאוֹל וַאֲבַדּוֹן, *scheol et perditio, coram Domino.* (Quidam posterius censent *ἐξηγητικόν* prioris, quidam vero per scheol intelligunt *sepulcrum*, per abaddon *infernum.* Utraque significatio textui et fidei analogiae congruit. Sensus enim est, si nec in sepulcro, nec in inferno, ubi est aeterna mors et perditio, nihil est, quod Deum *παντεπόπτην* lateat, quanto minus coram ipso absconditae sunt cogitationes hominum in intimis cordium recessibus latitantes. Mercerus et Buxtorfius accipiunt de *centro sive locis imis terrae*, quae vocentur *perditio*, quia res, quae ibi sunt, sint velut nobis perditae, utpote procul a conspectu nostro remotae. Quidam utrumque accipiunt de *sepulcro*, cum Psalm. 88, v. 12. אֲבַדּוֹן eo sensu usurpetur et scheol in aliis Scripturae dictis pro *sepulcro* ponatur; sed praestat de inferno, qui maxime videri posset a conspectu Dei remotus, intelligere, quomodo etiam rabbini exponunt, unde etiam abaddon ipsis est nomen *cacodaemonis*, inferni principis, cui respondet Graecum *ἀπολλύων* Apoc. 9, v. 11.) Job. 28, v. 22: אֲבַדּוֹן וָמָוֶת, *perditio* sive infernus *et mors*, *dixerunt, in auribus nostris audivimus auditum ejus.* Locus hic priori parallelus est, quem Mercerus hoc sensu exponit, *quod Dei sapientia ac providentia ad infima terrae loca se extendat*, sicut metallorum in cavernis terrae generatio ostendit; sed potest etiam commode hoc sensu accipi, quod diabolus, auctor mortis ac perditionis, non possit divinam sapientiam, quam in ecclesiae congregatione ac conservatione exserit, comprehendere, quia v. 21. dixerat: *Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres coeli*, id est angelos, *ipsa latet.* Psalm. 88, v. 12: *Numquid narrabitur in sepulcro misericordia tua et veritas tua* בָּאֲבַדּוֹן, *in perditione* sive inferno? Proverb. 27, v. 20: שְׁאוֹל וַאֲבַדֹּה, *infernus et perditio non saturabuntur.* Huc pertinent dicta, in quibus mentio fit *ἀπωλείας* impiorum, ea enim non solum temporalem, sed etiam aeternam eorum in inferno perditionem complectuntur Proverb. 11, v. 10. cap. 28, v. 28. Jer. 12, v. 17. Obad. 1, v. 12. 2) תֹּפֶת. Esa. 30, v. 33: *Ordinata est ab heri* תָּפְתֶּה, *fovea*, Targ. גְּהִנָּם *gehenna, ipsi regi*, denuntiatur enim regi Assyriorum animae et corporis interitus. Potest etiam huc referri locus Job. 17, v. 6: *Posuit me Deus in proverbium populorum*, וְתֹפֶת, Targ. *gehenna, coram eis sum*, id est abominabilis eis sum tanquam ipsa gehenna. Alii exponunt sensu plane contrario, qui antea eram tophet, *tympanum*, id est laetitia vel gaudium. Lutherus videtur legisse מוֹפֵת, *prodigium*, quod ab eadem radice inusit. יָפַת descendit. Huic tophet cognata est 3) vox גְּהִנָּם, quae in paraphrasi Chaldaica d. l. et in Novo Testamento occurrit Matth. 5, v. 22. 29. et 30. cap. 10, v. 28. cap. 23, v. 15. et 33. Marc. 9, v. 43. 45. et 47. Luc. 12, v. 5. Jacob. 3,' v. 6. גֵּי בֶן־הִנֹּם, *vallis filii Hinnom*, ut plene scribitur
Jos. 15, v. 18. cap. 18, v. 16. vel גֵּיא בֶן־הִנֹּם Jerem. XX.
7, v. 31., vel contracte גֵיא הִנֹּם Nehem. 11, v. 30. et una dictione גֵּי הִנֹּם, Graecis elisa adspiratione et abjecto מ *γέεννα.* Fuit vallis urbi Hierosolymae vicina, amoena et Cidronis aquis irrigua, cujus dominus olim fuit Hinnom aut hujus filius. In illa valle erat locus תֹּפֶת sic dictus a תֹּף, *tympano*, in quo filios et filias offerebant idolo Moloch, sicut ethnici Saturno, ita ut pater filium suum traduceret per duas pyras, donec combustus moreretur, quod dum fieret, interim tympana et alia instrumenta musica pulsabantur, ne pueri, qui per ignem traducebatur, ejulatum pater audiret eumque a manibus sacerdotum repeteret, impii parentes etiam ad tympanorum sonitum saltabant, ne ejulatum audirent, 2. Reg. 16, v. 3. 2. Paral. 33, v. 6. Jerem. 7, v. 31. Existimabant, si pater unum ex filiis traduceret, reliquos fore salvos ac patrem in omnibus felicem. Lyranus in comment. Levit. 18. ex rabbinis scribit, *Moloch fuisse idolum cupreum ad formam hominis factum, interius concavum, et in illa concavitate accensum fuisse ignem, quousque idolum esset quasi ignitum, et tunc positum fuisse*

puerum inter manus idoli. Ad hanc idololatriam abolendam rex Josias locum illum contaminavit praecipiendo, ut in eum equorum, mulorum aliorumque animalium cadavera ac sordes projicerentur, er hat den Ort zum Schindleich gemacht, ne quis amplius ibi liberos suos comburere vellet. 2. Reg. 23, v. 10: *Et contaminavit* (Josias) *tophet, quod est in valle filii Hinnom, ne quis traduceret filium suum aut filiam suam per ignem ipsi Moloch.* Inde ibi erat perpetuus ignis, quo sordes et ossa cadaverum comburebantur, ex quo factum, ut *μεταφορικῶς* locus supplicii impiorum post mortem 1. *ignominiae,* 2. *cruciatus,* 3. *ejulatus,* 4. *horroris et ignis ἀσβέστου* causa vocaretur gehenna. Quidam addunt etiam, *voraginis et hiatus* causa infernum conferri cum topheth, sicut et Lutherus Esa. 30, v. 33. Hebr. תָּפְתֶּה reddidit per *foveam*, sed rabbini memorant, topheth non fuisse obscurum quoddam specu vel foveam subterraneam sed amoenam vallem, nisi quis statuere velit, progressu temporis, postquam Josias locum illum contaminavit, foveam in eo fuisse factam. Sed Brocardus in descriptione locorum Terrae sanctae tradit, *vallem Gehinnon adhuc hodie esse loca amoenissima, deliciis plena, viridariis et hortis consita, irrigata a torrente Cidron.* Hieronymus in comm. cap. 10. Matth. tom. 6. p. 17: *Nomen gehennae in veteribus libris non invenitur, sed primum a Salvatore ponitur. Quaeramus ergo, quae sit hujus sermonis occasio. Idolum Baal fuisse juxta Hierusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non semel legimus. Haec vallis et parva campi planities irrigua erat et numerosa plenaque deliciis, lucusque in ea idolo erat consecratus. In tantam autem dementiam populus Israël venerat, ut, deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret et rigorem religionis deliciae vincerent, filiosque suos daemoniis incenderent vel initiarent. Et appellabatur locus ille gehennom, id est vallis filii Hennom. Hoc regum volumen et Paralipomenon et Hieremias scribunt plenissime. Et comminatur Deus, se locum ipsum impleturum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam vocetur topheth et Baal, sed vocetur polyandrium, id est tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia et poenae perpetuae, quibus peccatores cruciandi sunt, hujus loci vocabulo denotantur.* Christus in locis paulo superius citatis vocat *gehennam ignis*, quod utroque modo exponi potest, *ignis gehennalis* et *gehenna ignea* sive ardens, juxta
XX. 150. canonem idiotismi Hebraici: *Duo substantiva in statu regiminis sunt posita, modo prius sive regens, modo posterius sive rectum est, loco adjectivi.* Reliquas inferni appellationes recenset Galatinus lib. 6. de arcan. cap. 7. ubi ex rabbinis sic disserit: *In lib.* ערובין *in cap.* עושין פסין *legitur, quod rabbinus Jehosuas filius Levi dixit, septem esse gehennae nomina, quae sunt* שְׁאוֹל *infernus,* אֲבַדּוֹן *perditio,* בְּאֵר שַׁחַת *puteus vel lacus corruptionis* Psalm. 55, v. 24. בּוֹר שָׁאוֹן *puteus tumultus vel mugitus* et טִיט הַיָּוֵן *lutum fecis* Psalm. 40, v. 3. צַלְמָוֶת *umbra mortis* Psalm. 107, v. 14. שְׁאוֹל תַּחְתִּית *infernus inferior* Deut. 32, v. 22. et Psalm. 85, v. 13. Schindlerus in lexic. in voce גרא addit, *infernum etiam a rabbinis vocari* צִיָּה *siccitatem*, adducit enim dictum rabbinorum, *quod infernus infixus in terra septem habitationibus,* גְּהִנֹּם תֹּפֶת אֲבַדּוֹן צַלְמָוֶת צִיָּה שְׁאוֹל אֶרֶץ תַּחְתִּיָּה

9. Graecis infernus vocatur 1. *ᾅδης* vel *ἀΐδης*, de quo jam ante egimus in etymologia. Cognatum est nomini *ᾅδης* ac *ἀΐδης* vox *ἄϊς*, de qua Varinus dicit, quod sit composita *παρὰ τοῦ Α στερητικοῦ;* 2. *τάρταρος*, quod nomen in Scripturis quidem non occurrit, sed verbum ex eo formatum *ταρταρόω, in infernum detrudo,* habetur 2. Petr. 2, v. 4. Dictus autem *τάρταρος* secundum Varinum in lexic. col. 1733. et Eustathium, *ὅτι τετάρακται καὶ κατέψυκται ἀὴρ ὢν καθ' Ὅμηρον, ἠερόεντα γὰρ αὐτὸν λέγει, ἠγερθεὶς ἐστιν ἤτοι σκοτεινὸς καὶ οὐ λάμπεται, ἀὴρ μέντοι ὑπόγαιος καὶ ἀνήλιος καὶ διὰ' τοῦτο ψυχρός,* quia *frigidus est et egelidus*, cum sit solis et luminis expers et ob id frigidissimus. Quidam vero inde dictum putant, *ὅτι τείρει καὶ δαμάζει ἅπαντα, quia domat omnia et, quod semel hausit, sine spe reditus detinere conatur; vel quia ταράττει, perturbat et confundit omnia*, est enim in inferno mera *ἀταξία*, horribilis confusio et perturbatio; vel etiam quia terret viventes, quis enim ad ejus memoriam non extimescat? Stephano in thesaur. tartarus dictus videtur a *ταράσσω* vel *διὰ τὸ ταραχῶδες ἐκεῖ τοῦ ἀέρος, vel quia opacis suis tenebris aut etiam frigore ταράσσει καὶ ταρβεῖν ποιεῖ*, id est *exterret et tremefacit.* 3. *γέεννα*, de qua voce diximus in nomenclatura Hebraica; 4. *ἄβυσσος*, Luc. 8, v. 31. Rom. 10, v. 7. Apoc. 9, v. 1. cap. 11, v. 7. cap. 17, v. 8. cap. 20, v. 1. et 3. *βυσσός* est profundum mare Iliad. *ω*, ubi notant grammatici *βυθόν* ab Ionibus dici *βυσσόν*, inde *ἄβυσσος* per pleonasmum *ἐπιτατικόν* idem quod *ἄβυθος imus ac profundissimus locus.* Suidas deducit a *δύω* subeo, ingredior, ex quo per mutationem fit *βύω*, fut. *βύσω*, inde *βυσσός* et *ἄβυσσος*, quo nemo ob profunditatem ingredi potest. Quidam *βύω* exponunt tego, ut *ἄβυσσος* sit *locus, qui a multitudine aquarum operitur.* Aretas in Apocal. hanc tradit etymologiae rationem, quod profunditas illa maris non *βέβυσται, non est operta nec obturata, sed magno hiatu semper patet.* Quidam rectius putant *ἄβυσσον* dictam *ἀπὸ στερητικοῦ μορίου Α καὶ βυσσός*, ut sit altitudo expers fundi. LXX interpretes utuntur plerumque pro inexhausta maris voragine, quae Hebraeis dicitur תְּהוֹם, sed in Novo Testamento hoc nomine vocatur infernus, qui est quasi altissima et profundissima quaedam vorago omnes diabolos et damnatos olim in sinum suum receptura. Sicut abyssus non habet fundum, sic damnatorum cruciatus non habet terminum. Praepostera est etymologia Alexandri Alensis, qui abyssum dictum putat ab *α*, quod est sine, et bysso, quod est genus lini candidissimi, ut sic abyssus dicatur *quasi sine claritate.* Gersonius tractat. 11.
super Cantic. Mariae *septem* ponit *abyssos.* Scho- XX. 151.

lastici monent, *vocem abyssi accipi dupliciter*, 1. *proprie et literaliter*, *ut notet impenetrabilem profunditatem maris*, *et* 2. *metaphorice*, *et quidem primo pro peccatis*, *quae sunt abyssus*, *multa et tenebrosa nimis altam damnationis abyssum promerentibus; secundo pro poenis inferni*, *quo referunt illud Psalm. 42: Abyssus abyssum invocat*, *id est de judicio conscientiae ire cogor ad judicium damnationis; tertio pro divinis judiciis*, *quae sunt incomprehensibilia non tantum humano*, *sed etiam angelico sensu.*

10. Latinis infernus vocatur 1. *Avernus.* Fuit autem Avernus lacus Campaniae in sinu Bajano, quem Caesar repurgavit, aqua ejus adeo gravem exhalante odorem, ut aves supervolantes necaret, nomen inde videtur accepisse, quod avibus sit adversus. Servius in Maronem. Hinc μεταφορικῶς a poëtis ad infernum transfertur, ut constat ex illo Maronis:

— — *Facilis descensus Averni,*
Sed revocare gradum et superas evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. libr. 6. Aeneid.

2. *Orcus*, quod itidem poëticum. Quidam derivant ab *urgendo*, sed rectius derivatur a Graeco ὅρκος, quia dii per Stygiam paludem jurare a poëtis finguntur. 3. *Barathrum*, ex Graeco βάραθρον, fuit apud Athenienses supplicii locus, inde μεταφορικῶς ad infernum accommodatur. Germanicum Helle quidam per ἀντίφρασιν dictum putant quasi *minime lucidum*, sicut parcae quasi minime parcentes et bellum quasi minime bellum dicitur. Rectius statuunt, qui a concavitate formant, daß sie hohl und weit, est enim tenebricosus et profundus ille carcer, in quem diaboli et omnes damnati ad aeternas poenas sustinendas in die judicii projicientur.

11. Ad synonymian pertinent *paraphrasticae descriptiones inferni*, quarum quaedam sunt *propriae*, quaedam vero et quidem pleraeque omnes *metaphoricae;* quaedam a *subjectis*, quaedam vero ab *adjunctis* petitae. Vocatur enim infernus *captivitas* Psalm. 68, v. 19. Eph. 4, v. 8. *lacus sine aqua* Zach. 9, v. 11. φυλακή, *carcer*, *in quo novissimus quadrans persolvendus* Matth. 5, v. 26. Luc. 12, v. 58. 1. Petr. 3, v. 19. αὐλή, *aula et palatium*, *Satanae* Luc. 11, v. 21. κάμινος τοῦ πυρός, *caminus ignis*, *ubi erit fletus ac stridor dentium* Matth. 13, v. 42. τόπος τῆς βασάνου, *locus tormentorum* Luc. 16, v. 28. *lacus ac torcular irae* Apoc. 14, v. 19. ἡ λίμνη τοῦ πυρὸς ἡ καιομένη ἐν θείῳ, *stagnum ignis ardens sulfure* Apoc. 19, v. 20. λίμνη τοῦ πυρὸς καὶ θείου, *stagnum sulfuris et ignis*, *in quo cruciabuntur damnati die ac nocte in secula seculorum* Apoc. 20, v. 10. 14. et 15. ἡ λίμνη ἡ καιομένη πυρὶ καὶ θείῳ, *stagnum ardens igne et sulfure* Apoc. 21, v. 8. Cumprimis vero luculenta descriptio inferni exstat Esa. 30, v. 33: *Disposita est ab heri topheth* sive fovea, *etiam ipsa regi praeparata est, profundam fecit*, *dilatavit*, *pyra ejus ignïs et ligna multa erunt*, *flatus Domini sicut torrens sulfuris succendet eam.* Tribuitur inferno ac damnatis in eo constitutis *vermis et ignis* Esa. 66, v. 24. Marc. 9, v. 44. *opprobrium et contemtus sempiternus* Dan. 12, v. 2. πῦρ ἄσβεστον Matth. 3, v. 12. σκότος ἐξώτερον Matth. 22, v. 13. *ignis aeternus paratus diabolo et angelis ejus* Matth. 25, v. 41. Jud. v. 7. κόλασις αἰώνιος, *supplicium aeternum* Matth. 25, v. 46. *interitus aeternus* 2. Thess. 1, v. 9. κρῖμα αἰώνιον, *aeterna damnatio* Hebr. 6, v. 2. σειραὶ ζόφου 2. Petr. 2, v. 4. ζόφος τοῦ σκότους v. 17. Jud. v. 6. et 13. XX. 152
mors secunda et aeterna Apoc. 2, v. 11. cap. 20, v. 6. cap. 21, v. 8. etc. quorum dictorum emphasin in sequentibus expendemus. Apud veteres hae occurrunt descriptiones: Justinus apol. 2. pro Christian. p. 51: ἡ γέεννά ἐστι τόπος, ἔνθα κολάζεσθαι μέλλουσιν οἱ ἀδίκως βιώσαντες καὶ μὴ πιστεύοντες ταῦτα γενήσεσθαι, ὅσα ὁ θεὸς διὰ τοῦ Χριστοῦ ἐδίδαξεν. Tertullianus in apologet. cap. 49: *Infernus est ignis arcani subterraneus ad poenam thesaurus.* Auctor libri de tripl. habitac. cap. 1: *Infernus est locus plenus tenebrarum et stultitiae*, *offensionis*, *discordiae*, *odii*, *amaritudinis*, *doloris*, *tristitiae*, *turpitudinis*, *miseriae et vindictae ineffabilis*, *in igne inexstinguibili*, *denique omnis mali*, *quod nec dici nec cogitari potest.* Haymo in cap. 13. Oseae: *Infernus est locus*, *in quo animae recluduntur ad poenas pro qualitate meritorum.* Anselmus lib. 1. de imag. mundi cap. 11: *Infernus est locus igni et sulfure horridus*, *inferius dilatatus*, *superius coangustatus. Hic lacus vel terra mortis dicitur*, *quia animae illuc descendentes veraciter moriuntur*, *hic et stagnum ignis dicitur*, *quia ut lapis mari*, *ita animae illuc immerguntur. Terra tenebrosa vocatur*, *quia et fumo et nebula foetoris obscuratur; terra oblivionis*, *quia sicut ipsi obliti sunt Dei*, *sic eorum obliviscetur misereri Deus*; *tartarus ab horrore et tremore*, *gehenna*, *id est terra ignis.* Varinus in lexic. col. 35: ᾅδης χωρίον ἀφεγγὲς καὶ σκότους αἰωνίου πεπληρωμένον. *Infernus est locus et lacus perditionis animae et corporis.* Thomas 2. sent. dist. 6. q. 3: *Infernus est horridus*, *tenebrosus et poenalis locus daemonum.* Hebraei vocant מָקוֹם לַמֵּתִים, domum mortuorum, aeterna scilicet morte.

CAPUT II.

DE ΤΩι ΟΤΙ, AN SIT INFERNUS.

12. Ab ὀνοματολογίᾳ transitum facimus ad πραγματολογίαν, in qua primo loco occurrit quaestio περὶ τοῦ ὅτι, *an sit infernus.* Esse infernum, contra Epicureos et empaectas demonstramus: 1. *ex manifestis Scripturae dictis* tam Veteris quam Novi Testamenti. Dicta Veteris Testamenti petita sunt 1. *ex Moyse.* Num. 24, v. 20: *Principium gentium*

An sit Infernu… Affirma… probatu… 1. ex Sc… 1. V. T… 1. ex M… se.

Amalec et novissimum ejus עֲדֵי אֹבֵד, *in seculum perit.* v. 24. *Chittim in seculum peribunt.* Targum reddidit, *finis ejus in aeternum peribit, vel finis ejus erit, ut in aeternum pereat.* Praedicitur ergo Amalecitis et omnibus ecclesiae hostibus ac persecutoribus aeternum exitium, nisi a furore suo desistant et ad Deum convertantur. Deut. 32, v. 22: *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit* עַד שְׁאוֹל תַּחְתִּית, *usque ad infernum inferiorem.* Ira Dei, quae est ignis consumens, non tantum temporalibus, sed aeternis et infernalibus poenis impios afficit. Glossa in libro Tanhuma בְּאַפִּי, *in naso vel furore meo*, exponit *in medio gehennae*, sicut consequenter dicitur, *et ardebit usque ad infernum inferiorem;* Targum *incendium forte sicut ignis egressum est a facie mea et consumsit usque in infernum inferiorem.* Hieronymus in comm. Esa. 65: *Testimonii illius Deut. 32. sensus est, quod ignis*
153. *Dei atque vindicta semper ardeat peccatoribus et eos usque ad inferos persequatur. Qualis erat et dives ille in evangelio purpuratus, qui aeternis torquebatur ardoribus. Terram quoque, hoc est carnem nostram, et genimina ejus, hoc est carnis desideria, eadem flamma comburet et fundamenta montium, quae se elevant contra Dei scientiam. Ipsos quoque montes Dei jacula disperdent, ut humiliati in poenis montes esse desistant.* Gregorius lib. 18. moral. cap. 12: *Impiis flagella ab hac vita inchoant et in aeterna percussione perdurant, unde per Moysen dicit Dominus: Ignis exarsit ab ira mea et ardebit usque ad inferos deorsum. Quantum ad praesentem etenim percussionem spectat, recte dicitur, ignis exarsit ab ira mea; quantum vero ad aeternam damnationem, apte mox subditur, et ardebit usque ad inferos deorsum.* Procopius, Rupertus et alii utrumque ad inferni poenas referunt, dicitur enim hic *ignis succensus*, quia in Dei praescientia et decreto praeparatus est, ut suo tempore diabolos et impios exurat. Matth. 25, v. 41. dicitur *succensus in furore Domini*, quia ira et justum Dei judicium poenas illas infligit impiis. Dicitur ignis *ille arsurus usque ad inferni novissima*, quia ira et ultio Dei non solum in hac vita, sed etiam in futura involvit impios poenis promeritis. Dicitur *terram devoraturus et montium fundamenta combusturus*, quia in die judicii *terra et quae in ea sunt opera*, hoc igne irae divinae exurentur 2. Petr. 3, v. 10.

Ex Jobo. 13. 2. *Ex Jobo.* Job. 7, v. 9: *Sicut deficit nubes et abit, sic descendens in infernum non adscendit.* (Mercerus accipit שְׁאוֹל *pro sepulcro*, ut sit sensus, eum, qui semel mortuus, non reviviscere, scilicet juxta naturam, sed potest etiam haud incommode applicari *ad infernum*, ex quo nulla redemtio. *Quos enim semel in locis poenalibus justitia judicantis damnat, eos nequaquam ultra misericordia parcentis liberat.*) cap. 10, v. 20: *Dimitte me*, cessa a me, *et confortabo me paululum*, v. 21. *antequam vadam et non revertar, ad terram tenebrarum et umbrae mortis*, v. 22. *terram obscuritatis, sicut caligo umbrae mortis, et non sunt in ea ordines et tenebrescet sicut caligo*, vel quod in ea splendidum est caligini simile. (Plerique interpretes accipiunt de morte corporali, per quam homines tentati ac desperabundi videntur sibi ingredi regionem tenebris et densissima caligine obsitam, in qua non sunt vices diei ac noctis, aestatis et hiemis, caloris et frigoris, ortus et occasus siderum, sed mera caligo et confusio etc. Sed Gregorius lib. 9. moral. c. 46. (alias 38.) accipit ut descriptionem inferni. *Quid terrae tenebrosae nomine*, inquit, *nisi tetra carceris claustra signantur? quae aeternae mortis caligo operit, quia damnatos quosque in perpetuum a vitae luce disjungit. Nec immerito infernus terra dicitur, quia quicunque ab eo capti fuerint, stabiliter tenentur. Recte igitur inferni claustra tenebrosa terra nominatur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam poena transitoria vel phantastica imaginatione cruciant, sed ultione solida perpetuae damnationi servant* etc. *Sanctus vir sive sua, sive humani generis voce dimitti se postulat, antequam vadat, non quia ad terram tenebrosam, qui culpam deflet, iturus est, sed quia ad hanc procul dubio, qui plangere negligit, vadit, sicut debitori suo creditor dicit, solve debitum, priusquam pro debito constringaris; qui tamen non constringitur, si quod debet, solvere non moratur* etc. *Quae adhuc loca subtilius describuntur, cum dicitur terra miseriae et tenebrarum. Miseria ad dolorem pertinet, tenebrae ad coecitatem. Ea ergo, quae a conspectu districti judicis expulsos tenet, miseriae et tenebrarum terra dicitur, quia foris dolor cruciat, quos divisos a vero lumine coecitas obscurat. Quamvis miseriae et tenebrarum terra intelligi et* XX. 154.
aliter possit, nam haec quoque terra, in qua nascimur, est quidem miseriae, sed tenebrarum non est, quia multa hic corruptionis nostrae mala patimur, sed tamen adhuc in ea per conversionis gratiam ad lucem redimus, veritate suadente: Ambulate, dum lucem habetis, ne vos tenebrae comprehendant. Illa vero simul et miseriae et tenebrarum terra est, quia quisquis ad toleranda ejus mala descenderit, nequaquam ulterius ad lucem redit. In cujus adhuc descriptione subjungitur, ubi umbra mortis et nullus ordo. Sicut mors exterior ab anima dividit carnem, ita mors interior a Deo separat animam. Umbra ergo mortis est obscuritas divisionis, quia damnatus quisque cum aeterno igne succenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura ignis est, ut ex se ipso exhibeat lucem et concremationem, sed transactorum ultrix illa flamma vitiorum concremationem habet et lumen non habet. cap. 47. (alias 39.) *Abesse ordo suppliciis dicitur, quia quibuslibet rebus in poenam surgentibus propria qualitas non servatur. Unde et protinus subinfertur: et sempiternus horror inhabitat; in hujus vitae tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati jam coeperit, quod metuebat. Infernum vero et umbra mortis obscurat et sempiternus horror inhabitat,*

quia ejus ignibus traditi et in suppliciis dolorem sentiunt, et in doloris angustia pulsante se semper pavore feriuntur, ut et quod timent, tolerent, et rursum quod tolerant, sine cessatione pertimescant. Hic flamma, quae succendit, illuminat, illic ignis, qui cruciat, obscurat; hic metus amittitur, cum tolerari jam coeperit, quod timebatur, illic et dolor dilaniat et pavor angustat. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. Eodem modo hunc locum Jobi exponunt Ambrosius, Ansbertus lib. 7. in Apocal. cap. 16. et Innocentius lib. 3. de contemtu mundi cap. 4.) cap. 20, v. 18: *Luet, quae fecit omnia, nec tamen consumetur, juxta multitudinem adinventionum suarum, sic et sustinebit* (Gregorius lib. 15. moralium cap. 11. ad poenas damnatorum refert. *Persolvit,* inquit, *in tormento ea, quae hic illicita servavit desideria, et flammis ultricibus traditus semper moritur, quia semper in vita servatur* etc. *sed quia multitudo iniquitatis ejus exigit, ut carere suppliciis nunquam possit, apte subjungitur: juxta multitudinem adinventionum sustinebit. Qui enim multa invenit ad culpam, novis inventionibus cruciatur in poena* etc. sed in Hebraeo paulo aliter legitur.) v. 26. *Venient super impium omnes horribiles tenebrae absconditae, et devorabit eum ignis* לֹא נֻפָּח, *non sufflatus*, qui non accenditur, opera scilicet hominis. (In sensu literali accipitur de poenis hujus vitae, quod igne coelitus delapso exempla irae divinae in impios quandoque statuantur, Gen. 19. 2. Reg. 1. quia statim sequitur, *conteretur superstes in tabernaculo ejus.* Sed quia poenae temporales, quae impiis in hac vita irrogantur, sunt initia atque indicia aeternarum poenarum, et quia v. 27. additur *detegent coeli iniquitatem ejus* etc. ideo Chaldaeus et rabbinus Salomon accipiunt *de igne gehennae*, quo etiam respexisse videtur Pagninus, quando vertit *ignis inexstinguibilis*, quod est epitheton *infernalis ignis* proprium Matth. 3, v. 12. Innocentius lib. 3. de contemtu mundi c. 6: *Ignis gehennae nec lignis nutritur, nec flatu succenditur, sed a Deo creatus est inexstinguibilis, scriptum est enim, devorabit eos ignis, qui non succenditur.*) cap. 21, v. 13: *Ducunt in bonis dies suos et momentum ad infernum consternantur.* (Quidam se-
XX. 155. cuti paraphrasten Chaldaeum שְׁאוֹל exponunt *pro sepulcro* ac יֵחַתּוּ exponunt per יֵרֵדוּ, *descendunt*, a rad. פָּחַת, ut sit sensus, impii per totum vitae suae cursum sunt albae gallinae filii et exoptatis rerum successibus fruuntur, quin et in ipso mortis agone non torquentur diuturnis doloribus, non conficiuntur lento morbo, sed repente et suaviter moriuntur facillimo mortis genere hinc abrepti. Sed Lutherus noster ad infernum retulit, sie erschrecken kaum einen Augenblick vor der Helle, hoc est vivunt in supina securitate, nec de morte, nec de inferno cogitantes, qua ratione verbum יֵחַתּוּ formatur a rad. חָתַת, *consternavit*, ut dagesch suppleat ת geminandum. Vulgatus interpres reddidit *in puncto ad infernum descendunt.*) cap. 24, v. 19: *Ut siccitas et calor rapiunt aquas nivis, sic scheol eos, qui peccaverunt.* (Quidam conferunt cum loco praecedente et exponunt scheol *pro sepulcro*, hoc sensu, quod impii facillime et suavissime moriantur, ita ut nihil fere doloris aut cruciatus sentiant, sicut ariditas et calor quam citissime absumunt aquas nivis. Rabbinus Salomon exponit *de hominibus antediluvianis*, quod peccatorum suorum atrocitate ordines et vices anni ac temporum perverterint, sic enim vertit, *siccitatem, calorem et aquas nivales mundo eripiunt impii, quia peccant in infernum, hoc est quia peccata admittunt inferno et gehenna digna.* Simplicissime sic exponitur, quod sicut siccitas et calor repente absumunt aquas nivis, sic infernus impios repentina morte abreptos in momento deglutiat. Vulgata reddidit: *Ab aquis nivium transeat ad calorem nimium usque in infernum peccatum ejus.* Illud itidem ad inferni poenas applicant Augustinus in lib. de triplici habitaculo cap. 2. et ex eo Innocentius lib. 3. de contemtu mundi cap. 8: *Transibunt de aquis ad calorem nimium, ut subita contrariorum mutatio graviorem inferat cruciatum. Experimento cognovi, quod adustus, si frigidum statim adhibeat, ardentiorem sentiet cruciatum.* Durandus 4. sent. dist. 44. q. 10. eodem sensu accipit, sed Hebraea aliter habent.) cap. 26, v. 6: *Nudus infernus coram Domino.* cap. 28, v. 22: *Infernus et mors dixerunt* etc. (confer quae §. 8. superius dicta. Gregorius lib. 17. moralium cap. 12. *inferni et perditionis nomine diabolum omnesque damnationis ejus socios* hoc loco intelligi arbitratur.) cap. 31, v. 12: *Ignis est devorans usque ad perditionem.* (Loquitur de poena adulterii, quod concitet iram divinam, quae exardescens omnes facultates absumit ac perdit, sed quia ira ista, nisi sequatur conversio, *devorat usque ad inferni novissima* Deut. 32, v. 22. ideo LXX interpretes referunt ad infernum: *πῦρ ἐστι καιόμενον ἐπὶ πάντων τῶν μερῶν*, alii legunt *μελῶν*, alii *ἡμερῶν*.) cap. 38, v. 17: *Numquid detectae sunt tibi portae mortis et portas umbrae mortis vidisti?* (Quidam posterius putant esse *ἐξηγητικόν* prioris hoc sensu: *Num in manu tibi sunt rationes, quibus hominum quisque moritur? num varia mortis genera, quibus singuli intereunt, perspecta habes, quis sit status mortuorum, quae natura locorum subterraneorum tetra caligine obductorum quam maxime a nostro conspectu remotorum, quid illic fiat?* Sed potest posterius membrum haud incommode accipi de gehenna, quae nobis maxima ex parte ignota, si de speciali et scientifica singularum circumstantiarum notitia agatur.)

14. 3. *Ex psalmis.* Psalm. 1, v. 4: *Impii sunt* 3. Ex psalmis
tanquam pulvis, quem projicit ventus. (Hilarius in enarr. hujus loci: *Non est impiis comparativae hu-* XX. 15
jus beatitudinis spes relicta, sed vagum eos, obtritum, ventilatum, dispersum et inquietum manet, ut ex illa corporalis soliditatis firmitate decussi ludibrio pulveris differantur in poenam, non in nihilum dissoluti, ut sit in his materies poenalis, sed in

inane ac leve aridumque protriti, ut ludibriosa poenae mobilitate jactentur. Cujus ponae et loco altero idem propheta meminit dicens: Comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo illos. Comparatio itaque ut beatitudinis, ita et poenae constituta est. Quomodo enim nullus labor est vento pulverem dissipare, et quomodo lutum in plateis ingredientes prope calcasse non sentiunt; ita poenae illi inferni facile est impios delere atque dispergere, quos peccatorum ratio et in lutum solverit et comminuerit in pulverem, non relicta neque substantia firmitatis, cum pulvis et lutum sint, et per id quod pulvis et lutum sunt, in naturam tantum poenalis substantiae reservatur. Lutherus tom. 2. Lat. f. 7: *Impii in novissimo die turbinibus aeternis intolerabilis irae Dei pellentur dispergenturque nunquam requiem habituri, ne ad momentum quidem.*) Psalm. 7, v. 13: *Dominus tetendit arcum suum et paravit illum,* v. 14. *et ei parare fecit vasa mortis, sagittas suas in ardentes operabitur.* (Describuntur tres gradus divinae ultionis: primo, *Deus quotidie irascitur,* hoc est per conciones legales iram suam ac poenas populo peccanti denuntiat. Quodsi non sequatur conversio, *tum Deus gladium suum acuit, arcum tetendit, firmavit illum collimando et paravit sibi instrumenta mortis.* Hic est secundus vindictae divinae gradus complectens conciones reales, hoc est omnis generis temporales poenas impiis immissas, quales sunt bellum, pestis, fames etc. Quodsi ne istis quidem impii emendantur, restat ultimus ultionis gradus, videlicet ignis infernalis, de quo dicit psaltes, *sagittas suas efficiet in ardentes,* hoc est parabit ejusmodi spicula, quae igne infernali nunquam delebili et inexstinguibili ardent. Gesnerus in comm. illius psalmi.) Psalm. 9, v. 18: *Convertantur impii in scheol, omnes gentes Dei immemores.* (Quidam exponunt *de sepulcro,* sed impios manet non solum temporalis, sed etiam aeterna mors in inferno.) Psalm. 11, v. 6: *Pluet Dominus super impios laqueos, sulfur et ignem et spiritum procellarum partem calicis eorum.* (In Sodomitico incendio, quod fuit praeludium quoddam ignis infernalis, pluit Dominus sulfur et ignem Genes. 19, v. 24. eadem poena in die judicii opprimet omnes impios. Innocentius lib. 3. de contemtu mundi cap. 4: *Poenae infernales secundum diversa peccata sunt diversae, prima poena est ignis, secunda frigoris, tertia foetoris. De his tribus dicitur in psalmo, ignis, sulfur et spiritus procellarum pars calicis eorum.*) Psalm. 21, v. 9: *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos, inveniet odio habentes te,* v. 10. *pones eos ut clibanum ignis in tempore irae tuae, Dominus in naso suo deglutiet eos et peredet eos ignis.* (Ira divina ignis instar absumens impios non tantum in hac, sed etiam ac vel maxime in futura vita ardet.) Psalm. 28, v. 1: *Ad te Domine clamavi, ne sileas a me et assimiler descendentibus* בּוֹר, *in lacum* vel puteum (infernalem, additur enim v. 3: *ne tradas me cum impiis,* ac superius ostendimus, inter inferni appellationes a rabbinis etiam hanc referri). Psalm. 31, v. 18: *Erubescant impii et convertantur in infernum.* Psalm. 34, v. 22: *Mors peccatorum pessima.* (In Hebraeo est *occidet impium improbitas,* quod non solum de temporali, sed etiam
aeterna morte recte accipitur.) Psalm. 49, v. 15: XX. 157.
Sicut pecora in inferno ponentur, mors depascet eos, infernus erit habitaculum ipsorum, v. 20. *usque in aeternum non videbunt lumen.* (Agitur de impiis, quos aeterna manet damnatio, describitur autem in his verbis 1. *damnatorum multitudo,* sunt instar magni et copiosi cujusdam gregis; 2. *crucia uum magnitudo,* ducentur non ad amoena pascua, sed ponentur in inferno, non depascent virentia gramina rore divinae gratiae conspersa, sed mors ipsos depascet; 3. *cruciatuum longitudo,* Innocentius lib. 3. de contemtu mundi cap. 9: *Dictum est hoc a simili jumentorum, quae non radicitus evellunt herbas, sed summitates solummodo carpunt, ut iterum herbae renascantur ad pastum; sic et impii quasi morte pasti, reviviscent ad mortem, ut aeternaliter moriantur.*) Psalm. 55, v. 16: *Mors debitum ab eis exigat, descendant vivi in infernum* (sicut Core, Dathan et Abiran, Num. 16.). Psalm. 58, v. 9: *Super eos cecidit ignis, et non viderunt solem.* (Gregorius lib. 9. moral. cap. 38. ad infernum accommodat. *Ignis,* inquit, *super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur, quia illos, quos gehennae flamma devorat, a visione veri luminis coecat, ut et foris eos dolor combustionis cruciet et intus poena coecitatis obscuret.* Verum in Hebraeo aliter legitur: Sicut limax diffluit, sic praeteribit; sicut abortivum mulieris non videbunt solem.) Psalm. 63, v. 10: *Introibunt* בְּתַחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ, *in inferiora terrae.* (Quidam referunt ad infernum, sed rectius videtur accipi *de sepulcro,* additur enim v. 11. *pars vulpium erunt,* quia vulpes corporibus defunctorum in sepulcralibus cavernis solent insidiari.) Psalm. 75, v. 9: *Feces irae divinae sorbebunt et bibent omnes impii terrae.* (Pii in hac vita paterne castigantur et ex poculo crucis exiguum quendam haustum, qui tamen ipsis salutaris est, bibunt, sed impii feces irae divinae coguntur exhaurire, quae aeternum exitium in inferno ipsis inferunt.) Psalm. 91, v. 8: *Oculis tuis adspicies et retributionem impiorum videbis.* (Bernhardus serm. 8. in psalmum: *Qui habitat,* refert ad retributionem, quae fiet impiis ad infernum damnatis in die novissimo. *In illa,* inquit, *tanta separatione quemadmodum hoedis agnorum divisio gravissimi livoris occasio fiet, sic electis e regione consideratio reproborum immensa quaedam materia gratiarum actionis et laudis. Unde enim justi tam magnifice gratias agerent, nisi cum illa inexcogitabili felicitate, qua perfruuntur, ipsam quoque retributionem cernerent injustorum, a quibus sola misericordia Redemtoris sese esse segregatos fidelissime et devotissime recordantur? Unde vero impii tanto animi furore tabescerent, nisi in regnum summae beatitudinis coram sese vidissent alios introduci, et tunc demum in illos sese*

foetores, in illos horrores, in illos aeterni incendii cruciatus, in illas denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos? etc.

4. Ex libris Salomonis. 15. 4. *Ex Salomone.* Proverb. 9, v. ult.: *Adulter ignorat, quod ibi sint mortui et quod in profundis inferni convivae ejus* (non cogitat, quod vagae et illicitae libidines temporales et aeternas poenas homini accersant). Prov. 15, v. 11: *Infernus et perditio coram Domino* (confer quae dicta sunt §. 8). v. 24. *Via vitae est desuper intelligentem, ut declinet ab inferno inferiori.* cap. 19, v. 29: *Parata sunt derisoribus judicia et percussiones corpori stultorum.* (Epicurei et empaectae, quos Salomon hic appellat לֵצִים, sero tandem infernum esse experi-
XX. 158. mento credent, qui vitam aeternam credere noluerunt. Innocentius lib. 3. de contemtu mundi cap. 4. *inter poenas infernales* recenset *malleos percutientes*, quod probat ex hoc dicto Salomonis, quod hisce allegat verbis: *Parata sunt damnationis judicia blasphematoribus et percutientes mallei stultorum corporibus.*) cap. 23, v. 14: *Si filium percusseris virga, ab inferno erues animam ejus* (dum ab impietate eum pia correctione abstrahis et verum Dei timorem ipsi instillas, prohibes, ne in tartarum infernalem incidat). c. 27, v. 20: *Infernus et perditio non saturantur.* cap. 30, v. 16: *Tria sunt insaturabilia, infernus, matrix sterilis* etc. (Paraeus in comm. Genes. 37. *de sepulcro* mavult exponere, eo quod *infernus satietur, cum non omnes homines, sed soli impii in inferno absorbeantur, terra autem non satietur, cum omnes homines boni et mali cogantur mori et sepeliri.* Atqui Salomon non loquitur de *effectu* seu eventu, sed de *affectu*, quem προσωποποιϊκῶς inferno tribuit. Quamvis enim multi descendant in infernum, tamen infernus illis non satiatur, sed semper plures expetit, quia diabolus, inferni princeps, plures in damnationis consortium pertrahere semper desiderat et conatur. Si de eventu loqueretur rex sapiens, etiam de sepulcro dici posset, quod tandem satietur, quia in die novissimo mors novissimus ille hostis destruetur 1. Cor. 15, v. 26. Beda in comm. Proverb. 30. monet, quosdam per infernum ibidem intelligere *diabolum*, qui insatiabilis est de seductione humana.) Cant. 8, v. 6: *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.* (Zelotypia similis est inferno, sicut enim infernus eum, quem semel corripit, perpetuo torquet; sic zelotypiae furor, ubi alicujus animum occupaverit, nunquam exstinguitur aut remittitur. Glossa in h. l.: *Dura sicut infernus aemulatio, quia Dei amor nullius hostium tentamentis a nostrae salutis cura revocari potuit, sicut infernus nullis miserorum cruciatibus mitigatur, nec a severitate suae sententiae mutatur, quanto austerior comparatio, eo acrior zelantis eos Domini commendatur affectus.*)

5. Ex prophetis. 16. 5. *Ex prophetis.* Esa. 5, v. 14: *Propterea infernus dilatavit animam suam et aperuit os suum praeter morem, et descendet decorus et multitudo ejus et turba ejus et coetus ejus ad eum.* (Quidam accipiunt *de sepulcro*, quod hiante quasi ore praedam expetat ac devoret; sed quia de poena impiorum ibi agitur, ideo potest etiam de inferno accipi, in quem impii post mortem descendunt. Hieronymus in comm. illius loci: *Infernus animam habere dicitur, non quod animal sit, sed quod verbis humanae consuetudinis rerum insensibilium exprimamus affectum, quod insatiabilis sit et nunquam mortuorum multitudine expleatur.*) Esa. 14, v. 9: *Infernus deorsum conturbatus est propter te in occursum adventus tui, suscitavit tibi mortuos, omnes hircos terrae surgere fecit de soliis suis, omnes reges gentium.* v. 10. *Omnes isti dabunt responsa et dicent ad te: Etiam tu vulneratus es sicut nos, nobis assimilatus es,* v. 11. *depressa est ad infernum superbia tua, concidit cadaver tuum, subter te sternetur tinea et operimentum tuum erunt vermes etc.* (Quidam hanc prosopopoeiam de mortuis exponunt, quos rex Babylonis aut e regno depulerat, aut vita spoliaverat, qui finguntur Babylonio post mortem assurgere et eum in consortium sui non sine quodam sarcasmo recipere, Vatablus, Arias Montanus, Sanctius etc. sed Hieronymus in comment. rectius accipit de regibus impiis gehennae carceri mancipatis, XX
qui introducuntur regi Babylonio assurgere, ac cum ipsi graviter torqueantur, regi tamen Babylonis in tormentis primum locum concedere, additur enim v. 13. *dixisti in corde tuo, coelum adscendam,* v. 15. *veruntamen ad infernum depnimeris in profundum laci,* hoc est putabas, super astra in coelo tibi deberi locum, sed ad infimum usque infernum detraheris, qui aeternum est damnatorum domicilium. Periret vero illa oppositio summae gloriae et extremae ignominiae, si per scheol intelligeretur sepulcrum. Adde quod rex Balthasar, de quo potiores interpretes hunc locum accipiunt, non fuerit sepultus, sed inter occisorum cadavera computruerit.) Esa. 24, v. 22: *Visitabit Dominus etiam super reges, et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum.* (Videri poterant impii reges judicii et poenae expertes, cum in hac vita superiorem judicem agnoscere nolint, Deus igitur per prophetam minatur, quod nulla habita regiae potestatis ac splendoris ratione etiam ipsi in die judicii sint judicandi et puniendi, adeoque cum humili plebecula in eundem supplicii locum detrudendi. *Peribunt,* inquit, *reges terrae et ad falcem sive cumulum aliorum, qui sunt in lacu et aeterno carcere, congregabuntur.* Haymo in comm.: *Congregabuntur congregatione unius fascis, ut qui pares sunt in culpis, damnentur pariter et in poenis, avari cum avaris, luxuriosi cum luxuriosis* etc.) Cap. 25, v. 10: *Triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur paleae in plaustro, et extendet manus suas in medio ejus sicut natans ad natandum, et humiliabit superbiam ejus cum brachiis manuum ejus.* (Quidam de temporali Moabitarum excidio hoc vaticinium accipiunt, quia sequitur v. 11. *et munimenta sublimium murorum tuorum concident;* sed quia in praecedentibus de aeterna beatorum felicitate et gloria propheta egerat, ideo haec verba non absurde ad aeternum impiorum exi-

tium, quod verbis hujus seculi et a clade temporali petitis in sacris literis describi solet, referuntur. Per Moab igitur συνεκδοχικῶς usitato Hebraismo intelliguntur omnes ecclesiae hostes, sicut Esavi et Babylonis nomine iidem quandoque designantur. Hic ergo Moab *sub pedibus Dei*, justi judicis ac vindicis, cujus manus omnes lacrymas ab oculis beatorum absterget, *conculcabitur ac comminuetur ut palea*, quae sub ferrato carpento in orientis provinciis minutissime concidi ac conteri consueverat, ut animantium esui esset apta, hoc est impii instar paleae ab ira divina conterentur, ut sint materia ignis inexstinguibilis Matth. 3, v. 12. Hebraeum מַדְמֵנָה Pagninus, Vatablus et alii reddunt *per fimetum ac sterquilinium*, a rad. דָמַה, *silentium*, quia quae foeda et turpia sunt, non nominantur, sed silentio involvuntur, sic ergo erit sensus, sicut paleae in sterquilinium projectae pedibus conculcantur, sic impii a facie Dei in infernalis foetoris sordes abjecti omnium contemtui exponentur. Quod additur, *extendet manus suas sicut natans ad natandum*, illud frustraneum ex poenis infernalibus eluctandi conatum exprimere videtur. Quemadmodum enim in medio mari submersus frustra manus suas ad natandum extendit, ut ad littus appellere possit, subinde enim a fluctibus corripitur ac demergitur; sic qui in infernalem abyssum detrusi quantiscunque liberationem suam quaerant conatibus ac dolorum suorum lenimentum quaerant, frustra tamen se laborare intelligent.) Esa. 30, v. 33: *Disposita est ab heri topheth, etiam ipsa regi praeparata est, profundam fecit*
XX. 160. *eam, dilatavit, pyra ejus ignis et ligna multa erunt, flatus Domini sicut torrens sulfuris ardentis in ea.* (Sanctius in comment. exponit de ingenti illa strage, quam *rex Assyriorum* prope Jerusalem in valle topheth accepit, interim non potest nec audet repudiare communem patrum expositionem, qua de inferno hic locus propheticus exponitur. In eum enim omnia aptissime conveniunt, quae hoc loco a propheta recensentur, 1. *appellatio*, nomen topheth inferno tribui ostendimus superius, ubi etiam causam hujus nomenclaturae exposuimus. 2. *Causa efficiens*, fovea illa *praeparata est ab heri*. Phrasis *ab heri* duplici modo in Scripturis usurpatur, 1) *pro tempore proxime antegresso* Job. 8, v. 9. Psalm. 90, v. 4; 2) *pro tempore longinquo*, quo sensu hoc loco usurpatur. *Ab heri praeparata est fovea*, hoc est a tempore longinquo, imo ab aeterno, quia *heri* omne tempus, quod antecessit, imo ipsam aeternitatem significat, cum in aeternitate quodcunque seculorum spatium sit quasi dies hesterna Hebr. 13, 8. Qua vero ratione quove sensu infernus dicatur *praeparatus ab aeterno*, postea explicabimus. Quidam statuunt, poenarum aeternitatem et continuam atrocitatem indicari, quia ad poenarum in inferno finem non magis acceditur post multorum seculorum decursum, quam si *heri*, id est recenter, essent inchoatae, ac poenae illae semper erunt novae ac recentes, nec minor est earum horror, nec minus excruciant post immensa multorum seculorum spatia, quam cum primum illas damnati experiri coeperunt. 3. *Objectum* fovea illa *etiam regi* praeparata est. Loquitur propheta ῥητῶς, in sensu literali, specialiter *de rege Assyriorum Balthasare*, insigni ecclesiae persecutore, sed potest etiam συνεκδοχικῶς *in genere* applicari ad reges impios, praesertim ecclesiae hostes et persecutores, ἀλληγορικῶς καὶ μυστικῶς transferri potest *ad diabolum, qui est rex super universos filios superbiae* Job. 41, v. 25. illi enim cumprimis hic *ignis paratus* Matth. 25, v. 41. 4. *Structura. Profundam fecit, dilatavit eam*, hoc est locus inferni capiendis omnibus impiis sufficiens est; ex profunditate etiam ejus caligo significatur, quia loca terrae profunda sunt caliginosa. Potest insuper dilatatio inferni sic exponi, quod *dilatatum habeat os suum ad degluttiendos damnatos* Esa. 5, v. 14. 5. *Materia*. Nutrimenta ejus ignis et ligna multa. Hoc pii veteres exponunt *de peccatis*. Caesarius homil. 38: *Peccatores homines erunt ligna inferni*. Thomas de Kempis lib. de imitat. Christi cap. 4: *Quid enim aliud devorabit ille ignis quam hominum peccata? 6. Duratio. Flatus Domini sicut torrens sulfuris ardentis in ea.* Non deest huic igni materia, quia ligna multa praesto sunt, nec deest, qui eum sufflet et accendat, quia ira Domini manens super impios flatu suo tanquam torrens sulfuris hunc ignem accendet et in omnem aeternitatem fovebit. Loquitur propheta ἀνθρωποπαθῶς de Dei ira. Quando ignem succendere cupimus, ligna apponimus et flatu subjectas favillas excitamus; sic Deus dicitur stagnum sulfuris infernalis flatu irae suae accendere, ut in aeternum ardeat. Quemadmodum flatus hominis sive ventus non efficit ignem, sed latentes in cineribus favillas accendit; sic materia ignis infernalis, ut sic loquamur, est in ipsis diabolis et hominibus damnatis, videlicet ipsorum peccata, Deus ut justus judex ac vindex illum ignem flatu suo accendet. Hieronymus in comm. hujus loci etiam praecedentia verba v. 32. ad impiorum damnationem accommodat: *Erit trans-* XX. 161.
itus virgae fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum, hoc est nequaquam eum virga percutiet et rursus eam levabit ac more caedentium finem faciet verberandi, sed quasi fundatam et alta radice defixam in poenis ejus faciet permanere.) Esa. 33, v. 11: *Spiritus vester ut ignis vorabit vos.* (Quidam ex veteribus applicant ad *infernum*, sed in sensu literali agitur de conatu Assyriorum non tantum inani et frustraneo, sed etiam ipsis noxio. Ignis, quem animo concepistis, non tam Hierosolymam quam vos ipsos inflammabit.) v. 14. *Quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* (Supplicium, quod ab igne coelesti Assyriorum castris divinitus immissum, fuit praeludium ignis infernalis et aeterni omnibus impiis parati, ideo propheta ad illius meditationem auditores suos revocat. Appellat eum *ignem devorantem*, ut efficacissimam urendi vim in eo esse doceat, *ac sempiternum*, qui nunquam exstinguetur, quibus proprietatibus ab igne, quo Assyrii assumti sunt, longissime distinguitur.) cap. 34, v. 8:

Dies ultionis Domini, v. 9. *convertentur torrentes ejus* (Edom) *in picem et humus ejus in sulfur, et erit terra ejus in picem ardentem*, v. 10. *nocte et die non exstinguetur, in sempiternum adscendet fumus ejus.* (Quidam ex veteribus applicant ad *ignem infernalem*, qui eodem fere modo describitur Apocal. 14, v. 10. et 11. sed ut ex antecedentibus et consequentibus intelligitur, in sensu literali agitur tum de *Idumaeorum strage*, quam propheta comparat materiae, quae cito flammam concipit, et eandem diu conservat, pici scilicet ac sulfuri; tum de *terrae Idumaeae desolatione*, quam futuram dicit, sicut regiones illae, quae pice, sulfure aut alia materia combustibili abundant et propterea perpetuis ignibus fumant.) Esa. 50, v. 11: *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ite in flammam ignis vestri et in flammas, quas succendistis, de manu mea factum est hoc vobis, in angustia jacebitis.* (Denuntiatur hostibus ecclesiae interitus et damnatio, quod sint conflagraturi illo igne, quem suis peccatis accenderunt.) cap. 63, v. 3: *Calcavi populos in furore meo et conculcavi eos in ira mea, et adspersus est sanguis eorum super vestimenta.* (Confer Apoc. 14, v. 19. ubi impii dicuntur *racemi in lacum* seu torcular *irae mittendi et conculcandi, ut sanguis de lacu exeat.*) Esa. 65, v. 5: *Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* (Hunc locum Hieronymus in comm. de inferno exponit. *Ira Dei*, inquit, *materiam habet in nostris vitiis, non in Domini voluntate, qui thesaurizamus nobis iram in die irae* etc.) Esa. 66, v. 24: *Egredientur et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur et ignis eorum non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* (Hoc esse vaticinium de igne infernali nemo Christianorum dubitare potest, cum Christus Marc. 9, v. 44. 46. et 48. diserte ad illum accommodet. Per *vermes* plerique intelligunt conscientiae angorem ac proinde supplicium animae, per *ignem* supplicia corpori inferenda, qua de re suo loco plenius dicetur. Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 9: *Utrumque horum, ignem scilicet ac vermem, qui volunt ad animae poenas, non ad corporis pertinere, dicunt etiam, uri dolore animae sero atque infructuose poenitentis eos, qui fuerint a regno Dei separati, et ideo ignem pro isto dolore urente non incongrue poni potuisse contendunt, unde illud*
XX. 162. *apostoli est* (2. Corinth. 11.): *Quis scandalisatur, et ego non uror? Eundem etiam dolorem vermem putant intelligendum esse. Nam scriptum est* (Proverb. 25.): *Sicut tinea vestimentum et vermis lignum, sic moeror excruciat cor viri. Qui vero poenas et animae et corporis in illo supplicio futuras esse non dubitant, igne uri corpus, animam autem rodi, quodammodo verme moeroris affirmant* etc.) Ezech. 18, v. 20: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur* (morte aeterna). Ezech. 26, v. 20: *Cum detraxero te cum his, qui descendunt in lacum ad populum sempiternum.* (Gregorius lib. 9. moralium cap. 38. exponit de inferno. *Claustra inferni*, inquit, *laci appellatione signantur propheta attestante* etc. *Infernus ergo et terra nominatur, quia susceptos stabiliter tenet, et lacus dicitur, quia hos, quos semel cepit, semper fluctuantes et trepidos tormentis circumfluentibus absorbet.*) cap. 28, v. 8: *Morieris mortibus* (temporali et aeterna). v. 18. *Producam ignem de medio sui, ipse comedet te.* (Innocentius lib. 3. de contemtu mundi cap. 6. applicat ad infernum. *Omnis locus*, inquit, *reprobis poenalis est, qui semper secum adfert cruciatum, sicut scriptum est, producam ignem* etc.) cap. 32, v. 25: *Portabunt ignominiam suam cum his, qui descendunt in lacum*, v. 27. *qui descendunt ad infernum cum armis suis.* (Gregorius d. l.: *Arma peccantium sunt membra corporis, quibus perversa desideria, quae concipiunt, exsequuntur, unde per Paulum dicitur* (Rom. 6): *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Cum armis ergo ad infernum descendere est cum ipsis quoque membris, quibus desideria voluptatis expleverunt, aeterni judicii tormenta tolerare, ut tunc eos undique dolor absorbeat, qui nunc suis delectationibus subditi undique contra justitiam juste judicantis pugnant.* Sed in sensu literali propheta loquitur de illis, qui viriliter in proelio occubuerunt ac proinde more militari cum armis suis honorifice sepeliuntur, ut ostendit antithesis.) Dan. 12, v. 2: *Quidam ex dormientibus in pulvere terrae expergiscentur ad opprobria et contemtum sempiternum.* (חֶרְפָּה, *opprobrium, ignominia* dicitur a rad. חָרַף, *manifestavit, detexit.* Impii in hac vita honorantur et glorificantur, sed in die novissimo ipsorum ignominia publice coram angelis et hominibus manifestabitur. דִּרְאוֹן *contemtus, abominatio*, desumtum hoc est ex Esa. 66, v. ult. Rabbinis דרן est *vermis abominabilis*, inde quidam vertunt *in vermiculationem sempiternam, quia ipse suos proprio peccator corpore gignet carnifices et erit vermibus esca suis.* **De horrendo supplicio vermiculationis sive scaphismi apud Persas usitato vide Plutarchum in Artaxerxe cap. 16. p. 1019, Zonaram tom. 1. annal.**) Zachar. 9, v. 11: *Emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua* (confer tract. de morte §. 176.). Habac. 2, v. 5: *Dilatat quasi infernus animam suam* (cujus aviditas est insatiabilis Esa. 5, v. 14.). Malach. 4, v. 1: *Ecce dies Domini venit ardens tanquam clibanus, et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem ut stipula, et inflammabit eos dies veniens* (ignis, quo in die judicii mundus conflagrabit, erit impiis indicium atque initium infernalis ignis; ita accipit hunc locum propheticum Julius Firmicus de error. profan. relig. cap. 16.).

17. 6. *Ex libris apocryphis.* 4. Esdrae 4, v. 8: 6. Ex libris apocryphis
In abyssum non descendi neque in infernum adhuc, neque in coelum unquam adscendi (videntur tamen nomine *inferni* hoc loco generaliter accipi profundiora terrae loca). v. 41. *In inferno promtuaria animarum matrici assimilata sunt.* cap. 8, v. 53: *In* XX. 163.
infernum fugit corruptio in oblivione. v. 59. *Impios excipient sitis et cruciatus, quae praeparata sunt.*

cap. 9, v. 10: *Qui non cognoverunt me viventes beneficia consecuti et qui fastidierunt legem meam* etc. *hos oportet post mortem in cruciamento cognoscere.* Jud. 16, v. 20. et 21: *Vae gentibus insurgentibus generi meo. Dominus omnipotens vindicabit eos in die judicii, ut det ignem et vermes in carnes eorum, et flebunt in sensu usque in seculum.* (Respicit Judith ad Esa. 66, v. ult. in quo talis poena impiis et ecclesiae persecutoribus denuntiatur, *ἐξηγήσεως* loco addit *εἰς σάρκας*, ut non solum animabus, sed etiam corporibus impiorum supplicia parata esse ostendat.) Sap. 5, v. 14: *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt*, sed in Graeco hoc non habetur, ideo rectius huc refertur, quod sequitur v. 21: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos* (post latam scilicet damnationis sententiam contra reprobos, ut colligitur ex v. 16. et 17.). v. 22. *Ibunt directe emissiones fulgurum et tanquam a bene curvato arcu nubium ad scopum insilient* (jacula illa in impios torquebuntur), v. 23. *καὶ ἐκ πετροβόλου θυμοῦ, et a petras jaciente ira, plenae mittentur grandines* (alluditur ad catapultam veterum, ex qua saxa in hostes conjici solebant), *excandescet in illos aqua maris et flumina concurrent duriter* (tribuitur aquae per prosopopoeiam zelus, per quem intelligitur impetus et vehementia puniendi, quo aqua velut naturali quodam zelo peccata contra Deum creatorem ab impiis commissa vindicabit), v. 24. *contra illos stabit spiritus virtutis et tanquam turbo venti dividet illos* (*ἐκλικμήσει, eventilabit*) *et desolatam faciet omnem terram iniquitas illorum.* (Sensus est, quod omnes creaturae post latam in impios maledictionem communi quasi consensu et impetu contra illos sint saeviturae ac velut lictores sententiam executioni daturae. Coelum, ignis et aër vibrabunt in eos flammas, fulgura, ventos, grandines, mare ex ira effervescet et exundabit, ut eos absorbeat; terra sub pedibus eorum magno hiatu diffindetur, ut eos vivos deglutiat et in infernum transmittat. Basilius in orat. de futuro judicio: *Sedulo ea mihi considera ac perpende, quae a Deo horrenda iis accident, qui tormenta subituri sunt, quomodo scilicet astra obscurabuntur, sol lumine destituetur et luna splendorem amittet, quomodo fulmina jacientur et tonitrua clare disrumpentur, quando super compita aër tenebris obducetur, ita ut undequaque examen omnis consolationis expers sit iis, qui irae tradentur. Nam creatura suo creatori morem gerens atque inserviens poenas atque tormenta intentabit injustis, eos autem, qui spem omnem atque fiduciam in ipso collocarunt, omni beneficiorum genere complectetur.*) Sap. 6, v. 7: *Potentes potenter tormenta patientur.* (Holcothius lect. 55. in lib. Sapient.: *Postquam spiritus sanctus declaravit, quod persecutores justorum decipiuntur in praesenti per ignorantiam, hic declarat, qualiter post mortem puniuntur per poenarum tolerantiam. Tangit autem septem poenales conditiones damnandorum* etc.) cap. 11, v. 17: *Per quae quis peccat, per haec torquetur* (impii per corpora et in corporibus peccarunt, ideo etiam in corporibus punientur). Sirac. 7, v. 19. *Vindicta impiis ignis et vermis.* (Desumtum et hoc ex Esa. 66, v. ult. Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 9. hunc locum sic legit: *Vindicta carnis impii ignis et vermis. Cur,* inquit, *dictum est carnis impii, nisi quia utrumque, ignis et vermis, poena erit carnis? aut vindictam carnis ideo dicere voluit, quia hoc in homine vindicabitur, quod secundum carnem vixerit.* Rabanus XX. 164.
lib. 2. in Eccles. cap. 7: *Vindicta carnis impii ignis et vermis, quia caro peccatorum, quae luxuria affluebat in mundo, simul cum anima poenis arctabitur in futuro et igne cruciabitur gehennae. Vermem autem et ignem esse in gehenna, ipse Dominus in evangelio commemorat, in verme putredinem gehennae, sicut in igne ardorem significans. Sive vermem dicit seram scelerum poenitentiam, quae nunquam in tormentis conscientiam afflictorum mordere cessabit, ut ignis sit poena extrinsecus saeviens, vermis dolor intrinsecus accusans.* Innocentius l. 3. de contemtu mundi cap. 2: *Vindicta carnis impii vermis et ignis, uterque duplex, interior et exterior. Interior, qui rodit et urit cor, exterior qui rodit et urit corpus.*) cap. 21, v. 10: *Stuppa collecta synagoga impiorum et consummatio illorum flamma ignis in perditionem* (desumtum hoc videtur ex Esa. 30, v. ult.). v. 11. *Via peccatorum complanata a lapidibus et in ultimo ejus fovea inferni.* cap. 41, v. 7: *Non est in inferno redargutio vitae* (Lutheraus inferni nomine intelligit *sepulcrum* sive mortem). cap. 51, v. 8: *Vita mea erat prope infimum infernum.* Baruch. 3, v. 19: *Qui confidunt in divitiis, ad inferos descenderunt.*

In Novo Testamento plurima de inferno habentur testimonia. 1. *In evangelistis* praecipua haec sunt. Matth. 3, v. 10: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exscinditur et in ignem mittitur* (sicut arbori infrugiferae ignis temporalis, sic impiis paratus ignis aeternus et infernalis). cap. ejusdem v. 12. Luc. 3, v. 17: *Paleas comburet igni inexstinguibili.* (Ignis inferni duplici ratione dicitur *ἄσβεστος, passive et active*, non enim exstinguitur nec exstinguit damnatorum corpora, sed poenis aeternum durantibus ea semper reservat. Beda in comm. cap. 3. Luc.: *Ignem gehennae duplici ratione vocat inexstinguibilem, quia neque ille perpetuo possit exstingui, neque eos, quos cruciat, unquam exstincturus, sed immortali, ut ita dicam, morte sit plexurus.* In voce *κατακαύσει* itidem magna emphasis, *penitus et totam comburet.* Caesarius dial. 4: *In resurrectione mortuorum eos, qui sunt instar paleae et instabiles, quovis vento peccati jactitati et leves et infrugiferi fuerunt, instar ventilabri divinum decretum in ignem elevat ad aeternum incendium; qui vero velut triticum nutritores proximorum fuerunt et recte virtutem perfecerunt, illos in horreum comportat conveniens.* Confer quae in tract. de extremo judicio §. 15. dicta.) Matth. 5, v. 22: *Qui dixerit fatue, reus erit gehennae ignis.* v. 25: *Esto consentiens adversario tuo* etc. *ne in carcerem mittaris,*

2. Ex N. T. 1. Ex evangelistis.

v. 26. *non exibis inde, donec persolveris extremum quadrantem.* Idem repetitur Luc. 12, v. 58. (Pontificii ad purgatorium applicant, sed violentam illam detorsionem refellimus in tract. de morte §. 269. Hieronymus lib. 1. in threnos cap. 1. et Augustinus lib. 1. de serm. Dom. cap. 22. accipiunt *de carcere infernali*, in quem homines ἄσπονδοι et irreconciliabiles conjiciuntur. Vide plura d. l.) Matth. 7, v. 13 Luc. 13, v. 24: *Lata porta et speciosa via est, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam.* Matth. 8, v. 12: *Filii regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium.* Luc. 13, v. 28. (Loquitur Christus de Judaeis incredulis, quibus non modo abdicationem, calamitates temporales et conscientiae trepidationem in hac vita minatur ac ipsorum coecitatem, ignorantiam et impietatem praedicit, verum etiam crudelissima supplicia in infernali carcere ipsis sus-
XX. 165. tinenda esse vaticinatur. Quare autem illa nomine *tenebrarum, fletus et stridoris dentium* exprimantur, apparebit suo loco.) Matth. 10, v. 28: *Timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehenna* (non trucidando vel annihilando, sed cruciando, quo sensu infernales poenae et vocantur *mors secunda.* Luc. 12, v. 5. sic exponitur: *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam.* Confer quae ex Tertulliano in explicatione hujus dicti allata in quaest. de resurrect. impiorum). Matth. 11, v. 23. Luc. 10, v. 15: *Tu Capernaum, quae usque in coelum exaltata es, in infernum deprimeris.* (Quidam accipiunt nomen inferni eo sensu, quo vox scheol usurpatur 1. Sam. 2, v. 6. *pro extremo humilitatis gradu,* ut sit sensus, urbem illam tam profunde descensuram, quam alte videbatur exaltata; sed quia Capernaitis incredulis et ingratis Christus non solum temporales, sed etiam aeternas poenas comminatur, ideo etiam de inferno recte exponi potest.) Matth. 13, v. 40: *Sicut colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit in consummatione seculi,* v. 41. *mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem,* v. 42. *et mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus et stridor dentium.* Idem repetitur v. 49. 50. (Caesarius homil. 38: *Peccatores homines erunt ligna inferni. Alligate fasciculos ad comburendum, hoc est homicidam cum homicidis, adulterum cum adulteris, rapaces cum rapacibus, et qui hic similes fuerunt in culpa, ibi similiter alligati erunt in tormentis* etc. Gregorius lib. 9. moral. cap. 39: *Fasciculos ad comburendum ligare est hos, qui aeterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare, ut quos similis culpa inquinat, par etiam poena constringat, et qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur, quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio sublevat quosque non dissimiliter dilatavit ambitio, non dissimilis angustet afflictio et par cruciet flamma supplicii, quos in igne luxuriae par succendit flamma peccati.*) Matth. 18, v. 8: *Bonum est tibi, ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem aeternum;* v. 9. *bonum tibi est, unum habentem oculum in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Matth. 22, v. 13: *Ligantes manus et pedes ejus tollite eum et projicite in tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium.* (Gregor. lib. 9. moralium cap. 38: *Omnium impiorum corpus in unius illius persona significatur.* lib. 25 moral. cap. 11: *Tunc coacti in tenebras exteriores mittentur, qui nunc interioribus voluntarie excoecantur.*) Matth. 23, v. 15: *Facitis eum filium gehennae* (dignum gehenna, mancipatum gehennae, per Hebraismum). v. 33 *Quomodo fugietis a judicio gehennae?* cap. 24, v. 50: *Veniet Dominus servi illius* v. 51. *et dividet eum et ponet partem ejus cum hypocritis, illic erit fletus et stridor dentium.* Luc. 12, v. 46. (διχοτομήσει, *secabit illum medium, discindet in duas partes,* quale supplicii genus apud barbaros adhuc usitatum. Exemplum ejus vide 1. Sam. 15, v. 33. De Esaia propheta rabbini referunt, *quod jussu Manassis serra lignea fuerit dissectus.* Intelligitur ergo gravissimum supplicium, quod tales servos manet. Caesarius dial. 3: *Dissecari servum non corporaliter intelligamus, nam imperitum hoc foret ac ridiculum, sed per spoliationem spiritualium donorum et baptismatis et erga ipsum libertatis dissecari a Domino damnandos intelligamus.* Quidam simpliciter vertunt, *distribuet servos,* in eos scilicet, quos secum retinebit et praemiis afficiet, ac
eos, quos ab istis separabit et puniet; *separabit* XX. 16
eum, hoc est a regno suo et ab electorum consortio eum separabit, Deut. 29, v. 21. cui interpretationi convenit, quod sequitur, *et partem ei assignabit inter hypocritas.* Hieronymus in comment. h. l.: *Dividet eum, non quod gladio eum dissecet, sed quod a sanctorum consortio eum separet et partem ejus ponat cum hypocritis.* Casaubonus in not.: *Movit me aliquando tum Homeri locus Odyss. Σ. tum Tertulliani et aliorum auctoritas, ut putarem, de gravissimo veteribus usitato supplicio haec esse accipienda, nunc puto, purum putum esse Hebraismum ob ea, quae sequuntur, quibus sunt similia* Joh. 13, v. 8. Apoc. 21, v. 8.) Matth. 25, v. 30: *Inutilem servum projicite in tenebras exteriores, illic erit fletus et stridor dentium.* v. 41. *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* v. 46. *Ibunt hi in supplicium aeternum.* Marc. 9, v. 43: *Melius est tibi, mancum introire in vitam, quam duas manus habentem abire in gehennam in ignem inexstinguibilem,* v. 44. *ubi vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur.* (Idem emphaseos causa iisdem verbis repetitur v. 46. et 48. Augustinus lib. 21. de civit. Dei c. 9: *Non eum piguit uno loco eadem verba ter dicere. Quem non terreat ista repetitio et illius poenae comminatio tam vehemens ore divino?*) Luc. 12, v. 47: *Servus, qui cognovit voluntatem Domini et non praeparavit se nec fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis* (δαρήσεται πολλάς scilicet

πληγαῖς). Luc. 16, v. 23: *Cum esset dives in inferno, elevans oculos suos* etc. (graphicam suppliciorum infernalium descriptionem, quae in hac Christi concione nobis proponitur, per partes expendemus suo loco, summa ejus capita notavimus in tractatu de morte §. 177.). Joh. 6, v. 50: *Qui manducaverit ex hoc pane, non morietur in aeternum.* cap. 8, v. 51: *Qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum* (liber erit ab aeterna morte). cap. 11, v. 26: *Qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum.* cap. 15, v. 6: *Qui non manserit in me, mittetur foras sicut palmes et arescet, et colligunt eum et in ignem mittunt, et ardet* (sicut aridis sarmentis, sic impiis et infrugiferis hominibus nil nisi ignis competit. Unum ex his duobus palmiti competit, aut vitis aut ignis).

Ex epistolis apostolicis.

19. 2. *Ex epistolis apostolorum.* Rom. 2, v. 5: *Thesaurizas tibi iram in die irae* (paulatim eam coacervas, ut tandem universa instar thesauri depromatur, intelligitur autem per iram *μετωνυμικῶς poena*, quam Deus in ira sua impiis irrogabit, quando iram suam in ipsos plene effundet). v. 8. *Iis, qui non credunt veritati, ira et indignatio*, v. 9. *tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum* (*στενοχωρία* est *angustia spiritus*, qualis in morbis et subitis terroribus solet contingere). Rom. 6, v. 23: *Stipendium peccati mors* (non solum temporalis, sed etiam ac vel maxime aeterna, ut intelligitur ex antithesi). Gal. 6, v. 8: *Qui in carne sua seminat, de carne metet corruptionem* (aeternam, ut intelligitur ex antihesi: *qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam*). 1. Thess. 1, v. 10: *Christus eripuit nos ab ira ventura.* 2. Thess. 1, v. 9: *Impii dabunt poenas, interitum aeternum a facie Domini et a gloria virtutis ejus.* (Quidam subintelligunt verbum *ἀπωσθέντες, rejecti.* Potest etiam hoc modo exponi, impii sustinebunt aeternum exitium, cui adjudicabuntur a Christo Jesu, qui in propria persona apparebit cum gloriosa sua potentia.) Hebr. 6, v. 2.
§. 167. mentio fit *judicii aeterni*, h. e. damnationis aeternae. v. 8: *Terra proferens spinas ac tribulos reproba est et maledictioni proxima, cujus consummatio est in combustionem* (sic increduli et apostatae in Spiritum sanctum peccantes, apud quos semen verbi non fructificat, divinae maledictioni et igni erunt obnoxii). cap. 10, v. 27: *Voluntarie peccantibus relinquitur terribilis quaedam exspectatio judicii et ignis aemulatio, quae consumtura est adversarios.* (Per quandam prosopopoeiam introducitur ignis inferni, ac si esset animatus et quasi bellua quaedam irritata et exacerbata, furens ad sui vindictam. Tribuit enim apostolus huic igni *zelum vindicandi peccata* contra Deum commissa et asserendi gloriam Dei ab impiis hominibus violatam, Chrysostomus in comment. h. l. Potest etiam per figuram hendiadys exponi *zelus ignis*, hoc est igneus zelus, quia ira divina est ignis consumens impios.) Jacob. 3, v. 6. lingua impiorum dicitur *φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης* (ab igne infernali succenditur, quando *rotam nativitatis*, hoc est totius vitae curriculum, per noxios ac vitiosos sermones inflammat et totum corpus contaminat. Quidam nomine *γεέννης μετωνυμικῶς* intelligi putant *diabolum*, sicut Hebraeis usitatum est *per coelum* intelligere Deum in coelo habitantem.) 2. Petr. 2, v. 1: *Pseudoprophetae superinducent sibi celerem perditionem* (corporis et animae exitium sempiternum), v. 3. *quibus judicium jam olim non otiatur et perditio eorum non dormitat* (quamvis Deus ad tempus otiari et connivere videatur, tamen exitium ipsorum certissime et citissime sequetur.), v. 4. *si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed in tartarum detrusos catenis caliginis tradidit in judicium reservandos* (catenis ipsos constrictos in tenebricosum inferni carcerem detrusit, nomen *σειραῖς* non regitur a participio *ταρταρώσας*, sed a verbo *παρέδωκεν*). v. 9. *Novit Dominus pios e tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos.* Quidam *κολαζομένους* exponunt *punitos*, h. e. per horribile quoddam mortis genus e medio sublatos, sed ex antecedentibus apparet, de futuris inferni poenis apostolum loqui, vertendum igitur in praesenti vel futuro, *poenis dantes sive daturos*, scilicet apud inferos cum diabolis in infernum projectis). v. 12. *ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται, peribunt in sua corruptione* vel propter peccatorum corruptionem. Jud. v. 6: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum* etc., *in judicium magni diei vinculis aeternis sub caliginem reservavit* (detinentur sub caligine, hoc est in tetro et caliginoso inferno); v. 7. *Sodoma et Gomorrha factae sunt exemplum ignis aeterni poenam sustinentes, πρόκεινται δεῖγμα, propositae sunt omnibus impiis in exemplum* (quia ab uno igne transierunt ad alium, scilicet infernalem). v. 12. Pseudodoctores sunt *δένδρα ἄκαρπα, δὶς ἀποθανόντα* (notatur duplex mortis genus, videlicet *temporalis*, cui per naturam non minus quam reliqui omnes sunt obnoxii, *et aeternae*, quam impietate sua sibi attraxerunt), v. 13. *quibus caligo tenebrarum in aeternum est reservata.* v. 23. *Illos in timore servate ex igne rapientes* (velut ex incendio imminente liberantes, innuitur enim aeterni ignis periculum, cui sunt obnoxii).

20. 3. *Ex Apocalypsi.* Apoc. 1, v. 18: *Habeo claves mortis et inferni.* cap. 2, v. 11: *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda.* cap. 6, v. 17: *Dicent montibus et petris: Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum.* cap. 9, XX. 168.
v. 1. infernus vocatur *puteus abyssi.* v. 6: *Quaerent homines mortem, et non invenient eam, desiderabunt mori, et mors fugiet ab eis* (ex desperatione et impatientia optabunt *ἀνυπαρξίαν*, norunt enim, supplicia sibi parata esse aeterna). cap. 14, v. 9. et 10: *Qui adoraverit bestiam, bibet de vino irae Dei, quod mixtum est mero in calice irae ejus, et cruciabitur igne ac sulfure in conspectu angelorum sanctorum et ante conspectum Agni.* (Vinum illud irae divinae, quo potabuntur damnati, est *ἄκρατον*, quia non est misericordia temperatum, sicut calix

3. Ex Apocalypsi.

tribulationis, qui in hac vita piis proponitur Psalm. 75, v. 9.) v. 11. *Et fumus tormentorum eorum adscendet in secula, nec habent requiem die ac nocte.* (Andreas Caesariensis in comm. hujus loci: *Futuri seculi statum, in quo impios nullam requiem habituros praedicit, diem ac noctem vocat, non quasi ibi exstet spatium, quod divino solis motu mensuretur, sed quia ad praesentis temporis consuetudinem, quod per noctes et dies conficitur, numeratur. Aut per diem vitae ratio, quam sancti tenent, denotatur, per noctem autem impiorum hominum cruciatus, quos apud inferos luent.*) cap. 19, v. 20: *Bestia et pseudopropheta vivi missi sunt in stagnum ignis ardens sulfure.* cap. 20, v. 3: *Misit angelus diabolum in abyssum.* v. 6. *Qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.* v. 7. *Post mille annos solvetur Satanas ex carcere suo.* v. 10. *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulfuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* v. 14. *Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis*, v. 15. *et qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis.* (Rupertus Tuitiensis in comment. h. l.: *Impiorum duplex est damnatio, nam antequam resurgant cum corporibus suis in resurrectione, judicatae apud inferos cruciantur animae impiorum, et postquam resurrexerint, tunc judicatae pariter animae cum corporibus suis cruciabuntur in secula seculorum. Tunc infernus et mors, id est homines impii, qui a sinistris erunt, cum diabolo et angelis ejus mittentur in stagnum ignis.*) cap. 21, v. 8: *Timidis et incredulis etc. pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulfure, quod est mors secunda.* Huc referri possunt omnia Scripturae dicta, quae de statu et conditione animarum impiarum agunt, quae enumeravimus in tract. de mort. §. 303. statim enim ut a corporibus solutae sunt, in infernum descendunt.

2. Ab exemplis. 21. 2. *Ab exemplis.* 1. *Diabolorum.* Illi enim post suam apostasian coelo ejecti et inferno divinitus adjudicati sunt Matth. 25, v. 41. 2. Petr. 2, v. 4. Jud. v. 6. Apoc. 12, v. 8. Quomodo autem haec invicem concilianda sint, quod diabolus in infernum dicitur detrusus ac nihilo tamen minus in die extremi judicii demum in eum praecipitandus, exposuimus in tract. de extremo judicio §. 46. 2. *Hominum. Sodomitae* in epistola Judae v. 7. dicuntur *poenam ignis aeterni sustinere.* Photiniani exponunt *de igne temporali*, quo Sodoma et vicinae urbes conflagrarunt, quo sensu vox αἰώνιος Philem. v. 15. usurpatur, sed rectius accipitur *de igne infernali et aeterno*, quia peccatoribus in impoenitentia divino judicio abreptis non tantum temporales, sed etiam aeternae poenae infliguntur, qua de re postea plenius. Num. 16, v. 33: *Core, Dathan et Abiran viventes descendunt in infernum.* Quidam, ut Abulensis et aliqui ex Calvinianis, exponunt *de sepul-*
XX. 169. *cro*, sed Epiphanius in ancorato, Hieronymus in comm. Ephes. 4. Beda in comm. Num. 16. rectius accipiunt *de inferno*, quia in flagranti crimine sine ulla conversione ab ira divina subito absorbentur. Adde quod Apoc. 20, v. 13. non solum *mare et mors* sive sepulcrum, sed etiam *infernus* dicuntur reddere mortuos suos, utique ergo etiam in inferno quidam detinentur, qui una cum corporibus suis in eum descenderunt. Esa. 14, v. 9. et seqq. de rege Babylonico dicitur: *Infernus subter conturbatus est in occursum adventus tui* etc. *detracta est ad inferos superbia tua* etc. *Quomodo cecidisti de coelo lucifer. Dicebas in corde tuo, adscendam in coelum, veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Plerique veterum ut Origenes l. 1. de princip. c. 5. Tertullianus l. 5. adv. Marcion. c. 11. Athanasius serm. de pass. et cruc. Domini, Ambrosius serm. 8. in Psalm. 118. et alii complures de *diabolo* hoc exponunt, quem de coelo praecipitem superbia in tartarum dejecit, in quam opinionem eos appellatio luciferi deduxisse videtur. Sed manifestum est *ex serie contextus*, quod in sensu literali de rege Babylonico, quem alii volunt esse *Nabuchodonosora*, alii vero *Balthasarem*, ultimum Chaldaeorum regem, ibi proprie sermonem esse, ad quem etiam Cyrillus et Hieronymus in comment. propheticum textum rectius applicant. Is namque confertur lucifero sive stellae matutinae ob regium splendorem, dignitatem et potentiam, dicitur de ipso, *quod voluerit coelum adscendere*, propter superbiam et arrogantiam. Nec tamen absurdum fuerit, si quis statuat, regis Babylonii interitum et ad inferos descensum comparari cum lapsu diaboli, qui cum ex superbia honores divinos appeteret, in infernum praecipitatus aeterno opprobrio factus est obnoxius, ut hac ratione rex superbissimus ei dicatur conjungi in poena, cui conformis esse voluit in culpa. De rege Aegypti *Pharaone* dicit Ezechiel cap. 31, v. 2: *Cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis?* v. 18. *Ecce deductus es ad terram ultimam* (ad inferos) *in medio incircumcisorum* (impoenitentium et damnatorum). cap. 32, v. 22: *Ibi Assur, ibi Elam et omnis multitudo ejus, qui descenderunt incircumcisi ad terram ultimam, qui posuerunt terrorem suum in terra viventium et portaverunt ignominiam suam cum his, qui descenderunt in lacum, ibi Mosah et Thubal, ibi Idumaea* etc. Luc. 16, v. 23. *dives epulo in infernum sive locum tormentorum ablegatur*, ubi non potest per ᾅδην intelligi sepulcrum, quia corpora in sepulcro nulla sentiunt tormenta, sed animae impiorum cruciantur in inferno. Possunt etiam huc referri *praeludia infernalium cruciatuum*, quae proponuntur nobis 1) *in obsessis*, quos Scriptura vocat δαιμονιζομένους, quorum tristissimus status describitur Matth. 8, v. 28. cap. 15, v. 22. Marc. 1, v. 26. cap. 5, v. 3. cap. 9, v. 18; 2) *in tentatis*, qui cum Jobo quandoque exclamant, *suspendium elegit anima mea;* 3) *in horroribus conscientiae*, quos in hac vita impii sentiunt; considerentur exempla *Neronis, Theodorici Veronensis, Francisci Spirae* etc. 4) *in suppliciis facinorosorum* etc.

22. 3. *Ex rationibus et argumentis.* 1. *A divinae* 3. Ex [rati]onibus

justitiae conditione. 2. Thess. 1, v. 6: *Justum est apud Deum retribuere tribulationem illis, qui pios in hac vita affligunt.* Justitia divina requirit, ut impii debitas scelerum suorum persolvant poenas, id cum non semper fiat in hac vita, certissime futurum est in vita altera. De Dionysio Syracusano Valerius
XX. 170. Maximus lib. 1. memorab. cap. 2. memorat, *quod debita improbitatis suae supplicia non persolverit,* utique ergo in futuro seculo eadem adhuc persolvenda restant. Confer ea, quae diximus in tract. de extremo judicio §. 20. 2. *A legis divinae maledictione.* Maledictio illa, quam lex transgressoribus minatur Deut. 27, v. 26. non tantum temporales, sed etiam aeternas poenas complectitur. Ut enim perfectam obedientiam praestantibus non modo temporalia, sed etiam *aeterna praemia* promittit Matth. 19, v. 16. ita ex adverso inobedientibus *aeterna supplicia* interminatur Rom. 4, v. 15: *Lex iram operatur*, non solum in praesenti seculo, sed etiam *venturam* 1. Thess. 1, v. 10. 3. *A peccati turpitudine et confusione.* Peccatum est infinitum malum, quia offendit Deum, qui est *infinitum bonum,* separat a Deo, qui est unicum et summum bonum; ergo etiam *infinitam,* hoc est aeternam, poenam promeretur. Rom. 6, v. 23: *Stipendium peccati mors*, non temporalis solum, sed etiam aeterna; ut ostendit antithesis. 4. *A propriae conscientiae testificatione.* Impii quamvis prospero rerum successu in hac vita fruantur, tamen gravissimis conscientiae angoribus ac metu futuri judicii et poenarum post mortem secuturarum torquentur. Confer tract. de extremo judicio d. §. 20. 5. *Ab infernalium dolorum degustatione.* Non impii tantum, sed etiam pii in hac vita quandoque προποτισμὸν ac πρόγευσιν quandam dolorum infernalium sentiunt, sed magno cum discrimine. Pii enim fide dolores illos vincunt et ex iis tandem eluctantur, sed impii illis succumbunt atque ab iisdem absorbentur; piis probationis ac tentationis causa immittuntur, sed in impiis sunt initia et indicia aeternorum cruciatuum, adeoque irae illius, qui in aeternum super ipsos manet, 2. Sam. 22, v. 6. Psalm. 18, v. 6. Psalm. 30, v. 4. Psalm. 49, v. 16. Psalm. 86, v. 13. Psalm. 88, v. 4. Psalm. 116, v. 3. etc. 6. *Ex articulo de Christi ad inferos descensione.* Christus non solum in sanctissima sua anima tempore passionis dolores vere infernales sensit Psalm. 22, v. 2. Psalm. 69, v. 17. Esa. 53, v. 11. qui fuit *metaphoricus* ipsius ad infernum *descensus* (de quo egimus in harmon. de pass. cap. 2.); sed etiam immediate ante suam ex mortuis resurrectionem ad infernum descendit eumque tanquam gloriosus victor et triumphator destruxit Psalm. 68, v. 19. Oseae 13, v. 14. 1. Cor. 15, v. 55. Ephes. 4, v. 8. Col. 2, v. 15. 1. Petr. 3, v. 19. qui fuit *realis* et proprius ad damnatorum sedem *descensus.* Ex utroque autem descensu evincitur, esse infernum; Christus descendit ad inferos, ut nos adscenderemus in coelos, sicut mortuus est, ut nos viveremus. 7. *Ab impiorum resurrectione.* Ostendimus suo loco, non solum pios, sed etiam impios esse resurrecturos. Quo vero fine illi resuscitabuntur? nullo certe alio, quam ut in corporibus suis debitas flagitiorum suorum per corpora gestorum percipiant poenas. Dan. 12, v. 2: *Resurgent ad opprobrium aeternum.* Joh. 5, v. 29: *Prodibunt ad resurrectionem judicii* sive damnationis. Apoc. 20, v. 13: *Mors et infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant,* v. 14. *et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis.* 8. *Ab extremi judicii administratione.* Judicium extremum ideo instituetur, ut piis aeterna praemia, impiis vero aeterna adjudicentur supplicia, inde descriptioni processus judicialis additur haec clausula: *Ibunt hi in supplicium aeternum, illi vero in vitam aeternam* Matth. 25, v. 46. *Reportabit unusquisque in corpore suo secundum ea, quae gessit, sive bona,* XX. 171.
sive mala 2. Cor. 5, v. 10. 9. *A saniorum gentilium confessione.* Justinus in orat. 1. ad gentiles p. 19. adducit testimonium Platonis et Homeri. *Plato,* inquit, *lectis Moysis et prophetarum vaticiniis et doctrina de judicio ex eis percepta, in primo de republica libro ad hunc modum scribit: Cum jam eo quispiam appropinquat, ut se moriturum esse putet, invadit eum de vita sua timor et solicitudo, quae antea non subiit. Quae namque de inferis feruntur fabulae, quod de flagitiis hic patratis poenas pendere oporteat, in risum prius versae, tum anxie ejus, ne ad rem conferantur et verae sint, versant animum* etc. *In decimo autem liquido et aperte, quae de judicio a prophetis didicerat, ea non tanquam ab illis accepta ob Graecorum metum, sed a quodam, sicut ei fingere placitum fuit, qui in bello caesus cum duodecimo humari deberet die, in rogum positus revixit resque apud inferos visas exposuit, audita commemorat. Ibi,* ait Plato, *viri feroces, adspectu truces et ignei apparentes Aridaeum tyrannum πατροκτόνον et alios manibus pedibusque et item capite obligatos humique abjectos atque excoriatos juxta viam foras protraxerunt super aspalathis et sentibus torquentes et dilaniantes, atque eis, qui aderant, quorum facinorum causa haec illi paterentur, promulgantes* etc. *Nec Plato solum, sed etiam Homerus eodem et ipse in Aegypto edoctus modo, Tityum itidem excruciari dicit. Ita enim in Necyomantia apud Alcinoum Ulysses commemorat:*

Et Tityum vidi magna tellure creatum,
Jugera qui per tota novem protenditur unus
Et geminis crudum milvis depascitur hepar.

Eodem modo et Sisyphum et Tantalum corpore supplicium sufferre scripsit etc. Minucius Felix in Octavio: *Admonentur* (gentiles) *non tantum hominum doctissimorum libris et carminibus poëtarum illius ignei fluminis et de Stygia palude saepius ambientis ardoris, quae cruciatibus aeternis praeparata et daemonum indiciis et de prophetarum oraculis cognita tradiderunt. Et ideo apud eos etiam ipse rex Jupiter per torrentes ripas et atram voraginem jurat religiose, destinatam enim sibi cum*

suis cultoribus poenam praescius perhorrescit etc. Eusebius lib. 11. de praeparat. evangel. cap. 20: *Pyriphlegethonta vero ignem aeternum esse quis dubitabit? Plato in Tartarum dejectos impios non exituros inde asseruit* etc. *Quod autem dixit, non simpliciter, sed cum in vehicula conscenderint sua, in Acheronta amnem depelli, quaenam alia vehicula denotare potest quam corpora, quibus assumtis una secundum Hebraeorum scripturas vitae retributio fiet?* lib. 13. adducit dictum Diphili: *κλέπτ᾽, ἀποστέρει, κίκα, μηδὲν πλανηθῇς, ἔσται καὶ ἐν ᾄδου κρίσις, furare, defrauda, misce: ne erres, erit in inferno judicium.* Lactantius lib. 7. institut. c. 7: *Esse inferos Zenon Stoicus docuit et sedes piorum ab impiis esse secretas, et illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones, hos vero luere poenas in tenebrosis locis atque in coeni voraginibus horrendis.* Idem lib. de ira cap. 22. adducit hosce ex Sibyllis versiculos:

Φεῦγε δὲ λατρείας ἀνόμους, θεῷ ζῶντι λάτρευε,
Μοιχείας τε φύλασσε καὶ ἄρσενος ἄκριτον εὐνήν.
Ἰδίαν γενεὰν παίδων τρέφε, μηδὲ φόνευε·
Καὶ γὰρ ὁ ἀθάνατος κεχολώσεται, ὅς κεν ἁμάρτῃ.
XX. 172. *Ἄφθαρτος, κτίστης αἰώνιος, αἰθέρα ναίων,*
Τοῖς τ᾽ ἀκάκοις ἄκακον προφέρων πολὺ μείζονα μισθόν,
Τοῖς δὲ κακοῖς ἀδίκοις τε χόλον καὶ θυμὸν ἐγείρων.

Augustinus 12. de Genes. ad lit. cap. 33: *Possumus ostendere, illorum quoque* (gentilium) *sapientes de inferorum substantia minime dubitasse, quae post hanc vitam excipit animas mortuorum.* Huc referri possunt omnia, quae *de Plutone* inferorum rege, *Rhadamantho* apud inferos judice, *Charonte* infernali nauclero, *Sisypho* saxum perpetuo volvente, *Tantalo* in mediis undis sitiente, *de Styge*, *Cocyto*, *Phlegethonte*, *Acheronte* et aliis infernalibus fluviis ac paludibus apud Virgilium libr. 6. Aeneid. Ovidium libr. 13. Metamorph. et alios poëtas exstant, cum enim verbi lumine destituti essent, ea quae vel ex interno conscientiae testimonio, vel ex doctrina ecclesiae de inferno obscura auditione perceperant, in fabulas commutarunt.

4. Ex typis. 23. 4. *Typi* infernalium poenarum complures in sacris literis nobis proponuntur. 1) *Protoplasti* post peccatum admissum fugiunt Dei conspectum, *abscondunt se sub arboribus* Gen. 3, v. 8. sentiunt gravissimos conscientiae angores, quibus etiam fuissent oppressi et in imum usque tartarum praecipites dati, nisi benignissimus Deus paterna manu per promissionem benedicti seminis eos iterum erexisset. 2) *Cainus* post *ἀδελφοκτονίαν* audit divinam maledictionem Gen. 4, v. 11. ex desperatione prorumpit in haec verba: *Major est iniquitas mea, quam ut remittatur* v. 13. conqueritur, *se a facie Dei abjici* v. 14. *ac ponit Deus in ipso signum* v. 15. quod plerique interpretes de subita consternatione et tremore coram aliis hominibus ex magnis conscientiae terroribus orta accipiunt. Ejusmodi affectus in gradu longe eminentiori erit in omnibus damnatis. 3) *In diluvio* perierunt omnes impii fluctibus irae divinae absorpti Genes. 7, v. 23. sic *horribile illud aeterni ignis diluvium*, ut Justinus Martyr infernum appellat, in die extremi judicii omnes impios aeterno exitio involvit. 4) *Sodomitae* igne et sulfure coelitus delapso consumebantur Genes. 19, v. 24. illud Judas in sua epistola v. 7. ad ignem infernalem accommodat, *Σόδομα*, inquit. *καὶ Γόμοῤῥα πρόκεινται δεῖγμα πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι.* Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 8: *Terra Sodomorum non fuit utique, ut nunc est, sed jacebat simili ceteris facie eademque vel etiam uberiore foecunditate pollebat. Nam Dei paradiso in divinis eloquiis comparata est. Haec posteaquam de coelo tacta est, sicut illorum quoque attestatur historia, et nunc ab eis, qui veniunt ad loca illa, conspicitur, prodigiosa fuligine horrori est, et poma ejus interiorem favillam mendaci superficie maturitatis includunt* etc. Brocardus in descript. terrae sanctae: *Mare mortuum semper est fumans et tenebrosum, ut videatur esse os inferni, adeo tetrum vaporem fumat, ut vicina quaeque sterilia reddat.* 5) *Omnes plagae Aegyptiacae*, cumprimis vero horribiles *illae tenebrae* Exod. 10, v. 22. quas graphice depingit auctor libri Sapientiae cap. 17, v. 2. fuerunt typi infernalium tenebrarum, v. 21; *Gravis superposita illis erat nox, εἰκὼν τοῦ μέλλοντος αὐτοὺς διαδέχεσθαι σκότους*, quas tenebras infernales Salvator noster vocat *exteriores* Matth. 8, v. 12. et cap. 22, v. 13. in quas omnes damnati projicientur. XX. 173.
Confer Rupertum lib. 2. in Matth. 6) *Pharao* in mari rubro cum toto suo exercitu submersus specimen exhibet aeterni illius exitii, quo omnes ecclesiae persecutores et hostes aliquando opprimentur. Chrysostomus homil. 44. in Matth. pag. 405: *Qui in Pharaonis impietate vivunt, non in rubro mari demergentur, sed in ignis fluvium atque pelagus intrudentur, pelagus impertransibile atque magnitudine acerbissimum, in quo ignei fluctus montium instar eriguntur, ignei dico, non hujus ignis, sed certe multo quam hic horribilioris, cujus flamma maximam conficit abyssum* etc. 7) 2. Reg. 1, v. 10. et 12. *ignis* coelo descendens absumit ducem ac milites, qui Eliam captivum abducere tentabant; sic ignis infernalis omnes piorum hostes et persecutores devorabit. 8) *Per ollam succensam*, quam videt Jeremias cap. 1, v. 13. primario et *principaliter* temporales populi Israëlitici calamitates, *consequenter* autem impiorum aeternas poenas praefigurari statuunt pii veteres. 9) *Fornax ignis ardentis*, in quam Sadrach, Mesach et Abednego projecti Dan. 3, v. 20. typum exhibet infernalis incendii. Ut enim Sadrach cum suis sociis divinitus in eo conservatus, sic pii in infernalibus doloribus, quorum gustum aliquem in hac vita quandoque sentiunt, divino beneficio sustentantur; sed ut viros, qui eos in fornacem projecerant, *interfecit flamma ignis*, sic omnes impios, cumprimis ecclesiae persecutores, infernalis

flamma corripiet. Chrysostomus d. l.: *Ignis inferni immanissimae ferae similis transcurrere videtur. Quodsi enim sensibilis iste ac materialis ignis eos, qui extra fornacem erant, veluti fera exsiliens absorpsit, quid ille ignis faciet iis, qui in ipsum inciderunt?* Isidorus lib. 1. de summ. bono cap. 3: *Sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, sed arsit ad comburenda colligamina vinculorum; ita ignis gehennae et lucebit miseris ad augmentum poenarum, ut videant, unde doleant, et non lucebit ad consolationem, ne videant, unde gaudeant.* 10) Vallis Hierosolymae vicina *gehenna*, quod inferni exhibeat typum, expositum fuit in συνωνυμίᾳ. 11) *Antiochus* 2. Macc. 9, v. 9. et *Herodes* Actor. 12, v. 23. facti σκωληκόβρωτοι praeludium sensere infernalium vermium, qui nunquam exstinguuntur, Esa. 66, v. 24. Marc. 9, v. 44. 12) *Quando angelus* (Christus Malach. 3, v. 1.) *projecerit in peccatores lapidem molarem* (duram sententiam et pondus aeternae damnationis, quae ipsos in inferno conteret), *tunc Babylon* (impiorum congregatio) *impetuose ac cito mittetur in infernum, ubi non erit vox citharae* (laetitia alicujus canoris) *et vox molae* (panis delicatus ac delectamentum alicujus saporis) *nec vox sponsi* (conjunctio alicujus amoris) *nec lux lucernae* (limpiditas alicujus splendoris) Apoc. 18, v. 21. et seqq. Berthorius in allegor. illius loci.

ds. 24. *Antithesis.* Infernum esse negant 1. *Epicurei et empaectae*, tam *intra* quam *extra* ecclesiam visibilem, quorum voces μιμητικῶς describuntur Esa. 28, v. 15: *Percussimus foedus cum morte et cum inferno fecimus pactum.* Quemadmodum ab illis, cum quibus foedus inivimus, nihil mali nihilve periculi timemus; sic illusores illi statuebant, se cum morte et inferno pactum *de non offendendo* iniisse, vel quod infernum pro fabula habuerint, vel quia ex supina securitate se innoxios et proinde a peccatorum poena prorsus immunes esse sibi persuaserint,
74. statim enim additur: *Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos.* Vide dialogum Erasmi, quem inscripsit *Epicurum.* Sap. 2, v. 1: *Exigua et cum taedio est vita nostra, et non est remedium in fine hominis, et non est agnitus reversus ex inferno* etc. 2. *Multorum ex gentilibus* haec fuit vox: *Fabula sunt manes.* Tertullianus in apolog. c. 45: *Epicurus omnem cruciatum doloremque depreciat, modicum quidem contemtibilem pronuntiando, magnum vero non diuturnum. Nos vero qui aeternam a Deo providemus poenam, merito pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum sempiterni eum timemus* etc.

Esse aliquos manes et subterranea regna,
Nec pueri credunt,

canit Juvenalis poëta ethnicus. 3. In Thargum Hierosolymitano Genes. 4, v. 8. *Cain* ad Abelem dixisse memoratur: *Non est seculum aliud nec merces bona pro justis, nec poena pro impiis.* Cain ergo est primus parens omnium apostatarum, Epicureorum et impiorum in ecclesia. Confer tract. de extr. judic. §. 10. 4. *Eunomius* aeterna supplicia ad comminationem solo figmento conscripta esse delirabat. Zonaras in odis de sanct. virg. 5. *Armenii* dicunt, quod non sit infernus, cum Christus eum destruxerit, quando ad illum post passionem descendit, infideles tamen et perfecte malos in oceano sulfuris cruciari dicunt. Guido in summa cap. de Armeniis, Prateolus, Alphonsus de Castro etc. 6. *Almaricus quidam Gallus* recitante Caesario in dialog. et Alphonsus de Castro negavit infernum. Eundem errorem suscepit Hermanus Ryswick Hollandinus teste Bernhardo de Lucemburg. 7. *Albanenses* circa annum 796. docuerunt, jam factum esse judicium, nec alias fore poenas quam illas, quas in hoc mundo perpetimur. Eorundem errorem amplexi sunt *Albigenses* circa annum Christi 1216. ut memoriae proditum a Caesario Cisterciensi. 8. *Nicolaus de Calabria* dixit, quod in die judicii Gondesalvus haereticus pro omnibus damnatis orabit et eos suis precibus salvabit. Nicol. Eymericus part. 2. q. 11. 9. Quotquot animae immortalitatem, resurrectionem impiorum et extremum judicium negant, illi omnes etiam infernum negant. 10. Oblique infernum negant *Origeniani*, *Anabaptistae*, *Libertini* etc. qui tandem aliquando omnes impios ex inferno liberandos et salvandos esse asserunt, de quibus infra suo loco. 11. *Photiniani* infernum per ἀνυπαρξίαν et redactionem in nihilum definientes re ipsa infernum prorsus tollunt, formale enim inferni consistit in cruciatibus ac poenis, quas damnati in corpore et anima sentient. Urgent Scripturae dicta, quae diabolos et impios dicunt esse perdendos, delendos, aeternum morituros etc. sed ad ea jamdum responsum fuit in tract. de resurr. in quaest. de res. imp. §. 101. atque infra plenius explicabimus, quo sensu ac respectu damnatio mors aeterna appelletur. 12. Multi *pontifices Romani*, ut Paulus III. Julius II. Leo X. infernum esse vel negarunt, vel dubitarunt. Erasmus in dialog. quem inscribit Epicurum. Vide Lutherum in Psalm. 90. tom. 4. pag. 529.

CAPUT III. XX. 175.

DE ΤΩι ΤΙ 'ΕΣΤΙ QUID SIT INFERNUS.

25. Exposito τῷ ὅτι consequens est, ut explicemus etiam τὸ τί et a quaestione εἴ ἐστι descendamus ad quaestionem τί ἐστι, quid sit infernus? Nomen *inferni* dupliciter potest accipi, 1. pro *morte aeterna*, h. e. pro ineffabili illa miseria, horribili poena ac statu infelicissimo, in quem impii statim post mortem temporalem secundum animas incidunt quemque in resuscitatis suis corporibus post extremum judicium non minus quam in animabus suis in aeternum persentient; 2. pro *illo πού*, in quo miserrimam illam conditionem ac ineffabiles istos cru- Quid sit infernus.

ciatus patiuntur et in aeternum sustinebunt. Scholastici dicunt, *esse infernum poenalem et localem.* Bonaventura 3. sent. dist. 22. q. 4. *Infernum uno modo* nominat *cruciatum aeternum vel poenam*; *alio modo locum illius poenae vel cruciatus.* Ratione *prioris* significationis diaboli suum secum infernum dicuntur circumferre, ubicunque tandem vagentur; ratione *posterioris* in infernum in die judicii dicuntur detrudendi inque eo concludendi. In priori significatione nomen inferni accipitur *interne et formaliter*, in posteriori *externe*, *subjective ac localiter* (termino loci juxta phrasin Scripturae Luc. 16, v. 28. generaliter accepto). Prioris significationis exempla Psalm. 18, v. 6. Psalm. 116, v. 3; posterioris Psalm. 49, v. 15. Esa. 5, v. 14. Luc. 16, v. 22. Richardus de S. Victore in comm. Apoc. 1: *Talem differentiam inter mortem et infernum possumus accipere*, *ut per mortem intelligamus tormentum reprobis praeparatum, per infernum autem locum tormento destinatum.* Quid sit infernus *in significatione priore* non potest rectius intelligi, quam si descriptiones illae, quibus extrema damnatorum miseria in sacris literis praefiguratur, colligantur et in certas classes distribuantur, id quod inferius in capite *de forma* expeditum dabitur. Quid vero sit infernus *in significatione posteriore*, quaestionis est perquam difficilis et obscurae. Quidam posteriorem significationem plane repudiant ac infernum non nisi *per sensum irae divinae et maledictionis aeternae ac horrorem conscientiae* definiendum esse arbitrantur. Sed non videtur negandum, esse certum aliquod ποὺ, in quo damnati supplicia sua persolvent, illud enim probari potest 1) *ex appellatione.* Scriptura vocabulis certum ποὺ significantibus infernum describit. Num. 16, v. 33: *Descenderunt vivi in infernum.* Esa. 30, v. 33: *Fovea parata est ab heri.* Luc. 16, v. 26: *Magnum chasma firmatum est.* v. 28: *Ne veniant in locum tormentorum.* 1. Petr. 3, v. 19: *Praedicavit his qui in carcere spiritibus* etc. 2) *Ex distinctione.* Scriptura illud ποὺ, in quod colliguntur animae fidelium post mortem, distinguit ab eo, in quod impiorum animae transferuntur, ut in tract. de morte §. 160. ostendimus. Eadem Scriptura sedem aeternae beatitudinis, gloriae ac felicitatis distinguit a sede damnatorum, nec in unum, ut ita loquar, conclave collocat eos, qui beatifica Dei visione fruuntur
XX. 176. tur cum iis, qui a facie Dei dicuntur abjecti in tenebras exteriores. Matth. 8, v. 11: Pii cum patriarchis *recumbent in regno coelorum*, v. 12. *sed filii regni ejicientur in tenebras.* cap. 24, v. 51: *Dividet eum et ponet partem ejus cum hypocritis.* cap. 25, v. 32: *Separabit oves ab hoedis* (nunquam iterum cum eis commiscendas). Luc. 16, v. 26. μέγα χάσμα, *hiatus ac vasta vorago*, παρὰ τὸ χαίνειν, *hiare*, *dehiscere*, sic dicta est inter beatos et damnatos posita. Apoc. 22, v. 15. ἔξω, *foris*, *extra*, *coelestem Hierosolymam sunt canes*, *venefici* etc. 3) *Ex oppositione.* Scriptura sibi invicem directe opponit *coelum* tanquam summum et altissimum palatium, et *infernum* tanquam infimum et humillimum carcerem, καθ' ἡμᾶς, *respectu nostri*, Enoch et Elias *sursum* recipiuntur in coelum 2. Reg. 2, v. 9. Sirac. 48, v. 9. cap. 49, v. 16. sed Core, Dathan et Abiran descendunt *deorsum* in infernum Num. 16, v. 33. Ira Dei instar ignis dicitur ardere *usque ad infernum inferiorem* Deut. 32, v. 22. Sic. Esa. 14, v. 9: *Infernus deorsum conturbatus est.* v. 13: *Dixisti in corde tuo, adscendam in coelum*, v. 15. *veruntamen ad infernum deprimeris.* Matth. 11, v. 23: *Tu Capernaum, quae usque in coelum exaltata, ad infernum deprimeris.* Luc. 16, v. 23. *dives apud inferos sublatis oculis suis videt Abrahamum* ἀπὸ μακρόθεν, *e longinquo.* Diaboli solicite deprecantur, ne mittantur in abyssum neque torqueantur ante tempus Matth. 8, v. 29. Luc. 8, v. 31. Utique ergo est certum aliquod ποὺ infernale, in quo atrociores persolvunt poenas, quam si in libero aëre adhuc vagentur Eph. 2, v. 2. cap. 6, v. 12. ac suo loco ostendimus, diabolorum supplicia fore graviora, quando in die judicii in ignem infernalem fuerint abjecti. Si quis obvertat, *haec omnia per quandam* συγκατάβασιν *esse accipienda*, cum in Scripturis usitatum sit, per verba hujus seculi res futuri seculi, per voces e rebus terrenis acceptas res coelestes, per visibilia invisibilia, per corporalia describi spiritualia, ac proinde descriptiones illas non de loco vel ποὺ invicem separato, sed de conditione ac statu damnatorum a beatorum statu longissime distincto esse intelligendas; illi considerandam proponimus usitatam regulam, quod in fidei articulis a literali verborum sensu absque urgente necessitate non sit discedendum, et subjungimus argumentum 4) *ex necessaria consecutione.* Corpora damnatorum animabus redunita, adeoque ipsi damnati aut erunt *ubique*, aut *nullibi*, aut *in certo* ποὺ. Primum dici nequit, quia ubique praesentia vel ab essentiae vel hypostaseos infinitate originem trahit, quarum neutra hic statui potest. Adde quod damnati dicantur futuri non in coelo sed in inferno. Ergo non erunt ubique. Denique felicitatis et gloriae pars est non teneri certo constrictum loco, sed damnati in summa miseria erunt constituti, in tetro scilicet et tenebricoso carcere captivati. Alterum itidem dici nequit, quia ut Scaliger exerc. 359. sect. 5. asserit et probat: *Omnia entia finita necesse est esse in aliquo ubi; ubi est circumstantia necessaria omnibus entibus praeter Deum*, *ubietas est affectus entis cujusque necessarius praeter Deum.* Manet ergo tertium, videlicet quod damnati in certo ποὺ sint futuri. 5) *Ex articulo de Christi ad inferos descensione.* Si infernus non est certum aliquod ποί, in quo diaboli et homines impii cruciantur, non poterit literalis sensus in articulo de descensu Christi ad inferos retineri, sed transformandus erit in meras allegorias ac metaphorico sensu explicandus. Sed posterius non permittit canon theologicus, quod in fidei arti- XX. 17
culis τὸ ῥητόν arcte sit tenendum, unde etiam de hoc Christi ad inferos descensu sic canit ecclesia: *Excursus ejus ad inferos*, *recursus ad sedem Dei.*

Lipsiens. theol. disp. ult. de vita et morte aeterna part. 2. th. 29: *Infernus est locus a coelo terraque revera separatus.* Si porro quaeras, an illud ποί sit *creatum vel increatum, corporeum vel spirituale, in hoc mundo vel extra hunc mundum* etc. breviter respondemus: Scriptura tacente quis hic loquetur? praestat de inferno per poenitentiam et sincerum pietatis studium evitando in vero Dei timore solicitum esse, quam scrupulose et curiose ejus essentiam extra verbi limites indagare. Sed hac de re in quaestione de loco inferni infra uberius dicetur.

CAPUT IV.

DE CAUSA EFFICIENTE INFERNI.

a ina il.

26. Succedit ergo *causa inferni efficiens.* At quam inferno causam efficientem dabimus? ubique difficultates occurrunt, e quibus tamen eluctari utcunque conabimur. Si infernus accipiatur in sensu priore *pro morte aeterna*, dicendum est, promerentem adeoque propriam immediatam et adaequatam inferni causam esse *creaturae rationalis a Deo creatore apostasiam. Deus lux est, et tenebrae non sunt in ipso ullae* 1. Joh. 1, v. 5. Quando ergo creaturae a Deo et ipsius verbo unico ac summo lumine sese avertunt, in tenebras incidunt, ergo etiam in infernum, quia infernus *per tenebras* describitur Matth. 8, v. 12. cap. 22, v. 13. 2. Petr. 2, v. 17. Irenaeus lib. 4. adv. haeres. cap. 76. p. 312: *Quemadmodum in hoc temporali lumine qui fugiunt illud, ipsos se tenebris mancipant, ita ut ipsi sibi causa fiant, quod destituuntur a lumine et inhabitant tenebras, et non lumen est causa hujusmodi conversationis; sic aeternum Dei qui fugiunt lumen, quod continet in se bona omnia, ipsi sibi causa sunt, ut aeternas inhabitent tenebras destituti omnibus bonis sibimet ipsi causa habitationis facti.* Deus est *summum bonum* et unicum bonum, extra quem non est verum bonum! Matth. 19, v. 17. Marc. 10, v. 18. Quando ergo creatura rationalis per liberi arbitrii abusum a Deo creatore sese avertit, tum ex bono in malum incidit, ac proinde etiam in infernum, quia in inferno est *absentia omnis boni et praesentia omnis mali.* Irenaeus d. l.: *Cum apud Deum omnia sint bona, qui ex sua sententia fugiunt Deum, semet ipsos omnibus fraudant bonis. Fraudati autem omnibus erga Deum bonis consequenter in Dei justum judicium incidunt, qui enim fugiunt requiem, juste in pugna conversabuntur, et qui fugerunt lumen, juste inhabitabunt tenebras.* Deus est ipsa *vita*, et extra eum non est vita Genes. 16, v. 14. Deut. 32, v. 40. Joh. 1, v. 4. cap. 5, v. 26. etc. Quando ergo creatura a Deo creatore, a quo et in quo unice habet vitam, per spontaneam defectionem se avertit, incidit in mortem, ac proinde etiam in infernum, quia infernus describitur *per mortem secundam et aeternam* Joh. 8, v. 51. Apoc. 2, v. 11. c. 20, v. 6. c. 21, v. 8. etc. Voluntas Dei est unica XX. 178.
illa norma ac regula, juxta quam creaturae rationales intelligendi et volendi facultate praeditae suam voluntatem suasque actiones conformare debent; quando ergo ad propriam voluntatem convertuntur, h. e. quando divinae voluntati suam submittere et conformare negligunt, in infernum incidunt, quia infernus nihil nisi propriam voluntatem punit. Bernhardus serm. 3. de resurr.: *Quid odit aut punit Deus praeter propriam voluntatem? cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim ignis ille desaeviet nisi in propriam voluntatem? Propria vero voluntas est, quae non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmet ipsos facimus, non intendentes placere Deo et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum.* Similia occurrunt in Theologia Germanica cap. 42. et 47. Infernus in sacris literis describitur per ignem consumentem. Ut ergo ignis corporeus requirit materiam combustibilem, qua alatur; sic infernalis etiam ignis habet nutrimenti loco *ligna multa* Esa. 30, v. ult. Quae vero illa? respondet Origenes: *Peccator flammam proprii ignis sibi accendit ipse, cujus materia sunt et esca peccata nostra,* et Hieronymus in comment. Esa. 65: *Ira, quae est ultionis libido, non ita definitur in Deo ut in hominibus, quae materiam habet in nostris vitiis, non in Domini voluntate, qui thesaurizamus nobis iram, ut tribulos nostros et spinas et zizania, quae pro semine Deo attulimus, ligna quoque, foenum et stipulam, quae super fundamentum Pauli aedificavimus, sapiens flamma consumat. Ignis ille terram, hoc est carnem nostram, et genimina ejus, hoc est carnis desideria. comburet* Deut. 32, v. 22.

27. Quia vero infernus non est *ipsa apostasia*, sed ejus consequens, justissima scilicet poena propter apostasiam creaturis rationalibus justo Dei judicio inflicta, ideo etiam Deus certo modo ac respectu statui potest inferni causa, *remota* scilicet ac *mediata.* Quemadmodum enim mortis temporalis causam esse diximus in tract. de morte §. 27. et seqq. non tantum *diaboli seducentis malitiam et hominis delinquentis culpam*, sed etiam *justam vindicis Dei iram;* ita quoque ad mortem aeternam id ipsum ἀναλογικῶς accommodari potest. Concurrit enim in hominum damnatione: 1. *Diaboli seducentis malitia.* Diabolus, qui et ipse morti aeternae est obnoxius et cui ignis infernalis non minus quam impiis hominibus paratus Matth. 25, v. 41. nullius seductione sed propria voluntate vel, ut rectius loquamur, spontaneo propriae voluntatis abusu a Deo se avertit et hac ratione damnationi aeternae sese obnoxium reddidit, ideo in ipso ac circa ipsum non habet locum alterius cujusdam seductoris malitia; sed si in specie ac definite de hominum damnatione loquamur, non potest ab ejus causa diaboli invidia

1. Diaboli seducentis malitia.

ac malitia excludi, id quod probari potest iisdem fundamentis, quibus suo loco ostendimus, mortis temporalis causam diabolo esse tribuendam, utpote 1) *ex lapsus Adamici descriptione*. Primus homo non solum ad hanc, sed etiam ad futuram coelestem vitam a Deo erat conditus, quia ad Dei imaginem erat conditus, cujus pars fuit beata immortalitas. Quodsi ergo in concreata integritate perstitisset, non solum beatam in his terris vitam egisset, sed etiam finito animalis vitae curriculo ad aeternam in coelis vitam fuisset translocatus. Verum hanc feli-
XX. 179. citatem diabolus, per suam apostasiam jamdum in infernum prolapsus, homini invidit, ideoque nefariis fraudibus et artibus ipsum permovit, ut per praecepti divini transgressionem itidem a creatore suo sese averteret. Noverat enim, praecepto divino hanc comminationem fuisse additam: *Quacunque die de vetita arbore comederis, morte morieris* Gen. 2, v. 17. ubi mortis nomine non solum temporalem, sed etiam aeternam mortem intelligi suo loco in tract. de morte ostendimus. Quare cum Satanas voti sui compos factus permoverit hominem, ut per peccatum a Deo creatore suo sese averteret, inde etiam in aeternam mortem eundem praecipitem dedit, adeoque exitii causa homini exstitit. Sic ergo colligimus: Quicunque mendacibus suis promissis hominem permovit, ut per transgressionem praecepti a Deo creatore sese averteret, is etiam in mortem aeternam eundem praecipitavit. Ratio est, quia transgressioni propter divinam comminationem et justissimam et veracissimam immediate conjuncta fuit mors aeterna. Atqui Satanas mendacibus suis promissis hominem permovit, ut per transgressionem praecepti a Deo creatore sese averteret, ut constat ex historia lapsus Genes. 3. Ergo etiam hominem in mortem aeternam praecipitavit et per consequens a causa damnationis sive mortis aeternae excludi nequit. 2) *Ex Salvatoris assertione*. Joh. 8, v. 44: *Diabolus est ἀνθρωποκτόνος ab initio*, nimirum quia in mortem non solum temporalem, sed etiam aeternam per peccatum hominem praecipitavit. 3) *Ex libri Sapientiae consensione*. Sap. 2, v. 23: *Deus creavit hominem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ·* v. 24. *invidia autem diaboli mors intravit in mundum*, illa scilicet mors, quam homini praeceptum divinum transgredienti Deus fuerat comminatus. Ea vero non est duntaxat mors *temporalis*, sed etiam *aeterna*, quia peccatum contra Deum infinitum bonum commissum est infinitum malum, ac proinde non solum temporales, sed etiam ac vel maxime aeternas poenas promeretur. 4) *Ex diaboli denominatione*. Hebr. 2, v. 14. de diabolo dicitur, quod habeat τὸ κράτος τοῦ θανάτου, imperium ac robur mortis, non temporalis tantum sed etiam aeternae. Confer ea, quae dicta sunt in tract. de morte §. 27. illa enim omnia per quandam analogiam et consequentiam huc accommodari possunt.

28. Hisce quatuor fundamentis addi possunt insuper alia, utpote 1) *apocalyptica visio*. Apoc. 6, v. 8: *Ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum.* Mortem dicitur sequi *infernus*, quia impiis temporalis mors est initium mortis aeternae. Sic ergo colligimus: qui est causa mortis temporalis, is etiam est causa mortis aeternae, quia mortem sequitur infernus. Atqui diabolus est causa mortis temporalis, ergo etiam est causa mortis aeternae. Potest etiam visio illa explicari hoc modo: mortem, hoc est diabolum, *qui habet imperium mortis* et est pater mortis (sicut peccatum est mortis mater), sequitur *infernus*, quia infernus est horribilis ille ac teterrimus carcer, in quem diabolus truculentus ille tyrannus detrudit, quos praedae loco ex humano genere sibi mancipavit inque captivitatem suam redegit. Gregorius lib. 4. moral. cap. 17: *Antiquus hostis, quia mortem intulit, mors vocatur Johanne attestante, qui ait, nomen illi mors*, quo sensu quidam accipiunt dictum Esa. 28, v. 15: *Percussimus foedus cum morte*, hoc est cum daemone. Confer XX.
Primasium et Ansbertum in cap. 1. Apocal. super verba *habeo claves mortis et inferni.* 2) *Diaboli seductio.* Christus sanctissima sua passione pro peccatis totius humani generis satisfaciens liberavit nos *a potestate tenebrarum et ex inferni captivitate* Oseae 13, v. 14. Zach. 9, v. 11. Col. 1, v. 13. etc. sed hoc beneficium pauci grato animo agnoscunt, ut fide sibi illud applicent. Diabolus ὁ κοσμοκράτωρ *mentes infidelium hujus seculi excoecat, quo minus illis fulgeat illuminatio evangelii* 2. Cor. 4, v. 4. ac fide hujus beneficii participes reddantur; multi etiam ex illis, qui fide hoc beneficium sibi applicarunt, patiuntur, a diabolo seductore sibi iterum illud eripi Luc. 11, v. 26. 2. Petr. 2, v. 20. Utique ergo causa damnationis et aeternae mortis si non ex toto, tamen ex parte recte tribuitur diabolo, qui modis quibus potest omnibus prohibet, ne ex infernali captivitate exeant, quibus liberationem Christus promeruit, sed peccatorum vinculis constricti et innexi toto vitae tempore maneant, vel si ex illis divino adjutorio eluctati fuere, summis viribus conatur eosdem in pristinam captivitatem reducere et damnationis suae consortes facere. 1. Petr. 5, v. 8: *Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quaerens, quem deglutiat*, h. e. quem in barathrum inferni secum absorbeat.

29. 2. *Hominis delinquentis culpa.* Neque enim 2. I
cogitandum est, Deum ex absoluto quodam odio nis quae
vel primos homines, vel quosdam ex ipsorum poste- culp
ris ad damnationem creasse, sed causa damnationis immediata, proxima et adaequata in homine quaerenda est. Ose. 13, v. 9: *Perditio tua ex te.* Sive enim primos homines, sive posteros ipsorum respiciamus, utrobique inveniemus, eos sibi ipsis mortem aeternam peccatis suis attrahere. Primi homines mandatum a Deo acceperant de non comedendo vetitae arboris fructu addita comminatione, *quod quacunque die ex ea comederint, morte sint morituri*, h. e. temporali et aeternae morti obnoxii futuri Gen. 2, v. 17. Quia ergo diaboli seducentis impulsu a Deo creatore et sancto ipsius mandato sese averte-

runt, inde propria culpa iram Dei, maledictionem ac mortem temporalem et aeternam sibi attraxerunt, quo sub pondere aeternum ipsis et omnibus eorum posteris fuisset pereundum, nisi Deus ex immensa misericordia Filium suum liberatorem ac redemtorem ipsis misisset. Huc referenda sunt omnia Scripturae dicta, in quibus mors peccati effectus ac stipendium statuitur, quia in illis non solum temporalis, sed etiam ac maxime aeterna mors intelligitur, ut ex vera et genuina divinae comminationis explicatione constat Rom. 5, v. 12. 15. 17. et 21. cap. 6, v. 23. 1. Cor. 15, v. 21. Quamvis enim in primis parentibus et quibusdam ex ipsorum posteris, ad Deum scilicet conversis et in Christum redemtorem vere credentibus, illud peccati effectum, aeterna scilicet mors, locum non amplius habeat, illud tamen nihil quidquam impedit, quo minus peccati in se ac per se absque remissione considerati effectus ac consequens statuatur aeterna mors sive damnatio, quia ex accidenti, videlicet ex gratuita peccati propter Christum facta remissione, ille effectus peccati proprius in credentibus tollitur, absque qua si esset, et primis parentibus, et omnibus ipsorum posteris instar gravissimi ponderis ira Dei et mors aeterna
31. perpetuo incubuisset. Quod ad posteros Adae attinet, illos omnes non minus quam primos generis humani parentes Christus Jesus constitutus noster Mediator ac Redemtor sanctissima sua passione et morte ex aeterna morte liberavit ac bona per lapsum amissa ex immensa gratia perfectissime reparavit, illis etiam omnibus beneficia merito suo parta in verbo evangelii offerri curat, ut fide, per Spiritus sancti operationem accensa, bona illa sibi oblata amplectantur et ex statu irae, sub qua omnes nascuntur, in statum gratiae transferantur, ex morte aeterna liberati vitam in Christo sibi oblatam apprehendant, adeoque ex inferno in coelum evehantur. Quia vero complures ipsorum in incredulitate, per quam Christi beneficia repudiantur, perseverant, quidam prius ad Deum conversi et fide Christo insiti per peccata, contra conscientiam admissa, iterum gratia Dei et vita excidunt, inde atque ideo in foveam aeternae damnationis, ex qua per Christum liberati erant, iterum relabuntur. Huc referenda sunt illa Scripturae dicta, 1) in quibus causa damnationis tribuitur *hominum incredulitati*, quam esse formalem, propriam, immediatam et adaequatam damnationis causam in tract. de bon. oper. §. 34. ostendimus, et ex dictis hactenus haud obscure colligitur. Marc. 16, v. 16: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Joh. 3, v. 18: *Qui non credit, jam judicatus est.* v. 36. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum*, ubi in verbo *μένει* magna est emphasis suo loco exposita. 1. Joh. 5, v. 12: *Qui non habet Filium Dei, non habet vitam*; 2) in quibus etiam aliis peccatis causa damnationis tribuitur. Quamvis enim sola incredulitas sit causa damnationis *formalis et adaequata*, tamen propterea a damnationis causa non debent excludi peccata reliqua, tum quia damnant *meritorie*, tum quia sunt fructus et effectus incredulitatis, de qua etiam luculentum ferunt testimonium Matth. 3, v. 10: *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exscinditur et in ignem mittitur.* c. 7, v. 23: *Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem.* c. 13, v. 41: *Angeli colligent de regno Christi omnia scandala et omnes, qui facient iniquitatem*, v. 42. *et mittent eos in caminum ignis.* c. 18, v. 8: *Qui scandala praebuerunt, mittentur in ignem aeternum.* c. 25, v. 41: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum* etc. v. 42. *esurivi enim, et non dedistis mihi cibum.* Rom. 8, v. 13: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* 2. Petr. 2, v. 13: *Peribunt in sua corruptione recipientes mercedem injustitiae.* Apoc. 21, v. 8: *Timidis et incredulis* etc. *pars illorum erit in stagno ardente igne et sulfure* etc. Hujusmodi dicta plura adducentur inferius, quando de objecto inferni disseremus.

30. 3. *Vindicis Dei ira.* Quia enim primus homo per mandati divini transgressionem et sibi et omnibus posteris iram Dei superinduxit, ut omnes simus *natura filii irae* Ephes. 2, v. 3. inde etiam et sibi et omnibus posteris aeternam damnationem justo Dei judicio transgressoribus decretam attraxit. Deus cum sit justissimus, imo ipsa justitia, non potest creaturae rationalis apostasiae et peccato non irasci; ex qua Dei ira porro sequitur justissima et gravissima peccantium poena non modo temporalis, sed etiam aeterna. Quamvis ergo ratione *voluntatis antecedentis Deus non delectetur morte morientis* Ezech. 18, v 23. atque hac ratione *mortem non fecerit, nec laetetur in perditione vivorum* Sap. 1, v. 13. tamen quia homini ad imaginem suam condito in prohibitione arboris vetitae *γυμνάσιον* obedientiae proposuerat ac prohibitioni illi comminationem mortis et damnationis adjecerat, et vero in tanta non peccandi facilitate homo ab obedientia erga creatorem sese nihilominus averterat, ideo homini in peccatum prolapso non potuit non irasci, ac proinde ratione *voluntatis consequentis ac judiciariae* non potuit non hominem propter peccatum a se abjicere et morti adjudicare, cum non solum immota justitiae regula, sed etiam antegressae comminationis veritas illud requirerent. Nisi ergo Filii, mediatoris divino consilio constituti, intercessio et *λύτρου* in plenitudine temporis persolvendi promissio intervenisset, ira Dei, quae est *ignis consumens* Deut. 4, v. 24. Hebr. 12, v. 29. primos homines post lapsum statim in infernum praecipitasset et nunquam finiendis peccatorum suppliciis subjecisset. Idem judicium esto de Adae posteris, quod scilicet omnium eorum, qui non sunt in Christo, qui non per Christum et propter Christum peccatorum suorum remissionem impetrant ac Deo reconciliantur, quod inquam omnium illorum peccata non possint non a Deo justo judice, peccatis severe irascente, temporalibus et aeternis poenis affici. Inde inferni fovea sic describitur Esa. 30, v. 33. quod *flatus Domini sicut torrens sulfuris ignem et ligna inferni succendat*, h. e. quemadmodum homo flatu suo ignem

3. Vindicis Dei ira.

XX. 182.

accendit et fovet, sic ira Dei, quae est instar ignis, inferni flammas accendet et in aeternum fovebit, ac Psalm. 21, v. 9. dicit propheta regius: *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos, dextra tua inveniet omnes, qui oderunt te;* v. 10. *pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui* sive irae tuae, *Dominus in ira absorbebit eos, et devorabit eos ignis.* Matth. 23, v. 33. damnatio impiorum vocatur *judicium gehennae*, quia justo Dei judicio impiis haec poena infligitur. Unde etiam per Moysen ait Dominus Deut. 32, v. 22: *Ignis accensus est in furore meo et ardebit usque ad inferni novissima*, h. e. ultio irae et indignationis meae adversus transgressores exardescet instar ignis ad novissima inferni usque pertingens. Huc pertinent dicta Scripturae, 1) in quibus aeternum impiorum supplicium vocatur *ira ventura*, quia scilicet ex justa Dei ira ipsis infligetur, Rom. 2, v. 5. et 8. cap. 5, v. 9. 1. Thess. 1, v. 10; 2) in quibus impii dicuntur *poenas daturi a facie Domini* 2. Thess. 1, v. 9. quia *per faciem Domini* quandoque ipsius ira intelligitur; 3) in quibus infernus describitur *per ignem urentem*, quia praeter causas alias suo loco enumerandas ira Dei hunc ignem accendet; 4) in quibus damnati dicuntur a Deo abjiciendi ac separandi, quia per illam abjectionem ac separationem nihil aliud intelligitur, quam quod irae Dei in omnem aeternitatem futuri sint obnoxii; 5) in quibus Deus dicitur *unicuique in die judicii retributurus secundum opera* Rom. 2, v. 6. *ac tribulationem redditurus impiis* ecclesiam affligentibus 2. Thess. 1, v. 6. illa enim retributio irrogationem aeterni supplicii complectitur. Lutherus in enarr. cap. 45. Gen. tom. 4. f. 155: *Ira Dei est infernus diaboli et omnium damnatorum.* Notandum tamen, quod ira Dei non sit talis quaedam passio, qualis in nobis, sed efficax et omnipotens voluntas poenas aeternas damnatis infligendi, ex qua cum talia proficiscantur, quae ab homine irato ac prae excandescentia furente proficisci solent, ideo
XX. 183. etiam ira ac furor appellatur. Augustinus lib. 15. de civit. Dei cap. 25: *Ira Dei non est perturbatio animi ejus, sed judicium, quo irrogantur poenae peccatis.* in enchirid. cap. 33: *Cum Deus dicitur irasci, non significatur ejus perturbatio, qualis est in animo irascentis, sed ex humanis motibus translato vocabulo vindicta illius, quae non nisi justa est, irae nomen accepit.* Anselmus l. 1. cur Deus homo cap. 6: *Ira Dei non est aliud quam voluntas puniendi.* Quemadmodum ergo Dei misericordia est quiddam longe ardentius in Deo quam nostra misericordia; ita quoque Dei ira est quiddam longe majus et ardentius quam nostra ira.

Quo respectu poena damnatorum Deo tribuatur.

31. Ut autem evidentius conspiciatur, quare et qua ratione Deus causis inferni annumeretur, notandum est, poenam illam damnatis irrogatam tribui Deo 1. *ratione praeparationis.* Esa. 30, v. 33. de fovea infernali dicitur, quod sit עָרוּךְ מֵאֶתְמוֹל, *parata ab heri*, quod sit הוּכָן, *praeparata*, *etiam regi.* Matth. 25, v. 41. *ignis aeternus* dicitur *paratus diabolo et angelis ejus.* Quaeritur ergo ulterius, a quo et per quem paratus sit ille ignis? Respondet Juvencus l. 4. histor. evangel. *a Deo illum esse paratum*, sic enim canit:

At vos injusti justis succedite flammis
Et poenis semper mentem torrete malignam,
Quas pater horrendis barathri per stagna profundi
Daemonis horrendi sociis ipsique paravit.

Pagninus in versione Esa. 30, v. 33. textui illud inserere non dubitavit, *praeparata est fovea, profundam fecit eam Deus, dilatavit eam.* Quam responsionem probamus hoc modo: Quemadmodum Deus regnum coeleste ac vitam aeternam vere piis et in Christum credentibus dicitur ab aeterno *praeparasse*, quia elegit eos ad salutem; ita quoque infernum impiis et incredulis ab aeterno praeparasse dicendus est, quia reprobavit eos ad damnationem. Electio est praeparatio salutis, reprobatio est praeparatio damnationis. Ut decretum electionis est aeternum, ita quoque decretum reprobationis est aeternum, unde *infernus* dicitur *paratus ab heri*, h. e. ab aeterno, quia heri omne tempus antecedens complectitur, et ad ipsam aeternitatem tandem nos deducit Hebr. 13, v. 8. Ut decretum electionis non est absolutum, sed respectum habet ad fidem in Christum; ita quoque decretum reprobationis, ac proinde etiam inferni praeparatio non est absoluta, sed respectum habet ad incredulitatem et impoenitentiam finalem, ut suo loco plenius probatur. Irenaeus, Origenes, Chrysostomus et Euthymius observant, ignem illum dici paratum *non hominibus, sed diabolo et angelis ejus* Matth. 25, v. 41. quia diaboli propter suam apostasiam absque ullo remedio illi sunt destinati, sed hominibus paratum fuerat peccatorum remedium in Christo mediatore, per quem vera fide apprehensum potuissent ac debuissent poenam illam effugere, sed quia diabolo sponte sese conjunxerunt in culpa, ideo etiam justo Dei judicio conjungentur cum ipso in poena. Confer quae in tract. de extremo judicio §. 60. hac de re latius sunt dicta. Ad hanc *inferni praeparationem* accommodari potest, quod 2. Petr. 2, v. 4. de diabolis dicitur: *Deus peccantibus angelis non pepercit, sed in tartarum eos praecipitans catenis caliginis tradidit in judicium servatos*, et XX
Jud. v. 6: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* 2. *Ratione comminationis.* Deus non solum ab aeterno paravit transgressoribus, incredulis et impoenitentibus infernum, h. e. fecit aeternum reprobationis decretum, sed etiam in tempore hoc suum decretum hominibus manifestavit, ut poenam transgressoribus constitutam caverent. Sic primis hominibus praeceptum de abstinendo a vetitae arboris fructu proponens disertam ei adjicit comminationem: *Quacunque die ex ea comederis, morte morieris* Gen. 2, v. 17. Post lapsum Adae protevangelium *de semine mulieris caput serpentis contri-*

turo ac regnum infernale destructuro revelavit, sed interim per doctrinam legis omnibus inobedientibus maledictionem denuntiavit, sicque inferni poenas illis comminatus est, nisi in tempore gratiae ad Deum se convertant et fide in Christum peccatorum remissionem consecuti ab aeterna morte liberentur. Ut autem *praeparatio inferni*, de qua diximus, sive decretum reprobationis non procedit ab absoluto quodam erga homines odio; ita quoque ipsa illa comminatio evidens documentum est, *Deum non delectari hominum perditione neque velle mortem peccatorum* Ezech. 18, v. 23. cap. 33, v. 11. *non esse ipsius voluntatem, aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti* 1. Tim. 2, v. 4. 2 Petr. 3, v. 9. Inde enim atque ideo poenam prius minatur, antequam infligat, ut per veram ac seriam conversionem durante adhuc tempore gratiae homines eandem effugiant, sicut de arcu Dei *prius minante quam feriente* in principio hujus tractatus diximus. 3. *Ratione irrogationis.* Quando Deus peccatoribus inferni poenas comminatur, tunc comminationes illae non sunt habendae eo loco, ac si essent inania terriculamenta et fulgura ex pelvi, sed in die judicii in conspectu omnium angelorum et hominum verbis suis robur et pondus inesse demonstrabit, quando ad impios sinistrorsum collocatos dicet: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum* Matth. 25, v. 41. quam denuntiationem statim sequetur exsecutio v. 46. *ibunt hi in supplicium aeternum.* In hac executione utetur ministerio angelorum, Matth. 13, v. 41: *In consummatione seculi mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et eos, qui faciunt iniquitatem*, v. 42. *et mittent eos in caminum ignis.* Quidam hoc accipiunt de *angelis bonis*, quia dicuntur *angeli Christi*, cum contra mali dicantur *angeli diaboli* Matth. 25, v. 41. Apoc. 12, v. 7. et quia *congregatio electorum a quatuor ventis* ipsorum ministerio tribuitur Matth. 24, v. 31. denique quia etiam *diaboli detrudentur in infernum*, utique non a sociis suis, sed a bonis angelis Apoc. 20, v. 3. quidam vero de *malis*, qui absolute sine addito προσδιορισμῷ in Scripturis quandoque dicuntur *angeli* Actor. 23, v. 8. Rom. 8, v. 38. 1. Cor. 6, v. 3. Neutra interpretatio fidei analogiae repugnat. Augustinus lib. 1. quaest. evang. cap. 10: *Officia vindictae possunt implere boni angeli bono animo, quomodo lex, quomodo judex; officia vero misericordiae mali implere non possunt.* De hac poenarum infernalium irrogatione die judicii futura exstant luculenta Scripturae dicta Psalm. 7, v. 14: *Dominus sagittas suas efficiet in ardentes.* Psalm. 11, v. 6: *Pluet Dominus super impios laqueos, sulfur et ignem.* Ezech. 26, v. 20: *Cum detraxero te cum his, qui descendunt in lacum.* Matth. 7, v. 23: *Nunquam novi vos, discedite a me.* Matth.
185. 10, v. 28: *Timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehenna.* Matth. 22, v. 13: *Tollite eum et projicite in tenebras exteriores* etc. Apoc. 1, v. 18. Christus dicitur *habere claves inferni*, quod Richardus de S. Victore exponit, *per potestatem suam portas inferni in fine aperiet ibique diabolum et sectatores ejus sine fine cruciandos includet.* Potest huc referri, quod quidam justo Dei judicio etiam in hac vita infernalium cruciatuum initia ac praegustum sentiunt. 4. *Ratione conservationis.* Inferni poenae non definiuntur in Scripturis per ἀνυπαρξίαν et redactionem creaturae rationalis in nihilum, sed per irrogationem aeternorum et atrocissimorum cruciatuum, ergo damnati in vivis conservabuntur, ut aeternis poenis sustinendis in perpetuum supersint. Haec conservatio dependet ab omnipotente Dei virtute, quae omne, quidquid est et subsistit, conservat, inde 2. Thess. 1, v. 9. impii dicuntur *poenas daturi aeternum interitum a facie Domini et a gloria virtutis ejus*, h. e. a gloriosa virtute seu robore ejus, quia virtus Dei in mediis inferorum flammis illos conservabit, ne ab igne infernali in nihilum redigantur, sicut ignis judicii coelum et terram in nihilum rediget. Thomas quodlib. 7. art. 11: *Corpora damnatorum erunt incorruptibilia, quamvis sint passibilia, incorruptibilitatis autem prima causa et principalis est justitia divina, quae conservabit corpora damnatorum in poenis perpetuis;* inde est, *quod flatus Domini sicut torrens sulfuris infernum succensurus dicitur* Esa. 30, v. 33. ut enim sulfur torrentis perpetuum suppeditat igni nutrimentum, ne exstinguatur; ita quoque vindicis Dei ira cum sit aeterna et nunquam desitura, perpetuum igni infernali exhibebit fomentum et nutrimentum, ne ullo unquam tempore in omnem aeternitatem exstinguatur; ut *fons vitae* a sede Dei in coelestem Hierosolymam profluit ad laetificandam civitatem Dei et conservandam beatorum gloriam in perpetua viriditate Apocal. 22, v. 1. sic *torrens sulfuris* a Dei flatu erumpet, qui perpetuo igne damnatos in aeternum cruciabit. Psalm. 75, v. 9. dicuntur impii *faeces irae divinae sorbituri*, quia vero ira illa est aeterna, ideo eas nunquam exsorbere et poculum illud sibi exhauriendum evacuare poterunt, qua de re in quaestione de poenarum infernalium aeternitate uberius dicetur.

32. Hisce quatuor modis juxta fidei analogiam expositis *Dei vindicis ira* causis inferni enumeratur. Qui infernum statuunt esse πού aliquod creatum et corporeum, illi adderent etiam quintum modum, quod scilicet Deo tribuatur *ratione creationis.* Gregorius in cap. 10. Jobi super verba *Devorabit eum ignis, qui non accenditur: Omnipotentis justitia futurorum praescia ab ipsa mundi origine gehennae ignem creavit.* Innocentius libr. 3. de contemtu mundi c. 6: *Ignis gehennae nec lignis nutritur, nec flatu succenditur, sed a Deo creatus est inexstinguibilis ab origine mundi.* Quemadmodum enim regnum coeleste dicitur piis *paratum a constitutione mundi* Matth. 25, v. 34. quia coelum sive πού illud, in quo summam illam beatitudinem pii percipiunt, in prima mundi constitutione juxta quorundam hypothesin est creatum; sic ignis infernalis dicitur *paratus diabolo et angelis ejus* v. 41. quia infernus sive πού illud, in quo diaboli et homines damnati

poenas suas persolvent, itidem in creatione est productum. Ad hanc inferni creationem sive structuram accommodari posset per quandam ἀναλογίαν dictum propheticum Esa. 45, v. 7: *Ego Dominus*
XX. 186. *et non est alter*, *formans lucem*, id est coelum lucidum, *ac tenebras*, id est tenebricosum et caliginosum infernum. Quemadmodum enim rex aliquis terrenus in regia sua non solum exstruit amplissima et lucidissima palatia, in quae hospites et filios suos introducit, sed etiam tetrum et horridum carcerem in cryptis terrae exstruit, in quem servos et subditos inobedientes concludat; sic coelestis rex non solum lucidissimum ac splendidissimum coeli palatium exaedificavit, in quod dilectos suos filios aliquando recipiet, sed etiam caliginosum exstruxit infernum, in quem fugitivos et inobedientes servos praecipites dabit. Quin et quidam eo usque progrediuntur, ut diem, quo infernus creatus est, determinare ausint. *Rabbini* ex verbis Esa. 30, v. 33. *praeparata est ab heri* colligunt, *carcerem damnatorum*, de quo propheta ibi loquitur, *creatum fuisse die secundo*, *quia dies illa tantum habuit heri*, *id est unum diem priorem;* sed scire debeant, *heri* in Scripturis sacris indefinite pro tempore antecedente etiam longissime distante, adeoque pro ipsa aeternitate accipi, sicut *cras* pro toto futuro tempore, quantumvis adhuc longe distante, usurpatur. Quidam tamen ex rabbinis *die septimo infernum creatum esse* fabulantur, existimant enim, terram proprie habere os absconditum, quia Num. 16, v. 30. dicitur *terra aperuit os*, illudque *creatum esse septima die mundi*, puta sabbato ad solis occasum. *Pontificii* de tempore, quo infernus creatus, itidem sententiis variant. Ludovicus Molina statuit, *tertio die creatum esse infernum*, quia tertio die terra fuit ornata, infernus autem est in centro terrae. Cornelius a Lapide in comm. cap. 1. Genes. *primo die* infernum creatum esse arbitratur. Cum enim angeli sint et instantaneos habeant actus, omnino verisimile est, eos primo die non diu post creationem suam peccasse, ideoque statim e coelo in infernum detrusos esse, quem Deus statim post peccatum eorum quasi carcerem et aculeum cum suo igne et sulfure eis apparavit in centro terrae. Sed quia hypothesis illa, *quod infernus sit in centro terrae*, adhuc dubia est et quia in Scripturis nobis non est revelatum, an πού illud inferni, in quo damnati cum diabolis sustinebunt poenas, sit creatum vel increatum, corporeum vel incorporeum, intra vel extra hunc visibilem mundum, ideo praestat de evasione potius quam de creatione inferni esse solicitum.

Argumenta contra adaequatam inferni causam.

33. Causae igitur inferni hoc ordine enumerari possunt. *Causa promerens* est creaturae rationalis apostasia, ad quam diabolus propria sponte a Deo deficiens hominem persuasionibus suis induxit; *causa puniens ac vindicans* Dei ira, cujus ignem homo peccatis suis accendit, ut postmodum ignis irae divinae succenderet ignem inferni; *causa interior ac προηγουμένη* hujus gravissimae poenae est immota Dei justitia, cui oportet satisfieri, et infallibilis ejusdem veritas, egressum enim ex ore ejus erat verbum, *quacunque die ex hac arbore comederis*, *morte morieris; causa exterior ac προκαταρκτική* itidem est creaturae rationalis ad obedientiam Deo creatori obstrictae apostasia, si enim absque ea esset, nec infernus esset, ac proinde apostasiam illam *propriam*, *adaequatam et immediatam* inferni causam diximus. Sed contra hanc assertionem tria obverti possunt. 1. *Si Deus ab aeterno infernum praeparavit*, *causa ejus propria*, *adaequata et immediata non potest esse creaturae rationalis apostasia*, *ea enim in tempore contigit.* Respondemus: Deo utpote omniscio jam inde ab ultima ae- XX.
ternitate constitit, diabolum et hominem in peccata prolapsuros, ideo etiam pro transgressoribus infernum praeparavit, i. e. decretum reprobationis de damnandis angelis malis et hominibus in impoenitentia et incredulitate ad finem usque perseverantibus ab aeterno fecit. Si et angeli et homines in concreata sua integritate perstitissent, id ipsum etiam Deo non fuisset ignotum, proinde etiam infernum non praeparasset. 2. *Posita creaturae rationalis apostasia non ponitur statim infernus*, *quia primi parentes post commissum peccatum non statim detrusi fuerunt in infernum.* Respondemus: posita causa propria, adaequata et immediata ponitur effectus, scilicet *si non impediatur.* Primi parentes post lapsum aeque ac mali angeli statim in infernum fuissent prolapsi et nunquam ex eo liberati, nisi Deus ex ineffabili misericordia hanc causae propriae et adaequatae efficaciam cohibuisset ac primos parentes propter intercessionem Filii et promissam λύτρου persolutionem in gratiam iterum recepisset. Diaboli quamvis in carcerem infernalem nondum sint eo modo conclusi, ut nullus ex eo pateat regressus (quo modo in die judicii demum huic carceri mancipabuntur), tamen suum secum semper circumferunt infernum et a facie Dei se in aeternum abjectos esse noverunt. 3. *Incredulitas est formalis*, *propria et adaequata damnationis causa*, *illa ergo potius fuisset assignanda*, *quam creaturae rationalis a Deo apostasia.* Respondemus: Si *in specie* de hominum damnatione post editum de semine mulieris contrituro caput serpentis decretum quaeratur, ejus causa recte statuitur *finalis incredulitas*, sed quia *in genere* de causa inferni, quae etiam in angelis malis et primis hominibus in peccatum prolapsis locum habeat, agendum fuit, ideo apostasiam creaturae rationalis pro adaequata et immediata mortis aeternae causa adduximus. Hujus apostasiae species, imo ut sic loquar, ipsum *formale* est incredulitas, nisi enim a Dei verbo per incredulitatem creatura rationalis sese averteret, etiam a Deo creatore summo et unico bono non discederet. Ex quibus omnibus porismatis loco colligimus, horribilem et blasphemam esse Calvinianorum doctrinam, qua fingunt, *Deum creasse primos homines*, *ut laberentur*, *h. e. ut lapsu illo sibi et omnibus posteris aeternam mortem attraherent*, *Deum absoluto quodam odio maximam humani generis partem*

ad damnationem et causas damnationis reprobasse, et quae sunt hujus generis portenta alia suo loco relata et refutata.

CAPUT V.

DE MATERIA INFERNI.

Materia inferni. 34. *Materiam* inferni veteres *ἀναλογικῶς* videntur statuere *peccata*, quando dicunt, *ignem infernalem nihil aliud absumturum quam peccata*. Ut ergo materia ignis diaconici sunt ligna, stipulae et alia combustibilia, quibus pascitur; sic infernalis ignis materia et nutrimentum sunt hominum peccata. Sed ostendimus jam ante, ea rectius ad *causam promerentem atque efficientem* referri, ac si materiae vicem sustinere debent, rectius vocantur *mate-*
IX. 188. *ria circa quam sive objectum*, ut inferius videbimus. Quam ergo materiam inferno *κατ' ἀναλογίαν* assignabimus? Si infernus accipiatur in significatione priore *pro morte aeterna* ac horribili illa poena, quam damnati in aeternum sustinebunt, tum frustra quaeritur ejus *materia ex qua*, quia accidentia non habent materiam *ex qua*, sed *in qua* sive subjectum et *circa quam* sive objectum. Sicut mors temporalis utpote privatio non habet materiam ex qua, ita quoque mors aeterna materiam aliquam proprie sic dictam non habet. Si vero infernus accipiatur in significatione posteriore *de illo ποὺ*, in quo damnati velut in caliginoso quodam carcere cum diabolis conclusi tenebuntur, jam ante diximus, non exstare in Scripturis manifeste revelatum, quale sit illud *ποὺ*, corporeum vel incorporeum, intra vel extra hunc mundum. Qui infernum collocant *in centro terrae* eumque statuunt *esse locum aliquem corporeum*, *tenebricosum; igne materiali plenum*, illi distinguerent inter *materiam praeexsistentem et coëxsistentem*, sive *materiam constitutionis et compositionis*. Materiam *praeexsistentem* inferni dicerent non posse dari, nisi forte ex rudi et informi massa primo die creata eum die tertio una cum terra dicerent formatum; materiam *coëxsistentem* dicerent esse caliginosam et obscuram illam terrae partem, quae infernalem cavernam ambit et concludit. Sanctius in cap. 30. Esa. pag. 334: *Topheth dicitur praeparata ab heri*, *i. e. constitutione mundi*, *tunc enim sinus ille in visceribus terrae*, *i. e. in centro terrae*, *relictus*, *qui damnatorum futurus esset carcer*. Sed quid de hac opinione, quae infernum in centro terrae collocat, statuendum sit, in quaestione de inferni loco dispicietur.

CAPUT VI.

DE FORMA INFERNI.

35. *Formam inferni* docendi causa constituimus duplicem, *internam et externam*. 1. *Internam* formam constituunt gravissimae illae poenae ac horribilissima supplicia, quae damnati in aeternum cogentur sustinere. Per ea namque infernus est id, quod est, et ab aliis omnibus distinguitur, cumprimis si in priori significatione eum consideremus, utique ergo in illis forma inferni interna recte constituitur. Gravitas poenarum infernalium a nobis hominibus nec mente comprehendi, nec verbis plene explicari potest. Quemadmodum enim felicitatem piorum in coelis ipsis praeparatam nemo hominum in terris degentium animo perfecte concipere, nedum lingua eloqui potest, Esa. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9: *Non adscendit in cor hominis, quid praeparaverit Deus se diligentibus;* ita quoque extremam miseriam atque infelicitatem damnatorum in inferno nullus mortalium satis digne aestimare et expendere potest. Faustus Regiensis in epist. 1. ad Paulin.: *Sicut illud, quod promisit Dominus diligentibus se*, *etiam testimonio apostoli pro rei magnitudine in cor hominis non adscendit; ita futurorum immensitas cruciatuum angustias humanae mentis excedit.* Sicut praemium piis promissum est *bonum universale* omnium bonorum genera et species complectens; sic XX. 189.
supplicium peccatoribus praeparatum est *malum universale*, in quo omnia malorum et suppliciorum genera in unum coacervata deprehenduntur. Poena infernalis est *infinita*, quia aeterna et quia separat a Deo, qui est infinitum bonum. Jam vero finitus intellectus non potest infinitum perfecte cognoscere. Ergo etiam poenam inferni perfecte cognoscere nequit. Augustinus serm. 181. de temp.: *Hujus poenae et ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus poterit sermo explanare. Nihil est enim in rebus corruptibilibus, quod conferri possit incorruptibilibus sive bonis sive malis. Non est dubium, quin id quod nulla temporis mensura circumscribitur*, *nulla etiam creata mente comprehendatur.* Ludovicus Granatensis 11. post Pentec. conc. 1. Gravitas illa infernalium poenarum quodammodo conspici potest, si distincte consideremus 1. *intensivam earum atrocitatem*, 2. *extensivam earum aeternitatem.* Utrumque membrum emphaticis verbis pii veteres describunt ac per *συναθροισμόν* poenarum istarum atrocitatem ob oculos nobis proponere satagunt, quorum dicta insigniora primo loco recitabimus, postea etiam nostram de illis sententiam certo ordine explicabimus. Basilius in comm. Psalm. 34. tres gradus aeternarum poenarum describit: *πῦρ ἀλαμπὲς τὴν μὲν καυστικὴν δύναμιν ἔχον, τὸ δὲ φέγγος ἀφῃρημένον· εἶτα σκωλήκων γένος ἰοβόλον καὶ σαρκοφάγον, ἀπλήστως ἐσθίον καὶ μηδέποτε κορεννύμενον, ἀφορήτους ὀδύνας ἐμποιοῦν τῇ κατα-*

Forma inferni. 1. Interna.

βρώσει· εἶτα τὴν πασῶν χαλεπωτάτην κόλασιν, τὸν ὀνειδισμὸν ἐκεῖνον καὶ τὴν αἰσχύνην τὴν αἰώνιον, ignem obscurum causticam quidem vim habentem, lucis vero expertem; deinde vermium genus venena jaculans et carnem absumens inexplebiliter edens et nunquam saturabile, intolerabiles dolores corrosione excitans; postremo omnium gravissimam poenam, illud probrum et ignominiam aeternam. Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum lapsum: *Frendemus dentibus propter labores et cruciatus illos indicibiles, nemo suppetias feret; plorabimus omnes tristissime, flamma nobis vehementius incumbente; neminem videbimus praeter condemnatos nobiscum et immanem solitudinem. Quis potest verbis consequi, quam formidabiles pavores a tenebris exorientur, quae in animis nostris exstabunt? Quemadmodum ignis illic non habet vim resolvendi, sic nec lucere potest, alioquin non essent tenebrae. Hujusmodi igitur pavorem a tenebris, tremorem, solutionem membrorum, attonitum stuporem adducere sufficit una illius temporis ratio. Multa illic variaque tormenta, grumuli poenarum seu nivis inundant.* Cyrillus Alexandrinus in orat. de exitu animae: *Heu, heu, qualis illius loci facies, ubi fletus et stridor dentium, quem tartarum appellant, quem ipse diabolus expavet! Vae, vae, qualis est gehenna ignis exstincti, ardentis quidem sed non lucentis, sed et luce carentis! Heu qualis est insomnis et virulentus vermis! Vae, vae, quam graves illae exteriores tenebrae et assiduae! Heu, heu, quales sunt angeli infligendis poenis destinati, truculenti et immites!* etc. *O temporis illius tribulationem, o necessitatem, o tempestatem! A sanctis grave dirimi, gravius a Deo dissociari; ignominiosum tum manibus, tum pedibus colligari; durum in exteriores tenebras amandari; horridum fremere, dentibus stridere, contabescere; acerbum jugibus poenis atteri; laboriosum lingua flammas sustinere; miserrimum est aquae poscere guttulam et repulsam accipere; peramarum in ignibus esse et vociferari, nec tamen sublevari. Inaccessae fauces et immensum chaos, neque fuga se subtrahere, quoniam occluditur, abitum parare non potest, quia coërcetur; custodiae murus inseparabilis, inhumani ergastuli, tenebricosus carcer, insolubilia vincula, vi nulla refrin-*
XX. 190. *gendae catenae, feri et intractabiles flammae illius ministri, graves illae, quae ad supplicium adhibentur, scuticae, firmi ungues et infracti, praedura flagella, pix nebulosa et strepitans, sulfur graveolens, atra cubilia, pyra semper ardens, foedus et olens vermis, tetricum praetorium.* Augustinus epist. 211. ad Julian.: *Vae iis, quibus praeparatur dolor vermium, ardor flammae, sitis sine exstinctu, fletus ac stridor dentium, oculorum lacrymae, tenebrae exteriores sine luce, poena inexterminabilis, ubi non est ullus honor sive agnitio proximi, sed continuus dolor ac gemitus, ubi mors optatur, sed non dabitur.* Idem vel quicunque alius auctor libr. de triplici habitaculo cap. 2: *Principalia duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile et calor ignis inexstinguibilis* etc. *De quibus duobus innumera pendent poenarum genera, videlicet sitis intolerabilis, poena famis, poena foetoris, poena horroris, poena timoris, poena angustiae, poena tenebrarum, severitas tortoris, praesentia daemonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientiae, ignitae lacrymae, suspiria miseriae, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors aeterna, poena sine fine, absentia Christi quoad visionem ejus, quae sola omnia supra dicta superat et omnibus poenis intolerabilior.* Ibid. cap. 7: *Tunc horribilia patebunt loca, poenarum chaos et caligo tenebrarum, horrorum, miseriae et tribulationis tremor, timor angustiae et confusionis, dolor horrendae visionis, tremor tremendae mansionis, locus flentium, ubi stridor dentium, ubi morsus vermium, ubi clamor dolentium, ubi luctus gementium, ubi est vox clamantium peccatorum et dicentium: Vae nobis, filiis Evae! Cumque haec et similia, imo millesies plus quam dici possunt pejora de corpore egressura misera anima, imo miserrima audierit, viderit et senserit, qualis quantusque et quam magnus terror et tremor ac timor erit in ea, quae lingua potest dicere, qui liber potest exponere? Habebunt fletum in oculis, stridorem in dentibus, foetorem in naribus, vincula in manibus et pedibus et ignem in toto corpore.* Cassianus de confess. theolog. part. 3: *Quis dicere valeat, quae impiis et male viventibus tormenta sint praeparata? in ipso enim continuae mortis loco, qui infernus appellatur, quid aliud nisi ignis flamma, perseverans tribulatio et perpetua poena atque infinita totius mali calamitas esse potest? igneus autem fluvius et foeta palus complet ista omnia. Ibi sane atroces angeli commorantur, quorum brachia sunt ut capita draconum, quorum oculi igneas ex se sagittas emittunt, quorum dentes ut elephantis prominent et stimulant ad tormentum ut caudae scorpionum, quorum adspectus tremorem inducit et dolorem atque mortem. Atque utinam mors posset in his subvenire angustiis, sed quod est horribilius, ad hoc vivit in tormentis positus, ut cruciatibus gubernetur; ad hoc redintegratur, ut rosus serpentibus et iteratis subinde iterumque repetitis morsibus attrectetur. Ibi dracones blasphemantium labia vorant et regulus diris morsibus miserorum pectora lacerat atque horribiles diversi generis beluae incredulorum animas multipliciter sine cessatione cruciant. Illic ululatus et planctus, gemitus et mugitus continue sonant, simulque clamor ubique confusus attollitur, quem dira vis tormentorum exagitat et incendii arsura extorquet* etc. *Ibi vermis, qui non moritur, et ignis, qui nunquam exstinguitur, atque stridor semper dentium sentitur, gehennae letale frigus et glacies indeficiens, fames pessima et sitis immensa, dolor perpetuus et continuus languor, saeva pestis et indicibilis lues, tenebrae densissimae et nox obscuritatis horrendae, nulla requies datur miseriae, omnia ibi mala et cuncta tormentorum genera, mors im-* XX. 191.

mortalis, defectus indeficiens, finis infinitus. Prosper l. 3. de vita contempl. c. 12: *Fletus et stridor dentium acerrimos eorum dolores ostendunt, qui supplicio aeternae mortis addicti non videndi sensum habituri sunt sed dolendi. Quorum continuus gemitus, cruciatus aeternus, dolor summus, poenalis sensus torquent animas, nec extorquent, puniunt corpora damnata, non finiunt* etc. *Quod dicit propheta, vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur, ad totam refertur damnati hominis poenam, quam inefficacis poenitentiae ignis exurit et consumentis conscientiae vermis immortaliter rodit* etc. *Cogita, quale malum illud sit ab illo gaudio divinae contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate privari, fieri patriae coelestis extorrem, mori vitae beatae, morti vivere sempiternae, in aeternum ignem cum diabolo et angelis ejus expelli, ubi sit mors secunda damnatis exsilium, vita supplicium, non sentire in illo igne, quod se illuminat, sentire, quod cruciat, exundantis incendii terribiles crepitus pati, barathri fumantis amara caligine oculos obcoecari, profundo gehennae fluctuantis immergi, edacissimis in aeternum dilaniari vermibus, nec finiri.* Cassiodorus lib. de anima c. 19: *Miserrimi omnium sunt damnati et perdendo, quod diligunt, et jugiter patiendo, quod nolunt. Aevum sine dulci vita, mors sine remediabili fine, civitas sine laetitia, patria exosa, amara domicilia, coetus tristium, turba lugentium.* Smaragdus in prolog. regulae: *Duplex in gehenna est damnatorum poena, illorum enim et mentem urit tristitia et corpus flamma.* Anselmus lib. de similitudin. cap. 49: *Erit ibi turpitudo, ponderositas, imbecillitas, servitus, infirmitas, anxietas, insipientia, inimicitia, discordia, dedecus, impotentia, timor, tristitia. Septem priores hujus miseriae partes corporis septemque ultimae miseriam perficiunt mentis.* Hugo Victorinus l. 4. de anim. c. 13: *Ibi miseriae, ibi tenebrae, ibi ordo nullus, ibi horror aeternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. Omnis qui est in eo, odit se et omnes alios. Ibi vidi omnia genera tormentorum, quorum minimum est majus omnibus his tormentis, quaecunque in hoc seculo fieri possunt. Ibi est fletus et stridor dentium, ibi transibitur a frigore nivium ad calorem igneum, et utrumque intolerabile. Ibi omnes comburuntur et vermibus corroduntur, nec consumuntur. Vermis quorum non moritur et ignis non exstinguitur. Nulla ibi vox, nisi vae, vae! Vae habent, vae sonant. Tortores illic diaboli torquent pariter et torquentur, et eorum nunquam finis erit aut remedium. Talis est infernus et millies pejor.* Bernhardus in lib. med. cap. 3: *Nihil aliud ibi auditur nisi fletus et planctus, gemitus et ululatus, moerores atque stridores dentium, nihilque ibi videbitur nisi vermes et larvales facies tortorum atque teterrima monstra daemonum.*

Vermes crudeles mordebunt intima cordis,
Hinc dolor, inde pavor, gemitus, stupor et timor horrens.

Ardebunt miseri in igne aeterno et in aeternum et ultra. In carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiae vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, foetor incomparabilis, mors animae et corporis sine spe veniae et misericordiae. Sic tamen morientur, ut semper vivant, et sic vivent, ut semper moriantur. serm. 8. in Psalm. *Qui habitat in adjutorio etc.: Fletus ibi erit ob ignem, qui non exstinguitur, stridor vero dentium ob vermem, qui non moritur. Plane fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormen-* XX. 192.
torum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidiae et obstinata malignitas extorquebit. Innocentius serm. 2. in die cinerum: *Poena infernalis est restis ex tribus contexta funiculis, ex obscuritate tenebrarum, acerbitate poenarum et diuturnitate miseriarum.* lib. 3. de cont. mund. c. 4: *Poenae infernales secundum diversa peccata sunt diversae. Prima poena est ignis, secunda frigoris; de his dixit Dominus: Ibi erit fletus et stridor dentium Matth. 13. fletus propter fumum ignis, stridor dentium propter frigus: tertia erit foetor. De his tribus dicitur Psalm. 10. ignis, sulfur et spiritus procellarum pars calicis eorum; quarta vermes indeficientes, unde Esa. c. 66: Vermis eorum non morietur; quinta mallei percutientes, unde dicit Salomon. Prov. 19: Parata sunt damnationis judicia blasphematoribus et percutientes mallei stultorum corporibus; sexta tenebrae palpabiles interiores et exteriores, unde Job. c. 10: Terra miseriae et tenebrarum. Psalm. 43: In aeternum non videbunt lumen. 1. Reg. 2: Impii in tenebris conticescent; septima confusio peccatorum, tunc enim erunt libri aperti Dan. 7. i. e. conscientiae hominum erunt omnibus manifestae; octava horribilis visio daemonum, qui videbuntur in excussione scintillarum de igne adscendentium; nona igneae catenae, quibus impii singulis membris constringentur.* l. ejusd. c. 6: *Est apud inferos summa tenebrarum obscuritas, immensa poenarum acerbitas, infinita miseriarum aeternitas.* In vitis patrum l. 7. c. 44. de quodam abbate refertur, quod ignem inferni jugiter sibi proponens dixerit: *Video ibi pares gemitus et incessabiles lacrymas; adspicio stridentes dentibus et salientes toto corpore et trementes a capite usque ad pedes; video et mare ignis bullientis immensurabile et circumfluentes et mugientes, ut putent aliqui, usque ad coelos attingere fluctus ignis et in tremendo illo mari innumerabiles homines dejectos et una voce omnes clamantes et ululantes simul, quales nemo super terram ululatus et voces unquam audierat, et sicut arentia omnis virgulti cremare, misericordia autem Dei se avertente ab illis.* Bonaventura in diaet. salut. tit. 10. c. 1: *Poenae reproborum erunt primo acerbissimae et intolerabiles; gravissima enim poena, quae in hoc mundo potest tolerari, minor est poena inferni; secundo erunt diversae, unde nota, quod in sacra Scriptura inveniuntur novem poenae: prima est poena ignis, secunda poena est*

vermis, ignis ardebit carnem, vermis ardebit mentem; tertia poena est foetor; quarta frigus; quinta fames maxima, ibi namque est tanta inopia, quod neque guttam aquae poterunt habere; sexta poena est tortor vel potius tortores; septima horror; octava tenebrae, in quibus reprobi incarcerabuntur et ligabuntur; nona poena et quasi principalis erit dolor, quia in illis poenis non solum erit acerbitas, sed contrarietas. Sunt autem doloris causae quatuor: prima est, quia amiserunt bona temporalia hujus vitae; secunda causa est, quia tempus perdiderunt, damnati namque darent libenter totum mundum pro uno momento temporis, si possent habere ad poenitendum; tertia causa est, quia visionem et gloriam Dei perdiderunt, quae carentia visionis Dei omnes gehennae cruciatus superat; quarta causa est, quia inferni vilitatem et miseriam acquisiverunt. Est enim locus infernalis tenebrosus et penuriosus, quod erit maxima poena divitibus et voluptuosis et magnatibus, quia in vita habuerunt domos sine fumo, ibi vero erit fumus continuus. Tertio est ibidem poenarum diuturnitas, erunt enim
XX. 193. *poenae infernales diuturnae, imo sempiternae. Quarto est in inferno poenarum universitas; in inferno universae partes hominis, tam corporis quam animae, post diem judicii erunt in igne, nunc autem videmus, quod homo non posset sine maximo tormento ignem in parte unius digiti sustinere per unam horam, quantus ergo erit dolor, quando totus homo ardebit in igne! Quinto et ultimo istae poenae infernales erunt inutiles et infructuosae, poena enim praesentis vitae brevis est, levis et fructuosa, sed futura est longissima et gravissima et infructuosa, quia si damnatus flendo tantum de lacrymis emitteret, quantum est de aqua in mari, non sufficeret ad lavandam maculam unius peccati mortalis.* Idem part. 7. breviloqui. c. 6: *Ignis infernalis affliget et concremabit spiritus et corpora, nec tamen corpora illa consumet, sed semper affliget. Hujusmodi autem afflictioni ignis conjuncta erit afflictio secundum omnes sensus, conjuncta erit poena vermis et carentia visionis Dei, ita quod in his poenis erit varietas et cum varietate acerbitas et cum acerbitate interminabilitas.* Idem in soliloquio cap. 3. t. 7. p. 126: *Erit istic ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis, foetor intolerabilis, mallei percutientes, umbrae palpabiles, confusio peccatorum, innodatio vinculorum, horribilis facies daemonum, mors optabitur, non dabitur, ibi torquens et puniens non fatigabitur, ibi qui torquetur, nunquam morietur, sic enim ignis ille consumet, ut vitam tamen semper servet; sic vetera tormenta patientur, ut semper innoventur; sic sine spe veniae et misericordiae semper vivent, ut tamen moriantur; sic morientur, ut tamen nunquam consumantur.* Ludolphus Carthusianus de vit. Christi part. 2. cap. 88: *Propter aversionem a creatore erit ibi carentia visionis Dei, propter conversionem ad creaturam, scilicet ad bonum commutabile spreto bono incommutabili, scilicet Deo, erit poena materialis ignis vel incendii; propter deordinationem voluntatis contra instinctum rationis erit poena universi, quae consistit in afflictione varia, acerba et aeterna. Ibi enim erit calor ignis, rigor frigoris, tenebrae, fumus, lacrymae interiores, adspectus daemonum, clamor in perpetuum, mallei percutientium, serpentes ac dracones, ariditas sitis, foetor sulfuris, vermis conscientiae, vincula, carcer, timor, dolor, pudor et confusio peccatorum omnibus patentium, invidia, rancor, tristitia, carentia divinae visionis, ablatio spei omnis salutis. Ipsum etiam esse, quod omnis creatura appetit, poena iis est, quia quaerent mortem naturalem, et non invenient.* Rupertus Holcothus lect. 55. in lib. Sapientiae septem poenales damnatorum conditiones recenset. *Dejicientur*, inquit, *cum confusione, affligentur cum despectione, repellentur sine responsione, destituentur authenticatione, punientur sine consolatione, contementur sine condonatione et supprimentur sine recordatione.* Laurentius Justinianus de connub. verbi et animae c. 16: *Erit ibi ignis inexstinguibilis, frigus incomparabile et dentium stridor; ibi quoque est fumus teterrimus, tenebrae palpabiles, lacrymae interiores, horrida daemonum visio, improperii clamor, ariditas sitis, foetor sulfuris, vermis conscientiae, spiritualia vincula, carcer squalidus, timor crucians, palpitans tremor, anhelitus dolor, pudor confundens, invidia urens, discerpens rancor, tristitia affligens, carentia divinae visionis omnisque spei abolitio et salutis.* Dionysius Carthusianus in com. Apoc. p. 301: *Gravis est damnatorum poena propter tormenti acerbitatem, gravior propter suppliciorum diversitatem, gravissima propter suppliciorum aeternitatem.* Idem libr. de quatuor noviss. art. 37: *Circa poenas inferni consideranda est primo earum aeternitas, quae super omnia gravat,* XX. 194.
premit, contristat et torquet damnatos, imo infernale incendium non affligit tam graviter infelicissimos illos, quantum affligit eos consideratio, qua attendunt ac cogitant, se in tot ac tantis tormentis perpetuo permansuros, ex qua consideratione oritur intolerabilis desperatio omnis boni. Secundo consideranda est circa poenas inferni earum acerbitas, poena enim ignis acerbissima est, ignis quoque infernalis omni igne apud nos exsistente ineffabiliter calidior poenaliorque exsistit. Et sicut ignis ille est calidissimus, ita frigus infernale est vehementissimum. Idem dicendum de ceteris inferni tormentis. Tertio consideranda est infernalium tormentorum diversitas, quia juxta magnitudinem multitudinemque culparum unusquisque reprobus variis poenis torquebitur. Quarto circa poenas inferni pensanda est earum universalitas, quia in toto corpore et in singulis membris corporis iniqui affligentur, similiter in tota anima atque in singulis ejus viribus. Quinto attendenda est circa poenas inferni desolata et poenosa societas. Sexto pensanda est dispositio loci. Septimo irrecuperabilitas negligentiae et amissionis temporis hujus vitae ac damni inde secuti. Octavo puritas mala

illarum poenarum, quibus nulla consolatio est admixta. Nono consideranda est poena damni damnatorum. Decimo consideranda est gravitas infernalium tormentorum ex parte patientium. Carthenius l. 3. de quatuor noviss. c. 4: *Erunt in inferno poenae interiores et exteriores. Quantum ad corpus spectat, punientur damnati a quatuor elementis, terra, aqua, igne et aëre. A terra quidem, quia undique ea vallabuntur, qui hic ordine inverso terrena praetulerunt terrae creatori; ab aëre similiter punientur, quia ibi caliginosus erit et foetidus; ab igne ob calorem nimium, ab aqua ob stridens frigus* etc. *Fiet in ultima mundi purgatione quaedam segregatio elementorum et quidquid purum est ac nobile, superius remanebit ad gaudium et felicitatem justorum, quidquid ignobile et faeculentum, in infernum projicietur ad poenam iniquorum, ut quomodo omnis creatura Dei erit beatis gaudii materia, sic et damnatis ex omnibus creaturis tormentum accedat. Altera poena exterior erit in quinque sensibus corporeis, visu, auditu, gustu, olfactu, tactu. Nam visus solis, lunae stellarumque lumine ac splendore privabitur, nec non Christi et sanctorum omnium visione; contra punietur fletu, fumo ac turpissimorum daemonum omniumque damnatorum adspectu, aures, quae nunc vocanti Christo clauduntur, diabolo suadenti aperiuntur, clamore horribili assiduisque blasphemiis, quas audient, torquebuntur; gustus siti et fame affligetur, omni ciborum et potuum voluptate privabitur; odoratus sulfureo foetore torquebitur, cum damnatis enim omnes hujus seculi faeces, sterquilinia, foetores in infernum ceu in cloacam quandam descendent; denique tactus intus et extra medullas acerbissimo igne cremante torquebitur. Accedit et alia poena exterior, siquidem corpora damnatorum erunt deformia, passibilia, tarda, ponderosa, obscura, pallida, opaca. Ceterum ejusmodi poenae corporeae sensuumque exteriorum in animam ipsiusque sensus refluent ac redundabunt, in imaginativam videlicet, aestimativam, memoriam sensitivam, phantasiam sensumque communem. Aestimativa cum viderit, coram se alios torqueri, indicibili horrore percutietur, ne pari modo crucietur; phantasiae visiones terrificae apparebunt; imaginativa de omnibus etiam bonis perperam cogitabit; memoria sensitiva torquebitur recordatione peccatorum suorum seraque et infrugifera poenitentia; in sensu communi refluent omnes poenae sensuum exteriorum, tantusque ibi erit dolor et cruciatus, ut mens ad aliud dirigi non possit, nisi ad quod vis dolo-*
IX. 195. *ris impellit. Delectabilia quaeque a sensibus ac mente subtrahentur et cuncta tristia exhibebuntur. Praeterea ibi erit perpetuus perversae voluntatis status, neque tam dolebunt, se peccasse, quam voluptates suas perdidisse. Ibi erunt et tenebrae interiores, privatio scilicet gratiae, privatio item scientiae humanae, coelestis ac divinae. Odio prosequentur omnes Dei creaturas, daemones et sanctos angelos, homines quoque bonos et malos, imo Deum ipsum, non quidem in se et sua natura, sed in effectibus justitiae suae.* c. 5. *Non solum in praesentia omnis mali, verum etiam in absentia omnis boni erunt poenae et cruciatus damnatorum, quia carebunt Dei gratia, sine qua qui vivit, misere vivit; carebunt omni voluptate, nedum coelesti ac divina, sed etiam temporali.*

Gravitas poenarum infernalium colligitur 1. ex quantitate earum discreta sive multiplici varietate.

36. Sedenim ut *gravitatem* poenarum infernalium cognoscamus exactius, meditemur studiosius et consequenter peccata, quibus illae velut a caecia nubes attrahuntur, fugiamus cautius, progrediemur in illis explicandis hoc ordine. In poenis inferni consideranda est earum tum *quantitas*, tum *qualitas*. Quantitas est vel *discreta*, vel *continua*. Ad discretam quantitatem *numerus*, ad continuam refertur *tempus*. Numerus infernalium poenarum ex multiplici earundem varietate colligitur. Ecquis vero istam varietatem animo complecti, nedum verbis explicare potest? Quidquid in hac vita occurrit mali et adversi, illud omne ad poenas inferni utcunque explicandas in Scripturis adhibetur. Ecquis certo ordine et numero complecti potest poenas illas, quae ratione aeternitatis sunt *infinitae et interminabiles*, ratione multiplicis varietatis *innumerabiles*, ratione acerbitatis et intensionis *inaestimabiles?* Conabimur tamen eo usque progredi, quo in hujus vitae caligine et infirmitate possumus, quae enim et quot sint inferni poenae, solus Deus novit *θεωρητικῶς*, diaboli et damnati sciunt *πρακτικῶς* vel potius *παθητικῶς*, nullus autem hominum in his terris vivens definire et explicare potest *ἀποδεικτικῶς*. Potuissemus autem in principio hac uti distinctione, quod Scriptura inferni poenas describat 1. *verbis propriis*, in sensu literali accipiendis, 2. *figuratis ac metaphoricis*, ex sensu et usu hujus seculi traductis. Sed quia nullus hominum exacte scire ac definire potest, quae descriptiones poenarum infernalium sint *propriae*, quae vero *figuratae*, ideo juxta hanc distinctionem varietas illorum malorum vix potest in certas classes redigi. Alia igitur utemur via. Mala inferni describuntur nobis 1. *γενικῶς*, appellationibus *generalibus* universam istorum malorum congeriem complectentibus; 2. *εἰδικῶς*, vocabulis *specialibus* certas illarum poenarum species exprimentibus. Quemadmodum enim in pictura primo intuemur tabellam totam variis imaginibus insignitam, postea singulas imagines seorsim contemplamur; ita quoque picturam inferni in Scriptura nobis propositam primum quidem *generaliter et universim*, postea vero *specialiter et separatim* pia mentis meditatione intueri convenit.

Quae describitur 1. generaliter. Vocantur enim 1. perditio. XX. 196.

37. Generales descriptiones hae sunt, quando status damnatorum ac poenae inferni vocantur 1. אֲבַדּוֹן, *ἀπώλεια*, *perditio*, Job. 26, v. 6. Prov. 15, v. 12. Prov. 27, v. 20. Matth. 7, v. 13. Marc. 1, v. 24. Joh. 17, v. 11. Act. 8, v. 20. Rom. 9, v. 22. Phil. 1, v. 28. cap. 3, v. 19. 1. Tim. 6, v. 9. 2. Petr. 2, v. 1. etc. 2. מָוֶת, *θάνατος*, *mors*, Psalm. 34, v. 22. Psalm. 49, v. 15. Ezech. 18, v. 20. cap. 28, v. 8. Joh. 6, v. 50. Rom. 1, v. 32. cap. 6, v. 23. Jacob.

2. Mors.

3. Interitus. 5, v. 20. Apoc. 2, v. 11. cap. 20, v. 14. etc. 3. ὄλεθρος, *interitus*, Matth. 10, v. 28. 1. Thess. 5, v. 3. 2. Thess. 1, v. 9. 1. Tim. 6, v. 9. ac differentiae causa quandoque additur *perditio aeterna*, *interitus aeternus*, *mors aeterna*, *mors secunda*, φθορά, *corruptio* 2. Petr. 2, v. 12. quo pertinet, quod corpora damnatorum vocantur פְּגָרִים, *cadavera* Esa. 66, v. 23. nimirum quia ipsi sunt aeterna morte mortui. In parabola decem minarum Luc. 19, v. 27. inimici regis jubentur *interfici*, ut significetur, hostes Christi aeterna morte perdendos. Vocatur autem miserrimus damnatorum status *perditio*, *mors ac interitus*, non quod sit absoluta quaedam ἀνυπαρξία ac redactio vel totius compositi vel partis alterutrius in nihilum, quia animae et corpora damnatorum in aeternis suppliciis vivent, sed quia de omnibus malae mortis speciebus aliquid participat. (Scholastici sic distinguunt: vita animae duplex est, *essentialis et habitualis* seu *relata ad aliud*. Illa in esse, haec in bene esse consistit. Anima impii quoad esse nunquam perit, quoad bene esse in perditionem ruit.) Dico *malae mortis*, quia de salutari, bona ac spirituali illa fidelium morte, qua in hac vita mortui dicuntur peccato, legi, mundo et carni, nihil quidquam participat. Diximus autem suo loco, mortis nomine intelligi 1) *omnis generis calamitates et adversitates* homini in hac vita propter peccatum tolerandas, Exod. 10, v. 17. 1. Cor. 15, v. 31. 2. Cor. 1, v. 10. etc. jam vero in inferno est συναθροισμός, congeries, colluvies atque confluvies omnium omnino miseriarum, calamitatum et adversitatum, quae in hac vita homini unquam obtigerunt vel obtingere potuerunt, utique ergo status damnatorum rectissime interitus ac mors vocatur. 2) *Mortem corporalem atque naturalem*, quae est animae a corpore dissolutio, Matth. 10, v. 21. cap. 16, v. 28. Rom. 5, v. 14. 1. Cor. 3, v. 22. et alibi passim. Quamvis vero in morte aeterna animae damnatorum resuscitatis corporibus unitae non separentur a suis corporibus, qua in parte discrimen est inter mortem temporalem et aeternam, tamen convenit mors secunda sive aeterna cum morte prima, ratione tum *originis*, quia utraque est consequens et poena peccati; tum *horroris*, ut enim mors corporalis in se ac per se considerata est omnium terribilium terribilissimum, sic mors aeternalis longe adhuc horribilior ac terribilior; tum *doloris et angoris*, quia ut anima non sine gravissimo dolore a corpore divellitur, sic damnatorum mors perpetuo angore et continua anxietate definitur; tum *effectus et consequentis*, per mortem corporalem cadaver anima destitutum redditur ponderosum, foetidum, abominabile, vermibus et putredine scatens, sic damnatorum corpora non erunt quidem anima cassa, interim erunt nihilominus ponderosa, foetida, abominabilia ac a rodentibus vermibus in aeternum lancinabuntur. 3) *Mortem spiritualem infidelium*, qua in peccatis suis mortui a vera animae vita, quae in Deo est, separati dicuntur Matth. 8, v. 22. Luc. 9, v. 60. cap. 15, v. 24. Joh. 5, v. 25. 1. Tim. 5, v. 6. Eph. 2, v. 5. Col. 2, v. 13. Cum hac spirituali infidelium morte arctissima cognatio morti impiorum aeternae intercedit, quia impii inferno adjudicandi a vera vita, quae in Deo est, a gratiosa Dei inhabitatione, ab omnis gau- XX. 197
dii participatione in aeternum sunt exclusi, quin imo damnatorum respectu hujus aeternae ac secundae mortis longe pejor est conditio quam infidelium in hoc mundo respectu mortis spiritualis, quia infidelibus durante adhuc tempore gratiae patet aditus ad poenitentiam et reconciliationem cum Deo, quo fine etiam ipsis conversionis media verbum et sacramenta offeruntur; sed damnati irremediabiliter morti sunt obnoxii et a facie Dei in aeternum ac plenarie abjecti. Inde *vitam extra vitam in morte non moriente in aeternum traducunt.*

38. De hac aeterna damnatorum morte sic disserunt pii veteres. Ambrosius in comm. Rom. 5: *Mors duplex, dissolutio corporis, cum anima a corpore separatur; et mors, quae secunda dicitur in gehenna.* Lactantius lib. 2. instit. cap. 13: *Duplex est mors, primam sic definimus: mors est naturae animantium dissolutio, vel ita, mors est corporis animaeque seductio; secundam vero sic: mors est aeterni doloris perpessio, vel ita, mors est animarum pro meritis ad aeterna supplicia damnatio.* Augustinus lib. 6. de civit. Dei cap. 12: *Eam vitam aeternam dicimus, ubi est sine fine felicitas. Nam si anima in poenis vivit aeternis, quibus et ipsi spiritus cruciabuntur immundi, mors illa potius aeterna dicenda est quam vita. Nulla quippe major aut pejor est mors, quam ubi non moritur mors. Sed quod animae natura per id, quod immortalis creata est, sine qualicunque vita esse non potest, summa mors ejus est alienatio a vita Dei in aeternitate supplicii.* lib. 13. de civit. Dei cap. 2: *Mors animae fit, cum eam deserit Deus, sicut mors corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei, id est totius hominis, mors est, cum anima a Deo deserta deserit corpus. Hujusmodi autem totius hominis mortem illa sequitur, quam secundam mortem divinorum eloquiorum appellat auctoritas. Hanc Salvator significavit, ubi ait: Eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehenna; quod cum non antea fiat, quam cum anima corpori sic fuerit copulata, ut nulla diremtione separentur, mirum videri potest, quomodo corpus ea morte dicatur occidi, qua non ab anima deseritur, sed animatum sentiensque cruciatur. Nam illa poena ultima ac sempiterna recte mors animae dicitur, quia non vivit ex Deo, mors autem corporis, quonam modo cum vivat ex anima? non enim aliter possunt ipsa corporalia, quae post resurrectionem futura sunt, sentire tormenta. An quia vita qualiscunque aliquod bonum est, dolor autem malum, ideo nec vivere corpus dicendum est, in quo anima non vivendi causa est sed dolendi?* Et postea: *In damnatione novissima quamvis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse nec voluptate suavis, nec quiete salubris, sed dolore poenalis est, non immerito mors est*

potius appellata quam vita. lib. ejusd. cap. 11. circa fin.: *Secunda mors est omnium malorum pessima, quae non fit separatione animae et corporis, sed in aeternam poenam potius utriusque complexu. Ibi non erunt homines ante mortem atque post mortem, sed semper in morte, ac per hoc nunquam viventes, nunquam mortui, sed sine fine morientes. Nunquam enim erit homini pejus in morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte.* lib. 19. de civ. Dei c. 28: *Miseria damnatorum sempiterna, ideo secunda mors dicitur, quia nec anima ibi vivere dicenda est, quae a vita Dei alienata erit; nec corpus, quod aeternis cruciatibus subjacebit. Ac per hoc ideo durior ista secunda mors erit, quia finiri morte non poterit* etc. *Quod bellum gravius et*
18. *amarius cogitari potest, quam ubi voluntas sic adversa est passioni et passio voluntati, ut nullius earum victoria tales inimicitiae finiantur, et ubi sic confligit cum ipsa natura corporis vis doloris, ut neutrum alteri cedat? Hic enim quando contingit iste conflictus, aut dolor vincit et sensum mors adimit, aut natura perdurans vincit et dolorem sanitas tollit; ibi autem et dolor permanet, ut affligat, et natura perdurat, ut sentiat, quia utrumque ideo non deficit, ne poena deficiat.* lib. 21. de civ. Dei cap. 3: *Non enim nulla sed sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. Prima mors animam nolentem pellit de corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. Ab utraque morte communiter id habetur, ut quod non vult anima, de suo corpore patiatur.* Est et hoc Augustini: *Miseria damnatorum nec vita, nec mors est, quia in utraque boni aliquid invenitur; in vita requies est, in morte terminus, sed miseria illa non habet requiem, nec terminum. Quid ergo est? malum vitae et malum mortis a morte. Cruciatus habet sine fine, a vita durationem accipit sine requie.* Paulinus de obitu Celsi:

Vita erit his sine fine mori et mors vivere poenis,
Et durante suas pascere carne cruces.
Ipse suos proprio peccator corpore gignet
Carnifices et erit vermibus esca suis.

Anselmus lib. de similitud. c. 58: *Si male quis nunc vixerit, non nisi moriendo tunc vivere poterit. Nihil ergo brevius illa vita, cui mors semper fuerit juncta.* Fulgentius lib. 1. ad Monimum c. 6: *Huic uni morti, quam peccator sibi per contemtum divinae jussionis injuste concupiscendo arcessivit, duplam Deus mortem juste judicando retribuit, hoc est primam in separatione animae et corporis, secundam in aeterna cruciatione animae et corporis; ac per hoc primam, qua discedente anima caro sola moritur, secundam vero, quando rediens in carnem anima in eadem et cum eadem, in qua peccavit, carne torquetur, ut cum qua communicavit mortem peccati, quod Dei bonitas interdixit homini, cum ipsa communicet mortem supplicii, quod paravit divina justitia peccatori.* Gregorius l. 6. mor. c. 39: *Fit miseris mors sine morte, quia mors perimit et non exstinguit.* Smaragdus ad c. 4. reg. ex Prosp. l. 3. de vit. contempl. c. 12: *Omnes qui in gehenna dicuntur occidi, non hoc cum illis agitur, ut consumti doloribus aliquando deficiant, sed ut in illis poenaliter vivant.* Algerus l. 2. de euchar. c. 5: *Mali etiam in corpore vitam aeternam habebunt, quam tamen magis mortem dixerim, quia Deo, qui vere vita est, non placebunt, et ideo sine divina gratia misera erit aeternitas, quia aeterna miseria.* Bernhardus in med. devot. c. 3. col. 1193: *Erit ibi mors animae et corporis, sic tamen morientur, ut semper vivant, sic vivent, ut semper moriantur.* Idem: *Vita erit mortifera et mors immortalis. Si vita es, cur occidis? si mors, quomodo semper duras?* Idem ad Eugen. papam: *Cogita, quantum malum sit mori vitae aeternae, vivere morti sempiternae.* Manuel Palaeologus orat. 6: *At ubi tristissimam illam mortem appetierit animus, etiam corpus ipsum post resurrectionem quasi mortuum et miserum modis omnibus erit. Nam quo pacto res aliter se habere possit, cum id, quod ipsum corpus vivificat, veram vitam, qui Deus est, amiserit?* Ex quibus facile intelligi potest, quid respondendum sit ad quaestionem, quomodo status damnatorum dicatur mors, cum mortem dicantur optare et quaerere, Apoc. 9, v. 6. Communiter respondent, per mortem hic intelligi ἀνυπαρξίαν, ut sit sensus, optabunt in XX. 199.
nihilum redigi, ut a cruciatibus illis liberentur. Sed quia vocabulum *mortis* nuspiam in Scriptura pro ἀνυπαρξίᾳ omnimoda usurpatur, nam nec corporalis nec spiritualis, nec temporalis nec aeterna, nec proprie nec metaphorice dicta mors est ἀνυπαρξία, ideo rectius dicitur, Johannem loqui de morte corporali in sensu comparato. Natura omnes fugiunt et exhorrent mortem, sed tanti erunt damnatorum cruciatus, ut mortem ac interitum, quem alias omnia viventia fugiunt, prae magnitudine dolorum exoptent, per mortem enim temporalem corpus a doloribus liberari norunt.

39. 4. Indigitatur etiam miserrimus damnatorum 4. Judicium.
status nomine κρίματος καὶ κρίσεως, *judicii*, Matth. 23, v. 14. Marc. 12, v. 40. Luc. 20, v. 47. Joh. 5, v. 29. Hebr. 10, v. 27. κρίματος αἰωνίου Hebr. 6, v. 2. item κατακρίματος καὶ κατακρίσεως, *condemnationis*, Matth. 12, v. 41. Marc. 16, v. 16. Rom. 8, v. 1. 1. Cor. 11, v. 32. Jac. 5, v. 9. etc. primo quidem μετωνυμικῶς, quia in judicio extremo, quod Christus adversus eos instituet, denuntiabitur ipsis aeterna damnatio, quo sensu ipsi soli dicuntur *venire in judicium* Joh. 5, v. 24. et *ad judicium resurgere* v. 29. deinde etiam μεταφορικῶς. Quemadmodum enim in hac vita facinorosus ad supplicium a judice damnatus, quia nihil aliud quam praesentissimam mortem ob oculos sibi propositam videt, propterea animo valde angitur, horrore concutitur ac tremore totus percellitur; sic impii audita damnatoria sententia horribili et ineffabili angore afficientur. Quemadmodum facinorosus morti condemnatus publicae

ignominiae et communi omnium spectaculo exponitur; sic damnati aeternis opprobriis in conspectu omnium angelorum et hominum afficientur, Dan. 12, v. 2. Quemadmodum adjudicatus morti et ultimo supplicio ob flagitia sua destinatus gravissima tormenta sustinet et maximis cum doloribus vitam finit; sic damnati perpetuos cruciatus et mortem aeternam sustinebunt. Quemadmodum supplicio affectus non revertitur in hanc vitam, sed abscinditur a viventium regione; sic damnati a vera vita, quae in Deo est, aeternum erunt abalienati nec unquam lucem iterum videbunt.

5. Ira Dei. 40. 5. Denique etiam tota congeries malorum, quae damnatos premet, *irae divinae* nomine ἐπιτομικῶς exprimitur, Joh. 3, v. 36. Rom. 2, v. 8. Eph. 5, v. 6. Col. 3, v. 6. 1. Thess. 1, v. 10. cap. 5, v. 9. Apoc. 14. v. 9. etc. in quo itidem species quaedam metonymiae occurrit, quia ira Dei adversus damnatorum peccata est causa efficiens et conservans illorum cruciatuum. Rom. 2, v. 5: *Cumulas tibi iram*, hoc est poenas ex ira infligendas, *in die irae.* Haec justissima vindicis Dei ira breviter exprimit omnia suppliciorum genera, quaecunque de damnatis cogitari vel praedicari possunt, quia Deus totam suam iram in aeternum super eos effundet. Quando in hac vita Deus ex justa ira poenas immittit, tum non effundit totam suam iram, *sed in ira recordatur suae misericordiae;* sed de damnatis dicitur, quod *facces irae divinae* sint sorbituri Psalm. 75, v. 9. hoc est quod totum poculum ira divina plenum usque ad fundum cogentur evacuare, quodque bibituri sint ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τοῦ θεοῦ τοῦ κεκερασμένου τοῦ ἀκράτου ἐν τῷ ποτηρίῳ τῆς ὀργῆς αὐτοῦ Apocal. 14, v. 10. non erit mixtum sive *temperatum poculum* misericordia, ideo vocatur ἄκρατον, interim tamen turbidis variarum ac diversarum poenarum faecibus erit pleXX. 200. num, inde vocatur κεκερασμένον. Ut autem Deus in hac vita non effundit totam suam iram, ita quoque *non irascitur in aeternum* Psalm. 77, v. 8. Psalm. 103, v. 9. sed super damnatos instar gravissimi ponderis *manebit ira Dei* in aeternum Joh. 3, v. 36. a qua nullis mediis ac remediis poterunt liberari. Damascenus lib. 2. orth. fid. c. 29. (al. 31.) duas constituit divinae desertionis species, unam vocat οἰκονομικὴν καὶ παιδευτικήν, *dispensativam et correctoriam*, alteram τελείαν καὶ ἀπογνωστικήν, *perfectam et prorsus separatoriam*, quae posterior species damnatis a facie Dei penitus abjectis proprie competit.

2. Ex speciali earum consideratione. Mala damnatorum sunt 1. στερητικά. 41. Εἰδικῶς, in specie, mala damnatorum sunt vel στερητικά vel θετικά. Quemadmodum *gratiae divinae* distinguuntur in *privativas ac positivas*, illae dicuntur, quibus a malis nos custodit, hae vero, quibus bona in nos confert, unde vulgatum illud dicterium: *Plures sunt gratiae Dei privativae quam positivae;* ita quoque mala damnatorum dispescere possumus in *privativa ac positiva*, erit enim in inferno *absentia omnis boni ac praesentia omnis mali.* Ecquid namque boni illi adesse et contra quid mali illi deesse potest, cui Deus τελείως καὶ ἀπογνωστικῶς in aeternum irascitur, qui a Deo summo, unico et infinito bono separatur? Quemadmodum visio Dei beatifica, in qua vita aeterna consistit, complectitur στέρησιν πάντων κακῶν καὶ θέσιν πάντων καλῶν; ita e contrario alienatio a conspectu Dei, in qua inferni poena consistit, complectitur στέρησιν πάντων καλῶν καὶ θέσιν πάντων κακῶν. Quemadmodum in impoenitentia, incredulitate et aliis peccatis, propter quae impii in infernum praecipitabuntur, est non solum στέρησις sed etiam θέσις, averterunt enim se a Deo creatore, bono incommutabili, et motu inordinato converterunt se ad creaturam, bonum commutabile, peccarunt tum *omittendo* divinitus praecepta, tum *committendo* divinitus prohibita; ita quoque in poenis inferni ex peccato ortis erit στέρησις, *privatio, omnis boni* ac θέσις, *positio, omnis mali;* erit ibi carentia visionis Dei, erit etiam poena aeterni et gravissimi incendii. Scholastici dicunt, in damnatione esse duo, *poenae* scilicet *inflictionem et aeternam a Deo separationem*, Bonaventura 4. sent. distinct. 48. in dub. lit. 1. mala θετικά vocat *poenas sensus*, στερητικά *poenas damni*, compend. theol. lib. 7. cap. 3. *Poena damni est privatio praemii beatifici*, *poena sensus est afflictio infernalis tormenti*, Cameracensis in princ. 1. sentent.

42. Mala στερητικά varia sunt ac multiplicia. Principale est separatio a Deo et Christo
Principale est *separatio a Deo et Filio ejus Christo Jesu*, *aversio divinae faciei*, *carentia divinae visionis*, *elongatio a beatifico Dei conspectu.* Quidam vocant ἀκοινωνησίαν, *relegationem* in perpetuum exsilium. Psalm. 5, v. 5: *Non habitabit juxta te malignus.* Matth. 25, v. 41: *Discedite a me in ignem.* 2. Thess. 1, v. 9: *Dabunt poenas a facie Dei* (abjecti ac separati, quo sensu particula ἀπό respondens Hebraeo מִן saepius usurpatur). *Peccata dividunt inter Deum et homines et abscondunt faciem Dei ab hominibus* Esa. 59, v. 2. jam vero impii in peccatis suis mortui reatu eorum in aeternum tenentur obstricti, utique ergo propter peccata illa non remissa nec unquam remittenda faciem suam in aeternum ab illis abscondit. *Deus lux est et tene-* XX. 20
brae non sunt in eo ullae 1. Joh. 1, v. 5. jam vero damnati *projicientur in tenebras exteriores* Matth. 8, v. 12. cap. 22, v. 13. ergo etiam faciem ac lucem divinam non videbunt. Hieronymus in comm. Matth. 8: *Tenebrae semper interiores sunt, non exteriores; sed quoniam qui a Domino foras expellitur, lumen relinquit, idcirco exteriores tenebrae nominatae sunt.* Prosper lib. 3. de vit. contempl. cap. 12: *In exteriores tenebras mitti nihil aliud erit nisi a Domino, qui est mentium lumen, expelli.* Quemadmodum electorum beatitudo essentialiter ac principaliter in visione Dei consistet, 1. Cor. 13, v. 12: *Videmus eum a facie ad faciem.* 2. Cor. 5, v. 7. διὰ εἴδος. 1. Joh. 3, v. 2: *Videbimus eum sicut est.* Apoc. 22, v. 4: *Videbunt faciem Dei et Agni;* sic vice versa damnatorum infelicitas essentialiter ac principaliter in carentia visionis divinae et in aversione divinae faciei consistet. Angelorum beatitudo sic

describitur, quod *semper videant faciem Dei, qui in coelis est* Matth. 18, v. 10. ergo etiam diabolorum et omnium impiorum damnatio recte sic describitur, quod non videant faciem Dei. Notandum vero, faciem Dei in Scripturis accipi potissimum dupliciter, primo quidem pro *Dei favore*, *gratia et benevolentia;* deinde vero pro *ipsius ira et indignatione*, quemadmodum etiam homo favorem et iram suam in facie alteri demonstrat. Quando igitur ab impiis dicitur Deus *faciem suam aversurus* ac ipsi a visione faciei divinae dicuntur excludendi, tunc facies in priore significatione usurpatur; sed respectu posterioris significationis *ponet et obfirmabit faciem suam* contra damnatos Lev. 17, v. 10. cap. 20, v. 5. cap. 26, v. 17. *exardescet a facie ejus ignis ardens usque ad novissima inferni* Psalm. 18, v. 9. nec *poterunt a facie Dei damnati effugere* Psalm. 139, v. 7. etc. quo sensu quidem exponunt dictum apostolicum 2. Thess. 1, v. 9. *poenas dabunt a facie Dei*, id est ab ira et furore ejus, ac damnati petunt, se *abscondi a facie Dei* Apoc. 6, v. 17. ubi ἐξήγησις statim additur v. 18. quia *venit dies magnus irae.* Quando in hac vita pii non percipiunt sensum divinae gratiae ac gustum dulcedinis divinae, videntur sibi projecti a facie Dei Psalm. 31, v. 23. unde tam anxie et solicite orant, *usque quo Domine avertis faciem tuam?* Psalm. 13, v. 1. *Ne avertas faciem tuam a me* Psalm. 27, v. 9. *Quare faciem tuam avertis?* Psalm. 44, v. 24. *Ne projicias me a facie tua* Psalm. 51, v. 13. etc. Sed haec aversio non est ἀπογνωστική, sed παιδευτική; et quando Deus a damnatis dicitur avertere et abscondere faciem eosque a facie sua abjicere, tunc talis faciei aversio intelligitur, quae in perpetuum durabit, ita ut nulla amplius spes supersit, fore aliquando, ut Deus reconciliatus amicam suam faciem illis ostendat. Huc pertinent dicta Scripturae, in quibus damnatio describitur per Dei iram, quae paulo ante sunt enumerata, quia finalis illa Dei ira manens super damnatos in aeternum nihil aliud est quam aversio et absconsio divinae faciei ab illis in perpetuum. Haec alienatio a gratia et vita Dei complectitur finalem, perfectam et totalem ἀποκοπὴν καὶ ἀποτομήν, *avulsionem, a Christo capite: discedite a me* Matth. 7, v. 23. cap. 25, v. 41. *alter relinquetur* Luc. 17, v. 34. ita ut nulla amplius supersit spes, fore ut aliquando mystico illi corpori, cujus caput est Christus, inserantur; itemque *jacturam irreparabilem sapientiae, justitiae, vitae, gloriae, laetitiae, felicitatis ac beatitudinis sempiternae*, in qua Deus erit *omnia in omnibus* 1. Cor. 15, v. 28.
202. ac se a facie ad faciem contuendum electis praebebit. Quomodo enim avulsi a Deo, qui est summum bonum, summa laetitia ac ipsa vita, possent frui ullo bono spirituali ac coelesti? Absalon urgebat Joabum, *ut sese aut in conspectum regis iterum produceret, aut occideret* 2. Sam. 14, v. 32. sic ergo morti aequiparat, quod a facie regis cogatur exsulare. Quanto majus et incomparabiliter majus malum erit a facie coelestis regis exsulare!

43. De hoc damnatorum statu sic loquuntur pii (ed. princ.) veteres. Irenaeus lib. 5. advers. haeres. cap. 22. p. 351: *Quicunque erga Deum custodiunt dilectionem suam, his praestat communionem; communio autem Dei vita et lumen et fruitio eorum, quae sunt apud eum bonorum; quicunque autem absistunt secundum sententiam suam ab eo, his eam, quae electa est ab ipsis, separationem inducit; separatio autem Dei mors et separatio lucis tenebrae, et separatio Dei amissio omnium, quae sunt apud Deum bonorum* etc. *aeterna autem et sine fine sunt a Deo bona, propter hoc et amissio eorum aeterna et sine fine est.* Chrysostomus homil. 24. in Matth. cap. 7: *Mille gehennas ponas et nihil tale est, quale est excludi a gloria et odio haberi a Deo.* Ibidem: *Duae erunt poenae in inferno, comburi et a regno Dei excludi, haec poena difficilior est.* Basilius in orat. de extremo judicio, quae exstat in operibus Ephraemi: *Dei alienatio atque aversio etiam inter omnes poenas, quae in gehenna exspectantur, intolerabilior graviorque est ei, qui patitur, quam oculo lucis privatio, etiamsi dolore careat,* θεοῦ ἀλλοτρίωσις καὶ ἀποστροφὴ καὶ τῶν ἐν γεέννῃ προσδοκωμένων κολάσεων ἀφορητότερόν ἐστι καὶ βαρύτερον τῷ παθόντι ὡς ὀφθαλμῷ φωτὸς στέρησις, κἂν μὴ ὀδύνη προσῇ. Augustinus lib. 1. hypognostic.: *Mors seu damnatio est privatio vitae seu alienatio a Dei vita.* in lib. de triplic. habitac.: *Absentia Christi quoad visionem omnia alia tormenta superat et omnibus poenis intolerabilior est.* Fulgentius dicit: *Si in carcere inferni conclusi Dei faciem viderent, nullam poenam, nullum dolorem nullamque tristitiam sentirent.* Damascenus in vita Barlaam. cap. 8: *Omnium inferni tormentorum nullum aeque grave et acerbum est atque a Deo abalienari et a dulcissima ipsius facie abjici gloriaque illa, quae nullis verbis exponi potest, orbari* etc. Bernhardus de interiori domo c. 38. p. 226: *Deum non videre superat omnia gehennae supplicia.* Idem in medit. devotiss. cap. 3: *Quis putas tunc moeror erit, quis luctus, quae tristitia, cum separabuntur impii a consortio sanctorum et a visione Dei?*

44. Ex hac separatione a Deo porro consequitur
Ex quo sequitur separatio 1. a beatis angelis.
separatio 1. *ab angelis beatis et sanctis illis spiritibus.* Angeli adstant *coram Dei throno* Dan. 7, v. 10. et ut *dilecti Dei filii* Job. 1, v. 6. cap. 33, v. 23. *paternam illius faciem semper intuentur* Matth. 18, v. 10. jam vero damnati a conspectu et throno Dei erunt separati, ergo etiam ab angelis. *Ubi non habet locum Dei gratia, ibi nec obtinet gratiosa angelorum praesentia*, ut Lutherus ex collatione Psalm. 8, v. 6. et Hebr. 2, v. 7. recte colligit. Jam vero damnati a gratia Dei penitus erunt ἀφωρισμένοι ac segregati, ergo etiam angelorum non fruentur conspectu ac praesentia. *Sicut fumus apes et foetor columbas abigit, sic angelos πολύδακρυς καὶ δυσώδης ἁμαρτία*, teste Basilio in Psalm. 33. jam vero peccata damnatorum manent et in aeternum manebunt Matth. 12, v. 31. Joh. 9, v. 41. *Iniquitates ipsorum supergredientur caput eorum et sicut*

XX. 203. *onus grave gravatae erunt super eos* Psalm. 38, v. 5. ergo etiam pestilens peccatorum et infernalis ignis foetor procul ablegabit a damnatis angelos.

2. a beatis hominibus. 2. *Ab omnibus sanctis et beatis hominibus in coelo* Matth. 8, v. 11. et 12. pii *cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo recumbent in regno coelorum*, sed impii *projicientur in tenebras exteriores.* Matth. 22, v. 13. non habens vestem nuptialem a convivis separatus *in tenebras exteriores projicitur.* cap. 24, v. 40. *dividet eum*, id est a consortio fidelium servorum separabit. Luc. 16, v. 23. videt damnatus epulo Lazarum *in sinu Abrahae*, sed audire cogitur v. 26. *firmatum esse chasma magnum*, quod prohibeat, quominus damnati ad beatorum societatem transire possint. Cyrillus Alexandrinus in orat. de exitu animae: *Justi in aestimatione habentur et peccatores probris impetuntur; justi in sanctificatione, peccatores in incendio; justi laudibus evehuntur, peccatores miseria deprimuntur; justi in sanctorum statione, peccatores in perpetuo exsilio; justi audient: Venite benedicti, possidete regnum, peccatores autem illud: Discedite a me maledicti; justi in paradiso, peccatores in igne vivacissimo et inexstincto; justi deliciis affluunt, peccatores labore conficiuntur; justi choros agitant, peccatores sunt in vinculis; justi concinunt, peccatores lugent; justi ter felices, peccatores ter miseri; justi in cantu, peccatores in specu; justi in sinu Abrahae, peccatores in sinu Belial; justi in quiete, peccatores in poenis; justi in fulgore, peccatores in caligine procellarum; justi cum angelis plaudunt, peccatores cum daemonibus lugent; justi in medio lucis, peccatores in medio tenebrarum; justos paracletus consolatur, peccatores cum daemonibus poenas luunt; justi assistunt solio Domini, peccatores adstant ultricibus tenebris; justi sine ulla temporis intermissione faciem Domini intuentur, peccatoribus vultus diaboli semper adversus; justi cum angelis vivunt, peccatores associantur daemoniis; justi preces effundunt, peccatores juge lamentum; justi sursum, peccatores deorsum; justi in coelo, peccatores in abysso; justi in perenni vita, peccatores in morte perditionis; justi in manu Dei sunt, peccatores in loco diaboli; justi cum Deo, peccatores cum Satana.* Quare cum tam dispar ac diversa sit justorum et peccatorum conditio, utique etiam inter justos et peccatores, id est inter beatos ac damnatos, erit longe maxima separatio. Augustinus lib. 20. de civ. Dei cap. 22: *Qui erunt in poenis, quid agatur intus in gaudio Domini, nescient; qui vero erunt in illo gaudio, quid agatur foris in tenebris exterioribus, scient.* Bernhardus ad Eugen. papam: *Cogita, quantum malum sit a facie Christi separari, ab illo gaudio divinae contemplationis excludi et beatissima omnium societate privari.*

3. a paradiso. 3. *A paradiso coelesti.* Sive enim coeli nomine intelligamus felicissimum et beatissimum piorum in vita aeterna statum, sive illud *πού*, in quo beatifica Dei visione et gaudiis vitae aeternae perfruuntur, ab utroque damnati sunt quam maxime remoti. Prius probant omnia Scripturae dicta, quae de statu beatorum *in coelo* ac damnatorum *in inferno ἐναντίως*, sibi invicem et quidem diametraliter opposito, loquuntur, quorum summam breviter collegit Cyrillus Alexandrinus loco proxime citato. Posterius patet ex dictis illis Scripturae, quae coelum beatorum sedem respectu nostri *in summo*, infernum damnatorum carcerem *in imo* respectu nostri collocant. Matth. 11, v. 22: *Capernaum usque ad coelum exaltata ad infernum usque deprimetur.* Luc. 16, v. 23. *dives* XX. *videt Lazarum in sinu Abrahae ἀπὸ μακρόθεν* et v. 26. audit ab Abrahamo, *magnum chasma esse inter beatorum et damnatorum domicilium firmatum;* per chasma *μεταφορικῶς* innuitur, extrema illa et maxima distantia, qua altitudo coeli a profunditate inferni separatur. Apoc. 21, v. 27: *Non intrabit in coelestem Hierosolymam aliquid coinquinatum.* cap. 22, v. 15: *ἔξω, foris, extra civitatem coelestem, sunt canes et venefici.* Ephraemus in lib. de vera poenit. cap. 8: *Tunc jam impelluntur miseri (damnati) ab angelis terribilibus acti, caesi atque flagellati perguntque ad mugientes et stridentes dentibus crebriusque post tergum adspicientes, si quo pacto justos et illud gaudium, unde ipsi separati sunt, intueri queant; vident autem lucem illam ineffabilem, adspiciunt amoenitates paradisi, vident magna illa et praeclara munera, quae percipiunt a rege gloriae, qui legitime certarunt, intuentur notos dudum et familiares suos aeternis gaudiis fruentes, quas ipsi percipere non meruerunt, et lamentantur ingemiscuntque graviter* etc. Quemadmodum primi parentes post admissum peccatum e paradiso expulsi a Cherubim ab ejus ingressu arcebantur Genes. 3, v. 24. sic damnati post extremum judicium et promulgatam damnationis sententiam a paradiso coelesti aeternum exsulare cogentur.

4. a gaudio, quiete, felicitate. 4. *A luce, gaudio, quiete et felicitate.* Paradisus coelestis est regio lucis, theatrum gaudii, conclave quietis et *ταμεῖον* omnis felicitatis. Quare cum damnati a paradiso futuri sint exsules atque extorres, ideo etiam omni luce, gaudio, quiete et felicitate privabuntur, inde dicuntur versari *in terra tenebrarum et umbra mortis* seu mortifera Job. 10, v. 21. *in terra obscuritatis, quae est caligo umbrae mortis* v. 22. tribuuntur ipsis *tenebrae horribiles et absconditas* Job. 20, v. 26. *tenebrae exteriores* Matth. 8, v. 12. cap. 22, v. 13. cap. 25, v. 30. *caligo tenebrarum* 2. Petr. 2, v. 17. *caligo tenebrarum* Judae v. 13. quarum typus fuere *tenebrae Aegyptiacae*, quas horribiles et *palpabiles* Spiritus sanctus vocat Exod. 10, v. 22. Sapient. 17, v. 18. et seqq. dicuntur *in aeternum non visuri lumen* Psalm. 49, v. 20. Et sane si diligenter attendamus, deprehendemus, quidquid tenebrarum nomine in Scripturis significatur, illud omne inferno ac damnatorum statui convenire. Tenebrarum nomine intelligitur primo *privatio lucis naturalis* Genes. 1, v. 2. Deut. 28, v. 29. Jos. 24, v. 7. etc. atqui infernus est *locus tenebrarum* Job. 38, v. 19. destitutus omni luce. Ut *claritas Dei* illuminat coelestem Hierosolymam, ob quam divinam lucem non indiget

luce naturali solis et lunae Apocal. 21, v. 23. cap. 22, v. 5. sic diabolus, *princeps tenebrarum* Eph. 6, v. 12. infernum, qui est *regnum tenebrarum*, tanta obfuscat caligine, ut luci naturali ad eum non pateat aditus. Damnatis, ut vulgaris habet Leonius:

Nec sol, nec luna, nec stella videbitur una.

Hoc sensu quidam exponunt *σκότος τὸ ἐξώτερον*, in quod damnati dicuntur projiciendi, ut exteriores tenebrae sint idem quod *externae* ad distinctionem *interiorum ac spiritualium* tenebrarum sic dictae. Quidam *τὸ ἐξώτερον* exponunt per *τὸ ἔξω τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν*, *tenebrae*, *quae sunt extra regnum coelorum*, in quo solo lux est et gaudium. Gregorius lib. 25. moral. cap. 11: *Tunc coacti in tenebras exteriores mittentur*, *qui nunc interioribus*
205. *voluntarie delectantur.* Camerarius in not. *εἰς σκότος τὸ ἐξώτερον τοῦτ' ἔστιν εἰς τὸν σκοτεινὸν τόπον τὸν ἔξω.* Secundo *coecitas mentis*, *ignorantia Dei*, *caligo spiritualis*, Esa. 9, v. 2. cap. 42, v. 2. Luc. 1, v. 79. Joh. 1, v. 5. Atqui damnati in extrema salutaris *θεογνωσίας* inopia versantur, destituuntur luce divinae cognitionis, habent cor excoecatum, adeoque sunt merae tenebrae Ephes. 5, v. 8. proinde tenebrae *exteriores*, id est in summo gradu, ipsis competunt, sic enim Augustinus in expositione Psalmi 6. tenebras *exteras ab exterioribus* distinguit, ut illas accipiat de *sensu reprobo et coecitate mentis in hac vita*, exteriores vero de *summa coecitate*, *quae futura est in damnatis*. Sicut ergo de Sodomitis, in quibus *δεῖγμα πυρὸς αἰωνίου* propositum Judae v. 7. refertur Gen. 19, v. 11. quod percussi fuerint בַּסַּנְוֵרִים, *coecitatibus* in plurali, quia interna et externa cordis et oculorum caligine fuere suffusi; ita quoque de damnatis recte pronuntiare possumus, quod interioribus et exterioribus tenebris sint occoecati. Dionysius Carthusianus in comm. Apoc. 18. f. 300: *Damnati non erunt suae artis ac scientiae memores in inferno. Si enim gravis infirmitas inducit scientiae oblivionem, quanto magis vehementia illa infernalis tormenti.* Innocentius lib. 3. de contemtu mundi c. 4: *Tenebrae inferni sunt palpabiles interiores et exteriores, unde Job: Terra miseriae et tenebrarum, ubi umbra mortis, et in Psalmo: In aeternum non videbunt lumen, et 1. Reg. 2: Impii in tenebris conticescent. cap. 7: Reprobi non solum exterioribus, sed etiam interioribus tenebris involventur, quia spirituali pariter et corporali luce carebunt. Scriptum est enim, tollatur impius, ne videat gloriam Dei, qui solus tunc erit in lucem sempiternam.* Tertio *perversitas voluntatis*, *projecta impietas*, unde peccata dicuntur *opera tenebrarum* Eph. 5, v. 11. Confer Joh. 3, v. 19. cap. 12, v. 35. Rom. 13, v. 12. 1. Thess. 5, v. 4. etc. atqui in damnatis non est sanata perversitas voluntatis, in qua et cum qua mortui olim fuere, nec mundati sunt ab iniquitate, cujus macula illis perpetuo adhaeret. Quarto *omnis generis calamitates*, *afflictiones et miseriae*, 2. Sam. 22, v. 26. Psalm. 18, v. 29. Esa. 5, v. 30. Mich. 7, v. 8. etc. jam vero infernus est sentina omnium miseriarum et afflictionum. Quinto *regnum diaboli*, quod in hoc mundo per peccatum in incredulos obtinet. Luc. 22, v. 43: *Haec est potestas tenebrarum.* Eph. 6, v. 12. *κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου.* Col. 1, v. 13: *Eripuit nos de potestate tenebrarum.* Jam vero in damnatos plenum et absolutum diabolus habebit dominium, quale in hac vita nondum habuit. Ex quibus omnibus constat, extremam caliginem et ab omni prorsus luce alienationem damnatis meritissime tribui. Sexto *contemtus et ignominia*, Psalm. 107, v. 10. Apoc. 16, v. 10. jam vero damnatorum opprobria
erunt sempiterna. 5. *A praeconio laudis divinae.* 5. a praeconio laudis divinae.
Beatorum hominum et sanctorum angelorum *assidua occupatio erit Dei laudatio.* Psalm. 84, v. 5: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Sed ab his jubilantium Deoque psallentium choris separatissimi erunt damnati. Cum enim divinae bonitatis dulcedinem cor eorum non gustet, ideo lingua eorum non erumpet in laudes Dei, quin potius *blasphemabunt Deum coeli prae doloribus et vulneribus suis* Apocal. 16, v. 11. non quidem in se sed in suis effectis, divinis scilicet judiciis et plagis, quas sustinent. Hoc sensu quidam accipiunt dicta Scripturae Psalm. 115, v.
17: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes* XX. 206.
qui descendunt in infernum. Esa. 38, v. 18: *Non confitebitur tibi infernus, neque mors laudabit te, non exspectabunt, qui descendunt in puteum, veri-*
tatem tuam. 6. *A consortio commiserationis huma-* 6. a consortio commiserationis humanae.
nae. Nec creator, nec creaturae ulla erga damnatos afficientur *συμπαθείᾳ*. Deus *in interitu ipsorum ridebit* Prov. 1, v. 26. Beati et coelites divinae voluntati suam exactissime conformant, Psalm. 52, v. 8: *Videbunt justi et ridebunt super eum dicentes, ecce vir, qui non posuit Deum adjutorem suum.* Psalm. 58, v. 11: *Laetabitur justus, cum viderit vindictam.* Gregorius lib. 34. moral. cap. 16: *Si nunc quoque viventes justi mortuis et damnatis injustis minime compatiuntur, quando adhuc aliquid judicabile de sua carne se perpeti etiam ipsi noverunt; quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti ipsi jam justitiae vicinius atque arctius adhaerebunt* etc. Spiritus infernales erunt damnatorum tortores ac mastiges, tantum abest, ut ulla eos persequantur commiseratione. Ipsimet damnati sese invicem odio prosequentur ac miseriis suis mutuo insultabunt. Esa. 66, v. 24: *Erunt ad satietatem visionis omni carni*, id est omnes beati sine commiseratione, imo cum voluptate damnatorum poenas videbunt, quia *quamdiu volent*, videbunt, cum poenarum nullus futurus sit finis, et *quantum volent*, videbunt, cum maxima varietas et summa acerbitas earum sit futura. Chaldaeus sic reddidit, *et erunt impii judicati in gehennam, donec dicant super eos justi, satis vidimus*, Hebraea proprie sic sonant, *et erunt nausea seu fastidium omni carni*, id est damnatorum corpora tam foeda, putrida, vermicu-

lantia ac tabida erunt, tamque gravia et horrida erunt damnatorum supplicia, ut omnibus spectantibus fastidium creent, quae interpretatio cum priore minime pugnat, sensus enim est, tam non movendos esse damnatorum ac suppliciorum, quae ipsi patiuntur, intuitu beatos coelites ad ullam commiserationem, ut potius fastidium ac nauseam ex illis sint concepturi. Vulgata Hebraeum דֵּרָאוֹן legit, ac si esset רְאָה דַּי *satietas*, *sufficientia visionis*. Dives epulo Luc. 16, v. 24. exiguum et vilissimum quid petit, videlicet aquam, nec vas aqua plenum, nec ut manum, multo minus integrum corpus, sed ut *extremum digiti* Lazarus intingeret ac *linguam duntaxat irroraret*, sed nec Abrahamus, nec Lazarus commiseratione erga ipsum moventur, sed simpliciter ab illis repellitur. Apoc. 14, v. 10: *Cruciabuntur in conspectu sanctorum angelorum et in conspectu Agni*, id est Christus et angeli videbunt illos damnatorum cruciatus, sed nulla erga ipsos afficientur misericordia. Erunt *βδελύγματα, ἀναθέματα, περικαθάρματα, περιψήματα*, exstabunt in ipsis manifesta et publica signa horrendae irae ac judicii divini, nauseam et abominationem omnibus intuentibus creabunt etc. Hoc vero non mediocre pondus damnatorum suppliciis addet, quod videbunt, se in gravissimis poenis constitutos, neque tamen quemquam ipsorum malis affici. Miserrima haec est miseria, extreme miserum esse et tamen nemini esse miserabilem, gravissime dolere et tamen neminem ad condolendum commovere posse, unde etiam gravissimis malis hoc annumerari consuevit. Job. 30, v. 10. Psalm. 35, v. 15. Psalm. 69, v. 21. etc.

XX. 207. 2. Mala *θετικά*. 45. 2. Mala damnatorum *θετικά* itidem varia sunt ac multiplicia, possunt tamen in duas classes commode dispesci, quaedam sunt *interna*, quae in semetipsis sentiunt; quaedam *externa*, quae in aliis, quibus cohabitant, intuentur et quorum conspectu mala interna augentur. *Interna* generali appellatione vocantur *dolores et cruciatus*, quos ut Spiritus sanctus nobis eo clarius explicet et animo nostro intimius infigat, declarat eos 1. *comparative*, 2. *effective*.

1. interna, quae describuntur

1. comparative. *Comparative* quidem, dum damnatis tribuit 1. *ὠδῖνας*, tales cruciatus, quales feminae parturientes experiri coguntur. Luc. 16, v. 24. *ὀδυνῶμαι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ*. v. 25. *σὺ δὲ ὀδυνᾶσαι*. Huc referri potest primo, quod de initiis ac *προγεύσει* infernalium dolorum psaltes dicit Psalm. 18, v. 6. חֶבְלֵי שְׁאוֹל, *funes seu dolores inferni, circumdederunt me*, quia verbum Hebraeum proprie significat acutissimos illos dolores, quos puerperae in ipso partu sentiunt, a radic. חָבַל, *parturivit;* secundo quod Christus de anxietate novissimum judicium antegressura dicit, *ταῦτα ἀρχὴ* vel *ἀρχαὶ ὠδίνων* Matth. 24, v. 8. Marc. 13, v. 8. Quemadmodum enim dolores quidam antegrediuntur partum, sed qui longe mitiores sunt iis, quos in ipso partu feminae sustinent; sic impii in novissimis temporibus judicium proxime antecessuris sentient quosdam dolores ex publicis malis ortos, sed illis incomparabiliter majores erunt isti cruciatus, quos in die judicii et in igne infernali experientur. Denique quod 1. Thess. 5, v. 3. dicit apostolus: *Repentinus impiis superveniet interitus, sicut ἡ ὠδὶν τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, et non effugient.* Quemadmodum dolores partus ex improviso puerperam apprehendunt; sic cruciatus et interitus aeternus ex inopinato damnatos in die judicii opprimet. Ex his igitur constat, damnatorum cruciatus conferri cum acutissimis doloribus parturientium, quales vero et quanti sint, patere potest primo *ex divino oraculo* Genes. 3, v. 16: *Multiplicando multiplicabo dolorem tuum et conceptum tuum*, quae verbi repetitio phrasi Hebraica significat quandoque certitudinem et evidentiam Gen. 2, v. 17. cap. 37, v. 33. quandoque continuationem et frequentiam Jos. 24, v. 10. Jerem. 23, v. 17. semper autem exaggerationem et emphasin continet. Secundo *ex Scripturae stylo*, quo insignem cruciatum et angustiam dolori parturientium conferre solet. 2. Reg. 19, v. 3. Psalm. 48, v. 7. Esa. 13, v. 8. cap. 26, v. 17. cap. 37, v. 3. Jerem. 6, v. 24. cap. 22, v. 23. cap. 30, v. 6. cap. 48, v. 41. Ezech. 30, v. 16. Mich. 4, v. 9. Tertio, *ex quotidianae experientiae testimonio.* Saepius enim parturientes feminae doloribus illis succumbunt et maxima cum cordis angustia moriuntur, Genes. 35, v. 18. Quarto, *ex novissima illa querela* Hecubae apud Euripidem, *malle se decies in acie stare quam semel parere.* Quae omnia evidenter arguunt, acerbitatem et vehementiam infernalium dolorum hac appellatione exprimi. Bernhardus dicit, *unam gehennae scintillam magis cruciare damnatos, quam si femina in labore et partu prolis mille annos continue perduraret.* 2. *Βασάνους, tormenta*, quibus facinorosi subjiciuntur, Luc. 16, v. 23. cum esset *ἐν βασάνοις*. v. 28. infernus emphatice describitur, quod sit *τόπος τῆς βασάνου.* Matth. 8, v. 29. dicunt diaboli: *Venisti huc ante tempus nos βασανίσαι.* Marc. 5, v. 7. Luc. 8, v. 28. *ne me βασανίσῃς ante tempus.* Metuunt scilicet daemones, ne ante judicii diem in infernum tormentorum locum detrudan- XX. 2
tur. Apocal. 14, v. 10: *Qui adoraverit bestiam, βασανισθήσεται ἐν πυρὶ καὶ θείῳ.* cap. 20, v. 10: *Diabolus, bestia et pseudopropheta cruciabuntur die et nocte.* Instrumentum illius cruciatus erit *ignis*, unde Apocal. 14, v. 11. dicitur, *fumus τοῦ βασανισμοῦ, ignis illius a quo torquentur, adscendit in secula seculorum. Βασανιστὴς* sive tortor erit diabolus Matth. 18, v. 34. qui et alios torquebit ac nihilominus ipse torquebitur. Notum vero est, quam varia sint tormentorum genera, quibus facinorosi in hac vita excruciantur, videlicet equulei, fidiculae, candelae picatae etc. sed illis omnibus longe graviora et atrociora tormenta damnatis in inferno sunt parata, *ubi nec qui torquet, fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur.* 3. *Δεσμά, vincula.* Psalm. 11, v. 6: *Pluet Dominus laqueos super impios.* Matth. 13, v. 30: *Zizania colligantur εἰς δέσμας ad comburendum.* cap. 22, v. 13: *Ligatis manibus et pedibus projicite eum hinc in tenebras exteriores.* De diabolis dicitur 2. Petr. 2, v. 4. *σειραῖς ζόφου παρέδωκεν.* Jud. v. 6. *δεσμοῖς ἀϊδίοις ὑπὸ ζόφον*

τετήρηκεν. Tribuuntur autem damnatis vincula primo *ad denotandam eorum captivitatem*. Projecti sunt in carcerem infernalem *εἰς τὸ δεσμωτήριον*, in locum vinculorum, in quo captivi detinentur, captivis enim vincula' solent injici. Secundo *ad exprimendam tormentorum aeternitatem*. Chrysostomus hom. 10. in 2. Cor.: *Vincula illa non ex ferro, sed ex igne sunt nunquam exstinguibili.* Qui manibus ac pedibus ligatis in carcerem projicitur, non poterit ex eo eluctari; cogentur ergo damnati in hoc carcere aeternum permanere, unde vocantur *vincula aeterna*, quibus constricti tenentur. Tertio *ad insinuandam dolorum acerbitatem*, quando enim vincula arctius constringuntur, exquisitissimos dolores corpori inferunt. Innocentius lib. 3. de contemt. mundi cap. 4: *Impii in singulis membris catenis igneis constringentur.* Quarto *ad significandam bene operandi ἀδυναμίαν.* Prosper lib. 3. de vit. contempl. cap. 12: *Quid est, obmutescentes manibus ac pedibus ligari, nisi in inferno, ubi Deo nemo confitetur, actione privari* etc.? Quinto *ad describendam damnatorum societatem.* Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 32: *Sicut fasciculi lignorum ad combustionem de similibus colligantur, ita in judicii die similis culpae rei suis similibus jungentur, ut ex aequo poena constringat quasi in fasciculum, quos actio similes fecit in malum.* 4. *Πληγὰς καὶ μάστιγας.* Prov. 19, v. 29: *Parata sunt derisoribus judicia,* וּמַהֲלֻמוֹת*, et percussiones, corpori stultorum,* LXX interpretes *μάστιγες καὶ τιμωρίαι*, Symmachus *σφυροκοπίαι*, Theodotion *συγκλάσεις*, Vulgata *mallei percutientes.* ** Daemones ipsi *μάστιγα* vocant, quidquid infernorum ergastulis cruciatuum est. Lactantius lib. de fals. relig. cap. 8: *Quid ergo superest, nisi ut sua confessione verberibus veri Dei ac poenae subjaceat sempiternae? Nam in alio responso* (daemon) *ita dixit:*

Δαίμονες, οἳ φοιτῶσι περὶ χθόνα καὶ περὶ πόντον
*Ἀκάματοι, δαμάονται ὑπαὶ μάστιγι θεοῖο.***

Luc. 12, v. 48: *Servus qui fecit ἄξια πληγῶν.* Apoc. 22, v. 18. inter plagas in libro illo scriptas eminent potissimum *infernales et aeternae* impoenitentibus paratae. Quemadmodum enim servo inobedienti parata sunt verbera et flagella, sic eadem sors manet damnatos apostatas et transfugas Dei servos. Ephraemus in lib. de vera poenit. cap. 8: *Impelluntur miseri* (damnati) *ab angelis terribilibus acti, caesi atque flagellati perguntque ad mugientes et stridentes dentibus.* Cyrillus Alexandrinus in orat. de exitu animae: *Heu, heu, quales sunt angeli infligendis*
209. *poenis destinati, truculenti et immites, etenim conviciantur fortiter et increpant* etc. *feri sunt et intractabiles flammae illius ministri, graves illae, quae ad supplicium adhibentur, scuticae, firmi ungues et infracti, perdura flagella.* Huc referri potest, quod de *angelo Satanae* apostolum *colaphizante* habetur 2. Cor. 12, v. 7. Quodsi enim sancto apostolo accedente divina permissione violentas manus inferre diabolus fuit ausus, quo modo in flagellis et verberibus parcet damnatis, quos in peculium suum accepit? 5. *Λιμὸν καὶ δίψος, esuriem, famem ac sitim,* qua omnium necessariorum ac delectabilium inopia exprimitur. Esa. 65, v. 13: *Servi mei comedent, et vos esurietis, servi mei bibent, et vos sitietis.* De beatis in coelo dicitur Apoc. 7, v. 16. *non esurient nec sitient amplius.* Ergo a contrario sensu damnatos aeterna esuries ac sitis premet.

46. *Effective* damnatorum cruciatus describuntur 2. Effective 1. per planctum et luctum.
1. *per planctum ac luctum.* Quia enim in aeternis et nunquam finiendis iisdemque acerbissimis cruciatibus haerent constituti, ideo etiam aeternum lugebunt ac plangent. Apoc. 1, v. 7: *Plangent super eum omnes tribus terrae.* Hic impiorum planctus in die judicii incipiet et in omnem durabit aeternitatem. 2. *Per clamorem et ululatum.* Esa. 65, v. 14: *Servi mei ovabunt prae jucunditate, et vos clamabitis prae dolore cordis et prae contritione spiritus ululabitis.* Jac. 5, v. 1: *Ululate divites in miseriis vestris, quae advenient vobis.* De statu beatorum in coelo dicitur Apoc. 21, v. 4: *Nec luctus, nec clamor, nec dolor erit amplius.* Ergo a contrario sensu damnati lugebunt et clamabunt in aeternum. 3. *Per fletum ac stridorem dentium.* Judith 16, v. 20: *Flebunt usque in seculum.* Jac. 5, v. 1: *Plorate divites.* Haec duo Christus semper conjungit, quoties infernalium tormentorum mentionem facit, ut non injuria quis cogitet, duabus hisce appellationibus totam et universam miseriarum infernalium congeriem *ἐπιτομικῶς* comprehendi. Matth. 8, v. 12. cap. 13, v. 42. et 50. cap. 22, v. 13. cap. 24, v. 51. cap. 25, v. 30. Luc. 13, v. 28. Hieronymus in comm. Matth. 8. *per fletum et stridorem dentium membrorum corporalium magna tormenta ostendi* asserit. Fletus *dolorem*, stridor dentium *livorem* arguit; fletus *ex sensu mali proprii*, stridor dentium *ex cogitatione boni alieni* orietur; fletus erit *ex ardore*, stridor dentium *ex horrore*. Cyprianus ad Demet.: *Erit tunc sine fructu poenitentiae dolor poenae, inanis ploratio et inefficax deprecatio.* serm. de adscens. Christ.: *Continuus erit et superfluus illarum lacrymarum decursus, stridorem illum dentium flammae inexstinguibiles agitabunt.* Augustinus de tripl. habitac. cap. 2: *Principalia duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile et calor ignis inexstinguibilis. Flatus namque et liquefactio oculorum ex calore nascitur, stridor vero dentium ex frigore, de quibus duobus innumera pendent poenarum genera.* Prosper lib. 3. de vit. contempl. cap. 12: *Fletus et stridor dentium acerrimos damnatorum dolores ostendunt, qui supplicio aeternae mortis addicti, non videndi sensum habituri sunt sed dolendi.* Beda in comm. Matth. 8: *Duplex hic ostenditur gehenna, id est nimii frigoris per stridorem dentium et intolerabilis fervoris per fletum oculorum.* Eodem modo exponit Remigius. Bernhardus serm. 8. in Psalm. *Qui habitat: Fletus ob ignem, qui non exstinguitur, stridor vero ob ver-* XX. 210.
mem, qui non moritur. Plane fletus ex dolore,

Marginal notes: 2. per clamorem et ululatum. — 3. per fletum ac stridorem dentium.

stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidiae et obstinata malignitas extorquebit. Theophylactus in comm. Matth. 8. accipit de *poenitentia frustranea.*

Interna damnatorum mala 1. quaedam ad corpus, 2. quaedam ad animam pertinent.

47. Possunt etiam mala damnatorum *interna* sic distingui, ut quaedam *ad corpora*, quaedam *ad animas* referantur, ostendemus enim inferius in cap. de subjecto dolorum infernalium, damnatos non solum *in animabus* sed etiam *in corporibus* promeritas poenas luituros. Quia vero arctissima erit corporum et animarum connexio, ideo mala corporum redundabunt in animas, mala vero animarum redundabunt in corpora, id quod etiam in hac vita contingere videmus. Esaias omnia tam corporum quam animarum in inferno tormenta ad duo summa capita revocare videtur, quando cap. 66, v. 24. dicit: *Vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur*, quae duo suppliciorum genera, videlicet *vermis rodens et ignis urens*, etiam conjunguntur Judith. 16, v. 21. Sir. 7, v. 19. et Marc. 9, v. 44. 46. et 48. sed an utrumque ad corpus et animam, an vero unum ad corpus, alterum ad animam spectet, de eo variant piorum veterum sententiae, qua de re sic disserit Augustinus l. 20. de civ. Dei c. 22: *In poenis malorum et inexstinguibilis ignis, et vivacissimus vermis ab aliis atque aliis aliter atque aliter est expositus. Alii quippe utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam retulerunt, alii proprie ad corpus ignem, vermem vero tropice ad animam, quod credibilius esse videtur.* l. 21. c. 9: *Utrumque horum, ignem scilicet atque vermem, qui volunt ad animae poenas non ad corporis pertinere, dicunt etiam, uri dolore sero atque infructuose poenitentes eos, qui fuerunt a regno Dei separati, et ideo ignem pro isto dolore urente non incongrue poni potuisse contendunt, unde illud apostoli est: Quis scandalizatur, et ego non uror? Eundem etiam dolorem vermem putant esse intelligendum. Nam scriptum est, inquiunt: Sicut tinea vestimentum et vermis lignum, sic moeror excruciat cor viri. Qui vero poenas et animae et corporis in illo supplicio futuras esse non dubitant, igne uri corpus, animam autem rodi quodammodo verme moeroris affirmant. Quod etsi credibilius dicitur, quia utique absurdum est, ibi dolorem aut corporis aut animae defuturum, ego tamen facilius existimo, ut ad corpus dicam utrumque pertinere quam neutrum, et ideo tacitum in illis divinae Scripturae verbis animi dolorem, quoniam consequens esse intelligitur, etiamsi non dicatur, ut corpore sic dolente animus quoque sterili poenitentia crucietur. Legitur quippe et in veteribus Scripturis: Vindicta carnis impii ignis et vermis* (nota, in exemplaribus Eccles. 7, 17. quae hodie exstant, voculam *carnis* non haberi, interim Judith. 16, v. 20. diserte habetur, *dabit ignem et vermes in carnes eorum*). *Potuit brevius dici vindicta impii. Cur ergo dictum est carnis impii, nisi quia utrumque, id est et ignis et vermis, poena erit carnis? aut si vindictam carnis propterea dicere voluit, quia hoc in homine vindicabitur, quod secundum carnem vixerit. Propter hoc enim venit in mortem secundam, quam significavit apostolus dicens: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Eligat quisque, quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, hoc proprie, illud tropice; aut utrumque proprie corpori. Jam enim satis superius disputavi, posse animalia etiam in ignibus vivere in ustione sine consumtione, in* XX. 21 *dolore sine morte per miraculum omnipotentissimi creatoris* etc. *Eligat ergo unum de duobus quisque, quod placet, utrum et vermem ad corpus proprie, an ad animum translato a corporalibus ad incorporalia vocabulo existimet pertinere. Quid autem horum verum sit, res ipsa expeditius indicabit, quando erit scientia sanctorum, ut eis cognoscendarum illarum poenarum necessaria non sit experientia, sed ea, quae tunc erit plena atque perfecta, ad hoc quoque sciendum sapientia sola sufficiat. Nunc enim ex parte scimus, donec veniat, quod perfectum est; dum tamen nullo modo illa corpora talia futura esse credamus, ut nullis ab igne afficiantur doloribus.* Sic ergo Augustinus rem in medio relinquit, nihil interim dubitans, poenam *ignis* ad corpus, poenam *vermis* ad animam pertinere, quod ipsum etiam alii ex veteribus agnoscunt. Hieronymus in comm. Esa. 66: *Vermis, qui non morietur, et ignis, qui non exstinguetur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum, quae torqueat in suppliciis constitutos, quare vitio suo atque peccato caruerint electorum bono, juxta illud quod dicitur: Versatus sum in miseria, dum infigitur mihi spina, et in proverbiis: Tinea ossium cor intelligens.* Prosper l. 3. de vit. contempl. c. 12: *Quod dicit propheta: Vermis eorum non morietur, ignis non exstinguetur, ad totam refertur damnati hominis poenam, quem inefficacis poenitentiae ignis exurit et consumentis conscientiae vermis immortaliter rodit.* Isidorus l. 1. de sum. bon. c. 3: *Duplex damnatorum poena est in gehenna, quorum et mentem urit tristitia et corpus flamma, juxta vicissitudinem, ut qui mente tractaverunt, quod perficerent corpore, simul et anima puniantur et corpore.* Rabanus l. 2. in Eccles. 7: *In verme putredinem gehennae sicut in igne ardorem significat, sive vermem dicit seram scelerum poenitentiam, quae nunquam in tormentis conscientiam afflictorum mordere cessabit, ut ignis sit poena extrinsecus saeviens, vermis dolor intrinsecus accusans.* Innocentius l. 3. de cont. mund.: *Vermis et ignis uterque duplex, interior et exterior; interior, qui rodit et urit cor, exterior, qui rodit et urit corpus.* Bonaventura in diaet. salut. tit. 10. c. 1: *Ignis ardebit carnem, vermis ardebit mentem.* Ex quibus apparet, juxta communiter receptam sententiam damnatos cruciandos esse in *carne* per ignem, in *anima* per conscientiae vermem.

Describ. ignis infernalis

48. Ignis ille *infernalis* sic describitur, ut eum a vulgari ac diaconico plurimum differre facile intelligatur. 1. ignis vulgaris ab homine accendi atque

iterum exstingui potest; sed ignis infernalis sic describitur Job. 20, v. 26. quod *sit non sufflatus, non accensus*, per hominem scilicet, nam *flatus Domini sicut torrens sulfuris accendit eum* Esa. 30, v. 33. *Ignis accensus in furore Domini ardet usque ad infernum inferiorem* Deut. 32, v. 22. 2. Ignis vulgaris lignorum fomenta vel alterius cujusdam nutrimenti combustibilis materiam requirit, qua deficiente exstinguitur; sed infernalis ignis nullis fomentis vel nutrimentis indiget. Quod Esa. 30, v. 33. dicuntur *nutrimenta ejus ligna multa*, *παραβολικῶς* ac *μυστικῶς* accipiendum, sensu scilicet eo, quod nunquam sit exstinguendus. 3. Ignis vulgaris viva corpora, quae corripuerit, exstinguit ac in cinerem eadem convertit; sed infernalis semper quidem urit et cruciat, nunquam vero exstinguit, damnati prae magnitudine cruciatuum semper morientur, et tamen nunquam morientur, unde merito *inexstinguibilis* voca-
C. 312. tur, quia nec exstinguitur, nec exstinguit. 4. Noster ignis una cum vi *καυστικῇ* lumen ac splendorem obtinet; sed ab infernali igne lux et splendor aberit, ut ex patribus postea demonstrabitur. 5. Noster ignis eodem modo semper cruciat, quos incendit; sed infernalis utpote divinae justitiae instrumentum diversimode pro culparum varietate animas torquebit.

49. De hac diaconici et infernalis ignis differentia ac hujus inaestimabili vehementia pii veteres sic disserunt. Polycarpus presbyter in vita s. Sebastiani: *Omnes ignes omnesque poenae hujus mundi respectu ignis et cruciatus inferni sunt tantum quasi ignis pictus ad verum et magnum ignem.* Tertullianus in apolog. adv. gentes c. 48. p. 80: *Profana erunt in poena jugis ignis habentis ex ipsa natura ejus divinam scilicet subministrationem incorruptibilitatis. Noverunt et philosophi diversitatem arcani et publici ignis, ita longe alius est, qui usu humano, alius qui judicio Dei apparet sive de coelo fulmina stringens, sive de terra per vertices montium eructans. Non enim absumit, quod exurit, sed dum erogat, reparat.* Cyprianus serm. de adscens. Domini: *Stridorem dentium flammae inexstinguibiles agitabunt. Immortales miseri vivent inter incendia et inconsumtibiles flammae nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives, non erit, qui aestuanti linguae stillam aquae infundat. In proprio adipe frixae libidines bullient et inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur.* Lactantius l. 7. inst. c. 21: *Natura ignis sempiterni diversa est ab hoc nostro, quo ad vitae necessaria utimur, qui nisi alicujus materiae fomite alatur, exstinguitur. At ille divinus per se ipsum semper vivit ac viget sine ullis alimentis, nec admistum habet fumum, sed est purus ac liquidus et in aquae modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versus urgetur sicut noster, quem labes terreni corporis, quo tenetur, et fumus intermistus exsilire cogit et ad coelestem naturam cum trepidatione mobili subvolare. Idem igitur divinus ignis una eademque vi atque potentia et cremabit impios et recreabit, et quantum e corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse aeternum pabulum subministrabit* etc. *Sine ullo virescentium corporum detrimento aduret tantum ac sensu doloris afficiet.* Basilius in Psalm. 24: *Ignis Dei lucem dedit sine incendio, infernus contra sine luce incendium.* Idem in Psalm. 34: Erit *πῦρ ἀλαμπὲς τὴν μὲν καυστικὴν δύναμιν ἔχον, τὸ δὲ φέγγος ἀφῃρημένον.* in orat. de futur. judic.: *Tunc ignis ille, qui diabolo et angelis ejus in supplicium praeparatus est, dissecabitur voce Domini, ut cum duplex insit igni facultas, adustiva una, illuminativa altera, acris quidem vis ignis et punitoria reposita est iis, qui ustione sunt digni, illustratoria vero his, qui claritate perennis gaudii perfruituri sunt, succedet; ita ut obscurus quidem sit ignis supplicii, urendi autem vi careat lux illa refocillationis ac quietis. Nec est quod ea de re ambigas, siquidem in retributionibus eorum, quae in vita a nobis erant gesta, natura ignis dividetur et lux quidem ad fruitionem et oblectamentum justis, urendi vero vis et doloris, quibus tormenta irrogabuntur, constituetur.* Nyssenus orat. catech. c. 40: *Cum ignem audis, didicisti, aliquem ab illo diversum intelligere, ex eo quod illi igni aliquid sit additum, quod non est in hoc. Nam ille quidem non exstinguitur, hunc autem multa inventa sunt, quae exstinguant. Magna est autem differentia inter eum, qui exstinguitur, et eum, qui nullam admittit exstinctionem, est ergo aliquis alius et non hic ignis.* Chrysostomus epist. 5. ad Theod. lapsum:
Cum ignem audis, ne arbitreris, esse similem huic XX. 213.
igni. Accensus enim defervescit et mutatur, ille autem semel in flammam exsurgens ardet perpetuo, nunquam intermoritur. Ab experimento rerum tenuium fieri potest, ut accipiamus de magnis aliquid conjecturae. Si quando in balneo fueris nimium effervescente, tum gehennae recorderis, et rursus si quando febre acriore conflagraveris, ad flammam, quae tunc est, progredere; tum probe intelliges, quia balneum et febres adeo nos affligunt ac territant, quo animo futuri simus, quando in fluvium ignis inciderimus. Augustinus serm. 181. de temp.: *Ignis hic, qui in praesenti est vita, absumit cuncta, quae recepit, ille vero, quos susceperit, semper cruciat et poenae suae semper integros servat. Propterea enim et inexstinguibilis dicitur, non solum quia ipse non exstinguitur, sed quia nec eos, quos susceperit, exstinguet aut perimet* etc. *Potentiam autem illius ignis nulla vox exponere, nullus poterit sermo explanare. Nihil est enim in rebus corruptibilibus, quod conferri possit incorruptibilibus sive bonis sive malis.* Gregorius Magnus l. 9. mor. c. 38: *Natura ignis est, ut ex se ipso et lucem exhibeat et concremationem, sed transactorum ultrix illa flamma vitiorum concremationem habet et lumen non habet.* c. 39. *Quamvis cunctis damnatis una sit gehenna, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit. Nam sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes aestuamus, quia juxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus*

caloris; sic damnatis et una est gehenna, quae afficit et tamen non una omnes qualitate comburit, quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causam meritorum. Hic flamma, quae succendit, illuminat; illic ignis, qui cruciat, obscurat; horrendo igitur modo erit flamma cum obscuritate. Ibidem: *Ignis, qui in obscuritate cruciat, credendum est, quia lumen ad tormentum servat* etc. *Sicut electis novit ardere ignis ad solatium et tamen ardere ad supplicium nescit; ita e diverso gehennae flamma reprobis et nequaquam lucet ad consolationis gratiam et tamen lucet ad poenam, ut damnatorum oculis ignis supplicii et nulla claritate candeat et ad doloris cumulum, dilecti, qualiter crucientur, ostendat.* Cassiodorus l. de anim. c. 19: *Ignis ille sic absumet, ut servet; sic servabit, ut cruciet, dabiturque miseris vita immortalis et poena servatrix.* Isidorus l. 1. de sum. bon. c. 3: *Ignem gehennae ad aliquid lumen habere et ad aliquid non habere, hoc est habere lumen ad damnationem, ut videant impii, unde doleant; et non habere ad consolationem, ne videant, unde gaudeant, apta fit comparatio de camino trium puerorum ad exemplum ignis gehennae. Nam sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, sed arsit ad comburenda colligamina vinculorum; ita ignis gehennae et lucebit miseris ad augmentum poenarum, ut videant, unde doleant, et non lucebit ad consolationem, ne videant, unde gaudeant.* Haymo l. 4. in Apoc.: *Cum sint in inferno tanta tamque innumerabilia tormenta, quanta nec dici, nec aestimari possunt, breviter in duobus omnia comprehenduntur tormenta. Erit enim ignis non ad lucendum, sed ad miserorum corpora concremanda. Erit quoque ibi sulfur, quod et fomentum praestabit igni et foetorem gignet intolerabilem, ac per hoc ex igne foetor et ex foetore ignis procreabitur.* Rabanus l. 5. in Eccl. c. 1: *Ignis gehennae tam corpus quam etiam animam post diem judicii excruciaturus est, cujus plagae non est sanitas.* Petrus Damianus ep. 2: *Ad cruciandos impios hoc prae ceteris elementum electum est, ut cum favilla desiliens in quolibet membro vel ad momentum tolerari*
XX. 214. *non possit, ultrices flammae miseros homines hinc egredientes absorbeant et infinite patens vorax gehenna concludat.* Innocentius l. 3. de cont. mund. c. 6: *Ignis gehennae nec lignis nutritur, nec flatu succenditur, semper ardebit et nunquam lucebit, semper uret et nunquam consumet, semper afficiet et nunquam deficiet. Est enim apud inferos summa tenebrarum obscuritas, immensa poenarum acerbitas, infinita miseriarum aeternitas.* Gersonius serm. 1. de omnib. sanct.: *Damnati ab intus et extra erunt in acerbissimo cruciatuum genere, foris devorati ab igne et ab intus ut clibanus ignis positi.* Dionysius Carthusianus de quatuor noviss. art. 37: *Ignis infernalis omni igne apud nos exsistente ineffabiliter calidior poenaliorque exsistit.* in com. c. 14. Apoc. p. 279: *Ignis inferni non clarus et splendidus, sed fumosus et quodammodo tenebricosus asseritur, veruntamen modicum quid sortitur de luce in tantum, ut damnati ad calamitatis suas argumentum se invicem adspicere queant.*

50. Sedenim ut ineffabilis urendi ac cruciandi vehementia, quam infernalis ille ignis obtinet, quodammodo cognoscatur, annotabimus emphaticas in Scriptura nobis propositas descriptiones. 1. Non simpliciter vocatur ignis, sed *gehenna ignis* Matth. 5, v. 22. c. 18, v. 9. Marc. 9, v. 47. quo dicitur ignis gehennae vel gehennalis, ut a vulgari igne discernatur. Potest etiam collatio institui inter ignem, quo idolum Moloch in Ge-hinnom erectum succendebatur, ut totum fieret ignitum, et inter ignem infernalem, qui damnatos intus et extra accendet, ut in anima et corpore ardeant. Ignis in valle Gehinnom dicta accensus, propter diabolicam idololatriam et crudelitatem parentum erga liberos, quos ignito Moloch sacrificabant, Deo erat abominationi; sic damnati Deo, angelis et omnibus beatis erunt abominabiles ac detestabiles. Confer dicta superius §. 8. 2. Vocatur *κάμινος πυρός, caminus sive fornax ignis*, Matth. 13, v. 42. et 50. quod Salvator desumsit ex Psalm. 21, v. 10: *Pones eos ut clibanum ignis*, כְּתַנּוּר אֵשׁ, *in tempore faciei* sive irae *tuae.* Mal. 4, v. 1: *Dies Domini venit ardens tanquam clibanus*, nimirum ut infernalis illius ignis in urendo vehementia inevitabilis et perpetua exprimatur. Ut enim illi, qui in fornacem ardentem conjecti sunt, non possunt ignis supplicium effugere, sed undique tam igne quam fornace conclusi sunt; sic impiis nunquam ex inferno patebit egressus aut liberatio ex aeterni illius ignis cruciatibus. Nec dubium, quin ad fornacem Babylonicam Dan. 3. deducamur, in qua typum aeterni illius ignis proponi ostendimus superius §. 23. 3. Vocatur *stagnum ignis* Apoc. 19, v. 20. cap. 20, v. 10. 14. et 15. cap. 21, v. 8. ut inexplicabilis ejus copia denotetur. Ut enim stagnum abundat aquis, sic infernus totus repletus est ignibus. Anselmus l. 1. de imag. mund. c. 11: *Infernus dicitur stagnum ignis, quia ut lapis mari, ita animae illuc immerguntur.* 4. Dicitur hic ignis habere *ligna multa* Esa. 30, v. 33. ne quis forte cogitet, illum ob defectum nutrimenti aliquando esse exstinguendum. Quamdiu durabunt impii, tamdiu etiam durabit hic ignis. Ratio est, quia facientes impietatem sunt sicut stipulae, quas hic ignis inflammabit Mal. 4, v. 1. *stuppa collecta synagoga impiorum* Sir. 21, v. 10. 5. Additur huic igni *pix* Esa. 34, v. 9. ac *sulfur* Psalm. 11, v. 6. Apoc. 14, v. 10. cap. 19, v. 20. et quidem נַחַל גָּפְרִית, *torrens sulfuris*, Esa. 30, v. 33. *λίμνη θείου, stagnum sulfuris*, Apoc. 20, v. 10. cap. 21, v. 8. ut denotetur *tum ignis hujus aeternitas*, nam ignis, cui quotidie XX. 2
allabitur torrens sulfuris, nunquam exstinguitur; tum *urendi efficacitas*, quia ignis in pice ac sulfure magis urit ac furit quam in alia materia; tum *foetoris inamoenitas*, quia pix et sulfur accensa maximum foetorem excitare solent. 6. Damnati dicuntur non in igne, sed in *flamma ignis* uri. Sir. 21, v. 10: *Consummatio illorum flamma ignis in perditio-*

nem. Luc. 16, v. 24: *Crucior in hac flamma.* 2. Thess. 1, v. 8: *ἐν πυρὶ φλογός dabit Dominus vindictam impiis.* Jac. 3, v. 6: *γλῶσσα φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης*. Neque enim leviter tantum in superficie corporis hic ignis allambendo adurit, sed ad intimas usque ossium medullas, imo ad ipsam animae essentiam penetrat, ut in mediis flammis damnati semper sedeant. 7. Tribuitur huic igni *ζῆλος* Hebr. 10, v. 27. cum sit instrumentum divinae justitiae ac justissimi zeli, quo Deus animadvertit in peccatores. Confer expositionem hujus dicti traditam §. 19. 8. Denique vocatur *πῦρ ἄσβεστον* Matth. 3, v. 12. Marc. 9, v. 43. Luc. 3, v. 17. *καὶ αἰώνιον* Matth. 18, v. 8. cap. 25, v. 41. Judae v. 7. quia nullis unquam infinitis seculorum seculis exspirat, unde *fumus ejus in secula seculorum adscendere* dicitur Apoc. 14, v. 11. in quibus verbis tum *ignis hujus obscuritas* per fumum, tum ejusdem *perpetuitas* per adscensum fumi *in secula seculorum* significatur. An vero hic ignis corporeus vel incorporeus, visibilis vel invisibilis, materialis vel materiae expers futurus sit, de eo in quaestionibus aliquid monebitur.

51. *Igni urenti* ubique ferme conjungitur *vermis rodens*. Per eum vero intelligi videtur *morsus conscientiae* perpetuus et continuus ex peccatorum recordatione ortus, rabida quaedam displicentia et infructuosa poenitentia, angor cordis maximus et nunquam interruptus. Ut enim vermes continuo morsu cadavera arrodunt, sic internus ille conscientiae vermis damnatorum animas perpetuo lancinabit. Proverb. 25, v. 20: *Sicut tinea vestimento et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi* (qui tamen versiculus in Hebraeo non habetur). Quemadmodum in cadaveribus putrescentibus nascuntur vermes, sic conscientia putrefacta vermes gignit spirituales et immortales. De hoc verme conscientiae sic loquuntur pii veteres. Origenes lib. 2. *περὶ ἀρχῶν* c. 11: *Horribilis et inaestimabilis damnatorum poena erit conscientia per divinam virtutem omnia mala in memoriam recipiens et historiam quandam suorum scelerum ante oculos suos videns expositam. Obviabit eis horrenda illa facies suorum delictorum, quae tormento omni amarior exsistit, sed et conscientiae suae verberibus cruciati infelicia illa verba crebro proloquentur et dicent: Vae, vae, nobis miseris, quibus contingit videre hanc diem! Ubicunque enim peccator tunc oculos convertet, contemplabitur imagines suorum delictorum.* Ambrosius in fine cap. 14. Luc.: *Vermis est eo, quod irrationabilia animae peccata mentem rei* (peccatoris) *sensumque compungunt et quaedam exedunt viscera conscientiae.* Gregorius Nyssenus orat. catechet. cap. 40: *Cum vermem audieris, ne propterea quod sit idem nomen, ad terrestre hoc animal tua feratur cogitatio. Adjectio enim ejus, quod non moriatur, suggerit, aliam esse intelligendam naturam quam eam, quae cognoscitur.* Damascenus in vita Barlaam cap. 8. vocat *vermem insomnem.* Rabanus libr. 2. in Ecclesiasten cap. 7: *Vermis est sera scelerum poenitentia, quae nunquam in tormentis conscientiam afflictorum mordere cessabit.* Innocentius lib. 3. de contemtu mundi cap. 2: *Vermis conscientiae tripliciter lacerabit. Affliget memoria, sera turbabit poenitentia, torquebit angustia. Venient* XX. 216.
enim in cogitationem peccatorum suorum timidi et traducent illos ex adverso iniquitates eorum dicentes: Quid profuit nobis superbia? etc. Lutherus in enarrat. cap. 45. Genes. tom. 4. f. 155: *Animus aeger ac male sibi conscius semper est infernus, qui nihil aliud erit quam ipsa conscientia mala. Si diabolus non haberet ream conscientiam, esset in coelo. Ea vero accendit flammas inferni et exsuscitat horribiles cruciatus et erinnyas in corde.* Confer enarrat. in cap. 35. Genes. Scholastici docent, *morsum vermis longe exsuperare ipsam ustionem ignis*, id quod demonstrant hac ratiocinatione: *Doloris acerbitas in his tribus potissimum spectatur, 1. in magnitudine mali, quod infligitur; 2. in potentia recte comparata ad ejus susceptionem et perpessionem; 3. in arctissima utriusque conjunctione. Hinc efficitur, longe gravissimum malum esse in privatione visionis Dei, quam poenam certissimam concipit anima, longeque acerbiorem experitur quam vim ignis, qui ne hic quidem in animam agit nisi mediate et respectu personae. At spirituale illud malum naturam spiritualem per se et immediate infestat ac discruciat. Conjunctio item utriusque est arctissima, siquidem intellectus multo acrius apprehendit quam sensus, nec unquam ita animae illabuntur res corporeae, quemadmodum sese insinuant spirituales, omninoque id, quod animae est praesentius quodque cognoscitur perfectius, arctius quoque cum ea conjungi censendum est. Quemadmodum igitur qui spiritualia bona degustarunt, fastidiunt corporalia; ita et corporeorum malorum quodammodo obliviscuntur, qui animo gravissime anguntur, siquidem gravior et acrior est dolor, qui majori delectationi opponitur. Ac proinde si maximum beatorum gaudium consistit in visione Dei et fruitione summi boni, sequitur, summum damnatorum cruciatum esse in ejusdem visionis et fruitionis privatione. In hac vita mortali, quae tamen sensuum objectis maxime afficitur, quandoque videmus, quosdam dirissimos corporis cruciatus constanter perferre, ne existimationis, quae spirituale quoddam bonum est, jacturam faciant.* Richardus 4. sent. dist. ult. art. 5. q. 2. idem demonstrat hoc modo: *Anima principalius apprehendit ignem per sensum et vermem per intellectum. Fortior autem est apprehensio per intellectum quam per sensum. Et vermis est aliquid magis intelligibile, cum sit spirituale, quam ignis, cum sit aliquid sensibile. Vermis etiam praesentior est animae quam ignis, quia corporalia non possunt esse intra animam sicut spiritualia. Malum autem, quod est animae realiter praesentius et ab ea cognitum perfectius, sibi fortius est conjunctum.*

52. Referri autem possunt ad rodentem illum *conscientiae vermem* damnatorum 1. *θλῖψις καὶ*

στενοχωρία, de qua Sap. 5, v. 3. Rom. 2, v. 9. 2. Thess. 1, v. 6. *θλῖψις*, compressio, in libris Novi Testamenti et apud ecclesiasticos scriptores accipitur pro afflictione, qua tamen non notatur ipsa affligendi actio, sed angustiae illae, in quas redigitur is, qui affligitur, seu anxietas illa, qua premitur, *ἀπὸ τοῦ θλίβειν*, quod est *comprimere ac constringere*, sicut calceus pedem dicitur *θλίβειν*, quem arcte premit et constringit. *Στενοχωρία* proprie est *angustum spatium*, *angustus locus* Thucydides lib. 7. histor. cap. 70. Plutarchus sympos. 5. probl. 6. Metaphorice usurpatur pro angustia spiritus, qualis in acutis morbis ac subitis terroribus solet contingere, Rom. 8, v. 35. 2. Cor. 6, v. 4. cap. 12, v. 10. LXX interpretes utuntur pro צוּקָה, *coarctatio, pressura*, Esa. 8, v. 22. cap. 30, v. 6. ac pro מָצוֹר, *obsidio*, Deut. 28,
XX. 217. v. 53. Quemadmodum enim in arcta obsidione hostes solent urbem *περικυκλοῦν*, circumcingere, ut nullus cuiquam civibus pateat exitus Luc. 19, v. 43. sic damnati in carcere infernali ita erunt conclusi ac circumcincti, ut nulla evasionis rimula ipsis pateat. Ad hanc externam angustiam accedet interior spiritus anxietas, qua corda ipsorum ita comprimentur ac constringentur, ut aegre spiritum ducere possint. Quemadmodum is, cujus dorso vel corpori toti gravissimum pondus, puta lapis molaris, incumbit, ita comprimitur ac constringitur, ut vix possit respirare; ita pondus irae divinae, onus peccatorum ac mola asinaria damnationis aeternae impios ea ratione premet, ut respirandi nulla detur occasio. Expende paululum querelas, quas pii effundunt, si quando gustum duntaxat infernalis illius anxietatis sentiunt. Psalm. 18, v. 5: *περιεκύκλωσαν, circumdederunt, me dolores mortis et torrentes Belial conturbaverunt me*, v. 6. *funes inferni circumdederunt me, praeoccupaverunt me laquei mortis.* Psalm. 38, v. 3: *Sagittae tuae infixae sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.* v. 4. *Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*, v. 5. *quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum et sicut onus grave gravatae sunt super me.* v. 6. *Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae.* v. 7. *Inclinatus et curvatus sum valde.* Psalm. 55, v. 5: *Cor meum conturbatum est in me, et formido mortis cecidit super me;* v. 6. *timor et tremor venerunt super me, et obruit me terror.* Psalm. 88, v. 5: *Aestimatus sum cum descendentibus in puteum.* v. 7. *Posuisti me in puteum inferiorem, in tenebras, in abyssum;* v. 8. *super me incumbit furor tuus et omnibus fluctibus tuis afflixisti me*, v. 9. *posuisti me abominationem notis meis*, v. 10. *tenet me carcer, et non egrediar* etc. At quid futurum censes, quando non guttulam aliquam, sed totum poculum irae divinae ad imas usque faeces damnati absorbere cogentur? quando totum pondus irae divinae ipsis incumbet? 2. *Ὀνειδισμὸς καὶ αἰσχύνη, opprobrium, pudor, confusio et ignominia.* Esa. 66, v. 24: *Erunt* דֵּרָאוֹן, *abominatio, fastidium et contemtus, omni carni.* Dan. 12, v. 2: *Quidam resurgent* לַחֲרָפוֹת לְדִרְאוֹן, *ad opprobria, ad contemtum, sempiternum.* 1. Joh. 2, v. 28: *Manete in eo, ἵνα μὴ αἰσχυνθῶμεν ἀπ' αὐτοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ.* Hic contemtus ac pudor damnatorum orietur ex manifestatione omnium peccatorum, quae per totum vitae cursum commiserunt (unde Hebraeum חָרַף, a quo חֶרְפָּה descendit, non solum significat *conviciatus est, probris affecit*, sed etiam *manifestavit, revelavit, divulgavit*, quia ex criminis alicujus publicatione nascitur opprobrium). Ea enim in die judicii in publicum angelorum et hominum producentur conspectum Rom. 2, v. 16: *Judicabit occulta hominum.* 1. Cor. 4, v. 5: *Illuminabit abscondita tenebrarum.* Judae v. 15: *Ἐξελέγξει, graviter redarguet, omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quae impie egerunt.* Psalm. 50, v. 21: *Arguam te et statuam contra faciem tuam.* Ipsorum etiam impiorum oculis et cordibus jugiter obversabitur horribilis species peccatorum ab ipsis commissorum, peccatum ipsorum erit coram eis semper, cum in hac vita ejus remissionem ac tectionem non impetraverint Psalm. 51, v. 5. Inde non poterit non horribilis continuus ac perpetuus pudor in ipsorum animis oriri. Ephraemus in orat. de futuro judicio p. 243: *Horribilior tenebris ignique illo aeterno pudor erit atque confusio, in qua perpetuo conversabuntur peccatores, semper ob oculos retinentes vestigia illa peccati in* XX. 218
carne admissi, quasi notae alicujus tinctae nec eluibilis unquam in memoria animae aeternum duraturae. Intelligitur autem per illud opprobrium et convicium non tam *verbale* quam *reale*, quod in statum contemtum et ignominiosum detrusi in corpore et anima ignominiam gestabunt sempiternam, ac loquitur Daniel in plurali, *resurgent ad opprobria*, ut non unum contemtus et opprobrii genus sed omnis generis opprobria impiis intelligantur parata. A radice חָרַף descendit etiam nomen חֹרֶף *hiems*, propter deflorationem, quia frigore vitiantur et corrumpuntur omnia terrae nascentia, ac omnis honor et gloria arboribus eripitur, sicut poeta canit libr. 2. georg.:

Frigidus et sylvis aquilo decussit honorem.

Ita quoque damnati omni honore et gloria privabuntur, exsulabit ab illorum domicilio *amoenitas vernalis*, *formositas aestivalis*, *ubertas autumnalis*, erit autem in eo *frigiditas hiemalis*, ex qua dentium stridorem oriturum multi ex veteribus autumant. Pudor, confusio et ignominia erit in cordibus damnatorum ex perpetua peccatorum recordatione; pudor, confusio et ignominia opprimet damnatos in omnium angelorum et hominum conspectu, coram quibus peccata ipsorum manifestabuntur; pudor, confusio et ignominia effundetur super eos a Deo altissimo, quia omnia ipsorum facta in clarissimam lucem producet; pudor, confusio et ignominia apparebit in damnatorum corporibus, ut enim beatorum corpora erunt *gloriosa* 1. Cor. 15, v. 44. Phil.

3, v. 21. sic damnatorum corpora erunt *deformia, tetra, abominanda;* sicut gloria beatorum refulgebit per ipsorum corpora instar lucis per vitrum resplendescentis, sic ignominia damnatorum ex anima in corpora ipsorum redundabit. Quodsi enim in hac vita malefici ac facinorosi tetrico vultu de occulta cordium suorum impietate testantur, der Mord und Diebstahl siehet ihnen aus den Augen; quanto magis in damnatorum corporibus ac faciebus maculae ineluibiles peccatorum apparebunt. Lutherus in enarr. cap. 3. Gen. f. 60: *In inferno auferetur stupor ille, qui nunc obstat, quo minus videamus miseriam nostram, et aperientur sensus omnes, ut non solum in corpore sit sensus poenae, sed etiam in ipsa mente sensus irae Dei et confessio, quod eam iram nostra malitia meriti simus. Haec acuent et infinitis modis augebunt impiorum cruciatus.* 3. *Φθόνος, livor ac tabescens invidia.* Psalm. 112, v. 10: *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescit.* Sap. 5, v. 2: *Videntes impii gloriam justorum turbabuntur timore horribili et mirabuntur* (*ἐκστήσονται, stupebunt, ecstasin quandam patientur*) *in insperata salute* (*ἐν τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας*) *et dicent intra se poenitentiam agentes et prae angustia spiritus gement et dicent: Hic erat, quem habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii*, v. 5.' *nunc computatus est in filiis Dei* etc. Hujus livoris ac invidiae consequens erit *stridor dentium* continuus Matth. 8, v. 12. cap. 13, v. 42. et 50. cap. 22, v. 13. cap. 24, v. 51. cap. 25, v. 30. Luc. 13, v. 28. Ambrosius in c. 14. Luc.: *Stridor dentium prodit indignantis effectum, eo quod sero unumquemque poeniteat, sero ingemiscat, sero irascatur sibi, quod tam pervicaci impietate deliquerit.* Bernhardus serm. 8. in Psalm. Qui habitat: *Stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidiae et obstinata malignitas extorquebit.* Causa
XX. 219. ejus erit tum *beatorum in coelo felicitas*, quam non quidem in specie nec *πρακτικῶς*, interim tamen in genere ac *θεωρητικῶς* videbunt; tum *suppliciorum in inferno inaequalitas*, quam postea demonstrabimus. Ut enim in vita aeterna propter summam beatorum caritatem fiet, ut quidquid uni electorum accidit, tanto gaudio afficiat reliquos, ac si illis ipsis datum foret, unde non erit ibi invidia disparis claritatis, ubi in omnibus regnabit unitas caritatis; sic in inferno propter odium, quo se damnati invicem prosequuntur, diversitas tormentorum maximam in illis excitabit invidiam. Anselmus in l. de similitudinibus c. 45: *Sicut bonitas hominis boni hominibus est ad laetitiae incrementum; sic daemonibus et damnatis hominibus erit ad detrimentum. Daemonibus namque et damnatis hominibus sanctorum consummatio erit interminabilis luctus et aeterna damnatio. Nam cum justi obtinebunt corporis et animae gaudium sempiternum, tunc similiter et illi ibunt in supplicium aeternum.* Bernhardus serm. 8. in Psalm. Qui habitat: *In illa tanta separatione, quemadmodum hoedis agnorum divisio gravissimi livoris occasio fiet, sic electis e regione consideratio reproborum immensa quaedam materia gratiarum actionis et laudis* etc. *Unde impii tanto animi furore tabescerent, nisi in regnum summae beatitudinis coram sese vidissent alios introduci et tunc demum in illos sese foetores, in illos horrores, in illos aeterni incendii cruciatus, in illas denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos?* Thomas quodlib. 8. art. 16: *Damnati in inferno exsistentes post diem judicii memores erunt gloriae sanctorum, quam ante judicium et in judicio viderunt, et sic cognoscent, eos esse in maxima gloria, quamvis non videant ipsos beatos nec gloriam eorum, et ita invidia torquebuntur, et sic afflictio, quae est in iis nunc ex tali visione, manebit sublata, de quo etiam magis dolebunt, videntes se etiam visione sanctorum indignos reputatos.* Quidam hoc inexplebile damnatorum desiderium vocant *βουλιμίαν, caninam famem*, quo morbo qui laborant, omnibus animi et corporis viribus semper deficiunt et deficiendo tamen ad finem nunquam perveniunt. 4. *Φόβος καὶ ἀπορία, timor, tremor, perpetuus horror et continua desperatio.* Job. 10, v. 22: *Antequam vadam ad terram tenebrosam, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitans,* Hebraeum *cujus splendor est caligo.* Orietur ille horror primo *ex loci conditione;* infernus est carcer tenebricosus ac caliginosus, jam vero tenebrae horrorem solent incutere. Secundo *ex daemonum conversatione;* quanto horrore' concutimur, si spectrum intuemur, ecquid in inferno damnatis obventurum putabimus, quando in propria specie ac forma daemones intuebuntur? Tertio *ex aeternitatis cogitatione;* norunt damnati, in tenebricoso illo carcere sibi perpetuo esse manendum, sciunt, nullum tormentorum finem aut terminum esse exspectandum; haec cogitantes non possunt non horribili timore concuti. Augustinus epist. 211. ad Julian.: *Non est locus ibi vel morti, per quam tormenta finiantur; mors optabitur et non dabitur.* Quarto *ex peccatorum recordatione;* obversabuntur oculis ipsorum horribilia peccatorum a se commissorum spectra, sciunt, sibi nullam peccatorum illorum condonationem, adeoque spectrorum istorum remotionem sperandam, inde gravissimo horrore percelluntur ac in continua et perpetua desperatione vivunt. Gregorius lib. 9. moralium cap. 39: *Infernum et umbra mortis obscurat et sempiternus horror inhabitat, quia ejus ignibus traditi et in suppliciis dolo-* XX. 220.
rem sentiunt, et in doloris angustia pulsante se semper pavore feriuntur, ut et quod timent, tolerent, et rursum quod tolerant, sine cessatione pertimescant. Hic metus amittitur, cum tolerari jam coepit, quod timebatur; illic et dolor dilaniat et pavor angustat. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. Dionysius Carthusianus de quatuor noviss. art. 37. ex Alberto: *Infernale incendium non tam graviter affligit infelicissimos illos, quantum affligit eos consideratio, quam attendunt et cogitant, se in tot ac tantis tormentis perpetuo mansuros, ex*

qua consideratione oritur intolerabilis desperatio omnis boni. 5. *Μανία, furor horribilis,* quo adversus Deum et omnes creaturas, adeoque etiam adversus se ipsos pugnabunt. Deo irascentur eumque blasphemabunt ob magnitudinem dolorum et poenarum, quas ab ipso sibi inflictas sentient Apoc. 14, v. 11; irascentur omnibus creaturis, quod omni earum solatio distituti in aeternis tenebris maneant; sibi ipsis mortem et exitium optabunt ob tormentorum atrocitatem ac dolorum acerbitatem, cum alias natura a morte abhorreat ac sui conservationem quaerat. Apoc. 6, v. 16: *Dicent montibus et petris, cadite super nos!* cap. 9, v. 6: *Quaerent mortem, et non invenient eam.* Isidorus Clarius orat. 12: *Quidnam gravius supplicium, quam semper velle, quod nunquam erit, et semper nolle, quod nunquam non erit? In aeternum peccator non assequetur, quod vult, et quod non vult, nihilominus in aeternum pati cogetur.* Baptista Mantuanus l. 3. de patientia cap. 25: *Damnati assidue coguntur coeca haec incendia contemplari, tantaque ex hac invita contemplatione, quam in aeternum supplicium sibi a Deo datam cognoscunt, surgit indignatio, tantus impatientis animi furor exardescit, ut omni rationis usu posthabito coelo et terrae ac Deo ipsi precentur excidium, et quoniam vis concupiscibilis boni placentis abundantiam et poenae displicentis sentit offensionem, irascibilis quoque desideratae quietis nequit a concupiscibili impedimenta repellere, fit in animo moeror et luctus et sine ulla consolatione cordolium. Haec autem poëtae per illa quinque flumina, quae apud inferos ponunt, mystice designarunt, Styx enim est odium, Acheron tristitia, Lethe oblivio, Cocytus luctus, Phlegethon ardor. Odium Dei atque justitiae, tristitia de poenarum acerbitate, oblivio caritatis et spei, luctus ex poenarum acerbitate, ardor ex conscientia culpae, ardor item corporis post resurrectionem, quod jugiter ardebit et non consumetur, et erit illic mors aeterna, quia immortalis miseria, quae supremo bono, i. e. beatitudini, opposita potest summum malum appellari.* Breviter, erit in damnatis *pudor* respectu Dei et angelorum sanctorum ac hominum beatorum; *horror* respectu diabolorum; *dolor et timor* respectu aeternorum tormentorum.

Universalitas cruciatuum infernalium. 53. Ceterum quod *in anima et corpore* damnatos torquendos esse diximus, ea ratione intelligendum, quod *in omnibus animae. potentiis* et in *omnibus corporis membris* dolores acerbissimos sint persensuri, ac proinde ad multiplicem poenarum varietatem accedet *earundem universalitas.* Mala hujus vitae sunt duntaxat *singularia*, quando patimur, tunc unus tantum sensus et unum duntaxat membrum patitur, sed in infernali igne omnia corporis membra affligentur et ab infernali verme omnes animae facultates, omnes sensus interni et externi erodentur. *Oculi* cruciabuntur daemonum adspectu,
XX. 221. *aures* supplicii sociorum stridore et gemitu, *odoratus* intolerabili foetore, *gustus* rapidissima siti ac fame, *tactus* et omnia membra frigore igne. *Imaginatio* patietur ab apprehensione praesentium dolorum, *memoria* a recordatione praeteritarum voluptatum, *intellectus* a consideratione bonorum amissorum et malorum, ad quae devenerunt, praesentium ac futurorum. Idem judicium esto de corporis membris, in quibus omnibus ac singulis damnati patientur, quia omnibus et singulis ad creatoris ignominiam abusi ad iniquitatis arma eadem converterunt, Rom. 6, v. 13. Bonaventura in diaeta salut. tit. 10. c. 1: *Sunt quidam dicere volentes, quod in inferno universae partes hominis tam corporis quam animae post diem judicii erunt in igne, nunc autem videmus, quod homo non posset sine maximo tormento ignem in parte unius digiti sustinere per unam horam, quantus ergo erit dolor, quando totus homo ardebit in igne?* Gersonius lect. 33. can. in miss.: *Poenae damnatis secundum corpus et secundum animam infligentur. Corpus quidem poenis variis, quoad omnes sensus afficitur, anima secundum omnes suas potentias cruciatur. Nam quoad visum est ibi luminis privatio, quod delectabile est oculis videre* Matth. 22. *et est ibi fumus* Apoc. 14; *quoad auditum est ibi sonus horribilis*, Sap. 17: *Sonitus descendens perturbat illos; item gemitus miserabilis et blasphemia exsecrabilis* Apoc. 16; *quoad olfactum est ibi sulfur foetens*, Apoc. 14: *Cruciabuntur igne et sulfure; quoad gustum absynthium amarum cibus*, Jer. 9: *Ecce cibabo populum absynthio et potum dabo eis fel draconum; item fel draconum potus*, Deut. 32: *Uva eorum uva fellis et potus amarissimus, fel draconum vinum eorum et venenum aspidum insanabile; quoad tactum est ibi ignis urens*, Matth. 25: *Ite in ignem; item vermis corrodens* Esa. 14. *item bestia mordens* Deut. 32. *item aestus insuperabilis et frigiditas intolerabilis*, Job. 24: *Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium. Affligitur et anima in suis potentiis sensitivis et intellectivis, est enim ibi protervа phantasia, demens concupiscentia et furens tristitia. Torsiones et dolores tenebunt eos* Esa. 13. Praeter has generales et omnibus damnatis communes poenas erunt etiam poenae quaedam *particulares ac propriae*, quisque enim punitur secundum criminum suorum quantitatem et qualitatem, neque ullum erit peccatum, quod non proprium suum ibi habeat cruciatum; in quo membro creator plus fuit offensus, in eo peccator gravius torquebitur, qua de re in quaestionibus dicetur plenius.

54. *Externa damnatorum mala* augent 1. *socii supplicii*, cum quibus patiuntur, 2. *conditio loci*, in quo patiuntur. Socii supplicii sunt 1) *mali angeli*, 2) *homines damnati.* Diabolos et damnatos homines fore ejusdem supplicii socios, patet ex verbis Christi Matth. 25, v. 41: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, paratum diabolo et angelis ejus*, ubi per angelos non tantum intelligi possunt spiritus maligni, quorum caput ac princeps est diabolus, sed etiam homines impii, qui se diabolicae malitiae ministros exhibuerunt, quamvis prior explicatio, quam in tract. de extr. jud. secuti sumus, textui videatur 2. Externa damnatorum mala

convenientior. *Supra se* damnati habent Deum irascentem, *intra se* vermem rodentem, *juxta se* diabolos torquentes. Idem colligitur ex Apoc. c. 20, v. 10: *Diabolus missus est in stagnum ignis et sulfuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* At quam infelix
22. et horribilis est illa societas versari cum diabolis, qui non solum truci adspectu, sed etiam terribili boatu, quin et crudeli laniatu damnatos torquebunt! Audito vel solo nomine diaboli cohorrescimus, cum quo tamen damnati in aeternum vivere cogentur. Satiat justos visio sanctorum hominum et angelorum et super omnia ipsius Dei; cruciat impios visio hominum damnatorum et daemonum et super omnia ipsius diaboli. Neque enim ullus alius ipsorum oculis occurret nisi poenarum ministri et facies dira tortorum. Basilius in Psalm. 34: *Eos, qui multa perperam in vita admiserunt, horrendi quidam ac tristes circumstabunt. Angeli ignem paratum contuentes, ignem exspirantes propter propositi amarulentiam, vultum praeferentes nocti assimilem prae moerore atque hominum odio.* Cassianus de conf. theol. part. 3: *Ibi atroces angeli commorantur, quorum brachia sunt ut capita draconum, quorum oculi igneas ex se sagittas emittunt, quorum dentes ut elephantis prominent et stimulant ad tormentum ut caudae scorpionum, quorum adspectus tremorem inducit et dolorem atque mortem.* Bernhardus dixisse memoratur, *quod malit fornacem calentissime ferventem intrare quam diabolum in sua propria forma apparentem videre.* Jam vero non semel duntaxat sed perpetuo damnati diabolum videbunt, ex qua visione ipsorum tormenta augebuntur, sicut ad intuitum carnificis facinorosi contremiscunt. Sed et reliquorum damnatorum adspectus damnatos cruciabit, non quod ulla erga ipsos ducantur commiseratione, sed quia ab iisdem suppliciis, quae in aliis intuentur, sibi metuunt, unde etiam dives epulo fratres praemoneri rogabat, *ne in eundem locum tormentorum venirent* Luc. 16, v. 28. Adde quod intuitus supplicii sociorum in memoriam illis revocet peccata, quibus scandalum illis praebuerunt et ad infernum secum pertraxerunt. Chrysostomus hom. 48. de ira: *Non velim existimes, ut hic fieri solet, ita et in futura vita contingere, ut scilicet solatium aliquod ferat socios habere miseriae. Unde id constat? Ex subjecto scilicet exemplo. Dic enim quaeso, si quis damnatus ignibus filium quoque una intueatur nidoremque ex ipsius carnibus adscendentem hauriat naribus, nonne morietur? Nam si hi quoque qui sani sunt, dum haec fieri vident, paene resolvuntur, multo magis id passuri sunt, qui ea clade vexantur. Et ad passionem pronum genus humanum aliorumque calamitatibus facile commovemur. Quo pacto pater filium in eadem damnatione constitutum videns solatium capiat? contra poena illi ex ea societate auctior.* Gregorius l. 9. moral. c. 39: *Sequaces quoque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt, quatenus qui eorum vitam carnaliter contra praecepta conditoris amaverunt, ipsorum quoque eos interitus in augmentum suae damnationis affligat. Quod profecto evangelio attestante colligimus, in quo, veritate nuntiante, dives ille, quem contigit ad aeterna incendii tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse, qui Abraham petiit, ut ad eorum eruditionem mitteret, ne illuc eos quandoque venientes par poena cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit, constat procul dubio, quia eos ad augmentum supplicii paulo post potuit etiam praesentes videre* etc. Isidorus lib. 1. de summo bon. c. 32: *De carorum quoque suorum suppliciis additur etiam poena damnatis, sicut apud inferos divitis sermo praedicat evangelicus, sicut pro augendo Judae supplicio dicit etiam psalmista: Commotione commoveantur filii ejus et mendicent. Locus*, in quo damnati cruciabuntur, est carcer infernalis, de cujus *forma interna* jam ante diximus, XX. 223.
de *externa forma* sive figura postmodum disseremus. Vel solum carceris nomen ostendit, omnem ab inferno abesse pulchritudinem, omnem voluptatem, omnem amoenitatem, carcer enim est mala mansio.

2. De continua poenarum infernalium quantitate.

55. Exposuimus hactenus *quantitatem discretam*, numerum scilicet ac multiplicem infernalium poenarum varietatem, restat, ut etiam *continuam quantitatem* sive tempus earundem qualicunque ratione explicemus. Tempus poenarum infernalium docendi causa duplex statui potest. *Praeparationis et inflictionis.* De tempore praeparationis egimus superius §. 31. Tempus *inflictionis* iterum duplex est, *inchoationis et durationis. Inchoationis* tempus diversum est ratione subjecti *angelis malis et hominibus damnatis.* Angeli mali statim ut a creatore suo sese averterunt, in infernum inciderunt. Homines impii post mortem temporalem secundum animas dolores infernales sentire incipiunt, quod enim *angelis casus*, illud *hominibus mors*, interim in hac vita praeludia et initia quaedam illorum experiuntur, ac in die judicii tam angelorum malorum quam damnatorum supplicia maximum accipient incrementum, ut in tract. de morte §. 162. et de extrem. jud. §. 46. jam ante ostendimus. *Duratio* poenarum infernalium complectitur earum tum *continuitatem*, tum *perpetuitatem sive aeternitatem.* 1. Continuitatis nomine intelligimus, quod poenae illae nullum habebunt intervallum, nullam interruptionem, nullam quietem. In hac vita si quis ardentissima febri aestuat, levationem quandam interdum sentit; qui animi angoribus torquetur, relaxationem quandoque experitur, Exod. 8, v. 15: *Pharaoni datur requies a plagis. Dimitte, cessa a me et confortabo me*, ait Job. c. 10, v. 20. sed in inferno damnatorum cruciatus nec finem habebant, nec requiem. Haec poenarum continuitas probatur 1. *ex clarissima Scripturae assertione.* Esa. 34, v. 10: *Nocte et die non exstinguetur ille ignis infernalis.* Apoc. 14, v. 11: *Damnati non habent requiem die ac nocte.* cap. 20, v. 10: *Cruciabuntur die ac nocte.* Quo sensu dies ac nox futuro seculo tribuatur, cum dierum ac

1. Continuitas.

noctium vicissitudo cum mundo sit cessatura, exposuimus superius §. 20. Sicut beati non habent requiem a divinis laudibus et canticis Apoc. 4, v. 8. sic ex opposito damnati non habent requiem a plagis et suppliciis. 2. *Ex analogica comparatione.* Esa. 66, v. 24, Matth. 3, v. 12. Luc. 3, v. 17. vocatur ignis ἄσβεστος. Marc. 9, v. 44. 46. et 48: *Vermis eorum non moritur et ignis eorum non exstinguitur.* Si vermis damnatorum non moritur, utique corda eorum continuis morsibus lancinat; si ignis eorum non exstinguitur, utique non interruptis flammis corpora eorum ustulat. 3. *Ex levamenti remotione.* In lacu infernali non est *aqua* Zach. 9, v. 11. h. e. nulla cruciatuum levatio, nulla consolatio, nulla a poenis cessatio. Luc. 16, v. 24. dives epulo petit, Lazarum mitti, ut *intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret ipsius linguam,* sed nihil quidquam impetrat. 4. *Ex perpetua causae actione.* Thomas 4. sent. dist. 45. q. 2: *Poena diminui non potest, nisi diminuatur culpa, sicut nequit auferri nisi ea ablata. At culpa damnatorum non minuitur. Ergo nec poena.* Flatus Domini sicut *torrens sul-*
XX. 281 *furis* accendit inferni ignem Esa. 30, v. 33. ira Dei *μένει, manet, super damnatos* Joh. 3, v. 36. damnati bibunt *de vino irae, quod mixtum est mero in calice irae ejus* Apoc. 14, v. 10. *sorbent faeces irae divinae* Psalm. 75, v. 9. Jam vero ira illa Dei nunquam est otiosa et inefficax, nec ullam respirationem vel quietem damnatis concedit, sed gravissimi ponderis instar perpetuo eos premit. Cyprianus l. ad Demetr.: *Tormenta damnatorum nec requiem habent, nec finem.* Cassiodorus in Psalm. 20: *Erit dolor sine fine, poena sine requie.* Augustinus in enchir. cap. 112. vocat *cruciatus sine intermissione perpetuos.* Bernhardus in medit. devotiss. cap. 3: *Nec qui torquet, fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur.* Glossa interlinearia Sirac. 40: *Ibi nulla pax, nulla doloris mitigatio.*

56. Antithesis. 1. *Judaei* fingunt, *damnatos eo momento, quo ipsi in terris sabbatum initiant, evocari ab angelo dato ad requiem signo et statim, quo momento Judaei sabbatum finiunt, revocari ad poenas,* idque tum fabellis, tum mysteriis cabbalisticis ex tertio praecepto erutis mirabili modo probant. Vide Helvicum tom. 4. disp. Giss. 9. cap. 2. th. 1. 2. *Quidam ex patribus* levationem quandam poenarum damnatis videntur promittere. Chrysostomus hom. 33. in Matth. de cura pro mortuis disputans decidit quodammodo in eorum opinionem, qui putant, *suffragiis et orationibus viventium juvari damnatos apud inferos. Putas,* inquit, *defunctum filium maculis inquinatum abiisse, da illi sua, ut illis se a maculis detergat.* Et clarius adhuc hom. 3. in epist. Phil.: *Deplorato eos, qui in divitiis mortui sunt et nihil consolationis suis ipsorum animabus ex divitiis suis procurarunt, qui cum potestatem diluendi peccata sua accepissent, noluerunt. Hos defleamus, sed cum modestiae decoro, defleamus eos, juvemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilii, modici quidem, attamen juvemus eos, quo modo, quave ratione? Precantes adhortemur et alios, ut pro illis orent, pauperibusque indesinenter pro illis eleemosynas demus. Habet res ista non nihil consolationis* etc. Augustinus vel quicunque alius auctor in enchir. ad Laur. cap. 110: *Cum sacrificia sive altaris sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde malis, etsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt, quibus aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Et postea: *Poenas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari, dummodo intelligatur in illis manere ira Dei, h. e. ipsa damnatio, in qua Deus manente ira sua non tamen contineat miserationes suas, non aeterna supplicia finiendo, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus.* Prudentius in hymno de novo lumine pasch. sabb.:

> *Sunt et spiritibus saepe nocentibus*
> *Poenarum celebres sub Styge feriae,*
> *Illa nocte, sacer qua rediit Deus*
> *Stagnis ad superos ex Acheronticis.*
> *Marcent suppliciis tartara mitibus,*
> *Exsultatque sui carceris otio*
> *Umbrarum populus liber ab ignibus,*
> *Nec fervent solito flumina sulfure.*

Canonistae et Scholastici in dictis illis patrum ad bonum sensum reducendis varie desudant. Prae- XX. 2
positivus Leodiensis in compend. theol. scribit, *tantam posse cumulari super damnatos suffragiorum multitudinem, ut progressu temporis omnibus exuerentur poenis, non tamen in perpetuum, ut senserat Origenes, sed usque ad resurrectionem, in qua resumtis corporibus iterum in aeterna supplicia detruderentur, abjecta omni prorsus refrigerii ac solatii spe.* Sed hac ratione hypothesis de levatione dolorum infernalium stabilitur. Gilbertus Pictavorum episcopus in lib. theolog. quaest. existimat, *fidelium precationibus et oblationibus adimi reproborum poenas sine earum absumtione eo modo, quo infinitae proportionales partes demi solent a linea, a qua, licet ipsa infinita non sit, infinitae tamen partes absque ulla eius consumtione subtrahi possunt.* Sed haec abstractio est mere imaginaria. Guilelmus Antissiodorensis in fine summae censet, *viventium auxilia suffragari damnatis non ad imminutionem aut interpolationem tormenti, sed ad confortationem ac corroborationem patientis, ut si quis hominem ingenti ponderis onere praegravatum cibo recreet vel frigida perfundat.* Rupertus Linconiensis in summ. theol. tradit, *nec auferri, nec interrumpi, nec diminui damnatorum supplicia, subtrahi tamen illis aliquam gravioris miseriae occasionem, dum sentiunt, se ab his, qui suffragia porrigunt, non omnino abjectos, sed aliquam apud eos praesentium malorum commiserationem invenire.* Thomas 4. sent. dist. 45. q. 2. confutatis illis sententiis omnibus existimat, de purgatorio haec explicanda ac damnatis per suffragia *inanem duntaxat*

fallacis gaudii speciem et hiatum moerentis animi illusionem accidere. Sed prius petit principium, posterius non satisfacit dictis veterum. Utrumque est inane figmentum. Simplicissime respondetur 1. *in genere*, patrum dicta non esse Scripturis opponenda, sed ex illis et juxta illas exponenda; 2. *in specie*, Chrysostomum oratorio, Prudentium vero poëtico more fuisse locutum, enchiridion ad Laurentium non esse Augustini, sed alterius auctoris etc.

ter- 57. 2. *Aeternitas* poenarum infernalium probatur 1. ex sacris literis, in quibus describitur 1. *καταφατικῶς, affirmative.* Job. 31, v. 12: *Ignis est devorans usque ad perditionem*, LXX interpretes reddiderunt πῦρ καιόμενον ἐπὶ πάντων μερῶν. Psalm. 49, v. 15: *Mors depascet eos* (ut instar graminis depasti semper renascantur). Esa. 24, v. 22: *Post multos dies visitabuntur.* cap. 33, v. 14: *Quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis?* Hebraeum מוֹקְדֵי עוֹלָם. cap. 34, v. 10: *In sempiternum adscendet fumus ejus.* cap. 65, v. 5: *Ignis ardens tota die*, hoc est in sempiternum, quia aeternitas est una dies continua occasum non habens. Ezech. 26, v. 20: *Cum detraxero te cum his, qui descendunt in lacum ad populum sempiternum.* Dan. 12, v. 2: *Quidam expergiscentur ad opprobria et contemtum sempiternum.* Judith 16, v. 21: *Flebunt in sensu suo usque in seculum*, ἕως αἰῶνος. Matth. 18, v. 8. cap. 25, v. 41, Judae v. 7: *ignis aeternus.* Matth. 25, v. 46: *κόλασις αἰώνιος, supplicium aeternum.* Joh. 8, v. 51. cap. 11, v. 26: *mors aeterna.* 2. Thess. 1. v. 9: *interitus aeternus.* Judae v. 6: *vincula aeterna.* v. 13: *quibus caligo tenebrarum in aeternum reservata.* Apoc. 14, v. 11: *fumus tormentorum adscendet in secula.* cap. 20, v. 10: *Cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* 2) *ἀποφατικῶς, negative.* Job. 7, v. 9: *Descendens in infernum non adscendit.* cap. 10, v. 20: *Antequam vadam et non*
226. *revertar ad terram tenebrarum.* Prov. 27, v. 20. cap. 30, v. 16: *Infernus non saturatur* (sed plures semper poenas a damnatis exigit). Esa. 66, v. 24: *Vermis eorum non moritur et ignis eorum non exstinguitur.* (Cadavera, quae vulgari et communi morte perierunt, cito solvuntur et in saniem liquescunt, ac vermes, qui in illis generantur et pascuntur, deficiente materia et alimento ipsi quoque pereunt et deficiunt, sed de vermibus damnatorum corpora in inferno arrodentibus dicit propheta, *quod non moriantur*, ac proinde etiam illis damnatos in aeternum cruciandos et corrodendos esse significat. Sic etiam ignis diaconicus deficiente nutrimento et alimento statim exstinguitur, sed de igne, qui damnatos in inferno cruciabit, propheta asserit, quod non sit *exstinguendus*, ac proinde etiam aeternis flammis eos obnoxios fore insinuat.) Matth. 3, v. 12. Luc. 3, v. 17: *Paleas comburet* πυρὶ ἀσβέστῳ (qui nullo unquam tempore exstinguetur). Matth. 5, v. 26. Luc. 12, v. 59: *Non exibis e carcere, donec novissimum quadrantem persolveris* (hoc est nunquam. Confer tract. de morte §. 269.). Marc. 9, v. 43. *ignis inexstinguibilis.* v. 44. 46. et 48. *ubi vermis non moritur* etc. Harum descriptionum quaedam sunt propriae, quaedam vero metaphoricae ac symbolicae. Quae vero nominatim ad symbolicas et metaphoricas pertineant, non potest exacte definiri. Excipiunt, *Deum ideo poenas aeternas peccantibus esse minatum, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret, quia creaturae suae aeterna supplicia minari debuit, non inferre.* Respondemus verbis Gregorii lib. 34. moral. cap. 16: *Si falsa minatus est, ut ab injustitia corrigeret, etiam falsa pollicitus est, ut ad justitiam provocaret. Quis hanc eorum vesaniam toleraret, qui conantur adstruere, verum non esse, quod veritas minata est, et dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur praedicare fallacem?*

58. 2. Eadem poenarum infernalium aeternitas probari potest *rationibus* ex Scriptura deductis. 1) *Ex perpetua irae divinae duratione.* In hac vita potest homo per veram et seriam conversionem ex filio irae fieri filius gratiae, sed in inferno ejusmodi translatio non habebit amplius locum, quia ira Dei instar gravissimi et ineluctabilis ponderis perpetuo incumbet damnatis. Deut. 32, v. 22: *Ignis succensus in furore meo et ardebit usque ad infernum inferiorem.* Esa. 30, v. 33: *Flatus Domini sicut torrens sulfuris succendet hunc ignem.* Quamdiu igitur Dei flatus inferni ignem succendet, tamdiu quoque durabunt damnatorum poenae, hoc est in omnem aeternitatem. *Ignis*, cui allabitur torrens sulfuris, nunquam exstinguitur, sed perpetuo fovetur. Quamdiu vivet Deus, tamdiu illi morientur. 2) *Ex chasmatos confirmatione.* Luc. 16, v. 26. inter beatos et damnatos *magnum chasma firmatum*, ut qui ex inferno velint ad beatos transire, non possint. Illud chasma, illa horrenda et profundissima vorago non potest accensu superari ac pertransiri. 3) *Ex januae occlusione.* Matth. 25, v. 10: *Et clausa est janua*, janua scilicet *gratiae*, janua *misericordiae*, janua *indulgentiae*, janua *poenitentiae*, janua *consolationis*, janua *spei*, janua *gratiae*, janua *bonorum operum.* Luc. 13, v. 25: *Cum intraverit paterfamilias et clauserit ostium, incipietis foris stare.* Clausae erunt portae, per quas damnati possint exire; clausae erunt portae, per quas aut consolatio aut minima spes liberationis possit introire. 4) *Ex beatitudinis oppositione.* Ibunt pii ad dextram judicis constituti *in vitam aeternam*, impii ad sinistram constituti *in ignem aeternum* Matth. 25, v. 46. Quidam expergiscentur *ad vitam aeternam*, quidam *ad opprobrium* XX. 227.
et contemtum aeternum Dan. 12, v. 2. Atqui beatorum felicitas erit aeterna, aeternitate non limitata ac determinata, diuturno temporis tractu circumscripta, sed absoluta et indeterminata. Ergo etiam damnatorum ignominia et miseria erit aeterna, aeternitate non limitata, sed absoluta. Gregorius lib. 4. dial. cap. 44: *Constat et incunctanter verum est, quia sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum, quia enim verum est, quod veritas promisit, falsum esse non potest, quod comminatus est.* 5) *Ex poenitentiae remotione.* Damnati non amplius habebunt conversionis media

neque agent de peccatis suis poenitentiam. Dolebunt, non quod Deum offenderint, sed quod bonis terrenis privati in barathrum infernale inciderint. Ergo etiam non patebit ipsis aditus ad Dei gratiam. Innocentius l. 3. de cont. mundi cap. 3: *Poenitebunt ad poenam, sed non convertentur ad veniam.* 6) *Ex ignis infernalis descriptione.* Psalm. 11, v. 6: *Pluet Dominus super impios sulfur et ignem.* Esa. 30, v. 33: *torrens sulfuris.* cap. 34, v. 9: *Convertuntur torrentes ejus in picem et humus ejus in sulfur, et erit terra ejus in picem ardentem.* Apoc. 19, v. 20: *stagnum ignis ardens sulfure.* cap. 20, v. 10: *stagnum sulfuris et ignis.* cap. 21, v. 8: *stagnum ardens igne et sulfure.* At ignis, cui perpetuo suppetit torrens ac stagnum sulfuris, nunquam exstinguitur, sed perpetuum habet nutrimentum. 7) *Ex peccati turpitudine et confusione.* Peccatum committitur contra Deum, qui est infinitum bonum. Ergo etiam promeretur infinitas poenas. 8) *Ex voti frustratione.* Apoc. 9, v. 6: *Quaerent mortem, et non invenient,* h. e. optabunt, se in ,nihilum redigi, ut poenis illis tandem possint defungi, sed hoc votum erit frustraneum. 9) *Ex vinculorum injectione.* Damnati dicuntur *ligandi manibus et pedibus* Matth. 22, v. 13. quia in carcere infernali tenebuntur aeternis vinculis constricti, ut ex eo nunquam possint eluctari. 10) *Ex daemonum associatione.* Damnati projicientur in illum ignem, *qui diabolo et angelis ejus paratus est* Matth. 25, v. 41. Atqui ignis ille est aeternus et nunquam desiturus, cum peccato diabolorum nullum paratum fuerit remedium. Ergo etiam damnatorum ignis est aeternus.

59. 3. Hanc poenarum infernalium aeternitatem emphaticis verbis describunt pii veteres. Irenaeus l. 4. adv. haeres. cap. 47: *Quibuscunque dixerit Dominus, discedite a me, maledicti, in ignem perpetuum, isti erunt semper damnati.* Tertullianus de judic. Dom. cap. 9:

Aeternae Deus ossa jubet descendere poenae,
Ire sub ardorem rabidae sine fine gehennae.

Cyprianus in lib. ad Demetrianum: *Cremabit addictos ardens semper gehenna et vivacibus flammis vorax poena, nec erit, unde habere tormenta vel requiem aliquando possint vel finem. Servabuntur cum corporibus suis animae infinitis cruciatibus ad dolorem. Erit tunc sine fructu poenitentiae dolor poenae, inanis ploratio et efficax deprecatio.* serm. de adscens. Christi: *Immortales miseri vivent inter incendia et inconsumtibiles flammae nudum corpus allambent* etc. *Non miserebitur ultra Deus neque tunc audiet poenitentes. Sera erit illa confessio, et cum clausa fuerit janua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium, semel Christus descendit ad inferos, ulterius non descendet. Non ultra videbunt Deum in tenebris sigillati, irregressibilis erit illa sententia et immutabile judicium et stabit damnationis hujus*
XX. 228. *immobile constitutum.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. 18: *Si peccator est, accipiet corpus aeternum, quo sufferre possit poenas peccatorum, ut perpetuo in igne ardeat, ut nunquam dissolvatur.* Hieronymus in cap. 66. Esa.: *Diaboli et omnium impiorum credimus aeterna tormenta.* in comm. Thren. 1: *Qui semel illuc ingreditur, ulterius egredi non permittitur. Quod ipsa veritas in evangelio ostendit dicens: Esto consentiens* etc. *non exibis inde, donec persolveris novissimum quadrantem. Quemadmodum ibi intelligitur, ubi dictum est, oportet eum regnare, donec ponet omnes inimicos sub pedibus suis, semper illum regnaturum, quoniam semper illi erunt inimici sub pedibus, ita et hic accipi potest dictum, non exibis, donec persolveris, semper non exiturum esse, quia semper solvat novissimum quadrantem, dum sempiternas poenas terrenorum peccatorum luit.* Chrysostomus epist. 5. ad Theodor. lapsum: *Hic habent tam jucunda quam tristia finem, eumque celerrimum, illic seculis extenduntur utraque immortalibus* etc. *Qui peccaverunt, necesse est ut immortalitatem induant, non tamen ad honorem sibi, verum ut continuum supersit viaticum illius supplicii, quod quam sit horrendum, oratio nequit explicare* etc. *Hic quidem non simul contingunt vehementia poenarum et earum diuturnitas. Altera enim cum altera pugnat propter conditionem corruptibilis illius corporis, non ferentis ea, immortalitate autem succedente solvitur haec pugna et magna potentia, nos in infinitum mala utraque possidebunt, nec excessus ullus tormentorum perimet animam nostram, neque hoc corpus poterit in illo tempore consumi cruciatibus, afflictum permanebit cum anima, nec finis ullus erit.* Augustinus in enchirid. ad Laurent. cap. 113: *Manebit sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est alienatio a vita Dei, et omnibus erit communis, quamlibet homines de dolorum relevatione vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur, sicut manebit communiter omnium vita aeterna sanctorum.* l. 21. de civ. Dei cap. 17: *Si sententia illa* (de liberatione damnatorum) *propterea bona et vera, quia misericors est, tanto erit melior et verior, quanto misericordior fuerit. Extendatur ergo ac profundatur fons hujus misericordiae usque ad damnatos angelos saltem post multa atque prolixa quantumlibet secula liberandos. Cur usque ad universam naturam manat humanam, et cum ad angelicam ventum fuerit, mox arescit? Non audent tamen se ulterius miserando porrigere et ad liberationem ipsius quoque diaboli pervenire. Verum si aliquis audeat, vincit nempe istos, et tamen tanto invenitur errare deformius et contra recta Dei verba perversius, quanto sibi videtur sentire clementius.* cap. 24. circa med.: *Cum dictum fuerit a judice mortuorum et vivorum, discedite a me maledicti in ignem aeternum* etc. *nimiae praesumtionis est dicere, cuiquam eorum aeternum supplicium non futurum, quos Deus in supplicium ituros dicit aeternum, et per hujus praesumtionis persuasionem facere, ut de ipsa quoque vita* beatorum *vel desperetur vel dubitetur aeterna.* in enchir. cap. 112: *Multi cruciatus damnatorum humano affectu prosecuti sunt dura male molliendo et in leniorem sed*

falsam sententiam flectendo. At exterminandus est affectus, qui divinae repugnat veritati. Vincat affectum atque intellectum veritatis ac fidei vis. Prosper l. 3. de vita contempl. cap. 12: *Cruciatus, dolor et gemitus torquent animas damnatorum nec extorquent, puniunt corpora damnata nec finiunt. Quos ideo sibi deputatos ignis inexstinguibilis non exstinguit, ut permanente sentiendi vita poena permaneat et ad dolendum magis quam ad vivendum aeternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis viva-*
229. *cibus immortalitas secundae mortis occidat* etc. *Proinde omnes, qui in gehenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, ut maximis consumti doloribus aliquando deficiant, sed ut in illis poenaliter vivant.* Isidorus Clarius orat. 12. extraordinaria tom. 1: *Si mille annorum ultio intentaretur, deberent sane omnes exhorrescere. Nam qui in hac vita aliquot horarum spatio acerbius torquentur, miserrimi existimantur. At vero mille annis ignibus cruciandum quanto est acerbius, multo vero magis si decem aut centum millibus annorum haec poena esset duratura. Quod tamen spatium brevissimum videretur et tanquam momentum, si dictum prius esset, tot annorum millibus esse in igne commorandum, quot arenae minutula grana in hoc templo concluderentur. Rursus hoc etiam tantum spatium (quae enim secula arenam illam exhaurirent, si millesimo quoque anno duntaxat granulum unum auferretur?) pro nihilo putaretur, si in hanc poenam ea commutaretur, qua reverentur in ignem damnati tot annorum millibus in eo esse, quantus arenae numerus toto hoc, quod inter coelum et terram interjacet spatio, comprehendi posset. Et tamen contemplatione aeternitatis (heu horrendam rerum faciem!) hoc etiam tam paene infinitum tempus pro re gratissima optaretur et centies ac millies etiam repetitum, modo finis aliquis tandem inciperet apparere. Nam sine ullo unquam fine quempiam torquendum esse, hoc vero ultra omnes desperationis terminos fertur. Quid enim gravius quam semper velle, quod nunquam erit, et semper nolle, quod nunquam non erit? In aeternum peccator non assequetur, quod vult, et quod non vult, nihilominus in aeternum cogetur pati.* Cassiodorus in Psalm. 20: *Istam sententiam, ite in ignem aeternum, damnati consequentur, ut perpetua flamma devorentur. Nam jussionem Domini nulla mora subsequitur, sed mox ut discernit, impletum est. Iste tamen ignis sic absumit, ut servet; sic servat, ut cruciet, dabiturque miseris vita mortalis, ut mors servatrix.* lib. de anim. cap. 19: *Quae erit calamitas miseris in aeternum cruciari, nunquam deficere, ita enim perpetuae poenae tradentur, ut infauste semper exsistere comprobentur. Dolor sine fine, poena sine requie, afflictio sine spe, malum incommutabile. Sic enim varietas vitiosa punitur, ut ejus damnatio nullatenus immutetur.* Gregorius lib. 9. moral. cap. 39: *Supplicia inferni in se demersos et ultra vires cruciant, et in eis vitae subsidium exstinguendo servant, ut sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciatus vivat, qui et ad finem per tormenta properat et sine fine deficiens durat. Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia et mors vivit et finis semper incipit et defectus deficere nescit.* lib. 15. moral. cap. 11: *Damnatus non consumitur in morte, quia si consumeretur vita morientis, cum vita etiam poena finiretur; sed ut sine fine crucietur, vivere sine fine in poena compellitur, ut cujus vita hic mortua fuit in culpa, illic ejus mors vivat in poena. Cruciatur et non exstinguitur, moritur et vivit, deficit et subsistit, finitur semper et sine fine est. Haec solo auditu valde terribilia sunt, quanto magis passione.* in comm. 1. Reg. 2: *In inferno nulla inveniri poterunt consilia salutis.* Ambrosius Ansbertus lib. 6. in Apocal. cap. 14: *Fumus indicium dat futurarum flammarum, et quia quamvis sine nutrimento lignorum, corporeus tamen manet ignis reproborum, ideo fumum ejus sempiternum dicit esse, quia inquam sine fine reprobos ardere conspicit, idcirco fumum tormentorum in secula seculorum adscendere dicit, quae magis timore indigent quam expositione* etc. *Quos semel poena in tartarum pertrahit, misericordia ulterius ad veniam non reducit.* Idiota de innoc. perdit. cap. 6: XX. 230.
Damnatis nulla amplius erit via misericordiae, sed in igne aeterno ardebunt. Rabanus lib. 5. in Eccles. cap. 1: *Postquam homo sine poenitentiae remedio exierit et illic justo Dei judicio condemnatus fuerit, sine fine ardebit.* Theophylactus in comm. Matth. 25: *Sicut sancti incessabile habent gaudium, ita injusti indesinentem poenam, dicuntur enim ituri in supplicium aeternum, h. e. nunquam finiendum.* Bernhardus in lib. meditation. cap. 3. col. 1193: *Procul a beata paradisi patria exsulati cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi, sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde unquam liberandi. Ubi nec qui torquet, aliquando fatigatur; nec qui torquetur, aliquando moritur. Sic enim ignis ibi consumit, ut semper reservet; sic tormenta aguntur, ut semper renoventur. Ardebunt miseri in igne aeterno in aeternum et ultra, sic morientur, ut semper vivant; et sic vivent, ut semper moriantur.* serm. de convers. ad clericos cap. 5: *Peccati ipsius et carnis quodammodo similis videbitur esse conditio, ut quemadmodum culpa semper puniri poterit nec unquam poterit expiari; sic nec in corpore aliquando tormenta finiri nec corpus ipsum valeat in tormentis exinaniri. Merito quidem ultio sempiterna desaeviet, quod nunquam possit culpa deleri, et nec substantia carnis deficiet, nec simul cogetur etiam afflictio carnis terminari.* Hincmarus Remensis in epist. ad Hincmarum Lundunensem cap. 54: *Animam immortaliter morientem reatus involvet et indeficienter non deficientem carnem gehenna consumet.* Petrus Blesensis epist. 61: *Tota hominis miseri substantia devorabitur inexstinguibilibus flammis, nec erit suppliciorum modus vel intermissio sive finis. Nam finis ibi semper incipiet, mors non morietur, nec defectus deficiet, ut da-*

mnati hominis conditio semper doloris materiam et mortis aeternae pabulum recidivet.

Quaestiones de aeternitate infernalium poenarum. I. An conveniat divinae justitiae et misericordiae, peccata temporalia aeternis poenis affligi.

60. Quaeritur circa *aeternitatem* infernalium suppliciorum, *1. an conveniat divinae justitiae ac misericordiae, peccata temporalia aeternis poenis affligi?* Respondent pii veteres unanimi suffragio affirmate, rationibus ex Scriptura productis hujusmodi: 1) Peccatum committitur contra infinitum bonum, videlicet Deum, ergo etiam promeretur infinitam poenam, videlicet aeternam. Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 12. in princ.: *Poena aeterna ideo dura et injusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest ille sensus altissimae purissimaeque sapientiae, quo sentiri possit, quantum nefas in illa prima praevaricatione commissum sit.* Taulerus in homil.: *Cum damnati adversus bonum infinitum, quod Deus est, peccaverint, jure quoque divino malum poenae debetur eis infinitum.* Dionysius Carthusianus de quatuor novissimis art. 36: *Qui miratur, quod Deus naturaliter bonus et pius tam dire ac aeternaliter punit ac vindicat peccatum breve celeriter factum et finitum, diligenter consideret, quam summa et infinita et incomparabiliter magna et excellens sit dignitas et auctoritas, sapientia et justitia, beneficentia, bonitas atque dignatio Dei, sicque intelliget enormitatem peccati et sciet, quod Deus justissime perpetuam exercet ultionem pro culpis, imo quod etiam citra condignum puniat peccatores in inferno, hoc est minus quam meruerunt. Insuper sicut terribilitas ac districtio divini judicii tanto erunt majores, quo major est sapientia, justitia, auctoritas,*
XX. 281. *bonitas, liberalitas et misericordia Dei in vita praesente; sic utique tanto intensior ac intolerabilior est poena inferni et ultio Dei, quo dignior, excellentior, sapientior, justior, melior ac munificentior est Deus, quem offendunt iniqui.* 2) Per peccatum homo amittit aeternum et infinitum bonum, ideo etiam per illud incidit in malum aeternum. Per quodvis peccatum mortale contra conscientiam commissum amittitur Dei gratia, Spiritus sancti inhabitatio et vita aeterna, haec vero omnia sunt bona inaestimabilia et aeterna, ergo etiam homo per peccatum juste incidit in supplicia inaestimabilia et aeterna. *Christi meritum* est infiniti valoris ac pretii, illud sua incredulitate repudiarunt damnati, ideo ob infiniti boni amissionem aeternas et infinitas poenas merito sentiunt. Taulerus in homil.: *Cum damnati aeternam repudiaverint dulcedinem, juste ad aeternam devolvuntur amaritudinem.* 3) Homo semper peccavit in suo aeterno, justum igitur est, ut etiam semper puniatur in Dei aeterno. Gregorius libr. 34. moral. cap. 16. ac libr. 4. dialogor. cap. 44. ad quaestionem, *quomodo justum sit, ut culpa, quae cum fine perpetrata est, sine fine puniatur?* sic respondet: *Hoc recte diceretur, si districtus judex non corda hominum sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique, si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam valuerunt carere peccato.* Bernhardus epist. 253. ad Guarinum: *Ob hoc procul dubio inflexibilis et obstinatae mentis punitur aeternaliter malum, licet temporaliter perpetratum, quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate, ita ut si nunquam moreretur, nunquam vellet peccare desinere, imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset.* Taulerus in hom.: *Quia diabolo morem gesserunt in vitiis, ut eidem etiam in poenis subditi sint, aequissimum plane est; sic et quandoquidem semper, si potuissent, optassent vivere et persevare in peccatis in eaque voluntate mortui sunt, velint nolint, semper quoque in poenis durare cogentur.* 4) Hominis morientis voluntas confirmatur in eo statu, in quo moritur, sicut diaboli a Deo apostatantis voluntas statim fuit confirmata in illo malo. Albertus in comm. Matth. 7: *Cum aliquis in causa finalis impoenitentiae in peccato moritur, voluntas ejus in malo obstinatur et in aeternum propter hoc insusceptibilis efficitur, et ideo nunquam ab eo peccatum aliquod solvitur, et cum poena peccatorum insequatur, consequens est, ut in aeternum puniatur.* 5) Materia ignis infernalis peccati scilicet macula est aeterna, ideo quoque poenam oportet esse aeternam. Comp. theolog. veritat. lib. 7. cap. 21: *Ignis infernalis non erit purgatorius sed punitorius, ideo maculam peccati non absterget, sed aduret.* Debita peccatorum sunt aeterna, quia damnati illa non possunt persolvere, ergo etiam carcer et supplicia manent aeterna. Si in hac vita tempus solutioni constitutum praeterlapsum, fit postmodum debitum insolubile. Thomas 1. 2. q. 87. art. 5: *Aeternitas poenae respondet irremissibilitati culpae. At culpa damnatorum irremissibilis. Ergo etiam poena eorum est interminabilis.* 6) Nulla erit in damnatis vera et seria poenitentia, ergo nec in illis locum habebit peccatorum venia. Gregorius Nazianzenus orat. 15. quae est in plagam grandinis: *Quemadmodum qui Dei memor hic est, morte superior est; ita his, qui e vita excesserint, non est in inferno confessio nec morum correctio. Hic enim* XX. 2 *Deus vitam et actionem, illic rerum gestarum censuram conclusit.* Ephraemus serm. de extrem. judic. cap. 4: *Non est in inferno confessio, non gemitus, non lacrimae, quae judicis avertant sententiam. Non est dilatio ulla temporis ad agendam poenitentiam, non regressio post exitum ad vitam, sed omnia dura, aspera et amara.* Paulinus episcopus Nolanus de damnatis sic canit:

Nulla illis superest spes, quia nulla fides.

7) Error τοῦ λογιστικοῦ in damnatis in hac vita fuit infinitus, quia finitum bonum in judicando antetulerunt bono infinito; error τοῦ ἐπιθυμητικοῦ in appetendo ac θυμικοῦ in adhaerendo itidem infinitus fuit, quia maluerunt inordinato amore appetere bonum finitum quam infinitum, et adhaerere bono temporali desiderarunt quam aeterno. Juste ergo errorem

infinitum sequitur poena infinita. 8) Gaudia beatorum erunt aeterna, ergo etiam supplicia damnatorum oportet esse aeterna. Ratio connexionis est, quia Deus aeque justus est ac misericors. Sirac. 5, v. 6: *Sicut misericordia ejus erga pios est infinita et aeterna, sic etiam ira ejus erga impios est infinita et aeterna.* Gregorius lib. 4 dial. cap. 49: *Sicut finis non est gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum.* 9) Peccatum separat a vita aeterna, ergo etiam mortem adducit sempiternam. 10) Ne quidem in humanis delicti qualitas et atrocitas ex mora temporis, in quo commissum est, aestimatur. Augustinus lib. 21. de civitat. Dei cap. 11: *Quidam eorum, contra quos defendimus civitatem Dei, injustum putant, ut pro peccatis quamlibet magnis, parvo scilicet tempore perpetratis, poena quisque damnetur aeterna, quasi ullius id unquam justitia legis attendat, ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis, unde puniretur, admisit. Octo genera poenarum in legibus esse, scribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, mortem, servitutem. Quid horum est, quod in breve tempus pro cujusque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum, nisi forte talio?* etc. *Numquid tamdiu quisque judicandus est esse debere in vinculis, quamdiu fecit, unde meruit alligari, cum justissime annosas poenas servus in compedibus pendat, qui verbo aut ictu celerrime transeunte vel lacessivit dominum vel plagavit? Jam vero damnum, ignominia, exsilium et servitus, cum plerumque sic infligantur, ut nulla venia relaxentur, nonne pro hujus vitae modo similia poenis videntur esse aeternis? Ideo quippe aeterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, quae his plectitur, porrigitur in aeternum, et tamen peccata, quae vindicantur longissimi temporis poenis, brevissimo tempore perpetrantur, nec quisquam exstitit, qui censuerit, tam cito nocentium finienda esse tormenta, quam cito factum est vel homicidium, vel adulterium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis et impietatis magnitudine metiendum* etc. 11) Gregorius libr. 4. dial. cap. 44. etiam hanc addit causam, quod Dei benignitas erga electos ex aeternis damnatorum suppliciis magis commendabitur. *Iniqui*, inquit, *omnes aeterno supplicio deputati sua quidem iniquitate puniuntur, et tamen ad aliquid ardebunt, scilicet ut justi omnes et in Deo videant gaudia, quae percipiunt, et in illis respiciant supplicia, quae evaserunt, quatenus tanto magis in aeternum gratiae divinae debitores se esse cognoscant,*
18. *quanto in aeternum mala punire conspiciunt, quae ejus adjutorio vicerunt.* Quod ergo Augustinus in enarr. Psalm. 70. et ex eo Strabus in glossa ordinaria ejusd. Psalm. scribunt, *Deum plus exigere in poenis, quam commissum sit in culpis*, id intelligendum non de excessu poenae ad culpam *in intensione et gravitate supplicii, sed secundum temporis durationem*, quia pro delectatione momentanea infligitur poena aeterna, statutum namque est, *ut duratio poenae non proportionetur durationi culpae, sed ut intensio poenae respondeat enormitati culpae.* Thomas 4. sent. dist. 46. q. 2. art. 2.

61. *2. Quomodo damnatorum corpora in ignis infernalis flammis possint conservari, ne consumantur et in cinerem redigantur?* Respondemus: 1. fiet hoc per divinam potentiam, quae corpora illa simul *passibilia et immortalia* faciet; passibilia quidem, ut sentiant poenarum infernalium atrocitatem, immortalia vero, ut earundem experiantur aeternitatem. Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 5: *In multis quidem rebus incertum est, quid Deus velit, illud tamen certissimum est, nihil eorum illi esse impossibile, quaecunque voluerit, eique nos credere praedicenti, quem neque impotentem, neque mentientem possumus credere.* cap. 7. *Cur facere non possit Deus, ut et resurgant corpora mortuorum, et igne aeterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit mundum in coelo, in terra, in aëre, in aquis innumerabilibus miraculis plenum, cum sit omnibus, quibus plenus est, procul dubio majus et excellentius etiam ipse mundus miraculum?* 2. Ignis infernalis alterius naturae et qualitatis erit quam diaconicus; ut enim nunquam exstinguitur, sed semper ardet, ita quoque damnatorum corpora non exstinguet, sed cruciatibus aeternis reservabit. 3. Quomodo duae illae dispositiones *immortalitas et passibilitas* in damnatorum corporibus sese compatiantur, a posteriori declarat Guilelmus Alvernus partis primae de universo parte secunda cap. 30. hoc modo: *Perpetuitas poenarum in damnatis necessario asserenda, quoniam aliter non esset satisfactum justitiae creatoris, nisi qui hic fuere incorrigibiles, perpetuo torquerentur in vita futura. Perpetuitas autem poenarum non potest esse in subjecto mortali, praesertim in ea magnitudine et vehementia, qua futurae sunt, in quibus eas sustinere non possent ullo modorum corpora, quae non essent immortalitate firmata. Si vero passibilia non essent, nullae essent poenae corporales, nulli dolores* etc. *Constat autem, multos homines in medio ignium per bonitatem creatoris illaesos fuisse servatos et tam a laesione corporum suorum quam ab omni dolore, tam corporali quam spirituali, liberatos. Quia igitur non est majus creatori ab altero duorum salvare vel liberare quam ab ambobus simul, quae est admiratio aut incredulitas stultorum de hoc, quod salvatis corporibus in medio futurorum ignium et illaesis per omnia in ipsis per ignem hujusmodi animae sint torquendae! Facilius enim in se est, non dico quantum ad omnipotentiam creatoris, sola corpora sic servare quam animas et corpora simul. Quodsi quis dixerit, quia ignes illi infernales incomparabiliter fortiores sunt ignibus hujus seculi, verum utique dicit, sed ipsa corpora damnatorum erunt incomparabiliter fortiora ad sustinendum ignes hujusmodi, quam nostra sunt hic ad sustinendum ignem seculi praesentis, quanquam omnipotentiae creatoris non sit ullo modorum difficile praesentis fragilitatis et infirmitatis corpora ignibus illis futuris servare illaesa.* 4. Pii veteres aliquot

2. Quomodo corpora damnatorum in igne serventur?

XX. 234. similitudinibus illud ipsum declarant: 1) *A fulminibus* corpora tangentibus, non absumentibus. Minutius Felix in dial. qui inscribitur Octavius: *Illic sapiens ignis membra urit et reficit, carpit et nutrit; sicut ignes fulminum corpora tangunt nec absumunt.* 2) *A montibus ignivomis.* Tertullianus in apologet. cap. 48. pag. 80: *Ignis infernalis non absumit, quod exurit, sed dum erogat, reparat; adeo manent montes semper ardentes, et qui de coelo tangitur, salvus est, ut nullo jam igni decinerescat, et hoc erit testimonium ignis aeterni, hoc exemplum jugis judicii poenam nutrientis. Montes uruntur et durant, quid nocentes et Dei hostes?* l. de poenit. c. 12. p. 118: *Quid illum thesaurum ignis aeterni aestimamus, cum fumariola quaedam ejus tales flammarum ictus suscitent, ut proximae urbes aut iam nullae exstent, aut idem sibi de die sperent? Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus foetu, et quod nobis judicii perpetuitatem probat, cum dissiliant, cum devorentur, nunquam tamen finiuntur. Quis haec supplicia interim montium non judicii minantis exemplaria deputabit? quis scintillas tales non magni alicujus et inaestimabilis foci missilia quaedam et excitatoria jacula consentiet?* Minutius Felix d. l.: *Sicut ignes Aetnae et Vesuvii et ardentium ubique terrarum flagrant nec erogantur; ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.* Pacianus in paraenesi ad poenitentiam: *Vim ignis infernalis et de praesentibus aestimate, cujus fumariola quaedam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt. Aestuant indefessis flammarum globis Aetna et Lisaniculus et Vesuvius Campanus, et quo nobis judicii perpetuitatem probent, dissiliunt, devorantur, nec ullis tamen seculis finiuntur.* Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 4: *Quidam notissimi Siciliae montes, qui tanta diuturnitate temporis atque vetustate usque nunc et deinceps flammis aestuant atque integri perseverant, satis idonei testes sunt, non omne, quod ardet, absumi,* in quem locum Vives sic commentatur: *Montes multis in locis ardent, ut Aetna in Sicilia et in Hiera, quae olim Therasia prope Siciliam Vulcano sacra, in qua est collis nocturnas evomens flammas, tum etiam Theon ochema in Aethiopia, Vesuvius in Campania et Lycia Chimaera et trans Herculis columnas quaedam nocturnis incendiis conspicua, quaedam diurnis, alii ardentium faciem ostendunt, ut juxta Pygmaeos et prope Sybratas in Africa.* 3) *A fontibus sulfureis non deficientibus.* Pacianus d. l.: *Ipsi sibi materiam recrescentium corporum reparat ignis aeternus. Attendite, si non creditis, aquarum impetus, qui ignibus furit, supplicio nutriente reparabitur.* 4) *Ab animalibus in igne viventibus.* Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 2: *Sunt animalia profecto corruptibilia, quia mortalia, quae tamen in mediis ignibus vivunt, nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperitur, quarum fervorem impune nemo contrectat, illi autem non solum sine ulla sui laesione ibi sunt, sed extra esse non possunt* etc. *Si dicant, haec animalia nec semper vivere, et in illis fervoribus sine doloribus vivere, suae quippe naturae convenientibus vegetari, illis non cruciari elementis, respondetur, incredibilius esse vegetari, quam non cruciari talibus rebus. Mirabile est enim dolere in ignibus et tamen vivere, sed mirabilius vivere in ignibus nec dolere. Si autem hoc creditur, cur non et illud?* cap. 4. *Salamandra in ignibus vivit.* 5) *Ab anima in corporis doloribus et morbis superstite.* Chrysostomus epist. 5. ad Theodor. lapsum: *Si quis forte dubitat, quo pacto satis esse ac aeternum durare immortalis queat anima, confecta tanta vi poenarum, is cognoscat, quae hic fiunt, quomodo non raro multi ad morbum* XX. *non minus acrem quam diuturnum suffecerint, nec anima dissoluta est, sed corpus est constrictum ac depressum anima afflicti remanente in negotio non aliter, atque si corpori non foret indita. Quare postquam incorruptibile corpus insolubileque acceperit, nihil prohibet, in infinitum protendi supplicium.* Augustinus l. 21. de civ. Dei cap. 3: *Etsi quaerimus, utrum semper possit vivere, quod dolet, certum tamen est, vivere omne, quod dolet, doloremque omnem nisi in re vivente esse non posse. Necesse est ergo, ut vivat dolens, non est necesse, ut occidat dolor, quia nec corpora ista mortalia et utique moritura omnis dolor occidit. Ut autem dolor aliquis possit occidere, illa causa est, quoniam sic est anima connexa huic corpori, ut summis doloribus cedat atque discedat, quoniam et ipsa compago membrorum atque vitalium sic infirma est, ut eam vim, quae magnum vel summum dolorem facit, non queat sustinere. Tunc autem tali corpori anima et eo connectetur modo, ut illud vinculum sicut nulla temporis longitudine solvitur, ita nullo dolore rumpatur. Proinde etiam si caro nunc talis nulla est, quae sensum doloris perpeti possit mortemque non possit, erit tamen tunc talis caro, qualis nunc non est, sicut talis erit et mors, qualis nunc non est* etc. *Attendunt isti contradictores, nullam esse nunc carnem, quae dolorem pati possit mortemque non possit, et non attendunt, esse tamen aliquid tale, quod corpore majus sit. Ipse quippe animus, cujus praesentia corpus vivit et regitur, et dolorem pati potest, et mori non potest. Ecce inventa res est, quae cum sensum doloris habeat, immortalis est; hoc igitur erit tunc etiam in corporibus damnatorum, quod nunc esse scimus in animis omnium* etc. *Si ergo a dolore argumentum recte sumeretur ad mortem, ut ideo mors possit accidere, quia potuit accidere et dolor, magis ad animam pertineret mori, ad quam magis pertinet et dolere. Cum vero illa, quae magis dolere potest, non possit mori, quid momenti affert, cur illa corpora, quoniam futura sunt in doloribus, etiam moritura credamus?* Confer cap. 4. 5. 6. et 7. in quibus multa naturae miracula commemorat, quorum sufficiens ratio alia reddi non potest nisi voluntas omnipotens creatoris. *Habebit* (inquit cap. 4.) *tunc ista carnis substantia qualitatem ab illo inditam, qui tam miras et varias tot rebus indidit, quas videmus, ut eas, quia multae sunt, non*

miremur. Quis enim nisi Deus creator omnium indedit carni pavonis mortui, ne putresceret (*cum tamen computruerit caro Platonis*)? *Quis paleae dedit vel tam frigidam vim, ut obrutas nives servet, vel tam fervidam, ut poma immatura pmaturet? De ipso igne mira quis explicet, quo quaeque adusta nigrescunt, cum ipse sit lucidus, et paene omnia, quae ambit et lambit, colore pulcherrimo decolorat atque ex pruna fulgida carbonem teterrimum reddit?* etc. Similia miranda de carbonibus, calce viva, adamante et magnete ibidem recenset. cap. 5: *Agrigentinum Siciliae salem perhibent, cum fuerit admotus igni, velut in aqua fluescere, cum vero aquae, velut in igne crepitare; apud Garamantas quendam fontem tam frigidum diebus, ut non bibatur, tam fervidum noctibus, ut non tangatur; in Epiro alium fontem, in quo faces, ut in ceteris, exstinguuntur accensae, sed non, ut in ceteris, accenduntur exstinctae; asbeston Arcadiae lapidem propterea sic vocari, quod accensus semel jam non possit exstingui; lignum cujusdam ficus Aegyptiae non, ut ligna cetera, in aquis natare, sed mergi, et quod est mirabilius, cum in imo aliquamdiu fuerit, inde ad aquae superficiem rursus emergere, quando madefactum debuit humoris pondere praegravari; poma in terra Sodomorum*
236. *gigni quidem et ad maturitatis faciem pervenire, sed morsu pressuve tentata in fumum ac favillam corio fatiscente vanescere; pyriten lapidem Persicum tenentis manum, si vehementius prematur, adurere, propter quod ab igne nomen accepit; in eadem Persiae gigni etiam lapidem selenitem, cujus interiorem candorem cum luna crescere atque deficere; in Cappadocia etiam vento equas concipere, eosdemque foetus non amplius triennio vivere; Tilon Indiae insulam eo praeferri ceteris terris, quod omnis arbor, quae in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum.* (Auctores, ex quibus Augustinus haec adducit, nominat Ludovic. Vives in commentario.) Tandem concludit: *Quis eorum nobis crederet, si quemadmodum dicimus, futura hominum viva corpora, quae semper arsura atque dolitura, neque tamen aliquando moritura sint, ita diceremus, in futuro seculo futurum salem, quem faceret ignis velut in aqua fluescere eundemque faceret aqua velut in igne crepitare?* etc. *Per hoc cum in talibus operibus Dei deficiat ratio cordis et sermonis humani, sicut ista non ideo sunt, sic non ideo etiam illa non erunt, quoniam ratio de utrisque ab homine non potest reddi.*

ltithesis um, negant ernali- poena- s ae- alta- 1.

62. *Antithesis.* Aeternitatem infernalium poenarum negavit 1. *Origenes*, qui homil. 8. in Josuam sic commentatur: *Est in hoc etiam resurrectionis futurae mysterium, jam enim tunc ultra omnino non erit diabolus, quia jam non erit mors, de diabolo enim loquens apostolus ait, novissimus inimicus destruetur mors.* Et postea explicans illa verba: *Incendit Josua Hai et facta est urbs, quae non habitetur in aeternum. Vides, quia haec, quae consequuntur, magis ad mysterii quam historiae veritatem pertinent, non enim tam ille locus terrae inhabitabilis est in aeternum, quam locus daemonum inhabitabilis erit, tum cum jam nemo peccabit neque regnabit in aliquo peccatum, cum diabolus et angeli ejus igni tradentur aeterno, dicente Christo his, qui vicerunt, Venite benedicti, aliis autem, ite in ignem aeternum, donec omni animae, quibus ipse novit, remediis consulat, et omnis Israël salvus fiat.* l. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 6. de spiritibus impiis sic scribit: *Hi vero, qui de statu primae beatitudinis moti quidem sunt, non tamen irremediabiliter moti, sanctis beatisque ordinibus subjecti sunt ad regendum, quorum adjutorio usi et institutionibus ac disciplinis salutaribus reformati redire ac restitui ad statum beatitudinis possunt.* hom. 18. in Joh.: *Si qui blasphemiam dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, nec in futuro, non tamen si in futuro seculo non remittetur, ergo neque in futuris seculis non remittetur.* Tribuunt hunc errorem Origeni Theophilus Alexandrinus lib. 2. Epiphanius in epistola ad Johan. Hierosolymitanum, Athanasius lib. de communi deitatis essentia, Hieronymus in epist. ad Avitum, in comm. cap. 3. Jonae et in comment. epist. ad Ephes., Augustinus in libro de haeresib. cap. 43. (*Quis catholicus Christianus, vel doctus vel indoctus, non vehementer exhorreat, eam, quam dicit purgationem malorum, h. e. etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis et facinoribus finierunt, ipsum etiam diabolum atque angelos ejus, quamvis post longissima tempora, purgatos atque liberatos, regno Dei lucique restitui, et rursus post longissima tempora omnes, qui liberati sunt, ad haec mala denuo relabi et reverti, et has vices alternantes beatitudinum et miseriarum rationalis creaturae semper fuisse, semper fore?*) et lib. 21. de
civit. Dei cap. 17. (ubi inter cetera sic scribit: XX. 287.
Origenes etiam ipsum diabolum atque angelos ejus post graviora pro meritis et diuturniora supplicia ex illis cruciatibus eruendos atque sociandos sanctis angelis credidit. Sed illum et propter hoc et propter alia nonnulla et maxime propter alternantes sine cessatione beatitudines et miserias, et statutis seculorum intervallis ab istis ad illas atque ab illis ad istas itus ac reditus interminabiles non immerito reprobavit ecclesia.) Gregorius lib. 9. moral. cap. 45. et 46. lib. 34. cap. 12. et 13. Theodoretus de haeres. in cap. de Origenistis, Haymo in comm. cap. 24. Esa. etc. Sed multi existimant, Origenem potius contrarium statuisse, ac priores sententias ab iniquis ejus aemulis scriptis ipsius fuisse insertas, in multis enim locis aeternitatem poenarum infernalium diserte videtur adstruere. hom. 14. in Lev.: *Ubi quis accipit peccatum, habet illud secum ac permanet cum ipso, nec aliquo supplicio poenaque diluitur et transit, cum ipso est etiam post mortem, et quia temporalia hic non persolvit, ibi expendit aeterna supplicia* etc. *Ubi non est soluta vindicta, peccatum manet illis aeternis ignibus exigendum.* homil. 18. in Num.: *Si anima non habeat virtutes, non veniet caro neque anima ad hereditatem, sed solum ad judicium illius, qui potest animam et corpus perdere in gehenna.* in

exposit. Psalm. 37. hortatur peccatorem, *ut in hoc seculo se praeparet ad flagella, ne ignibus aeternis reservetur.* homil. 1. in Ezech. exponens illud, *restituetur Sodoma*, per Sodomam intelligens peccantem amantem culpat aliquos ex Hebraeis afferentes, *Sodomam aliquando restitui*, in explic. cap. 11. Rom.: *Istius qui de coelo cecidisse dicitur, nec in fine seculi ulla erit conversio* etc. Plura hujusmodi ex Origene collegerunt Jacobus Merlinus in apolog. pro Origene et Sixtus Senensis lib. 5. bibliothec. annot. 141. p. 377.

63. 2. Origenis errori, notante Erasmo in annotat. ad lib. 1. Orig. περὶ ἀρχῶν, videtur subscripsisse Ambrosius in expositione cap. 3. epist. ad Ephes. ubi inter reliqua sic scribit: *Tantum de hoc* (Paulo) *bene sensit Deus, ut non solum gentibus hunc magistrum daret, verum etiam ut per eum veritas Christi innotescat spiritibus in coelestibus, qui sunt principes et potestates* etc. *ut agnoscentes per ecclesiam, quae multifarie ad vitam attracta est, in Christo unius Dei manere mysterium, desinant ab errore. Id enim agitur, ut praedicatio ecclesiastica etiam his proficiat, et deserant assensum tyrannidis diaboli, qua se adversus unius Dei fidem impia praesumtione armavit* etc. *Dicitur his principibus, qui in errore sunt in coelestibus, sive ministris ejus in terris, ut auferant portas principis sui, h. e. diaboli, de mentibus suis, per quas multorum asserendorum error intravit* etc. Sed commentarios illos falso attribui Ambrosio multorum constans est sententia. 3. Eundem errorem Hieronymo tribuunt Ruffinus lib. 1. invectiv. in Hieron. et Stanislaus Pannonius Anabaptista, sed Hieronymus multis in locis contrarium asserit, utpote lib. 1. contra Pelagian. in epist. ad Pammach. de errorib. Joh. Hierosolym. in comm. Esa. 66. in comm. Matth. 25. apolog. 2. cont. Ruffin. etc. Quae vero Ruffinus ex commentariis Hieronymi in epist. ad Ephes. adducit, in quibus Origenico huic errori videtur favere, illa sunt dicta in *persona Origenis*, ut docet ipse Hieronymus de similib. errorib. in Apol. 1. cont. Ruffin. interim negari nequit, Hieronymum dubitanter scribere in comm. Esa. 24. circa fin.: *Sciendum, quod judicium Dei non possit scire humana fragilitas, nec de poenarum magnitu-*
XX. 238. *dine atque mensura ferre sententiam, quae Domini arbitrio derelicta est.* Caute etiam accipiendum et explicandum, quod in comm. Esa. 66. scribit: *Sicut diaboli et omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo: Non est Deus, credimus aeterna tormenta; sic peccatorum atque impiorum et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur et mixtam clementiae sententiam judicis.* Itemque l. 1. cont. Pelagian.: *Diabolum et satellites ejus omnesque impios dicimus perire perpetuo, Christianos vero, si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas.* 4. Quidam doctores *misericordes* dicti, contra quos disputat Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 17. *Nunc*, inquit, *cum misericordibus nostris agendum esse video et pacifice disputandum, qui vel omnibus illis hominibus, quos justissimus judex dignos gehennae supplicio judicabit, vel quibusdam eorum nolunt credere, poenam sempiternam futuram, sed post certi temporis metas pro cujusque peccati quantitate longiores sive breviores eos inde existimant liberandos.* Illorum opinio ab Origenica in eo discrepans fuit, quod non *diabolis*, sed *damnatis* duntaxat *hominibus* hanc spem liberationis fecerunt. Hi tamen ipsi in varia opinionum abierunt divortia, quidam enim *omnium omnino hominum* poenas post hanc vitam dicebant esse temporales et purgatorias, nequaquam vero aeternas; quidam id sentiebant solum *de omnibus Christianis*, sive haeretici essent, sive catholici; quidam id statuebant de illis solis et omnibus, qui aliquando fuissent catholici. Contra quos singulos disputat Augustinus dict. l. cap. 18. 19. 20. et 25. lib. de fid. et operib. cap. 14. 15. et 16. 5. *Anabaptistae* superiori seculo docere coeperunt, *omnes damnatos atque ipsos etiam diabolos tandem salvandos esse et poenis seu cruciatibus ipsorum, quos peccatis suis promeriti sunt, finem aliquando impositum iri*, Augustana confess. artic. 17. Bullingerus lib. 2. contra Anabapt. cap. 15. Vide dictum librum Stanislai Pannonii Anabaptistae pro stabiliendo Origenis errore scriptum sub titulo de divina philanthropia. Wigandus in lib. de Anabaptistis meminit cujusdam Johannis Denckii Anabaptistae, qui libro in publicum edito hunc errorem propugnarit. 6. *Libertinorum* quidam Dei misericordiam omnibus omnino hominibus, adeoque daemonibus post judicium pollicentur. Lindanus in Dubitantio. 7. *Photiniani* videntur statuere, impios vel non resuscitandos, vel post resurrectionem ac judicium statim in nihilum redigendos, quo de errore in tract. de morte plenius dictum. 8. *Pontificii* quorundam ex inferno liberationem asserere non verentur, qua ratione aeternitatem suppliciorum infernalium ex parte et indirecte negant. Damascenus in serm. de mortuis refert, *Theclam protomartyrem in terris adhuc viventem in precibus suis ab inferis eripuisse Falconillam foeminam, quae toto vitae tempore fuerat idolorum cultrix et a Christi religione aliena.* Profert etiam ex historia Palladii Macarium Magnum assidue pro mortuis deprecantem, cui anxie perquirenti, *an orationes suae defunctis prodessent*, cranium quoddam aridum hominis idololatrae, quod forte in via jacebat, divino jussu in vocem prorumpens responderit: *Quando, o Macari, pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti sentimus.* Addit etiam inter alia exempla Gregorii Romani pontificis factum, qui cum enixe Deum precaretur pro salute Trajani imperatoris ethnici, annis ante sua tempora paene quingentis defuncti, audivit vocem divinitus allatam dicentem: XX.
Preces tuas audivi et veniam Trajano do, tu vero deinceps pro impio hostiam mihi ne offeras. In revelationibus Brigittae (quas teste Possevino in apparatu sacro tom. 1. lit. S. Johannes de Turrecremata cardinalis aliique viri docti ante plures quam ducentos annos publica auctoritate diligenti examine

praemisso approbarunt ac evulgarunt) lib. 4. cap. 13. idem de Gregorio affirmatur: *Bonus Gregorius oratione sua etiam infidelem caesarem elevavit ad altiorem gradum.* Quamvis vero Melchior Canus lib. 11. locor. cap. 1. Dominicus a Soto 4. sent. dist. 45. q. 2. art. 2. Baronius in annalibus circa tempora Trajani, Blasius de Viega in comm. Apocal. cap. 6. comment. 3. sect. 3. Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 8. et Becanus in append. tract. de purgat. Calvinist. cap. 8. num. 14. pag. 138. fabulam illam de Trajano ex inferis per preces Gregorii liberato fide dignam esse recte negent, notandum tamen 1) quod nullus papa in hodiernum usque diem eam damnaverit aut librum Damasceni vel Brigittae, in quo ea confirmatur, in censum prohibitorum librorum retulerit; 2) quod Alphonsus Ciaconus monachus Dominicanus permissu et auctoritate papae apologiam pro historia Trajani ediderit, in qua adducit rationes et testes complures, utpote Petrum et Johannem Gregorii diaconos, ἀνώνυμον auctorem, qui scripsit vitam Gregorii, Damascenum, Johannem Diaconum, Thomam, Brigittam, Mechtildem etc. Eandem historiam defendit Andradius Payva; 3) quod Bellarminus d. l. titubanter incedat. *Si haec historia*, inquit, *defendi debet*, *oportet dicere*, *Trajanum non fuisse damnatum absolute ad inferos*, *sed solum punitum in inferno*, *secundum praesentia ejus demerita et suspensam sententiam propter praevisas Gregorii preces; et praeterea non immediate ex inferno ad coelum transiisse, sed prius corpori unitum et tunc baptizatum et poenitentiam in hac vita egisse;* 4) quod in eod. cap. Bellarminus asserat, *ex inferno animas redire et hominibus in terra viventibus apparere. Quod animae ex inferno apparverint* (inquit), *multis exemplis probat auctor librorum de proprietatibus apum*, *et idem apparet ex illa apparitione doctoris Parisiensis in vita S. Brunonis*, *qui post triduum a morte dixit se condemnatum.* Et postea: *Quod animae ex inferno damnatorum revocari possent ad vitam*, *videretur incredibile*, *nisi exstarent exempla, quae negari non possunt. Nam Gregorius lib. 1. dial. cap. 12. scribit, a S. Severo excitatum fuisse quendam virum pessimum, qui a daemonibus in infernum deducebatur; Egesippus scribit lib. 3. cap. 2. Petrum excitasse affinem quendam caesaris ethnicum a morte* etc. Eandem fabulam doctoris Parisiensis approbat Becanus d. l. 5) quod Pontificii omnes unanimi consensu statuant, in descensu Christi ad inferos limbum patrum, superius illud inferni conclave, fuisse penitus evacuatum, patriarcharum animabus in coelum adductis, et ex purgatorio, cujus ignem ejusdem naturae et speciei cum infernali igne statuunt, multa animarum millia per missas, eleemosynas, preces et suffragia viventium liberari.

64. Sed huic erroneae opinioni *praepostere et in perversum misericordium*, ut eos Augustinus appellat, opponenda sunt 1. *clarissima Scripturae dicta*, quae poenarum infernalium aeternitatem perspicue asserunt, quae superius sunt enumerata. 2. Contra ea si excipere velint, *nomen aeternitatis accipi pro tempore loginquo et diuturno, non autem pro aeternitate absoluta*, urgenda est antithesis, XX. 240. Matth. 25, v. 46: *Ibunt injusti in supplicium aeternum, pii vero in vitam aeternam.* Jam vero nemo dubitat, piorum gaudia fore absolute aeterna. Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 23: *Christus in uno eodemque loco*, *in una eademque sententia dixit, ibunt injusti in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam. Si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi. Par pari enim relata sunt, dicere autem in hoc uno eodemque sensu vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est.* 3. Si distinguere velint *inter ignem aeternum et mansionem in igne aeterno,* urgenda sunt dicta Scripturae, in quibus impii dicuntur cruciandi *in secula seculorum*, *quibus verbis nihil Scriptura divina significare consuevit, nisi quod finem non habet temporis*, ut recte docet Augustinus d. l. Quinimo quo sensu dicuntur pii ituri *in vitam aeternam*, eodem sensu dicuntur impii ituri *in supplicium aeternum*, ut docet oppositio. Jam vero pii eo sensu dicuntur ituri in vitam aeternam, quia in ea perpetuo sunt mansuri. Ergo etiam impii eo sensu dicuntur ituri in supplicium aeternum, quia in illo perpetuo sunt mansuri. Observari etiam potest illud, quod notanter dicitur, *ignis eorum non morietur*, ergo non solum diabolos, sed etiam damnatos ignis ille in aeternum cruciabit. 4. Opponendus huic errori unanimis veterum ecclesiae doctorum consensus. Augustinus d. l.: *Tot sancti et sacris veteribus ac novis literis eruditi mundationem et regni coelorum beatitudinem post qualiacunque et quantulacunque supplicia quibuscunque et quantiscunque angelis non inviderunt, sed potius viderunt, divinam vacuari vel infirmari non posse sententiam*, *quam se Dominus praenuntiavit in judicio prolaturum: Discedite* etc. Haymo in comm. Esa. 24: *Origenis sententiam de liberatione damnatorum nemo sanctorum patrum corroborat, sed omnes denegant, habentes illam sententiam Domini ante oculos: Ibunt impii in aeternum supplicium. Quidquid aeternum est, sine termino est.* 5. In synodo oecumenica quinta anno 552. celebrata, damnata est Origenica illa opinio, sic enim habet articulus IX. illius synodi: *Si quis dicit aut sentit, temporanea esse daemonum et impiorum hominum tormenta finemque ea tempore aliquo habitura, sive restitutionem daemonum aut impiorum hominum futuram, anathema sit. Anathema sit Origenes una cum ejus detestandis et exsecrandis dogmatibus et homine omni, qui haec sentit et asserit, aut aliqua ex parte quocunque prorsus tempore ea defendere audet.* Nicephorus lib. 17. histor. eccles. cap. 28. 6. Pontificiis quorundam impiorum ex inferno liberationem asserentibus illud considerandum proponimus, quod sacrae literae ne ipsius quidem Christi meritum eo extendant, ut si quis in finali impoenitentia decedat, praesertim hostis Christiani nominis et effusor Christiani sanguinis, qualis *Trajanus* ad finem usque

vitae mansit, rursus ex gehennae flammis eripiatur. Papa igitur plus praestitisset animam damnati ex inferno liberando, quam Christus unquam fecit, vel se facturum in verbo revelavit. Hieronymus in comment. cap. 3. Jonae opinioni isti Origenicae et Anabaptisticae sequentia opponit fundamenta: 1) quod nuspiam divina Scriptura illam doceat; 2) quod in evangelio dicatur *ignis aeternus et supplicium aeternum*, et apud Esaiam: *Vermis non morietur, ignis*
XX. 241. *non exstinguetur;* 3) quod haec sententia penitus evertat timorem Dei, dum facile homines labuntur ad vitia putantes, omnes improbos aliquando post poenas fore salvandos; 4) si post longum seculorum circuitum omnium rerum restitutio fiat, ut una dignitas sit animarum, *nulla distantia erit inter virginem et prostibulum, inter matrem Domini et inter victimas libidinum publicarum. Idem erit Gabriel et diabolus, apostoli et daemones, idem prophetae et pseudoprophetae, idem martyres et persecutores;* 5) si finis omnium similis est, finge infinitas aetates cruciatuum, praeteritum omne pro nihilo est, *quia non quaerimus, quod aliquando fuerimus, sed quod semper futuri sumus.*

Argumenta contra aeternitatem infernalium suppliciorum. 65. Argumentis utuntur potissimum ejusmodi: 1. *ex magnitudine divinae commiserationis.* Psalm. 77, v. 8: *Numquid in secula elongabit se Dominus et non addet, ut velit ultra?* v. 9. *Numquid defecit in secula misericordia ejus?* v. 10. *Numquid oblitus est misereri Deus et clausit in furore misericordias suas?* Psalm. 84, v. 19: *Ne obliviscaris in aeternum.* Respondet Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 24. *hoc pertinere ad vasa misericordiae et ad ipsos filios promissionis, quorum unus erat etiam ipse propheta, qui cum dixisset, numquid obliviscetur misereri Deus? continuo subjecit, haec est immutatio dextrae excelsi* etc. *Ira Dei est etiam ista vita mortalis, ubi homo vanitati similis factus est et dies ejus velut umbra praetereunt, in qua tamen ira non obliviscetur misereri Deus faciendo solem suum oriri super bonos et malos et pluendo super justos et injustos ac vasa irae mutando in melius.* Et postea: *Quibus placet istam sententiam usque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, ut manente in eis ira Dei, quae in aeterno est pronuntiata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas et faciat eos non tanta, quanta digni sunt, poenarum atrocitate cruciari, non ut eas poenas vel nunquam subeant, vel aliquando finiant, sed ut eas mitiores, quam merita sunt eorum, levioresque patiantur. Quod quidem non ideo confirmo, quia non resisto.* Nos simplicissime respondemus, objecta divinae misericordiae in futuro seculo non futuros esse damnatos sed beatos, quia Jac. 2, v. 13: *Judicium sine misericordia erit illi, qui non exercuerit misericordiam;* ac tempus misericordiae et poenitentiae non esse futurum sed hoc praesens seculum Esa. 49, v. 8. 2. Corinth. 6, v. 2. Hebr. 3, v. 13. etc. tunc enim *clausa erit janua* Matth. 25, v. 10. 2. *Ex veritate propheticae promissionis.* Esa. 24, v. 22: *Congregabuntur in congregatione unius fascis in puteum et claudentur ibi in carcere, et post multos dies visitabuntur.* Hoc loco pro stabilienda sua opinione Origenem fuisse usum, testis est Haymo in comment. illius cap. et ante illum Hieronymus ibid. Respondemus: Haymo statuit, ideo damnatos post multos annos dici *visitandos*, quia in resurrectione animae rursus cum corporibus unientur ac cum corporibus simul cruciabuntur, quam Haymonis expositionem sequitur Osiander in notis. Sed judicium extremum, de quo propheta ibi agit, sequetur resurrectionem. Lyranus dies multos *μετωνυμικῶς pro peccatis* accipit, quia *in diebus multis*, hoc est a principio mundi, fuere commissa, dicitur enim in Hebraeo מֵרֹב יָמִים, *a diebus multis.* Sed dies pro peccatis sumi, vix potest aliquo Scripturae exemplo demonstrari, ac praepositio מִן non solum *de*, sed etiam
post significat Genes. 4, v. 3. Oseae 6, v. 3. Sic XX. 2
Latini etiam dicunt, *a meridie, a mensa, a lectione.* Quidam existimant, *post multos dies visitari* esse idem quod semper visitari, quia Scriptura nominibus temporum describit aeternitatem per quandam *συγκατάβασιν*. *Consuetudo est Scripturae*, ait Ribera in cap. 1. Hoseae, *ut saepe differentiam aliquam temporis usurpet, quo permansionem quandam et durationem rei, quam narrat, in illa eadem differentia temporis significet.* Sic ergo per visitationem post multos dies intelligitur aeterna in supplicio permansio, ut sit sensus, quantacunque duratio post judicium intelligitur effluxisse, adhuc manebit eorum visitatio et supplicium. Illud certum est *tum ex aliis Scripturae dictis*, quae de impiorum damnatione agunt, *tum ex hujus ipsius loci circumstantiis*, agi hic non *de visitatione gratiae*, qua damnati sint ex inferno liberandi, vel poena eorum mitiganda, sed *de visitatione irae*, qua post multos dies, hoc est post multa seculorum millia, ad rediviva et renovata semper deposcentur supplicia. Qualis enim visitatio est, qua Deus in die judicii militiam coeli et reges impios visitabit, talis etiam erit ea, qua damnatos post multos annos visitabit, ut contextus propheticus manifeste ostendit. Jam vero illa est visitatio non gratiae sed irae. Ergo et haec talis erit, ac proinde locus hic propheticus tantum abest, ut perpetuitatem infernalium suppliciorum infringat, ut eandem magis stabiliat. Confer dicta Scripturae, in quibus nomen visitationis *de visitatione irae ac poenae* accipitur, Exod. 20, v. 5. cap. 32, v. 34. Levit. 18, v. 27. cap. 26, v. 16. etc. Hieronymus in comm.: *Non dixit aperte Scriptura divina, visitabuntur ab angelis, vel visitabuntur a Domino, sed absolute visitabuntur. Ex qua ambiguitate verbi et remedium potest intelligi et correptio, quod postquam justi praemia receperint, illi in poenis perpetuis visitentur.* 3. *Ex gradibus comparationis.* Luc. 12, v. 48: *Qui non cognoverit voluntatem Domini sui et fecerit digna plagis, vapulabit paucis.* Respondemus: Salvator noster poenarum infernalium secundum gradus diversitatem adstruit, nequaquam vero earundem aeternitatem evertit. Vapulabit paucis non *absolute*, sed

comparate respectu illius servi, qui cognita domini voluntate non praeparavit se, ut eam faceret, *qui multis*, hoc est pluribus, vapulabit. Vapulabit paucis, non tamen pauxillo tempore, sed in aeternum. Basilius in regul. brevioribus interrog. 267: *Illud paucis non finem sed diversitatem supplicii declarat. Usurpatum est autem etiam hoc a Domino ex usu quotidianae loquendi consuetudinis, quemadmodum etiam alia hujusmodi nonnulla, quandoquidem scimus, plerumque hujusmodi formam loquendi etiam in his solitam esse usurpari, qui ex uno aliquo morbo laborant, veluti cum dicimus in aliquo, qui tantummodo febricitat aut ex oculo dolet, admirantes, hic quot sustinuit dolores, aut quot pertulit cruciatus.* 4. *Ex amplitudine apostolicae oppositionis.* Rom. 11, v. 32: *Conclusit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereatur.* Respondet Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 24. circa fin. *illud non ideo dictum esse, quod Deus neminem sit damnaturus, sed superius apparere, unde sic dictum: Nam cum de Judaeis postea credituris apostolus loqueretur ad gentes, ad quas utique jam credentes conscribebat epistolas, subjecit: Conclusit Deus omnes* etc. *Quos omnes, nisi de quibus loquebatur tanquam dicens et vos et illos? Deus ergo et gentiles et Judaeos, quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui, omnes in infidelitate conclusit, ut de amaritudine infidelitatis suae poenitendo confusi ad dulcedinem misericordiae divinae credendo con-*
XX. 243. *verterentur* etc. Sed quia prius membrum est simpliciter universale, Deus enim non tantum *genera singulorum*, hoc est aliquos ex Judaeis et gentibus, sed etiam *singulos generum*, hoc est omnes omnino homines Judaeos et gentes, voce legis suae judicialiter sub peccatum conclusit Galat. 3, v. 22. ideo etiam posterius membrum rectius accipiatur universaliter, non quidem ratione *applicationis actualis*, quasi omnes tam infideles quam credentes divinae misericordiae fierent participes, sed *ratione gratiosae oblationis*, quia Deus in verbo evangelii omnibus hominibus suam gratiam et beneficia Filii sui offert. Ex eo autem inferri nequit, omnes damnatos tandem esse ex inferno liberandos, quia Dei gratia et Christi beneficia non in futuro sed in hoc duntaxat seculo hominibus offeruntur. 5. *Ex natura divinae comminationis. Scriptura multis confirmat exemplis, Deum supplicia absolute comminari et tamen eadem postea non inferre, ut patet exemplo Ninivitarum, unde intelligitur, quando Deus minatur supplicia, non significari, ea re vera esse inferenda, sed eos, quibus intentantur, dignos esse, quibus illa inferantur.* Respondet Augustinus dicto loco, Niniven juxta divinam praedictionem vere eversam fuisse. *Evertuntur*, inquit, *peccatores duobus modis, aut sicut Sodomitae, ut pro peccatis suis ipsi homines puniantur, aut sicut Ninivitae, ut ipsa hominum peccata poenitendo destruantur. Factum est ergo, quod dixit Dominus. Eversa est enim Ninive, quae mala erat, et bona aedificata est, quae non erat. Stantibus enim moenibus atque domibus eversa est civitas in perditis moribus.* Simplicius respondetur, comminationem poenarum in hac vita non esse *absolutam*, sed *conditionalem*, semper enim subintelligitur conditio poenitentiae, sed quia in futuro seculo poenitentiae tempus non amplius erit, ideo sine ulla conditione dicitur: *Ibunt damnati in supplicium aeternum.* 6. *Ex lege talionis. Quomodo verum erit illud Salvatoris Luc. 6, v. 38: In qua mensura mensi fueritis, in ea remetientur vobis, si temporale peccatum supplicio punitur aeterno?* Respondemus, ostensum fuit superius, proportionem poenae et culpae non in mora temporis sed in peccati qualitate ac turpitudine quaerendam. Augustinus dict. libr. cap. 11: *Non propter aequale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, hoc est ut qui mala fecerit, mala patiatur, eandem dictam fuisse mensuram, quamvis hoc in ea re proprie possit accipi, de qua Dominus cum hoc diceret, loquebatur, hoc est de judiciis et condemnationibus. Proinde qui judicat et condemnat injuste, si judicatur et condemnatur juste, in eadem mensura recipit, quamvis non hoc, quod dedit.* 7. *Ex efficacia intercessionis. Si sancti orabant pro inimicis et exaudiebantur in hoc mundo, multo magis ex caritate pro damnatis orabunt et exaudientur in die judicii.* Respondet Augustinus dict. lib. cap. 24. primo per instantiam. *Cur eadem perfectissima sanctitate et cuncta impetrare valentibus mundissimis et misericordissimis precibus etiam pro angelis non orabunt, quibus paratus est ignis aeternus, ut Deus sententiam suam mitiget et reflectat in melius eosque ab illo igne faciat alienos?* (Disputat enim contra illos, qui diabolorum supplicia concedebant fore aeterna, de damnatorum vero hominum suppliciis illud negabant.) Secundo per distinctionem praesentis et futuri seculi, illud enim est duntaxat tempus poenitentiae et conversionis, hoc vero retributionis. *Haec causa*, inquit, *qua fit, ut nunc ecclesia non oret pro malis angelis,* XX. 244.
quos suos esse novit inimicos, eadem ipsa causa est, qua fiet, ut in illo tunc judicio etiam pro hominibus aeterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est poenitentiae fructuosae. Qui autem usque ad mortem habebunt cor impoenitens, pro talium defunctorum spiritibus non orat ecclesia, quia jam in parte diaboli computantur etc. Breviter respondemus, voluntas electorum divinae voluntati erit exactissime conformis, pro damnatis ergo a facie Dei justo ejus judicio in aeternum abjectis non orabunt, sed propter judicia divina adversus ipsos edita exsultabunt. Ex his ad reliqua Scripturae dicta et argumenta facile responderi potest. Hieronymus in fine lib. 18. in Esaiam: *Qui volunt, supplicia aliquando finiri et, licet post multa tempora, tamen terminum habere tormenta, his utuntur testimoniis: Cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israël salvus fiet Roman. 2.* Et iterum: *Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur Galat. 5. et in alio loco sanctus loquitur:*

Iram Domini sustinebo, quoniam peccavi ei, donec justificet causam meam et auferat judicium meum et educat me in lucem Mich. 7. Et rursum: *Benedicam te Domine, quoniam iratus es mihi, avertisti faciem tuam a me, et misertus es mei Esa. 12. Dominus quoque loquitur ad peccatorem: Cum ira furoris mei venerit, rursum sanabo; et hoc est, quod in alio loco dicitur: Quam grandis multitudo bonitatis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te Psalm. 30.* Sed quilibet videt, haec dicta non ad futurum sed ad praesens seculum, nec ad damnatos sed ad poenitentes pertinere.

2. De qualitate poenarum infernalium. 66. Exposuimus hactenus *quantitatem poenarum infernalium* tum *discretam*, tum *continuam*, restat, ut earum etiam *qualitatem* utcunque declaremus. Quemadmodum discreta quantitas poenarum infernalium *varietatem et universalitatem* continua earundem *continuitatem ac aeternitatem;* sic qualitas poenarum istarum *acerbitatem et infructuositatem* complectitur. Acerbitas poenarum infernalium. *Acerbitatis* nomine intelligimus summum infernalium dolorum gradum. Neque enim variae et numero complures duntaxat erunt poenae, nec tantum universales in omnibus animae potentiis et corporis membris, nec solum continuae, non interruptae et aeternae, sed etiam acerrimae, acerbissimae et ad summum passionis gradum elevatae, ac ut verbo dicam, non solum *extensive* ratione aeternitatis, sed etiam *intensive* ratione graduum erunt summae. In hac vita non datur summus dolorum gradus, quia nemo sustinet dolorem talem ac tantum, quo nullus detur major, sed in futuro seculo damnati summos et exquisitissimos dolores sentient, quibus majores non dari nec cogitari possunt. Discipulus de tempore adducit dictum cujusdam ex veteribus: *Si omnes homines nati ab Adam usque ad hodiernum diem et amplius nascituri viverent usque ad novissimum diem, et omnia gramina, quae exorta unquam fuerunt, essent homines, ac si unam poenam, quam patitur anima pro uno peccato mortali in inferno, ex aequo partirentur, ita ut daretur unicuique homini pars illius poenae aequa; tunc particula quaevis illius poenae hominis unius major esset quam omnia tormenta, quae omnes sancti martyres et omnes raptores et omnes malefici unquam passi fuerunt.* Probatur autem haec poenarum infernalium
XX. 245. acerbitas 1. *ex earum in sacris literis descriptione.* Paratus enim diabolo et damnatis hominibus non qualiscunque ignis, sed *flamma ignis, caminus ignis, stagnum ignis, torrens sulfuris*, ut vidimus superius. 2. *Ex corporum conditione.* Corpora enim damnatorum ex morte suscitatorum ipsius Dei manu formata erunt exquisitissimo doloris sensu praedita, cum fine eo a Deo suscitentur ac formentur, ut sint acerbissimarum passionum subjectum. Origenes in Psalm. 6. apud Pamphilum in apologia: *Possibile est considerare ex his maxime doloribus, quos in hoc corpore positi sentimus, qui quamvis magni sint, brevis certe sunt temporis, pro eo quodsi paulo vehementiores exstiterint, continuo etiam vitae celerem inferunt finem. Denique multi, si res poposcerit, pro pietatis confessione in ipsis tormentis animam reddunt, alii vero in ipso jam coronae aditu positi denegant fidem, quam usque ad mortem proposuerant confiteri. Et hoc non utique diminutione propositi patiuntur, sed vi doloris nimia et insuperabili superati. Si ergo in hac praesenti vita tam intolerabiles sunt poenarum dolores, cum jam crassiori anima utitur indumento, quid putandum est, cum id spirituale effectum ex resurrectione recipiet et eo vehementius utique, quo subtilius sentiet vim doloris? Puto enim, quod quanta differentia est in praesenti seculo nudum verberari quam vestitum, ad persentiendum scilicet cruciatum, eo quod vehementius nudum corpus crucient verbera quam vestitum, tantam puto futuram differentiam doloris, cum corpus humanum crassitudinis hujus indumento deposito velut nudum corpus coeperit sentire tormenta.* (Quod corpora damnatorum dicuntur *spiritualia*, non est accipiendum sensu Origeniano, quasi nec carnem nec ossa sint habitura; nec sensu eo, quo beatorum corpora dicuntur spiritualia et *glorificata* 1. Cor. 15, v. 45. sed *sensu latiore*, ut opponitur corpori animali, quod cibi, potus, vestium etc. adminiculo indiget.) 3. *Ex poenarum continuatione.* Exiguus dolor, si absque ulla intermissione continuetur, perquam acerbus et molestus, ecquid ergo futurum putamus, quando in damnatorum poenis erit *multiplex varietas et cum varietate acerbitas et cum acerbitate interminabilitas?* 4. *Ex tormentorum accumulatione.* Quando poenae complures etiam leviores conjunguntur et accumulantur, tunc dolor inde nascitur acerbior; ecquid futurum putamus, quando gravissimae poenae *numero imcomprehensibiles, pondere inaestimabiles, tempore interminabiles* in damnatis aggregabuntur? Erit enim ibi *absentia omnis boni et praesentia omnis mali*, ac quaecunque mala esse possunt, nihil de his damnatis deerunt, de quibus melius lugendo interius quam loquendo exterius aliquid proferimus. Infructuositatis nomine intelligimus illud, quod poenae infernales nullam damnatis afferant utilitatem, quia tempus conversionis cum hac vita est finitum. Quando impii in hac vita divinitus puniuntur, tunc ejusmodi poenae sunt ipsis salutaria medicamenta, quibus venenum impietatis ac labes iniquitatis ab illis removetur; sed inferni poenae erunt ipsis prorsus ad conversionem infructuosae. Si enim damnatus flendo tantum de lacrymis emitteret, quantum est de aqua in mari, non sufficeret ad lavandam maculam unius peccati mortalis. Si ad conversionem valerent, finem haberent; sed quia finem ac terminum non habent, ideo ad conversionem valere minime possunt.

67. Delineavimus huc usque *formam inferni internam*, quam docendi causa constituimus in gravissimis illis poenis ac suppliciis horribilissimis, quae damnati in inferno sustinere coguntur; consequens est, *ut formam ejus externam sive figuram* aliquo modo depingamus. Scriptura per quandam ad nos *συγκατάβασιν* eam sic describit, quod sit 1. *carcer* XX. 246. 2. Forma inferni externa.

sive locus captivorum Matth. 5, v. 26. Luc. 12, v. 58. 1. Petr. 3, v. 19. *fovea*, ita enim Hebr. חֲפֵתָה quidam reddunt Esa. 30, v. 33. בּוֹר *cisterna*, in qua non est aqua, Zach. 9, v. 11. hoc est *horribilis fovea*, ut colligitur ex collatione Genes. 37, v. 24. בּוֹר שַׁחַת, *lacus vel puteus corruptionis* Psalm. 40, v. 3. 2. *cujus hiatus* sit amplus, vastus ac horrendus. Esa. 5, v. 14: *Infernus dilatavit* נַפְשָׁהּ, *animam suam*, *desiderium suum insatiabile et aperuit* פִּיהָ, *os suum*, *praeter morem*. Habac. 2, v. 5: *Dilatavit quasi infernus animam suam*. 3. *Vorago profunda* et incomprehensibilis. Esa. 30, v. 33. הֶעֱמִיק, *profundam fecit eam*, a rad. עָמֹק, *profundus*, metaph. *immensus*, *incomprehensibilis*, sicut profundum ab homine non attingitur. Unde etiam ἄβυσσος vocatur Luc. 8, v. 31. Apoc. 20, v. 1. etc. Utrumque, videlicet *hiatus et vorago* exprimuntur nomine χάσματος Luc. 16, v. 26. χάσμα, a χαίνω, *hiatum* proprie significat, quia vero in terrae hiatu quaedam *profunditas* sese aperit, inde etiam pro *voragine* usurpatur. Philo lib. de mundo: χάσματα γῆς ὁρῶ διηνοιγμένης ἐπὶ μήκιστον εὐρυνόμενα, ubi Budaeus: *Labes terrae vastas video in immensum discedere*. Idem Budaeus in Pand.: *Labes agri est*, *cum ager repente terrae motu aut quavis alia ratione subsidet in vastam voraginem*, *quae Graece dicitur* χάσμα, *hoc est hiatus terrae*. Augustinus epist. 99. ad Euod.: *Chasma hoc magnus quidam hiatus multum ea separans*, *inter quae non solum est*, *verum etiam firmatus est*. Confer tract. de morte §. 177. 4. *Latitudo immensa*. Esa. 30, v. 33: הִרְחִב, *dilatavit eam*, *latam et profundam fecit*, proinde etiam *capacitas vasta*, Proverb. 27, v. 20. cap. 30, v. 16. *infernus non saturatur*, tantum abest, ut hospites novos adventantes capere nequeat. 5. *In quo tenebrae et caligo* Matth. 22, v. 13. 2. Petr. 2, v. 4. et 17. Jud. v. 6. et 13. unde vocatur *terra tenebrarum et umbra mortis sive mortifera*. Job. 10, v. 22: *Terra obscuritatis sicut caligo umbrae mortis*, *et quod in ea splendidum est caligini simile*. Ut enim in profunda fovea est horrida caligo, ita quoque in inferno sunt exteriores tenebrae. 6. *Ignis sulfureus aeternus*, et varia poenarum instrumenta, ut ex dictis constare potest. Anshelmus lib. 1. de imag. mundi cap. 11: *Infernus est locus igne et sulfure horridus*, *inferius dilatatus*, *superius coangustatus*. Hugo Victorinus lib. 4. de anima cap. 13: *Infernus latus est sine mensura*, *profundus sine fundo*, *plenus ardore incomparabili*, *plenus foetore intolerabili*, *plenus dolore innumerabili*. Hildegardis lib. 1. vision. 2: *Infernus latitudinem vitiorum et profunditatem perditionum in se continet*, *os etiam velut os putei habet*, *ignem et fumum cum multo foetore emittens*, *ubi ardet ignis cum suffusione teterrima fumi et cum ebullione mortifero foetore emanat*. Quae de quatuor *conclavibus* ac domiciliis inferni in limbum patrum, limbum puerorum non baptizatorum, purgatorium et sedem damnatorum distincti a Pontificiis adduntur, ea in tractat. de orte §. 167. et seqq. excussimus.

68. Quaeritur hoc loco, 1. *An ignis infernalis sit corporeus*, *visibilis et materialis*, *an vero incorporeus*, *invisibilis et omnis materiae expers*? Prius multi affirmant, quorum sententia nititur praecipue his fundamentis: 1) *Ex canone theologico* de Scripturae interpretatione. In articulis fidei tamdiu insistendum literae, donec evidens aliqua necessitas ab ea nos deducat. Quare cum Scriptura poenas inferni describat per ignem ῥητῶς, et in sensu literali hoc accipiendum. Responderi potest, urgeri nos necessitate a litera discedendi, ut postea apparebit. 2) *Ex ignis hujus descriptione*. Tribuitur illi *flamma*, *sulfur*, *ligna*, utique ergo est ignis corporeus, materialis, proprie dictus. Quoties Scriptura loquitur de poena inferorum, fere semper mentionem facit *ignis*. At hoc non faceret, nisi loqueretur de igne corporeo et proprie dicto. Quorsum enim poenam damnatorum semper improprie et metaphorice, nunquam propriis verbis describeret? Responderi potest, *res futuri seculi describi verbis hujus seculi*, hic ergo agnoscendam esse metaphoram. 3) *Ex ignis ejus operatione*. Aduret hic ignis hominum corpora, ergo etiam erit corporeus, quia agentia ac patientia oportet ut communicent invicem in materia. Responderi potest, *ex eodem principio evinci posse*, *diabolos et animas damnatorum esse corporeas*. 4) *Ex veterum testificatione*. Tertullianus lib. de anima cap. 7. pag. 264: *Per quod punitur aut fovetur anima*, *hoc erit corpus* (quamvis ibidem Tertullianus a tramite veritatis longius abit, dum ipsam *animam corpoream* esse ex eo evincere satagit). Augustinus l. 21. de civ. Dei c. 10: *Gehenna illa*, *quod etiam stagnum ignis et sulfuris dictum est*, *corporeus ignis erit et cruciabit corpora damnatorum aut et hominum et daemonum*, *solida hominum*, *aërea daemonum*, *aut tantum hominum corpora cum spiritibus*, *daemones autem spiritus sine corporibus haerentes sumendo poenam*, *non impertiendo vitam corporalibus ignibus*. *Unus quippe utrisque ignis erit*, *sicut veritas dixit*. Gregorius lib. 4. dialogor. cap. 29: *Ignem gehennae corporeum esse non ambigo*, *in quo certum est corpora cruciari*. Ibidem: *Diabolus ejusque angeli cum sint incorporei*, *corporeo igne erunt cruciandi*, quae verba adducit Lombardus 4. sent. dist. 44. lit. F. et G. ex Juliano Toletanae ecclesiae episcopo haec adducit: *Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore*, *cur non post mortem etiam corporeo igne teneatur*? *Teneri autem per ignem spiritum dicimus*, *ut in tormento ignis videndo atque sentiendo patiatur*. Lombardum catervatim sequuntur Scholastici.

XX. 247. Quaestiones de poenis inferni. 1. An ignis infernalis futurus sit materialis.

69. Posterius quibusdam probabilius videtur ob sequentes rationes: 1) *Ab ignis hujus objecto*. Ignis corporeus non potest agere in spiritum, quia agens oportet esse potentius ac fortius patiente. At ignis infernalis agit in spiritus, videlicet in diabolos Matth. 25, v. 41. et animas hominum nondum corporibus redunitas Luc. 16, v. 24. Omne agens agit in objectum capax. Daemones et animae damnatorum non sunt objectum capax ignis corporei, sunt enim

res spirituales. Inter agens et patiens debet esse contactus. Sed inter spiritum et corpus nullus est contactus. Ergo etiam ignis corporeus non poterit agere in spiritum. Respondet Augustinus lib. 21. de civ. Dei cap. 10. *esse etiam daemonibus sua quaedam corpora ex isto aëre crasso atque humido,*
XX. 248. *cujus impulsus flante vento sentitur, quod genus elementi si nihil igne perpeti posset, non ureret fervefactus in balneis.* Sequitur hac in parte Platonicos et Tertullianum, qui corpora aërea daemonibus tribuebant, sed quia videt, hanc hypothesin non concedi ab omnibus, imo ipse eam improbat lib. 1. de anim. et ejus orig. cap. 5. lib. 2. cap. 5. lib. 4. cap. 12. et seqq. ideo aliam responsionem subjungit. *Cur non dicamus*, inquit, *quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhaerebunt ergo, si eis nulla sunt corpora spiritus daemonum, imo spiritus daemones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi, non ut ignes ipsi, quibus adhaerebunt, eorum junctura inspirentur et animalia fiant, quae constent spiritu et corpore, sed miris et ineffabilibus modis adhaerendo accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam, quia et iste alius modus, quo corporibus adhaerent spiritus et animalia fiunt, omnino mirus est nec comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est.* Haec Augustinus. Gregorius l. 4. dial. c. 29: *Teneri spiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis videndo atque sentiendo puniatur. Ignem namque ab eo ipso patitur, quod videt, et quia cremari se adspicit, crematur, sicque fit, ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur, quamvis colligere ex dictis evangelicis possimus, quod incendium anima non solum videndo sed etiam experiendo patiatur.* Hugo Victorinus q. 4. in 1. epist. ad Thessal.: *Fieri potest, ut res spirituales per ea puniantur, a quibus non continguntur, velut quis horrorem magnum ex aliquo viso vel imaginato contrahit, etsi ab illo non contingatur.* Quemadmodum a Deo ordine naturae ita videmus institutum, ut anima naturaliter corpori unita compatiatur corpori et corpore afflicto etiam ipsa doleat et recreato exhilaretur ac quamvis occiso corpore non occidatur, tamen corpori occiso condoleat et ratione corporis patiatur; ita per divinam potentiam fieri potest, ut spiritus maligni et animae separatae ab igne adjuncto patiantur, quemadmodum et animae ratione corporis adjuncti patiuntur. Proinde quamvis ignis corporeus non agat *in objectum spirituale* virtute physica, tamen potuit Deus igni infernali, a diaconico qualitatibus plurimum differente, hanc proprietatem indere, ut velut divinae justitiae instrumentum in daemones et animas hominum hyperphysice agat. Talis est cujusque rei natura et actio, qualem Deus creator omnipotens eam vult esse. Si corpora damnatorum uruntur, nec tamen consumuntur, quia Deus ea voluit esse talia; quomodo contra naturam esse dici potest, quod Dei fit voluntate, cum voluntas tanti conditoris conditae rei cujusque sit natura? Possunt ergo daemones et animae hominum esse objectum capax ignis corporei, non quidem sua natura nobis cognita, interim infinita Dei virtute et potentia nobis incomprehensibili. Ac licet in spiritum et corpus non sit *contactus corporeus et quantitativus*, tamen potest esse *contactus essentiae et virtutis*, cum inter animam et corpus humanum divina potentia potuerit invenire talem proportionem, ut tanquam materia et forma ad unum compositum arctissime uniantur. Ignis infernalis consideratur dupliciter 1. *ratione sui,* 2. *ratione agentis principalis*, cujus est instrumentum. XX. 249
Agit ergo in spiritum, quatenus est instrumentum divinae justitiae, quia quodvis instrumentum praeter vim sibi insitam aliam quandam adipiscitur ab agente principali. Sic calor naturalis praeter vim calefaciendi, quam habet a natura, ab anima, cujus est instrumentum, hanc vim consequitur, qua alimentum in substantiam ejus, quod alitur, convertat. Scholastici in tres opiniones abeunt circa activitatem corporei hujus ignis in res spirituales et incorporeas declarandam. Quidam statuunt, *daemones et animas rationales non aliter cruciari igne corporeo, quam quod contra suam voluntatem in eo detineantur tanquam in perpetuo carcere.* Thomas 4. sent. dist. 44. q. 3. art. 3. Abulensis in cap. 25. Matth. quaest. 506. Quidam existimant, *daemones et animas damnatorum apprehendere ignem infernalem tanquam sibi noxium, quanquam re vera noxius non sit, et ex illa falsa opinione nasci dolorem ac tristitiam, et in ea consistere poenam ignis infernalis*, Aegidius quodlib. 2. q. 9. Sed cum neutra opinio emphasi dictorum Scripturae de efficacia hujus ignis satisfaciat, ideo alii convenientius statuunt, *ignem corporeum per modum instrumenti divini producere daemonibus realem et spiritualem aliquam qualitatem, quae ipsorum naturae sit contraria ac disconveniens, et a qua tanquam ab objecto doloris ac tristitiae gravissime crucientur. Ut enim ignis naturaliter dicitur causare dolorem in corpore, quia alterat corpus, ex qua alteratione resultat quaedam qualitas disconveniens naturae sensitivae, quae est objectum doloris sensibilis; ita etiam supernaturaliter dicitur causare dolorem in angelo, quia producit quandam qualitatem spiritualem disconvenientem naturae angelicae, quae est objectum doloris spiritualis.* Haec responsio propius accedit ad dicta Scripturae, quae animas non per detentionem vel imaginationem tantum, sed per ustionem ab hoc igne cruciari asserunt, unde etiam improbatur illud, quod Abulensis ac Thomas disputant, *ignem infernalem corpora damnatorum urere per species non materiales, sed duntaxat intentionales.* 2) *Ab ignis hujus adjuncto.* Ignis corporeus physicus ac materialis non potest suscipere proprietatem supernaturalem, videlicet aeternitatem. Respondent, *idem de corporibus*

damnatorum objici posse, quod non perdurent in aeternum. Ut ergo corpora in igne torquenda divina virtute in aeternum conservantur, ita quoque ignis divinae justitiae vindicatricis instrumentum eadem virtute perseverat. Si quis excipere velit, *corpus humanum esse hujus conditionis capax non per se, sed per animam et in persona, aliam vero esse rationem ignis;* responderi potest, divinam virtutem supplere, quod naturali ignis proprietati videtur deesse. 3) *Ex absurdo.* Si ignis nomen accipiendum proprie, consequens fuerit, etiam alia praedicata, quae inferno tribuuntur, esse proprie accipienda. Infernus igitur proprie erit *vallis* circa Hierosolymam, quia vocatur tophet, materia ejus proprie dicta *ligna* erunt, flatus Jehovae proprie erit *torrens sulfuris*, vermes, qui non moriuntur, erunt proprie dicti *vermes.* Si ignis infernalis est corporeus, posset etiam aqua refrigerium damnatis praestare ac ignis illius ardorem exstinguere. Atqui *postquam semel ignis infernalis accensus est, non exstinguitur, si totum mare influeret,* ut Anshelmus in elucidario recte loquitur. Respondent, *esse disparem rationem, per ignem enim fere ubique in Scripturis poenas infernales describi, quodsi etiam ignis nomen metaphorice acciperetur, nuspiam Scriptura proprie et perspicue de poenis infernalibus loquere-*
250. *tur.* 4) *Ex comparato. Talis fuit illa flamma,* quae divitis animam Luc. 16, v. 24. cruciavit, *quales oculi, quos levavit et Lazarum vidit; qualis lingua, cui humorem exiguum desideravit infundi; qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulavit, ubi tamen erant sine corporibus animae* Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 10. Respondent, *Augustinum dubitasse, an flamma illa, qua anima epulonis cruciabatur, corporea fuerit nec ne, interim nihil dubitasse, ignem illum, quo corpora damnatorum post resurrectionem crucianda sunt, fore corporeum, ut constat ex sequentibus.* Nicolaus Trivetius in scholiis illius loci respondet, *Augustinum non protulisse illa verba, ut assereret, ignem inferni non esse corporeum, sed ut ostenderet, assertionem suam de igne corporeo non posse confirmari exemplo divitis in flamma ardentis* etc. 5) *Ex opposito.* In paradiso est lux spiritualis et analogica. Ergo etiam in inferno talis ignis. *Discubitus cum patriarchis* et reliqua regni coelestis gaudia non sunt corporalia, quare etiam tartarearum poenarum non sunt corporea instrumenta. Respondent, *esse disparem rationem. Lux coelestis civitatis non erit corporea ac materialis, quia Deus ipse erit ejus lux* Apoc. 21, v. 23. *sed in inferno Deus non supplebit alicujus rei defectum.* 6) *Ex canone theologico.* Scriptura de verbis futuri seculi loquitur verbis hujus seculi et per corporalia describit spiritualia, quia nos non possumus spiritualia capere nisi adumbrata imagine corporalium. Sic piorum animae dicuntur *ab angelis portari in sinum Abrahae* Luc. 16, v. 22. beati dicuntur cum Abrahamo, Isaac et Jacobo *accubituri in regno coelorum* Matth. 8, v. 11. *transferendi in paradisum* Luc. 23, v. 43. *manducaturi de arbore vitae, quae est in medio paradisi* Apoc. 2, v. 7. ubi tamen nemo de sinu corporeo, accubitu carnali, paradiso terrestri et arbore vitae materiali cogitat. 7) *Ex patrum calculo.* Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 14. ait, *ignem esse non flammarum corporalium, sed quem generat moestitia delictorum.* Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum lapsum: *Cum ignem audis, ne arbitreris, esse similem huic igni.* homil. 44. in Matth. cap. 12: *In fluvio ignis infernalis ignei fluctus montium instar eriguntur; ignei dico non hujus ignis, sed ignis certe multo quam hic horribilioris* etc. *Quodsi sensibilis iste ac materialis eos, qui extra fornacem erant, absorpsit, quid ille ignis faciet iis, qui in eum inciderint?* Augustinus lib. 12. de Genesi ad literam cap. 22. de paradiso disputans ait, *loca, quibus animae corporibus exutae afficiuntur seu bene seu male, non esse corporalia sed spiritualia, quae una cum variis rerum corporalium similitudinibus tam laetis quam tristibus animis defunctorum repraesentantur, non secus atque his, quibus aut in somno constitutis aut a sensibus subtractis modo graves terrores et cruciatus, modo laetae res exhibentur.* (Hunc Augustini locum Thomas 4. sent. dist. 44. sic expendit: *Dictum Augustini potest hoc modo accipi, ut pro tanto dicatur locus ille, ad quem animae deferuntur, non esse corporeus, quia anima in eo corporaliter non existit, per modum scilicet, quo corpora exsistunt in loco, sed alio modo spirituali, sicut angeli in loco sunt;* sed huic explicationi non multum fidens subjungit: *Vel dicendum, quod Augustinus loquitur opinando et non determinando, sicut frequenter facit in illis libris.*) lib. de cognit. verae vitae cap. 40. *locum inferni* nominat *incorporeum, substantia spiritualem,* XX. 251.
corpori similem, cujus poena sit tanto intolerabilior, quanto spiritus corpore subtilior. l. 12. de Genesi ad literam c. 32: *Est ergo prorsus inferorum substantia, sed eam spiritualem esse arbitror.* Gregorius lib. 15. moralium cap. 14: *Ignis corporeus, ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis, qui cum necesse est, ut servetur, per congesta ligna procul dubio nutritur, nec valet nisi succensus esse et nisi refotus subsistere. At contra gehennae ignis, cum incorporeus et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur, sed creatus semel durat inexstinguibilis et succensione non indiget et ardore non caret.* Confer Bedam lib. 1. in Lucam cap. 3. Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 28: *παραδοθήσεται ὁ διάβολος καὶ οἱ δαίμονες αὐτοῦ καὶ ὁ ἄνθρωπος αὐτοῦ, ἤγουν ὁ Ἀντίχριστος καὶ οἱ ἀσεβεῖς καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, οὐχ ὑλικὸν, οἷον τὸ παρ' ἡμῖν, ἀλλ' οἷον εἰδείη ὁ θεὸς.* Priorem opinionem Pontificii plerique omnes sectantur, Sixtus Senensis l. 5. biblioth. annot. 141. Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 11. Becanus in append. tractat. de purgat. Calvin. cap. 8. quaest. 4. Barradius lib. 10. comment. in conc. evang. cap. 4. pag. 617. Maldonatus Luc. 16. Lorichius in thesaur. theol. nov. in voce Infernus num. 4. Thyraeus de gloriosa Christi apparit.

cap. 26. num. 52. et quidam ex Calvinianis Keckermannus in system. theol. cap. 7. pag. 278. Zanchius in 2. Thess. 1. tom. 6. oper. fol. 458. Alstedius in theol. polemica part. 4. controv. 11. pag. 376. Posteriorem late probant Rainoldus de libr. canon. et apocryph. tom. 1. praelect. 51. pag. 530. et seqq. Tilenus part. 2. disput. 68. th. 41. et seqq. Junius in notis ad controv. 5. Bellarminus lib. 2. de purgat. cap. 15. num. 4. Nos 1. dicimus cum Augustino lib. 20. de civit. Dei cap. 16: *Cujusmodi sit ignis infernalis, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit.* Idem lib. 8. de Genes. ad literam. c. 5. disputans, *an animae corpore exutae locis corporaliter visibilibus contineantur*, subjungit, *si quis id affirmat, non defuturos esse, qui sic faveant, ut illum etiam divitem sitientem in loco utique corporali fuisse contendant, ipsamque animam omnino esse corpoream propter arentem linguam et stillam aquae de Lazari digito concupitam pronuntiare non dubitent, cum quibus.* inquit, *ego de tam magna quaestione nulla temeritate confligo. Melius est enim dubitare de occultis quam litigare de incertis. Illum quippe divitem in ardore poenarum et illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse non dubito, sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferna, ille sinus Abrahae, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse a mansuete quaerentibus, a contentiose autem certantibus nullo modo invenitur.* In Psalm. 86: *Quod dicimus, fratres, de inferno, si non vobis tanquam certus exposuero, ne succenseatis, homo enim sum, et quantum conceditur de Scripturis sanctis, tantum audeo dicere, nihil ex me. Infernum nec ego expertus sum adhuc, nec vos.* 2. Interim certo statuimus, damnatos non solum in animabus sed etiam in corporibus fore torquendos, ut postea demonstrabitur: ex eo vero non potest certo et apodictice concludi, instrumenta poenarum infernalium fore corporalia, quia etiam spiritualia corpus propter essentialem ejusdem cum anima *συνάφειαν καὶ συμπάθειαν* cruciare possunt. 3. Certum etiam illud, ignem infernalem proprietatibus differre ab igne elementari et diaconico, ut superius demonstravimus. 4. Nec ambigimus, divina potentia fieri posse, ut ignis corporeus cruciet diabolos et animas incorporeas. Sed an ignis ille re vera corporeus, materialis ac visibilis futurus sit,
XI. 252. an vero incorporeus, invisibilis ac immaterialis, in medio relinquimus (quamvis in partem posteriorem magis propendeamus) ac Deum serio precamur, ne per experientiae notitiam illud nobis manifestet. Praestat, omni studio per veram et seriam conversionem de fugiendo igne infernali solicitum esse quam de natura illius ignis odiose et otiose digladiari. In libro apocrypho hac de re habetur sententia vel canone digna, lib. 4. Esdrae cap. 9, v. 13: *Noli curiosus esse, quomodo impii cruciabuntur.*

Quaestio 2. An in inferno sint vermes corporei?

70. Quaeritur 2. *An in inferno sint vermes corporei, qui non solum animas sed etiam corpora damnatorum erodant?* Affirmare videntur quidam ex veteribus: Basilius in Psalm. 34: *σκωλήκων γένος ἰοβόλον καὶ σαρκοφάγον, ἀπλήστως ἐσθίον καὶ μηδέποτε χορεννύμενον, ἀφορήτους ὀδύνας ἐμποιοῦν τῇ καταβρώσει, vermium genus venenum immittens ac carnem vorans, inexplebiliter edens neque unquam saturitatem sentiens, intolerabiles dolores ipsa corrosione infigens.* Cyrillus Alexandrinus in orat de exitu animae vocat *foedum et olentem vermem.* Augustinus lib. 21. de civ. Dei cap. 9: *Eligat quisque, quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, aut utrumque proprie corpori.* Idem vel quicunque alius auctor in lib. de triplici habitaculo: *In inferno est ferocitas bestiarum, dilaceratio immortalium vermium.* Haymo in cap. 66. Esa. in medio relinquit. Anshelmus in elucidario: *Tertia poena in inferno est vermes immortales, hoc est serpentes et dracones visu et sibilo horribiles, qui ut pisces in aqua, ita vivunt in flamma.* Innocentius lib. 3. de contemtu mundi sive de miseria human. condition. c. 2: *Vermis et ignis uterque duplex, interior et exterior. Interior, qui rodit et urit cor; exterior, qui rodit et urit corpus.* Hugo Victorinus lib. 4. de anim. cap. 13: *In inferno omnes comburuntur et vermibus corroduntur, nec consumuntur, quia vermis eorum non moritur, ignis non exstinguitur.* Ex Pontificiis idem statuit Serarius in cap. 16. Judith. q. 6. Probabile id esse judicant Sanctius in comm. Esa. 66. Barradius lib. 10. com. evang. cap. 5. p. 621. Thyraeus lib. de glor. Christi apparit. cap. 26. n. 67. (ubi etiam disputat, *etiam sulfur ac picem veram in inferno fore, tum quia necessaria sit aliqua materia, in qua ignis infernalis accendatur, tum ne odoratui damnatorum sua desint tormenta.* Contrarium statuunt illi, qui hunc *vermem* metaphorice accipiunt *de morsu conscientiae*, quorum verba et rationes adduximus superius §. 51. Thomas in addit. q. 97. art. 2. negat, vermes illos proprie accipiendos, et ex professo opinionem illam impugnat. Nostra quae sit sententia, ex antecedentis quaestionis decisione facile apparet, iisdem enim argumentis probari et confutari haec ipsa quaestio potest. Urgent peculiariter duo Scripturae loca. Judith. 16, v. 21: *Dabit ignem et vermes in carnes eorum.* Sirach. 7, v. 19: *Vindicta carnis impii [illegible]nis et vermis.* Responderi potest, 1) utrumque libr[illegible] esse apocryphum; 2) in loco posteriore non ado[illegible] nomen *carnis* in Graeco textu. 3) Augustinus lib. 21. de civ. Dei cap. 9. sic exponit verba Siracidis: *Vindicta carnis impii, hoc est carnalis vitae, ignis corpori et vermis animo.* Thomas d. l. putat, *carnis nomine intelligendas impiorum animas, eo quod carni obtemperaverint, vel dici vermem conscientiae dari in carnes et esse vindictam carnis, quia licet animi sit vermis, tamen carnem etiam torquet, eo quod passiones animae redundant in corpus.* 4) Est qui sic exponit: XI. 251
Vindicta carnis impii ignis et vermis, ignis in tartaro et vermis sive vermes, singulari pro plurali juxta idiotismum Hebraicum posito, in sepulcro, Sirac. 10, v. 13: *Cum homo moritur, hereditabit serpentes, bestias et vermes.* Ex peccato enim

mors temporalis, quam sequitur putrefactio in sepulcro et aeterna mors sive damnatio in inferno.

stio rae- nem nem alia alia llc'a, rno da?

71. Quaeritur 3. *An praeter ignem et vermem etiam alia corporalia supplicia vere et proprie sic dicta in inferno statuenda?* 1) Bonaventura 4. sent. dist. 41. art. 2. q. 2. disputat, *in inferno non solum esse ignem punientem, sed quatuor elementa, quibus animae et corpora puniantur. Quod ibi sit ignis*, inquit, *patet ex Matth. 25: Ite maledicti in ignem aeternum. Quod ibi sit aër, videtur per illud Psalmi: Ignis et spiritus procellarum. Si ergo spiritus procellarum vere habeat naturam aëris, sicut ibi vere est ignis, ita et aër. Quod sit ibi aqua, videtur per illud Job. 24: Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium. Ergo si vere erunt in calore ignis, non secundum tropum, vere erunt in frigore aquarum. Item quod terra sit ibi, videtur per illud Job. 10. terra miseriae et tenebrarum, et hoc patet, quia locus est sub terra.* Eadem est sententia Abulensis in cap. 25. Matth. q. 554. 2) Verum *frigus* esse in inferno, statuit Beda in comm. Job. 10. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium. Quasi duas*, inquit, *gehennas Job dicere mihi videtur, ignis et frigoris, per quas diabolus, haereticus et homo impius commutetur. Forte in ipsa gehenna talis sensuum cruciatus fiet illis, qui in ea torquebuntur, ut nunc quasi ignem ardentium sentiant, nunc nimium algoris incendium, et poenalis commutatio nunc frigus sentientibus, nunc calor sit, ut quasi de loco ad locum transitus aestimetur. Et fortassis inde Dominus ait Matth. 22: Erit ibi fletus et stridor dentium, ut hic stridor dentium de rigore frigoris oriatur.* Eadem videtur sententia Hieronymi in comm. cap. 10. Matth. auctoris lib. de tripl. habitac. qui exstat tom. 9. oper. August. cap. 2. Haymonis in comm. cap. 8. Matth. Anshelmi in elucidario, Innocentii lib. 3. de contemt. mundi cap. 8. Hugonis Victorini lib. 4. de anim. cap. 13. et aliorum, quorum vestigiis insistunt plerique Pontificii statuentes, *in inferno esse latissimum frigidissimarum aquarum receptaculum instar maris, in quod ex igne transeant damnati a daemonibus rapti et post ardorem patiantur frigus, ex quo stridor dentium oriatur.* Sed dictum Jobi ex Hebraeo textu non est recte redditum, ut ostendimus superius, de stridore dentium postea dicetur, Abulensis in Matth. cap. 25. q. 558. ac Dominicus a Soto 4. dist. 50. q. unic. art. 4. negant, frigus vel nivium aquas apud inferos esse. 3) Verum *stridorem dentium* in inferno esse statuunt, qui verum frigus illi attribuunt, sed quidam ex veteribus rectius metaphorice exponunt de livore ac furore damnatorum, ut vidimus superius. 4) *Fletum* exponunt de gemitibus continuis. Hugo Victorinus d. l.: *Nulla in inferno vox nisi vae, vae sonat.* Thomas in addit. q. 97. art. 3: *Fletus potest esse in damnatis secundum quandam capitis et oculorum commotionem et turbationem, sed lacrymarum resolutio et fluxus in illis esse nequit. Edent magnos gemitus atque ea faciunt, quae flentes facere consueverunt, quamvis nullas lacrymas fundant* Atqui si in voce *fletus* metaphoram agnoscunt, cur eam in aliis tantopere refugiunt et literae simpliciter insistunt? 5) *Fumum* verum, non metaphoricum ex XX. 254.
materia aeterni sulfuris natum in inferno statuit Bonaventura 4. sent. dist. 50. art. 2. quaest. 1. et alii complures, sed illis contradicunt Sotus dicto loco et Ribera in Apocal. cap. 14. 6) *Foetorem sulfureum* proprie sic dictum plerique omnes hic agnoscunt, quin et addunt, ex corporibus damnatorum tetrum odorem emittendum per species intentionales, quemadmodum ex beatorum corporibus suavis odor exhalat. 7) *Fame ac siti* proprie dicta damnatos torquendos esse, plurimorum est opinio. Sed videtur simplicissimum ob argumenta superius exposita haec omnia metaphorice ac parabolice accipere de summis et ineffabilibus damnatorum cruciatibus, qui depinguntur per ea, quae homini in hac vita obtingere possunt longe acerbissima ac molestissima.

72. Quaeritur 4. *An damnati retineant fidem et spem, quam in hac vita habuerunt?* Quidam ex Scholasticis, ut Alensis part. 3. q. 64. art. 7. Durandus 3. sent. dist. 23. q. 9. et alii affirmant, 1) quia de diabolis etiam dicitur, *quod credant, sed contremiscant* Jac. 2, v. 19. idem ergo multo magis locum habebit in damnatis; 2) fides non amittitur nisi per contrarium actum infidelitatis, at multi sunt in inferno, qui non habuerunt actum infidelitatis; 3) damnati certo sciunt, se in aeternum mansuros in poenis infernalibus. Hoc autem non aliunde sciunt quam ex Scriptura, in qua id revelatum est. Ergo sciunt per actum fidei in illa revelatione fundatum. Thomas 2. 2. q. 5. art. 2. ad 2. et alii contrarium statuunt, 1) quia damnati propter sua peccata indigni sunt omnibus donis supernaturalibus, atqui fides est donum Dei supernaturale; 2) frustra retinerent fidem, quia sunt exclusi a summa beatitudine, ad quam fides, spes et alia ejusmodi dona ordinantur. Becanus in append. tract. de purgat. cap. 8. utitur hac distinctione: *In fide tria spectari possunt: objectum, quod credimus; actus, quo credimus; auctoritas Dei revelantis, propter quam credimus. In objecto possunt damnati nobiscum convenire; in actu discrepant, nam assensus fidei, quo nos credimus fidei mysteria, est supernaturalis, voluntarius et honestus, at in damnatis est naturalis, coactus et pravis circumstantiis vitiatus; nos credimus propter auctoritatem revelantis ac per piam voluntatis affectionem movemus intellectum ad fidei assensum, damnati non vellent credere, nisi illorum intellectus evidentibus signis et miraculis convinceretur, ut dissentire non possit. Actum spei* dicit *esse vel naturalem, vel supernaturalem. Si supernaturalis, certum est, non posse esse in damnatis, destituuntur enim actu fidei supernaturali, quem spes praesupponit, ac certo sciunt, se perpetuo cruciandos, non ergo possunt sperare beatitudinem.* Respondemus: 1) fides salvifica constans notitia, assensu ac fiducia non est in damnatis, ut constat, alias enim non essent damnati. 2) Notitia historica articulorum fidei an in illis locum sit habitura, merito dubitatur,

Quaestio 4. An damnati retineant fidem et spem?

ἡ γὰρ γνῶσις καταργηθήσεται 1. Corinth. 13, v. 8. Si vis morbi ac dolorum inducit oblivionem scientiae humanae in hac vita, quanto magis cruciatus infernales scientiae divinae. 3) Assensus circa illum fidei articulum, *quod sit Deus et quod sit vindex scelerum*, erit in damnatis perinde ut in daemonibus, sed coactus et expressus per sensum tormentorum sibi inflictorum. Augustinus lib. de fide et operibus cap. 16: *Fides*
XX. 255 *daemonum exprimitur per timorem.* 4) Posset etiam haud incommode illud, quod de fide daemonum Jacobus asserit, ad hujus vitae curriculum referri, quod eo adhuc durante, antequam diaboli cum hominibus damnatis in infernalem ignem projiciantur, *credant, esse Deum*, a quo aliquando sint in tartarum detrudendi, sed quando re ipsa illos cruciatus experiuntur, non amplius credunt, sed sciunt et sentiunt. 5) Damnati sciunt, se in aeternum cruciandos, non per actum aliquem fidei supernaturalem, sed per judiciariam sententiam, quam in articulo mortis et cumprimis in die judicii accipiunt. 6) Erit in damnatis continua et perpetua desperatio, ac proinde etiam spes nulla. Nam minima spes dolorum magnitudinem levaret.

Quaestio 5. An daemones futuri sint damnatorum tortores?

73. Quaeritur 5. *An daemones futuri sint damnatorum tortores?* Quidam affirmant, 1) quia Sirac. 39, v. 33. dicitur: *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt et in furore suo confirmaverunt flagella sua. In tempore consummationis virtutem effundent et furorem ejus, qui fecit illum, sistent.* (Sed liber hic apocryphus, ac possunt per τὰ πνεύματα intelligi procellae ac turbines ventorum, quibus in hac vita homines puniuntur, additur enim v. 34. *ignis et mare, et fames et mors, omnia haec ad vindictam creata sunt.*) 2) Mentio fit *tortorum* Matth. 18. v. 34. *plagarum* Luc. 12, v. 48. *percussionum* Proverb. 19, v. 29. (Sed haec omnia παραβολικῶς accipi possunt.) 3) Diaboli ante judicium et in hac vita torquent homines. (Sed post judicium ipsimet in abysso torquebuntur, erunt ergo tormentorum consortes ac socii, non auctores ac ministri.) 4) Aequum est, ut homines ab iis torqueantur, quibus se per culpam subjecerunt. Chrysostomus homil. 10. in 2. Corinth.: *Qui praesunt nobis* (in inferno), *non sunt ejusdem dignitatis, quos unquam demulcere poterimus, sed angeli, in quos neque respicere licet, valde iracundi, propterea quod Dominum tanta contumelia affecimus.* Lombardus 4. sent. dist. 47. lit. F.: *Solet quaeri, utrum in inferno malis ad puniendum praesint daemones post judicium, quos carnifices tortoresque animarum Scriptura appellat. Apostolus dicit, quod Christus tunc evacuabit omnem principatum et potestatem et virtutem* 1. Corinth. 15, v. 24. *Dum enim durat mundus, angeli angelis, daemones daemonibus, homines hominibus praesunt, sed omnibus collectis jam omnis praelatio cessabit. Hinc quidam putant, daemones post judicium non habere potestatem cruciandi homines sicut modo, sed ut daemones virtute Dei cruciari sine creaturae ministerio asserunt, sic reprobos homines ibi non per operationem daemonum, sed virtute divina tantum aeternis subjici cruciatibus* (quam opinionem Bonaventura in comm. hujus loci judicat probabiliorem). *Praemissa tamen auctoritas non id cogit sentire, quae etsi asserat, tunc nec daemones daemonibus, nec homines hominibus praeesse, non definit tamen, an praesint hominibus ad torquendum, unde quibusdam videtur, eos sic exstare hominibus tortores in poena, sicut exstiterunt incentores in culpa.* Sed nec haec ratio Lombardi est satis efficax, nam homines hominibus saepe sunt incentores in culpa, quos tamen eorum in inferno tortores fore nemo asserit, in contrarium urgeri potest, quod diabolus et primus peccaverit, et hominibus peccatum persuaserit, proinde gravius puniendus erit, quomodo XX. 256
igitur hominum tortor esse poterit?

Quaestio 6. An in suppliciis infernalibus futurus sit aliquis ordo

74. Quaeritur 6. *An in suppliciis infernalibus futurus sit aliquis ordo?* Movet hanc quaestionem Gregorius lib. 9. moralium cap. 39. occasione verborum Jobi cap. 10, v. 22. *in terra tenebrarum* לֹא סְדָרִים, *non sunt ordines. Mirum*, inquit, *valde, quod dicitur, ubi nullus ordo. Neque enim omnipotens Deus, qui mala punit, inordinata esse ullo modo vel tormenta permittit, quia ipsa quoque supplicia, quae ex lance justitiae prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque juxta modum criminis retributio sequitur ultionis? Hinc quippe scriptum est, potentes potenter tormenta patientur et fortioribus fortior instat cruciatio; hinc in Babylonis damnatione dicitur: Quantum exaltavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. Si igitur juxta modum culpae poena distinguitur, constat nimirum, quod in suppliciis ordo servatur. Et nisi tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam judex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet: Colligite primum zizania et ligate ea in fasciculos ad comburendum. Si enim nullus in suppliciis ordo servabitur, cur comburendo zizania in fasciculos ligantur* etc.? *Quomodo ergo nullus inesse ordo suppliciis dicitur, in quibus profecto quisque juxta modum culpae cruciatur?* Postea subjungit responsionem: *Sanctus vir postquam umbram mortis intulit, quanta sit confusio in damnatorum mente, subjungit, quia ipsa quoque supplicia, quae ordinata per justitiam veniunt, ordinata procul dubio in corde morientium non sunt. Dum enim damnatus quisque foris flamma succenditur, intus coecitatis igne devoratur atque in dolore positus exterius interiusque confunditur, ut sua deterius confusione crucietur. Repulsis ergo ordo in supplicio non erit, quia in eorum morte atrocius ipsa confusio mentis saevit. Quam tamen mira potentia judicantis aequitas ordinat, ut poena animam quasi inordinata confundat, vel certe abesse ordo suppliciis dicitur, quia quibuslibet rebus in poenam surgentibus propria qualitas non servatur. In hujus vitae tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cum pati jam coeperit, quod timebat. Infernum vero et umbra mortis obscurat et sempiternus*

horror inhabitat etc. *hic flamma, quae succendit, illuminat; illic ignis, qui cruciat, obscurat* etc. Ordinata ergo sunt damnatorum supplicia *respectu justitiae divinae agentis*, quae non sine aequitate et ordine poenas distribuet; inordinata *respectu subjecti patientis*, quod modo harum, modo illarum poenarum insultus tolerare cogetur. Ordo erit *in quantitate poenarum*, qui enim gravius peccaverunt, etiam gravius punientur; sed ordo non erit *in qualitate rerum*, quia omnis generis tormenta sibi inferri experientur.

Quaestio 7. An in suppliciis infernalibus futuri sint gradus?

75. Quaeritur 7. *An in suppliciis infernalibus futuri sint gradus?* Negarunt olim *Iovinianistae*, qui omnes peccatores ut in culpis ita et in poenis pares fore dixerunt, secuti *Stoicos*, qui et ipsi *omnia peccata fecerunt paria*, Augustinus de haeresib. cap. 82. Contrarium statuunt unanimi consensu omnes patres. Probatur autem illa diversitas graduum: 1. *ex Scripturae dictis.* Sapient. 6, v. 7: *Potentes potenter tormenta patientur,* v. 9. *fortibus fortis instat scrutatio.* cap. 11. v. 17: *Per quae quis*
XX. 257. *peccat, per eadem et torquetur.* Hisce dictis potissimum utuntur pii veteres, sed praeterquam quod ex libro apocrypho petita sunt, quaestionem propositam directe non attingunt. Conjungimus ergo dicta clariora Novi Testamenti Matth. 10, v. 15. Luc. 10, v. 12: *Tolerabilius erit terrae Sodomorum ac Gomorraeorum in die judicii quam illi civitati, quae non receperit apostolos.* Matth. 11, v. 21: *Tyro et Sidoni tolerabilius erit in die judicii quam vobis;* v. 23. *terrae Sodomorum remissius erit in die judicii quam tibi.* Matth. 23, v. 14: *Propter hoc accipietis χρῖμα περισσότερον.* v. 15. *facitis eum filium gehennae διπλότερον ὑμῶν.* Luc. 12, v. 47: *Servus, qui cognovit voluntatem domini sui et non praeparavit se nec fecit voluntatem ejus, vapulabit multis.* v. 48. *Qui autem non cognovit et fecit digna plagis, paucis vapulabit. Cui multum datum est, quaeretur ab eo multum, et cui commendaverunt multum, ab eo plus petent.* Rom. 2, v. 9: *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judaei primum et Graeci.* 2. *Ex rationibus*, ac primo quidem *ex causa meritoria damnationis.* Peccata damnatorum sunt inaequalia Joh. 19, v. 11. ergo etiam supplicia erunt inaequalia, quia poena proportione respondet culpae. Rom. 2, v. 6: *Reddet Deus unicuique secundum opera ejus.* 2. Corinth. 5, v. 10: *Quisque reportabit ea, quae in corpore gessit.* 1. Petr. 1, v. 17: *Deus sine acceptione personarum judicat secundum cujusque opus.* Apoc. 2, v. 23. cap. 22, v. 12: *Ecce venio cito, et merces mea mecum, reddere unicuique secundum opera sua.* Secundo *ex lege oppositionis.* Erunt gradus gloriae et praemiorum in vita aeterna, ut suo loco demonstrabitur; ergo etiam erunt gradus ignominiae et suppliciorum in morte aeterna. 3. *Ex dictis veterum.* Basilius in regul. brevior. interr. 267. explicans dictum Christi Luc. 12, v. 47. et 48: *Illud multis et illud paucis diversitatem supplicii declarat. Si enim Deus judex justus est non bonis solum, sed etiam improbis, reddens unicuique juxta opera sua, fieri potest, ut alius quidem dignus sit igne inexstinguibili, atque hoc ipso vel lenius vel acrius urente; alius vero verme nunquam morituro, atque hoc ipso nihilominus vel mitius quemque excruciante, vel severius, pro meritis videlicet uniuscujusque; itemque alius gehenna habente prorsus ipsa etiam varia tormentorum genera, similiterque alius exterioribus tenebris, quo in loco alius in fletu est solum, alius praeter fletum in stridore etiam dentium, propter cruciatuum videlicet acerbitatem. Quin et hae quoque tenebrae, quae vocantur exteriores, alias etiam prorsus esse interiores significant. Et illud quod dictum est in proverbiis, in profundum inferni, declarat, quosdam esse quidem apud inferos, non tamen in profundo, qui levioribus scilicet poenis afficiantur. Porro hoc ita esse, etiam nunc possumus per similitudinem adumbrate in morbis corporis intelligere. Si quidem est alius, qui praeter febrem alias etiam aliorum morborum accensiones habet; alius item, qui ex sola tantummodo febri laborat, et hic ipse diverso modo atque alius; similiterque reperietur alius, qui febri quidem ipse non laborabit, dolore tamen membri alicujus vehementer cruciabitur, et hic ipse etiam alio aut acrius, aut remissius.* Ephraemus lib. de vera poenitent. cap. 7: *Varia sunt tormentorum loca, sunt enim tenebrae exteriores, haud dubium, quin et aliae interiores sint. Gehennae ignis locus, alius stridori dentium proprius locus est, vermis item immortalis alio in loco est, stagnum ignis proprius locus est, suoque itidem loco ignis inexstinguibilis est, inferni atque perditio suis terminis constant, et inferiora terrae alius locus. Inter haec suppliciorum loca distribuuntur infelicissimi, unusquisque pro peccatorum* XX. 258.
suorum modo sive mitius, sive vehementius etc. *Sicut sunt peccatorum differentiae, ita et cruciatuum varietates. Aliter cruciatur adulter, aliter fornicator* etc. **Ephraemus orat. de futuro judicio f. 243: *Illud, vapulabit paucis, non finem sed differentiam poenarum declarat. Nam si Deus justus est judex, non bonis duntaxat, verum etiam improbis reddens unicuique secundum opera sua, fieri potest, ut alius quidem igne sit dignus inexstinguibili, eoque vel acrius, vel vehementius urente; alius vero verme nunquam morituro, et eo rursum aut mitius aut acrius excruciante, pro meritis nimirum uniuscujusque; alius item gehenna habente prorsus ipsa etiam diversa tormentorum genera, aliusque similiter tenebris exterioribus, quo in loco alius quidem solum in fletu est et planctu, alius vero etiam in stridore dentium, propter cruciatuum scilicet acerbitatem et incrementum.* ** Chrysostomus homil. in Psalm. 6: *Viderit etiam quispiam supplicii differentiam ex magna intelligentia et simplicitate, ut quando dicit: Servus, qui cognovit voluntatem domini etc. Multa etiam alia invenerit quispiam, quae faciunt differentiam punitionis et differentiam misericordiae et benignitatis.* Confer etiam homil. 4. in epist. ad Ephes. Augustinus lib. 4. contra Donatistas de baptism.

cap. 19: *Dubitandum non est, ipsas poenas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non possidebunt, pro diversitate criminum esse diversas et alias aliis acriores, ut in ipso igne aeterno pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta poenarum. Neque enim frustra ipse Dominus dicit: Tolerabilius erit Sodomis* etc. *sed tamen ad non possidendum regnum Dei tantundem valet ex vitiis illis, quod elegeris mitius, quantum plura vel unum, quod perspexeris gravius.* lib. 1. de peccat. merit. et remiss. cap. 12: *Tanto gravior singulis poena, quanto gravius quisque peccavit.* in enchirid. cap. 3: *In beatitudine alius alio praestabilius, in miseria vero alius alio tolerabilius permanebunt.* Gregorius lib. 9. moralium cap. 39: *Sicut in domo Patris mansiones multae sunt pro diversitate virtutis, sic damnatos diverso supplicio gehennae ignibus subjicit disparitas criminis. Quae videlicet gehenna quamvis cunctis una sit, non tamen cunctos una eademque qualitate succendit. Nam sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo uno ordine omnes aestuamus, quia juxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris; sic damnatis et una est gehenna, quae afficit, et tamen non una omnes qualitate comburit, quia quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum.* Alcuinus lib. 3. de Trin. cap. 21: *Quidam juxta peccatorum qualitatem mitius torquentur, qui minorum scelerum pondere gravantur.* Lombardus 4. sentent. distin. 49. lit. A: *Sicut boni differenter glorificabuntur, alii magis, alii minus, sic et mali differenter in inferno punientur. Sicut enim in domo Patris, id est in regno coelorum, mansiones multae sunt, id est praemiorum differentiae, ita et in gehenna diversae sunt mansiones, id est suppliciorum differentiae, omnes tamen aeternam poenam patientur, sicut omnes electi eundem habebunt denarium.* Hugo de S. Victore part. 18. libri de sacrament. cap. 5: *Nequaquam negandum est, etiam ipsum aeternum ignem pro diversitate meritorum, quamvis malorum, aliis leviorem, aliis futurum esse graviorem, sive ipsius vis atque ardor pro poena digna cujusque varietur, sive ipse aequaliter ardeat, sed non aequali molestia sentiatur.* Galatinus lib. 12. de arcan. catholic. veritat. cap. 6. circa fin. adducit dictum ex midras thillim in Psalm 11: *Septem habentur*
XX. 259. *mansiones in gehenna pro impiis et sunt istae: scheol, id est infernus; abaddon, id est perditio; ghe, id est vallis vel profundum; dima, id est taciturnitas; zalmaveth, id est umbra mortis; eres thachthith, id est terra inferior, et eres zija, id est terra sitiens; hae sunt septem mansiones impiorum, cuilibet autem juxta opera eorum domus ipsorum.* Notandum tamen circa hanc poenarum diversitatem, 1) quod omnes omnium damnatorum poenae futurae sint *aeternae*, proinde ratione durationis nulla erit diversitas; 2) quod non ratione specierum diversarum vel locorum distinctorum, ut quidam volunt, sed ratione distinctorum graduum illa inaequalitas sit statuenda; 3) quod dispar ratio sit distinctorum in vita aeterna praemiorum ac diversorum in morte aeterna suppliciorum, illa enim sunt distincta divinae gratiae dona, quae nullum habent ad merita humana respectum, haec vero ad mala hominum merita, peccata scilicet, respectum obtinent, ut in seq. tract. plenius docebitur.

Quaestio An omn damnatorum actiones sint malae?

76. Quaeritur 8. *An damnatorum actiones omnes sint malae?* Passiones damnatorum moraliter bonae erunt, quia a justitia et voluntate divina omnis bonitatis regula progrediuntur, quamvis physice ac *naturaliter* damnatis sint malae, id est adversae et inimicae. Actiones vero damnatorum omnes erunt malae, 1. quia damnati erunt in malo obstinati ac obdurati. Pravitas voluntatis, in qua et cum qua fuere mortui, immobiliter ac immutabiliter in perpetuum eis adhaerebit. 2. Quia semper erunt in actuali Dei odio, quod ex perpetua et immota consideratione miserrimi status, in quo se norunt in omnem aeternitatem permansuros, in ipsis oritur. Inde etiam perpetuo ac directe avertunt se a Deo summo bono, ad cujus gloriam omnia deberent referre. 3. *Quia blasphemabunt Deum prae doloris et cruciatuum magnitudine* Apocal. 14, v. 11. Jam vero ubi blasphemia Dei, cui unice summus honor debetur, ibi nihil potest esse boni. 4. Quia etiam diabolorum actiones omnes sunt malae. Gregorius lib. 18. moral. cap. 1: *Omnis voluntas diaboli injusta est.* Glossa ordinaria 2. Cor. 6: *Sicut Christus omnia bene, sic diabolus omnia male.*

Antithesi

77. Antithesis. 1. Philo videtur in ea fuisse sententia, *infernum nihil aliud esse quam conscientiae horrorem*, quia in libro de congressu quaerendae eruditionis gratia in enarrat. loci Gen. 16. *ingredere ad ancillam meam, si forte ex ea suscipias filios* etc. sic disserit: *Deus injustam impiamque animam fugatam a se ipso longissime dissipat in locum concupiscentiarum ac facinorum, qui locus impiorum vocatur aptius quam ille fabulosus apud inferos, re vera enim infernus nihil aliud est quam vita miseri, scelerati exsecrandique hominis.* Origenes homil. 9. in diversos Matthaei locos idem sentit. *Vermis*, inquit, *qui non morietur, et ignis, qui non exstinguetur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum, quae torqueat in suppliciis constitutos, quia vitio atque peccato suo tanto caruerunt bono, juxta illud, quod dicitur Ps. 31: Versatus sum in miseria, dum infigitur mihi spina.* Sed eruditi merito dubitant, an illa homilia sit Origenis. Hieronymus in epistola ad Avitam enumerans Origenis haereses inter alias etiam hanc recenset his omnino verbis: *Origenes lib. 2. περὶ ἀρχῶν ignem gehennae et tormenta, quae Scriptura sancta peccatoribus comminatur, non ponit* XX. 260.
in suppliciis, sed in conscientia peccatorum, quando Dei virtute et potentia omnis memoria delictorum ante oculos nostros ponitur et veluti ex quibusdam seminibus in anima derelictis universa vitiorum seges exoritur, et quidquid feceramus in vita, vel turpe, vel impium, omnis eorum in conspectu nostro pictura describitur, ac praeteritas voluptates mens intuens conscientiae punitur ardore et poenitudinis stimulis

confoditur. Idem in epist. ad Ephes. cap. 3: *Quia sunt plerique, qui dicunt, non futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta, sed ipsum peccatum et conscientiam delicti esse pro poena, dum vermis in corde non moritur et animo ignis accenditur in similitudinem febris, quae non torquet extrinsecus aegrotantem, sed corpora ipsa corripiens punit sine cruciatuum forinsecus adhibitione, quod possidet. Has itaque persuasiones et decipulas fraudulentas Paulus verba inania appellavit et vacua, quae videntur florem quendam habere sermonis et blandiri peccantibus, sed dum fiduciam tribuunt, magis eos ferunt ad aeterna supplicia.* Ex quibus constat, injuriam Hieronymo inferri a Ruffino, qui dogmatis hujus fautorem eum facit, propterea quod lib. 18. in Esaiam circa fin. absque erroris confutatione vel accusatione illud referat.

78. 2. *Photiniani* statuunt, *impios vel nunquam resuscitandos, vel post resurrectionem ac judicium in nihilum redigendos*, definiunt igitur damnationem per ἀνυπαρξίαν, ut ostendimus in tract. de resur. §. 101. et in hoc ipso tract. §. 24. Atqui 1. Scriptura infernales poenas non describit per ἀνυπαρξίαν, sed per *cruciatus ac supplicia* acerbissima in anima et corpore aeternum sustinenda, ut ex hactenus dictis manifestum. Certe dives epulo in inferno constitutus exemplo suo luculente testatur, infernum esse locum *tormentorum*, non autem redactionem in nihilum. 2. *Damnati quaerent mortem, sed non invenient eam, desiderabunt mori, et mors fugiet ab eis* Apoc. 9, v. 6. Quodsi ergo nec mortem impetrare possunt, quanto minus ἀνυπαρξίαν? 3. Quando *mors aeterna* illis tribuitur, aeternus eorum cruciatus in anima et corpore tolerandus, non autem annihilatio significatur, ut superius ostendimus. 4. Ipsa sceleratorum conscientia testatur, alias scelerum poenas post hanc vitam restare, neque cum morte omnia finiri. 5. Si impiis non metuenda esset gravior aliqua poena quam redactio in nihilum, non foret ipsis melius, non fuisse natos Matth. 26, v. 24. Marc. 14, v. 21. Quidam verba Christi sic accipiunt, quasi Judae melius dicatur *fuisse, cum nondum esset, quam cum natus esset*, sed illis Hieronymus in comm. recte hoc opponit, *quod nulli possit esse bene, nisi qui fuerit*, et Augustinus lib. 1. quaest. evangel. q. 40. dicit, *non potest bonum aliquid esse ei, qui non est*. Quidam existimarunt, Christum loqui *de regeneratione Judae*, quasi dicatur, satius esse, illum Christo nondum esse natum per vocationem et Christi agnitionem. At Christus non loquitur de spirituali sed de carnali nativitate, ut textus evidentia arguit, ac simpliciter dictum est monente Hieronymo, *multo melius esse non subsistere, quam male subsistere*. Quare non ἁπλῶς sed κατά τι hoc accipiendum, non quod non nasci ac non esse per se sit bonum, sed quod in comparatione ad aeternam damnationem melius sit nunquam nasci. 6. Photiniana illa opinio fomentum securitati et impietati praestat. Gregorius lib. 34. moralium cap. 16: *Leviathan iste* (diabolus) *aestimabit abyssum quasi senescentem, quia reproborum corda sic infatuat, ut suspicionem eis de futuro judicio, quod quasi finiatur, infundat. Abyssum namque senescere aestimat, qui terminari quandoque in suppliciis supernam animadversionem putat. Igitur antiquus iste persuasor in membris suis, id est in mentibus iniquorum futuras poenas quasi certo fine determinat, ut eorum culpas sine termino correptionis extendat, et eo magis hic peccata non finiunt, istic aestimant peccatorum supplicia finienda. Sunt enim nunc etiam, qui idcirco peccatis suis finem ponere negligunt, quia habere quandoque finem futura super se judicia suspicantur. Quibus breviter respondemus, si quandoque finienda sunt supplicia reproborum, quandoque finienda sunt ergo et gaudia beatorum.*

79. 3. Bellarminus lib. 4. de ecclesia cap. 9. haeres. 3. tribuit Calvino, quod statuerit, *infernum nihil esse nisi conscientiae horrorem*, propterea quod lib. 3. instit. cap. 25. §. 12. scribit, *tormenta reproborum nobis figurari per res corporeas, nempe per tenebras, fletum, stridorem dentium, ignem inexstinguibilem, vermem sine fine cor arrodentem, cum divinae in illos ultionis gravitatem nulla descriptio aequare possit.* Mortonus in apolog. cathol. part. 1. cap. 27. opponit Bellarmino locum ex ipso Calvino, in quo poenis corporeis reprobos puniendos asserat. Bucanus instit. theol. loco 40. p. 457. inter errores recenset illud Origenis, *quod infernus nihil sit nisi horror conscientiae*. 4. Luthero tribuunt Pontificii, *quod negaverit gradus suppliciorum infernalium*, per hypothesin illam, quod sola incredulitas damnet. Respondemus: Ostendimus in tract. de bon. operibus §. 34. ac disp. 6. de stud. pietat. §. 3. fundamenta et verum sensum illius assertionis: *Infidelitas est causa damnationis*, formalis scilicet adaequata et immediata, interim etiam reliqua peccata sunt causa damnationis meritoria. Adde, quod in ipsa quoque incredulitate sint certi quidam gradus. Quibus enim beneficia Christi in verbo evangelii fuere oblata, quae tamen fide recipere noluerunt, illorum incredulitas est longe gravius peccatum quam eorum, quibus evangelium de Christo non est praedicatum; illorum incredulitas potest dici *positiva*, est enim pravae dispositionis, horum vero *negativa*, est enim purae negationis.

CAPUT VII.

DE CAUSA FINALI INFERNI.

80. Exposita causa *efficiente*, *materia* et *forma* inferni consequens est, ut ad *causam finalem* descendamus. *Finis*, propter quem Deus infernum praeparavit et diabolos ac impios homines in eum detrudet, duplex est: *principalis ac summus*, divinae justitiae manifestatio; *proximus ac intermedius*, im- Finis inferni praeparati.

piorum justissima poena, piorum vero laetitia et gloria sempiterna. Quia enim Deus est justus judex et ignis consumens,

Vindicibus flammis sibi qui contraria delet,
Ipseque justitiae regula sola manet,

XX. 262. ideo diabolos rebelles et homines pertinaciter incredulos in aeternum ignem procul a se ablegabit, ut tum *justitiam suam* erga impios, quos ob praevisam finalem eorum impoenitentiam et incredulitatem reprobavit, tum *misericordiam suam* erga pios, quos in Christo fide apprehenso ante jacta mundi fundamenta elegit, tum *potentiam* in coërcendis ecclesiae hostibus, diabolis et persecutoribus 1. Corinth. 15, v. 25. tum *veritatem suam* in comminationibus ac promissionibus manifesto opere testatam faciat et consequenter sanctissimam nominis sui gloriam potentissime et augustissime asserat; inde cum David Psalm. 11, v. 6. dixisset: *Pluet Dominus super impios laqueos, ignem et sulfur et spiritum procellarum partem calicis eorum*, subjungit αἰτιολογικῶς v. 7. *Quoniam justus Dominus justitias dilexit.* 2. Thess. 1, v. 6: *Justum est apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos affligunt* etc. v. 9. *impii poenas dabunt exitium sempiternum a facie Domini et a gloria virtutis ejus*, sive a glorioso robore ejus, id est ut suam potentiam et gloriam in puniendis impiis ac hostibus suis manifestum faciat. Apocal. 20, v. 10: *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulfuris* etc. ubi descriptio subjecti exponit causam praedicati, ideo enim diabolus in stagnum ignis mittetur, quia a Deo aversus etiam homines quam plurimos seducit et a Deo avertit. Quemadmodum judex terrenus maleficos in carcerem conjiciens amorem justitiae manifestat; sic Christus judex omnium divinitus constitutus judicium ac justitiam demonstrabit, quando damnatos daemones et homines aeterno carceri mancipabit. Gregorius libro 34. moralium cap. 16. circa med. recitat objectionem eorum, qui infernalium suppliciorum aeternitatem negant. *Nullus justus, inquiunt, crudelitatibus pascitur et delinquens servus a justo domino idcirco caedi praecipitur, ut a nequitia corrigatur, ad aliquid ergo caeditur, cum non ejus cruciatibus dominus delectetur; iniqui autem gehennae ignibus traditi, quo fine semper ardebunt? Et quia certum est, quod pius atque omnipotens Deus non pascitur cruciatibus iniquorum, cur crucientur miseri, si non expiantur?* Ad eam vero sic respondet: *Deus, qui pius est, miserorum cruciatu non pascitur, quia autem justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes aeterno supplicio, et quidem sua iniquitate puniuntur, et tamen ad aliquid concremantur, scilicet ut justi omnes et in Deo videant gaudia, quae percipiunt, et in istis respiciant supplicia, quae evaserunt, ut tanto in aeternum magis divinae gratiae se debitores esse cognoscant, quanto in aeternum mala puniri conspiciant, quae ejus adjutorio vitare potuerunt.* Bernhardus serm. 8. in Psalm. Qui habitat in altissimis: *Ridebis in impiorum interitu, non quod velut quadam immanitate crudelitatis in ipsa tibi ultione complaceat, sed quod modus ipse pulcherrimus divinae ordinationis, ultra quam credi possit, justitiae zelatorem et amatorem aequitatis oblectet, ubi optime omnia constituta et suum cuique cessisse locum, imo in suum quemque cessisse, plenius et perfectius illustrante veritate cognosces, quomodo non omnia considerare et in omnibus omnium moderatorem magnificare lubebit? Itaque oculis tuis considerabis et retributionem peccatorum videbis primo quidem ob tuam evasionem, secundo ob omnimodam securitatem, tertio quoque ob comparationem, quarto ob ipsius justitiae perfectam aemulationem.* Confer quae diximus superius §. 31.

CAPUT VIII.

DE OBJECTO INFERNI.

81. *Objectum*, cui paratus infernus, sunt 1. *diaboli*, 2. *homines finaliter impii et increduli.* De *diabolis* exstat manifestus locus Matth. 25, v. 41: *Discedite maledicti in ignem aeternum, paratum diabolo et angelis ejus*, cum quo conjungenda dicta apostolica 1. Corinth. 6, v. 3: *Nescitis, quoniam angelos judicabimus?* 2. Petr. 2, v. 4: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed catenis inferni detractos in tartarum tradidit in judicium servatos.* Judae v. 6: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum* etc. *in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* Apocal. 20, v. 10: *Diabolus missus est in stagnum ignis.* v. 14. *Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis.* Pii veteres huc accommodant locum propheticum Esa. 14, v. 13: *Quomodo cecidisti de coelo lucifer,* quo de videatur §. 16. ut et Esai. 30, v. 33: *Etiam regi praeparata est fovea.* Ex humano genere quosdam una cum diabolis in aeternum inferni ignem projiciendos, testatur processus extremi judicii descriptus Matth. 25. ibi enim clarissimis verbis affirmatur, Christum ad homines impios ad sinistram constitutos dicturum: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, paratum diabolo* v. 41. Quod ergo diabolo paratus dicitur inferni ignis, illud non est accipiendum *exclusive sed inclusive*, ut in eo tanquam capite intelligantur membra, tanquam principe subditi, tanquam patre filii, id est omnes finaliter impii et increduli, quos auctor libri Sapientiae dicit esse τῆς ἐκείνου (διαβόλου) μερίδος 2, v. 24. Confer tract. de extrem. judic. §. 45. Ceterum de damnatione *hominum* Scriptura γενικῶς testatur, plures in die judicii adjudicandos esse inferno quam inferendos coelesti paradiso. Matth. 7, v. 13: *Intrate per angustam portam, quia lata porta est et spatiosa via, quae ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam;* v. 14. *sed angusta porta et arcta est via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui in-*

veniunt eam, in quae verba Lactantius lib. 6. instit. cap. 3. sic commentatur: *Duae sunt viae, per quas humanam vitam progredi necesse est, una, quae in coelum ferat, altera, quae ad inferos deprimat, quas et poëtae in carminibus et philosophi in disputationibus suis induxerunt.* Prosper Aquitanicus in sent. August. epigr. 191:

Arcta via est, verae quas ducit ad atria vitae,
Nec recipit carnis gaudia mentis iter.
Amplis incedit spatiis terrena voluptas,
Angusto virtus limite celsa petit.

Luc. 12, v. 32: *Noli timere, pusille grex, quia Patri vestro complacuit dare vobis regnum.* cap. 13, v. 23. cum quidam ex Christo quaereret, *an pauci sint, qui salvantur*, respondit perquam pathetice v. 24. ἀγωνίζεσθε *intrare per angustam portam* etc. Idem colligitur 1) *ex libro Esdrae apocrypho* lib. 4. cap. 9, v. 15: *Plures sunt, qui pereunt, quam qui salvabuntur,* v. 16. *sicut multiplicantur fluctus super guttam.* v. 22. *Pereat multitudo, quae sine causa*
264. *nata est, et servetur acinus meus et plantatio mea, quia cum multo labore perfeci.* 2) *Ex diluvii et Sodomitici incendii typo.* In diluvio *pauci, hoc est octo animae servatae sunt per aquam* 1. Petri 3, v. 20. sic ab illo infernalis ignis diluvio pauci servabuntur. In Sodomitico incendio solus Loth cum conjuge ac duabus filiabus salvus evadebat; sic in die judicii pauci homines irae divinae incendium effugient, Genes. 19, v. 24. Luc. 17, v. 29. Huc etiam referri possunt similes typi. Ex tanta Israëlitarum copia, qui e servitute Aegyptiaca exierant, solus Josua ac Calebus promissam terram ingrediebantur; ex captivitate Babylonica pauci cum Esdra Hierosolymam revertebantur etc. 3) *Ab exiguo vere piorum et electorum numero.* Esai. 1, v. 9. cap. 6, v. 13. Sophon. 3, v. 12. Matth. 20, v. 16. cap. 22, v. 14. Rom. 9, v. 29. 1. Cor. 1, v. 26. etc. 4) *Ab amplissimo damnandorum catalogo*, quem postea subjiciemus.

82. Neque enim duntaxat γενικῶς, *in genere*, Spiritus sanctus testatur, plures aliquando fore damnatos quam salvos, sed etiam εἰδικῶς ac *in specie* ostendit, quinam aeternae damnationi aliquando futuri sint obnoxii, videlicet omnes *finaliter impoenitentes et increduli.* Propter peccatum protoplastorum omnes homines nascuntur cum peccato originali, ut suo loco ex clarissimis Scripturae dictis ostenditur, inde etiam *natura* omnes sunt *filii irae* Eph. 2, v. 3. ac aeternae damnationi obnoxii. Contra hoc malum omnibus in Christo paratum et in evangelio oblatum est remedium vera fide acceptandum. Ab illo quotquot sunt alieni, id est qui vel Christum non recipiunt vera fide, vel fidem iterum excutiunt, adeoque in finali incredulitate moriuntur, illorum animae statim post mortem in carcerem infernalem detruduntur iidemque in resurrectione universali una cum corporibus suis in hunc tormentorum locum projicientur. Unde proponimus hoc theorema, quod est aeternae et immotae veritatis: *Ex hominibus illi omnes et soli damnabuntur, qui in finali incredulitate ex hac vita decedunt.* Proinde incredulitas est propria, formalis, immediata et adaequata damnationis causa. Marc. 16, v. 16. Joh. 3, v. 18. et 36. 2. Thess. 1, v. 8: *Dabit vindictam iis, qui non noverunt Deum et qui non oboediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi.* 1. Joh. 5, v. 12: *Qui non habet Filium Dei, non habet vitam.* Quia vero incredulitas illa, utpote mala arbor, malos fructus profert, ideo Spiritus sanctus incredulos damnationi obnoxios ab externis effectis describit, idque iterum vel *in genere*, vel *in specie.* In genere, quando eos vocat *impios peccatores, operarios iniquitatis, filios diaboli* etc. Job. 24. v. 19. Psalm. 9, v. 18: *Convertantur impii ad infernum.* Psalm. 11, v. 6. Psalm. 21, v. 9. Psalm. 49, v. 15. Esa. 33, v. 11. Malach. 4, v. 1. Matth. 7, v. 23. Rom. 2, v. 9. Judae v. 15. etc. *In specie*, quando illis vel corruptelas doctrinae vel impietatem vitae tribuit, haec enim duo, videlicet haereses et peccata contra conscientiam, sunt causae φθαρτικαί fidei, cum quibus illa minime consistit, inde inferno adjudicantur *haeretici ac seductores*, peculiariter *Antichristus* cum suo sodalitio Apoc. 19, v. 20. cap. 20, v. 10. *ecclesiae persecutores* 2. Thess. 1, v. 6. *Epicurei* et *illusores* Esai. 28, v. 15. *potatores* Esai. 5, v. 14. *scortatores et adulteri* Prov. 5, v. 5. cap. 9, v. 18. *immisericordes, operibus caritatis destituti* Matth. 25, v. 41. *infrugiferi* Matth. 3, v. 10. cap. 7, v. 19. *seditiosi* Num. 16, v. 33. *superbi* Esa.
14, v. 13. Mal. 4, v. 1. *avari* Psalm. 49, v. 15. Baruch. XX. 265.
3, v. 19. etc. Cumprimis vero Paulus in suis epistolis ac Johannes in Apocalypsi prolixum et accuratum catalogum damnatorum recensent, das ist das schwarze Register, Rom. 1, v. 29. 30. 31. et 32. 1. Cor. 6, v. 9. et 10. Gal. 5, v. 19. 20. et 21. Eph. 5, v. 3. et 4. Coloss. 3, v. 5. et 6. 1. Tim. 1, v. 9. et 10. 2. Tim. 3, v. 2. 3. 4. et 5. Apoc. 21, v. 8: *Timidis* (δειλοῖς, qui metu persecutionis ac mortis veritatem coelestem abnegant, diffidentia plenis, desperabundis) *et incredulis et exsecratis* (ἐβδελυγμένοις, qui horrenda et abominanda flagitia designant) *et homicidis et fornicatoribus et veneficis et idololatris et omnibus mendacibus* (haereticis et impiis, quia et errores et iniquitates dicuntur mendacia, *hypocritis*, qui externa tantum specie Christianismum metiuntur ac mentiuntur) *pars illorum erit in stagno ardente sulfure et igne, quod est mors secunda.* Apoc. 22, v. 15: *Foris* (extra coelestem Hierosolymam sunt) *canes* (impuri, impudici, impudentes, Deut. 23, v. 17. Phil. 3, v. 2.) *et venefici et adulteri et homicidae et idolis servientes et omnis, qui amat et facit mendacium.* Cyrillus lib. 6. in Joh. cap. 10. p. 314: *Non omnibus mors illa communis est, sed pravis duntaxat et corruptae vitae hominibus est peculiaris, summopere tamen formidanda, quoniam non temporalis est aut momentanea, sed interminabilis et perpetua.* Fulgentius de fide ad Petrum diacon. cap. 3: *Qualitas malae vitae ab infidelitate incipit, quae ab originalis peccati reatu initium sumit, in quo quisquis vivere ita incipit, ut ante finiat vitam, quam ab ejus*

obligatione solvatur, si unius diei vel unius horae spatio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennae sustinere supplicia, ubi diabolus cum angelis suis in aeternum arsurus est etc. *ubi cum eo etiam fornicarii, idolis servientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, avari, ebriosi, maledici, rapaces, si ante hujus vitae terminum a viis suis malis conversi non fuerint, aeternis ignibus exurentur.* Gregorius libro 9. moralium cap. 39: *Fasciculos ad comburendum ligare est hos, qui aeterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare, ut quos similis culpa inquinat, par etiam poena constringat, et qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur, quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio sublevat quosque non dissimiliter dilatavit ambitio, non dissimilis angustet afflictio et par cruciet flamma supplicii, quos in igne luxuriae par succendit flamma peccati.* cap 40. *Quamvis angelorum atque hominum longe sit natura dissimilis, una tamen poena implicat, quos unus in crimine reatus ligat.*

CAPUT IX.

DE SUBJECTO INFERNI.

Subjectum infernl.

83. *Subjectum* poenarum infernalium sunt non solum *animae*, sed etiam *corpora* damnatorum. Animas impiorum statim a morte in locum tormentorum detrudi inque eo cruciatus perpeti, manifestum est ex concione Christi Luc. 16, v. 23. et seqq. quod ipsum in tractat. de morte §. 162. pluribus comprobatum dedimus. Quod autem ipsa quoque damna-
XX. 266. torum corpora ex pulvere terrae suscitata ac suis animabus redunita (in die novissimi judicii in ignem infernalem projicienda inque eo aeternis suppliciis subjicienda sint, patet 1. *ex dictis Scripturae.* Matth. 10, v. 28: *Timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehenna* (non trucidando sed cruciando, quo etiam sensu damnatio *mors secunda* vocatur). Matth. 25, v. 41. Christus ad impios cum suis corporibus resuscitatos et ad sinistram constitutos dicet: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum.* 2. Cor. 5, v. 10: *Referet unusquisque ea, quae per corpus gessit.* Apoc. 20, v. 13: *Dedit mare mortuos, et mors et infernus dederunt mortuos,* v. 14. *et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis.* 2. *Ex eorum exemplis*, qui vivi in et cum suis corporibus ad infernum descenderunt, Num. 16, v. 33. Psalm. 55, v. 16. Apoc. 19, v. 20. 3. *Ex rationum momentis.* Primo *a causa meritoria damnationis.* Corpora impiorum fuerunt *arma iniquitatis et injustitiae* Rom. 6, v. 13. organa flagitiorum, vasa impuritatum, impii per corpus et in corpus suum peccarunt 1. Corinth. 6, v. 18. justum igitur est, ut quae *conjuncta fuerunt in culpa, eadem etiam crucientur in poena.* Secundo *a fine resurrectionis.* Non pii solum, sed etiam impii aliquando resuscitabuntur, ut suo loco demonstravimus. *Pii* quidem, ut regnum coeleste sibi paratum a constitutione mundi ingrediantur; *impii* vero, ut debitas peccatorum suorum poenas recipiant, Dan. 12, v. 2. Joh. 5, v. 29. Hic finis resurrectionis locum non obtineret, nisi ipsa quoque impiorum corpora poenas participarent. Tertio *ex antithesi glorificationis.* Pii non solum in animabus, sed etiam in glorificatis suis corporibus praemia recipient; ergo etiam impii in suis tum animabus, tum corporibus supplicia sustinebunt. 4. *Ex veterum pronuntiatis.* Martialis in epist. ad Burdegalenses c. 4: *Anima moritur per homicidium, corpus vero, quod tanto peccato est subditum, in impiorum poenis aeternaliter excruciabitur cum anima sua post illum diem, quando verus Deus et verus homo judicabit omnes gentes.* Tertullianus in Apol. adv. gentes c. 48. p. 79: *Certe quia ratio restitutionis destinatio judicii est, eo quod omnino de judicio Dei pati debent, necessario idem ipse qui fuerat, exhibebitur, ut boni seu contrarii meriti judicium a Deo referat; ideo repraesentabuntur et corpora, quia neque pati quidquam potest anima sola sine stabili materia, id est carne, et quod omnino de judicio Dei pati debent, non sine carne meruerunt, intra quam omnia egerunt.* lib. de resurr. carn. c. 35. p. 331: *Caro nisi resuscitata in gehennam non poterit occidi.* Et postea: *Unde erit fletus et dentium frendor in gehenna nisi ex oculis et dentibus? occiso scilicet etiam corpore in gehennam et detruso in tenebras exteriores, quae oculorum propria sunt tormenta* etc. Lactantius lib. 7. inst. cap. 21: *Docent nos sanctae literae, quemadmodum poenas impii sint laturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, ut in corporibus piaculum solvant, et tamen non erit caro illa, quam Deus homini superinjecit, huic terrenae similis, sed insolubilis ac permanens in aeternum, ut sufficere possit cruciatibus et igni sempiterno.* Cyrillus Hierosolymitanus catech. 18: *Si peccator est, accipiet corpus aeternum, quo sufferre possit poenas peccatorum, ut perpetuo in igne ardeat, ut nunquam dissolvatur. Et juste utrisque his ordinibus Deus hoc praebebit, nihil enim sine corpore a nobis gestum est. Blasphemamus per os, oramus per os, expiamus per os, luxuriamur corpore, casti sumus per corpus, rapimus per manus, eleemosynas damus* X
per manum et reliqua similiter. Cum igitur in omnibus cooperetur corpus, etiam in futuris fructum ejus percipiet. Prudentius in apotheosi:

> *Quae* (anima) *quia materiam peccati ex fomite carnis*
> *Consociata trahit, nec non simul ipsa sodali*
> *Est incentivum peccaminis, implicat ambas*
> *Vindex poena reas, peccantes mente sub una,*
> *Peccatique cremat socias cruciatibus aequis.*

Caesarius homil. 38: *Peccatores cum carne descendunt in infernum, justi cum carne percipient regnum.*

Quia justum judicium Dei erit, ut illa caro, quae hic peccavit et poenitentiam non egit, ipsa cum anima in igne crucietur. Similiter et illa caro, quae hic propter Christum cruciatur, ipsa caro et anima cum Christo et cum omnibus sanctis in paradiso laetabitur. Anshelmus l. de similitud. c. 56: *Sit ante oculos cordis positus exempli causa homo aliquis, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quam et in singulis membris ferrum ignitum et candens infixum habeat, ita ut nec medulla, nec intestina, nec omnino quidquam in toto ipso cruciatus immanitate illius careat* etc. Gregorius lib. 9. moralium c. 38. circa fin.: *Qui auctori suo corde et corpore deliquerunt, simul corde et corpore punientur et utrobique poenas sentient, qui dum hic viverent, pravis suis delectationibus ex utroque serviebant, unde bene per prophetam dicitur: Descenderunt in infernum cum armis suis* Ezech. 32, v. 27. (confer ea, quae dicta §. 16.). Isidorus libro 1. de summ. bono cap. 3: *Damnatorum mentem uret tristitia et corpus flamma, juxta vicissitudinem, ut qui mente tractaverunt, quod perficerent corpore, simul et animo puniantur et corpore.* Idiota de conflictu carnis cap. 2: *Anima cum carne in gehenna crucianda est.* Haymo domin. II. post Pent.: *Justum est, ut qui anima simul et corpore peccant, ante judicium in anima, post judicium vero in anima et corpore crucientur.* Inde duae poenarum infernalium species a veteribus statuuntur, una quidem inferorum, ubi ardebat ille dives, qui volebat, stillam aquae defluere in linguam de digito pauperis, quem ante januam suam contemserat; altera est illa in fine, de qua audituri sunt, qui ad sinistram ponendi sunt: Ite in ignem aeternum etc.

CAPUT X.

DE ADJUNCTIS INFERNI.

Adjuncta inferni. 1. Tempus. 2. Locus. 84. Adjuncta inferni sunt *tempus et locus.* De *tempore* diximus superius §. 31. et 55. De *loco* inferni variae exstant tam veterum quam recentiorum sententiae. Quidam statuunt, in hujus vitae caligine inferni locum investigari non posse, ideoque a curiosa ejus inquisitione merito abstinendum esse, quo accommodant illud Jobi cap. 38, v. 17: *Numquid detectae tibi sunt portae mortis et portas umbrae mortis,* id est inferni, *vidisti?* v. 19. *Ubi via, in qua habitat lux, et tenebrarum ubi sit locus?* v. 20.
XX. 268. *Num accepisti eam ad terminum suum et intellexisti semitas domus ejus?* Gregorius Nyssenus lib. de resurrect. et anim. pag. 194: *Quamdiu urgendo et instando primariam praecipuamque doctrinam, nempe quod post hanc vitam, quae in carne degitur, animae sint, percutere ac labefactare conabuntur, nullam de loco* (inferorum) *controversiam nostra movebit oratio.* Chrysostomus homil. 31. in epistol. Roman. cap. 16. pag. 222: *Ποῦ, φησί, καὶ ἐν ποίῳ χωρίῳ αὕτη ἔσται ἡ γέεννα; τί σοι τούτου μέλει; τὸ γὰρ ζητούμενον, δεῖξαι, ὅτι ἐστίν, οὐ ποῦ τεταμίευται καὶ ἐν ποίῳ χωρίῳ· μὴ τοίνυν ζητῶμεν, ποῦ ἐστίν, ἀλλὰ πῶς αὐτὴν φύγοιμεν, ubi, inquis, et in quo loco erit illa gehenna? ut quid istud curas? Quaestio siquidem est, ut ostendatur, quid sit, non ubi recondita sit et in quo loco. Non igitur quaeramus, ubi sit, sed quomodo illam effugiamus.* Eadem repetit sermon. de praem. sanctor. et de gehenna tom. 3. pag. 334. Augustinus libr. 20. de civitat. Dei cap. 16: *Ille ignis, in qua mundi vel rerum parte sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit.* Gregorius libro 4. dial. c. 42. rogatus a Petro, *ubinam esse infernus credendus sit?* respondet: *Hac de re temere definire non audeo. Nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putaverunt, alii vero hunc sub terra esse aestimant.* Horum modestiam judicamus esse tutissimam et omni praeconio dignissimam. Quidam vero de loco inferni certi aliquid statuunt, sed in duas abeunt partes. Quidam enim existimant, *extra hunc visibilem mundum* quaerendum esse inferni locum; quidam vero *intra eius systema* eundem concludunt. In priori classe eminet Chrysostomus dict. l. subjungens, *ἔξω που, ὡς ἔγωγε οἶμαι, τοῦ κόσμου τούτου παντός.* Cum enim damnatorum status ac conditio ab eorum, qui in hoc mundo vivunt, statu plurimum sit diversa, ideo videtur etiam locus aliquis ab hoc mundo longissimo intervallo sejunctus illis convenire. Quemadmodum carceres et metalla regum porro distant, ita coelum et damnatorum locus. Qui posteriorem classem complent, diversis etiam ipsi scinduntur opinionibus. 1. Quidam enim suspicantur, locum inferni esse *aërem illum obscurum et caliginosum,* in quo daemones versantur. Gregorius Nyssenus libr. de anim. et resurrect. p. 193: *Non aliud quippiam mihi videtur tum in externorum, tum in divina Scriptura per nomen inferni significari, in quo animas esse dicunt, praeterquam in id, quod et obscurum est et non videtur, transitionem* etc. Idem statuere videtur auctor operis imperf. in Matth. homil. 53. p. 283. Eorum opinioni robur acquiri posset ex eo, quod Ephes. 6. v. 12. diaboli dicuntur *κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου,* ac *τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις,* cum tamen *in tartarum* dicantur *detrusi* 2. Petri 2, v. 4. 2. Isidorus suspicatus est, *infernum esse sub ipso telluris globo,* sic enim contra ipsum disputat Baptista Mantuanus lib. 3. de patientia cap. 23: *Damnatorum locus non sub ipso globo, ut Isidorus putat, sed in ipsius globi terrestris medio, tellure ipsa sinum et quasi alveum aperiente, credendus est. Isidorus autem dixit, futurum esse, ut post judicium solis et lunae orbes ita firmentur, ut huic nostro tantum hemisphaerio lucem infundat, damnatos vero in sempiternam noctem alterius hemisphaerii relegandos, ubi esse a multis putantur antipodes. Sed haec,* inquit, *est jampridem explosa sententia.* 3. Chrysostomus homil. 31. in epistol. ad Roman. et in homil. de praemiis sanctorum et honoribus apostolorum et gehenna

refert, multos existimare, *gehennam esse in valle*
XX. 269. *Josaphat. Nonnulli*, inquit, *id, quod de valle Josaphat a bello quodam praeterito sic dicta in Scripturis habetur, ad infernum trahunt.* Idem refert Gregorius libro 4. dialog. cap. 42. Huic opinioni probabilitas posset conciliari ex appellatione, quod Scriptura infernum vocet *gehennam.* Sed ostendimus superius, non ratione loci, verum ob alia quaedam comparationis membra hoc nomen inferno tribui. 4. Quidam in genere dicunt, *esse locum subterraneum.* Tertullianus in apologet. cap. 45. infernum vocat *arcani ignis subterraneum thesaurum.* libr. de anim. cap. 54: *Nobis inferi non nuda cavositas neque subdivalis aliqua mundi sentina creduntur, sed in fossa terrae et in alto vastitas et in ipsis visceribus ejus abstrusa profunditas.* Cyrillus libr. de recta fide ad Theodos. tom. 3. p. 266. vocat *subterraneas specus.* Hieronymus in cap. 4. Ephes. super verba *descendit ad inferiores partes: Infernum sub terra esse nemo jam ambigat.* Augustinus libr. 2. retract. cap. 24: *De inferis magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur sive dicantur, quasi non ita sit.* Gregorius libro 4. dialog. c. 42: *Non video, quid obstet, ut sub terra infernus esse credatur.* Innocentius lib. 3. de contemt. mund. cap. 6: *Creditur infernus esse sub terris, secundum illud Esai. 14: Infernus subter te conturbatus est.* Eadem videtur sententia Damasceni libro 3. c. 29. Bedae libro 3. in Job. cap. 7. Primasii Apocal. 7. Anshelmi in elucidario etc. 5. Quidam *in abysso maris* inferni locum quaerunt, permoti dubio procul appellatione abyssi inferno attributa. Keckermannus in system. theolog. cap. 7. pag. 288: *Probabile est, infernum in profundioribus terrae marisque speluncis esse.* 6. Quidam in specie ac determinate *in centro terrae* infernum statuunt, quam opinionem Pontificii communi consensu hodie amplectuntur, ut constat ex Barradio libro 10. comment. evangelicor. cap. 4. pag. 618. Bellarmino libr. 4. de Christo cap. 10. etc. Quin et *ostium* sive aditum inferni demonstrare non verentur. Gregorius libr. 15. moralium cap. 30. memorat, *quendam anachoretam vidisse, regem Theodoricum inter Johannem papam et Symmachum patricium discinctum, discalceatum ac devinctis manibus deductum in ollam Vulcani, insulae Lipari vicinam, esse jactatum.* cap. 35: *Quod Eumorphius morti vicinus in Siciliam se duci testatus est, quid sentiri aliud potest, nisi quod prae ceteris locis in ejus terrae insulis eructante igne tormentorum ollae patuerunt? quae ut solent narrare, qui noverunt, laxatis quotidie sinibus excrescunt, ut mundi termino appropinquante, quanto certum est illuc amplius exurendos colligi, tanto et eadem tormentorum loca amplius videantur aperiri.* Idem repetit libr. 4. dialog. 9. p. 45. quem locum allegans Bellarminus libr. 2. de purgatorio cap. 6. scribit, *Gregorium putasse, varias eruptiones ignis, quae in terra apparent, esse indicia quaedam inferni intra terrae viscera exsistentis.* Lurentius Surius in historia anni 1537. postquam dixisset, *naturales quasdam rationes terribilis illius ignis Aetnaei montis a philosophis afferri*, subjungit, *verisimile esse, quidquid statuant philosophi, iis in locis esse quaedam Tartari ostia aut loca puniendis animabus destinata, quemadmodum in Islandia insula mons est occidentem versus Hecla dictus, a quo non longe absunt fodinae sulfuris, quod inde copiose plenis navibus evehitur, visuntur illic mortuorum spiritus, qui in nota specie offerunt se familiaribus colloquiis hominum, idque adeo ut adhuc vivere putentur ab illis, qui eos nesciunt vel submersione, vel alia violenta morte* XX. 270.
periisse, nam tales praecipue apparent, cum autem eos orant amici vel noti, ut domum redeant, dicunt cum ingenti gemitu, se Heclam montem petere, et ilico disparent. Nominat autem Surius hujus historiae testem Olaum Magnum in histor. region. septentrion. Sed addit Olaus, *glaciem etiam illius insulae referre gemitum et ejulatum humanae vocis*, ex quo confirmari posset, non solum ignem, sed etiam aquam glacialem et frigus proprie dictum in inferno esse. Confer Münsterum libro 4. cosmogr. cap. 32.

85. Opponimus vero huic Pontificiorum opinioni, 1. quod coelum, terra ac mare in die judicii essentialiter sint peritura, ut in praecedente tractatu ostendimus. Quodsi ergo infernus esset in centro terrae, utique etiam una cum terra aboleretur. Nuspiam legimus, partem aliquam terrae transituram, partem remansuram, *sed coelum et terra ita transibunt, ut locus eis non inveniatur* Apoc. 20, v. 11. 2. Quod ex gentilium fonte hoc dogma videatur esse haustum. Tertullianus libr. de anim. cap. 54: *Inferos velut gremium terrae describit Plato in Phaedone.* Homerus libr. Θ Iliad. tartari locum sic definit:

Βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι καὶ χάλκεος οὐδός,
Τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

ubi Eustathius Homeri scholiastes: *ἅϊς τόπος σκοτεινὸς ὑπὸ γῆν ἀφανὴς, ἀφωρισμένος ψυχαῖς.* Lucianus de luctu constituit *τόπον τινὰ ὑπὸ τῇ γῇ βαθὺν, μέγαν καὶ πολύχωρον καὶ ζοφερὸν καὶ ἀνήλιον.* 3. Quod non possit evidentibus et firmis argumentis ex Scripturis probari, ut ex speciali eorum examine apparebit. Urgent 1. *quaedam Scripturae dicta.* 1. Num. 16, v. 33: *Core, Dathan et Abiran vivi descenderunt in infernum, cum terra eos deglutiret.* Psalm. 106, v. 17: *Aperta est terra et deglutivit Dathan.* Respondemus: Quidam per *scheol* intelligunt hic loca duntaxat subterranea ac voraginem terrae, ut sit sensus, quod seditiosos illos terra suo hiatu vivos quasi devoraverit ac sepeliverit, cum alias non nisi mortui terris inferri consueverint v. 29. non autem infernum sive locum damnatorum, quia alias sequeretur, omnia illorum seditiosorum bona ad infernum pervenisse. Sed si vel maxime concedamus, per scheol hoc loco intelligi locum damnatorum, ex eo tamen inferri nequit, eum in centro terrae esse statuendum, sensus enim est, quod a terra

absorpti in ea non permanserint, sed ad infernum usque detrusi sunt, quo autem in loco ille statuendus sit, ibidem non exprimitur. Quemadmodum ex eo, quod Christus in sua adscensione exceptus est a nube, elevatus in coelum et sedet ad dextram Dei, inferri nequit, quod nubes, coeli visibiles et dextra Dei sint unus idemque locus, quodque Christi mansio sit receptaculum localiter circumscriptum et altitudine locali a nobis longissime separatum; ita quoque ex eo, quod seditiosi dicuntur terrae hiatu absorpti et *in infernum descendisse*, colligi nequit, hiatum terrae et infernum esse unum eundemque locum, adeoque infernum esse receptaculum locale in ipso terrae centro situm, distinguendum enim inter φορᾶς medium ac terminum. Confer Mehlfurerum decad. 4. vindic. evang. disp. 6. thes. 83. Cornelius a Lapide in comment. statuit, *illos seditio-*
71. *sos vivos quidem a terra absorptos, non autem vivos in infernum pervenisse;* eadem ratione dicere possumus, ipsos quidem in illo terrae hiatu in infernum descendisse, sed ex eo non posse inferri, quod in centrum terrae descenderint. Luc. 16, v. 22. et 23. de divite epulone dicitur, quod et *sepultus fuerit* et post mortem in infernum detrusus, sed ex eo inferri nequit, quod ipsum sepulcrum sit infernus, sicut vulgata versio vitiose reddidit *sepultus est in inferno*, sed quod corpus ejus illatum fuerit sepulcro, anima vero inferno 2. Psalm. 16, v. 10: *Non derelinques animam meam in inferno*, quod vaticinium de Christi ad inferos descensu exponitur Actor. 2, v. 31. cap. 13, v. 35. Respondemus: Quidam nomen ᾅδου accipiunt in secunda significatione pro doloribus inferni ac proinde metaphoricum Christi ad inferos descensum his verbis describi statuunt, 1) quia particula haec, *non deseres animam in inferno* etc. conjungitur cum iis, quae necessario ad Christi exinanitionem referenda Actor. 2, v. 24. 27. et 31. 2) quia opponitur illi *liberatio a morte et ipsa exaltatio* v. 30. 32. et 33. 3) quia praeponitur haec particula *sepulturae* v. 27. et 31. quam realis ad sedem damnatorum descensus fuit secutus; 4) quia Christus laetatur, quod *anima ejus non sit in inferno deserenda*, at hoc reali et triumphali descensui minus videtur convenire; 5) quia emphatice dicitur οὐκ ἐγκαταλείψεις, non patieris me limo profundo manere immersum, sicut haec vocula usurpatur Psalm. 69, v. 3. Quidam in tertia significatione accipiunt pro extremo humilitatis gradu, iisdem fere argumentis usi. Quidam in quarta significatione pro doloribus mortis ac communi mortuorum statu, quia v. 24. dicit apostolus, quod *Deus suscitaverit Christum solutis doloribus mortis, juxta quod impossibile erat, eum ab illa teneri;* sed ex textu apparet, apostolum plura complecti. Quidam in quinta significatione accipiunt pro sepulcro, quae sententia Calvinianis potissimum arridet; sed apostolus utrumque sibi demonstrandum proposuerat v. 24. Christum non modo *a morte* per resuscitationem, sed etiam *a doloribus mortis* per exaltationem fuisse liberandum, ad utrumque igitur referri debet, quod probationis loco ex Psalm. 16, v. 10. refertur. Quodsi vel maxime inferni nomine ipsam damnatorum sedem accipiamus, nondum tamen evictum erit, infernum esse in centro terrae. Cum enim in Graeco non legatur ἐν ᾅδῃ sed εἰς ᾅδου, ideo quidam statuunt, esse locutionem ellipticam, ut subintelligatur οἶκον hoc sensu, quamvis anima mea sit expertura dolores morientium, non tamen permittes, ut cruciatibus illis victa in infernum usque detrudatur ac poenas damnatorum ibidem experiatur. Quin imo si vel maxime de reali, triumphali ac glorioso Christi post mortem et sepulturam ad inferni locum descensu accipiatur, nondum tamen ex eo sequitur, quod infertur, quia Christus post sepulturam descendere ad inferos potuit, etiamsi infernus non sit locus in centro terrae constitutus, quia *sepultura et descensus ad inferos* sunt distincti actus, neque in ipso sepulturae momento Christus ad infernum descendit, sed immediate ante resurrectionem. 3. Psalm. 139, v. 8: *Si descendero ad infernum, tu illic ades.* Respondemus: Intelliguntur in genere ima, profunda et obscura terrae loca, non autem sedes damnatorum. Exempla hujus significationis occurrunt Job. 11, v. 8. Amos 9, v. 2. 4. Matth. 11, v. 23: *Tu Capernaum, quae usque in coelum exal-*
tata es, usque in infernum descendes. Coeli nomine XX. 272.
intelligitur pars mundi suprema, ergo etiam vox inferni significabit partem mundi infimam et per consequens locum subterraneum in terrae centro. Respondemus: Sicut per phrasin *exaltari in coelum* μεταφορικῶς intelligitur summa exaltatio, gloriosa elevatio non loci, sed status et conditionis, videlicet dignitatis respectu; sic requirit oppositio, ut per phrasin *dejici in infernum* intelligatur summa humiliatio ac dejectio non profundioris loci, sed itidem status et conditionis, videlicet ignominiae et miseriae respectu, adeoque intelligitur summa et ima infelicitas, extrema ignominia, quam cum diabolis Capernaitae et omnes impii habebunt communem. 5. Matth. 12, v. 40: *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus ac noctibus, sic Filius hominis erit in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. Sicut cor in medio est animalis, ita infernus in medio terrae.* Respondemus: Describitur in his verbis non descensus Christi ad inferos, quia Christus non fuit per integrum triduum in inferno, sed in sepulcro. Isidorus Pelusiota libr. 1. epist. 14: *Trium Domini in sepulcro transactorum dierum haec est explanatio, tanto enim temporis spatio in sepulcro commoratus, quanto Jonas in ventre ceti.* Neque est, quod urgeatur vox *cordis*, illa enim significat rei medium non secundum mathematicam et exactam situationem, sed juxta physicam ὡς ἐν πλάτει collocationem, cum nec cor in animalibus exacte medium obtineat. Psalm. 46, v. 3: *Cum movebuntur montes in cor marium*, Targum reddidit בְּפִילְגִים, *in pelagus.* Ezech. 28, v. 2: *Habito in corde marium*, id est maria me ambiunt, sum in loco securo ac forti. Huc referri potest regula, quam proponit et exemplis e Scriptura petitis illustrat Sanctius in comm. Esai. p. 138: *Phrasis in medio juxta idiotismum*

Hebraeum aut nihil addit praepositioni, cui adjungitur, aut certe aliquid aliud valet, quam quod proprie dicitur medium, id est quod ab extremis aequaliter distat. 6. Luc. 16, v. 23. per *chasma distinctus locus divitis a loco Abrahae denotatur.* Respondemus: πού damnatorum re vera distinctum esse a πού beatorum atque ab eo longissimo intervallo separatum libenter concedimus, sed situm illius πού libenter ignoramus. Si infernus est in centro terrae, quantus quaeso prospectus erit, qui ex infimo terrae centro usque ad summum coelum pertingit? Adde, quod Pontificii nondum consentiant, an dives ille fuerit *in inferno*, an vero *in purgatorio.* Ad inferos eum ablegat Bellarminus d. l. cui consentiunt Stapletonus in prompt. cathol. fer. 5. hebd. 2. quadrag. et alii, quorum sententia est verissima, sed Hieronymus Emserus in annotat. Nov. Testam. ad cap. 16. Luc. sic scribit: *Ex eo, quod Graecus textus sententiam finit et sepultus est, non autem legit ut Latina, sepultus est in inferno, Faber Stapulensis insigne fundamentum exstruxit, epulonem divitem non in inferno sed in purgatorio fuisse, ideoque necessario purgatorium ignem esse concedendum.* 7. Ephes. 4, v. 9: *Descendit* εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, id est *ad infernum.* Respondemus: Quidam hoc accipiunt de formatione sive conceptione Christi in utero matris virginis, quo sensu *inferiora terrae* usurpantur Psalm. 139, v. 15. Quidam generaliter exponunt de *infima humiliatione* ac profundissima exinanitione, cui subsequens exaltatio opponitur. Quodsi vel maxime ad realem, gloriosum ac triumphalem Christi ad inferos descensum applicetur, nondum tamen evictum fuerit, inferos esse in centro terrae statuendos, quia Scriptura verbis hujus seculi
XX. 278. describit res futuri seculi ac vocabulis locum significantibus statum et conditionem rei declarat, quia gloriosi et honorati loco sublimi, contemti vero et abjecti loco infimo solent statui. 8. Phil. 2, v. 10: ἐπουρανίοις καὶ ἐπιγείοις *conjunguntur* τὰ καταχθόνια, *ubi vox* καταχθονίων *nihil aliud significat quam spiritus subterraneos, qui in locis subterraneis degunt.* Respondemus: per τὰ καταχθόνια intelliguntur creaturae subterraneae a coelestibus ac terrestribus distinctae, sicut alias per *coelum, terram, mare* et omnia, quae sunt in eis, totum universum ac omnes creaturae intelliguntur. Sensus enim est, quod omnia Christo sint subjecta ipsumque cogantur agnoscere dominum et regem, Psalm. 8, v. 8. Matth. 28, v. 18. Ephes. 1, v. 21. Puerile est, quod Bellarminus urget phrasin *genuflexionis*, ut evincat, non posse intelligi creaturas irrationales subterraneas, sed spiritus in locis subterraneis degentes, id ist, ut alibi mentem suam exponit, *animas in purgatorio sudantes*, nam nec illi proprie loquendo possunt genua flectere. Intelligitur autem nomine γονυκαμψίας μετωνυμικῶς ipsa subjectio, cujus signum externum solet esse illa incurvatio. Confer Origenem libro 9. Roman. cap. 14. At, inquis, per καταχθονίους intelliguntur ipsi etiam daemones, ut Theophylactus in comment. et Thomas lect. 3. super hunc locum recte monent, quia si non voluntarie et ex affectu reverentiae, tamen involuntarie et ex sensu potentiae Christo genua flectere, id est imperium ejus agnoscere, coguntur. Ergo illi habitabunt in locis subterraneis, et per consequens, in illis erit infernus. Respondemus: Vocantur etiam κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου Ephes. 6, v. 12. quod ergo dicuntur καταχθόνιοι, illud secundum quandam ἀναλογίαν, nec ut proprie, sed metaphorice dictum accipiendum. Quemadmodum enim coelestis beatitudo cum paradiso ac rebus super terram amoenis et jucundis confertur; ita quoque supplicia infernalia ex adverso cum rebus subterraneis, in quibus horribiles tenebrae, profundae foveae ac vastae voragines, comparantur, quia de rebus spiritualibus et invisibilibus non possumus aliter informari quam per voces rerum visibilium ac corporearum. 9. Apocal. 5, v. 3. et 13. *mentio fit creaturarum sub terra, quae non potuerint librum aperire vel Deum laudare. Ergo intelliguntur spiritus subterranei, id est in inferno constituti.* Responsio patet ex dictis; v. 13. mentio etiam fit *maris*, num vero dicemus, etiam in mari versari spiritus fidelium? Confer ea, quae in tract. de morte §. 274. contra purgatorium disseruimus.

86. 2. *Ex rationibus.* 1) *Ex appellatione.* Locus *tormentorum infernalium vocatur infernus et inferi, quod est ab infra; item abyssus.* Respondemus: Nomen *inferorum* non ex textu Scripturae authentico, sed ex gentilium nomenclatura est desumtum, nec tam ob loci profunditatem quam ob flatus et conditionis humilitatem damnatorum sedi tribuitur. Gregorius Nyssenus libr. de anima et resurrect. pag. 194: *Non videtur divinus apostolus Philip. 2. ratione loci naturam mente atque intelligentia praeditam discernens atque distinguens aliud quidem coeleste, aliud terrestre, aliud item subterraneum nominasse, sed quoniam naturae ratione praeditae tres status atque conditiones sunt, una quidem, cui ab initio vita contigit incorporea, quam angelicam nominamus; altera vero cum carne conserta atque connexa, quam humanam dicimus; alia autem per mortem
a carnibus absoluta, quae res in animabus animad-* XX. 2
vertitur; hoc opinor, altitudine sapientiae videntem apostolum, eum, qui aliquando futurus est, universae ratione praeditae naturae in bono consensum significare, ac coeleste quidem vocare angelicum et incorporeum, terrestre vero implicitum et consertum cum corpore, subterraneum autem id, quod jam a corpore separatum atque disjunctum sit etc. *Quae cum ita sint, nemo nos coëgerit subterraneorum et infernorum nomine subterraneum intelligere locum.* Augustinus libro 12. de Genes. ad lit. cap. 34: *Ideo sub terris dicuntur inferi, quia congruenter in spiritu per illas corporalium rerum similitudines exhibeatur, quod ipsi carni mortui solet, ut sub terram recondatur. Denique inferi eo, quod infra sint, Latine appellantur, sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora, ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora.* Isidorus in libr. ety-

molog. *infernum dictum* putat quasi intus furnum, id est nigrum, quam etymologiam si amplectamur, concidit vis argumenti. Ex nomine *abyssi* itidem nequit concludi, infernum esse in centro terrae, quia confusum illud chaos, *rudis indigestaque moles*, ex qua coelum et terra postmodum condita, vocatur *abyssus* Genes. 1, v. 2. neque tamen fuit subterranea, multo minus quaedam in centro terrae vorago. Abyssus proprie significat tantam aquarum multitudinem, ad cujus fundum perveniri haud facile possit; quando ad infernum applicatur, non tam inferni situs quam status exponitur. Quemadmodum enim ea, quae in talem abyssum demerguntur, pro perditis habentur et nunquam revocantur, sic damnati in infernum abjecti aeterno exitio fiunt obnoxii, neque unquam lucem iterum vident, vel ex inferno liberantur. 2) *Ab oppositione. Aequum est, ut locus justorum sit coelum celsissimum, siquidem gloria sunt celsissimi; locus autem impiorum sit infima terrae pars, quia supplicio sunt infimi.* Bruleferus 2. sent. dist. 6. q. 3: *Sicut Deus ex piissima sua misericordia praeparavit locum quendam amoenissimum, clarissimum et jucundissimum, pulcherrimum et altissimum electis suis; ita ex severitate justitiae suae paravit locum turpissimum, nefandissimum velut carcerem perpetuum puniendis transgressoribus mandatorum suorum in medio terrae* etc. Respondemus: Si absolute et simpliciter ex loco dignitas status et conditionis dependeret, tum melioris meriti essent aves coelo propriores quam pii in his terris viventes, qua de re in sequent. tractatu plenius dicetur. 3) *Ex comparatione. Sicut in sterquilinium sordes omnes deferuntur, sic in tartarum omnes peccatorum immunditiae projiciuntur. In corde terrae, id est in inferno, impii concluduntur, quia terram in corde suo habuerunt Deoque praetulerunt. Habuerunt mundum in corde, habet illos vicissim in corde mundus, par pari reddent. Mortua corpora sub terra tumulantur, mortui quoque Deo homines sub terra in inferno sepeliuntur, juxta illud: Mortuus est dives et sepultus in inferno. Pondera petunt infimum locum. Damnati homines pondus peccati gravissimum habent, ideoque infimum mundi locum petunt. Ponderosi peccati locus velut naturalis tartarus est.* Barradius dict. loc. Respondemus: Comparationes non probant illud, quod adhuc dubium, sed quod jam ante probatum illustrant. Adde, quod in ἀποδόσει *spiritualiter* debet intelligi, quod in προτάσει *corporaliter*, alias non erit similitudo sed identitas. Sic peccata sunt sordes spirituales, non autem corporeae quaedam immunditiae. Ergo
XX. 275. etiam locus inferni, in quem peccatores abjiciendi, erit sterquilinium spirituale, ut nihil de eo dicam, quod sterquilinia, sordium receptacula, non sint in centro terrae, sed supra terram. Impii mundum in corde habuerunt non corporaliter sed spiritualiter per inordinatum amorem. Ergo etiam in corde mundi erunt non corporaliter sed spiritualiter. Impii sunt mortui non morte corporali sed aeterna ac spirituali, et corpora eorum spirituali sensu dicuntur cadavera. Ergo etiam sepultura spiritualis accipienda. Peccatum est pondus spirituale. Ergo etiam locus spiritualiter profundus illi competit.

CAPUT XI.

DE COGNATIS et PUGNANTIBUS.

87. *Cognata* inferni sunt 1. *omnes poenae temporales*, quibus Deus in hac vita coërcet impios, illae enim admonent ipsos de poenis aeternis, ac nisi poenitentiam ante mortem agant, sunt initia aeternarum poenarum. 2. Cumprimis vero *angores et terrores illi conscientiae*, quos impii in hac vita sentiunt, ex quibus saepe ruunt in desperationem ac sibi ipsis violentas manus inferunt. Sic ergo in hac vita impii mortem quaerunt et inveniunt, sed in altero seculo mortem quaerent et non invenient. 3. *Calamitates temporales*, quibus Deus *pios* in hac vita subjicit, illae enim testantur, Deum, si velit cum ipsis in judicium intrare, posse eos a se aeternum abjicere. 4. Cumprimis vero ille *gustus dolorum infernalium*, quem Christus nostro loco in sanctissima sua passione sensit, et quem pii quandoque experiri coguntur, ut intelligant, a quo malo per Christum sint liberati. *Pugnantia* sunt. 1. *Epicurea securitas* eorum, qui in diem vivunt, nec de coelo acquirendo, nec de inferno fugiendo soliciti. 2. *Haeretica pravitas* eorum, qui vel infernum ex toto negant, vel ὀρθοδοξίαν ejus ex parte corrumpunt. 3. *Summa beatorum angelorum et hominum in coelo felicitas*, quae extremae damnatorum miseriae e diametro est opposita.

Cognata inferni.

Pugnant.

CAPUT XII.

DE USU HUJUS ARTICULI.

88. *Usus* hujus articuli est tum *theoreticus*, tum *practicus*. 1. *Theoreticus* est 1. διδασκαλικός, 2. ἐλεγκτικός. 2. *Didascalicus* usus in eo consistit, ut doctrinam de inferno ac poenis impiorum aeternis ex verbo Dei discamus ac solida et fundamentali ejusdem cognitione adversus mundi irrisiones et carnis nostrae insusurrationes fidem nostram probe muniamus; *elencticus*, ut corruptelas erroneas eorum, qui Sardonio risu infernum ex toto negant et aeternas impiorum poenas fore credentes exsibilant, vel orthodoxiam hujus articuli in Scripturis traditam ex parte labefactant, repellamus. 2. *Practicus* usus est vel *generalis* vel *specialis*. *Generalis*, ut hujus novissimi omnibus incredulis et impiis metuendi perpetuo memores a visibilibus ad invisibilia, a praesentibus ad futura, a temporariis ac momentaneis ad aeterna et oculos et animos nostros convertamus, juxta tritum illud:

Usus 1. theoreticus.

XX. 276. 2. Practic. 1. Generalis.

Mors tua, judicium postremum, gloria coeli
Et dolor inferni sunt meditanda tibi.

Neque enim eo fine doctrinam de inferno in sacris literis deus nobis proposuit, ut otiosas et ἀπεράντους quaestiones *de inferni loco, de natura ignis infernalis, de tempore, quo infernus creatus* etc. reciprocante contentionis serra agitemus, sed ut quotidiana ac pia meditatione aeternas impiorum poenas in inferno ipsis paratas solicite expendentes ab omnibus, quae infernalem istum ignem succendere nobisque attrahere possunt, summo studio caveamus. Chrysostomus homil. 44. in Matth. pag. 406: *Verba de gehenna, ne in gehennam devenias, efficiunt*, καὶ ἰατρεία τὸ πρᾶγμα γίνεται, *ac medicinae loco sunt sumenda.* homil. 3. in 2. Thess. pag. 1494: *Si gehennam semper cogitemus, non cito in eam incidemus. Propterea supplicium minatus est Deus. Si eam cogitare non magnum aliquod haberet lucrum, non eam jam minatus esset Deus; sed quoniam ejus recordatio valet ad res magnas gerendas, propterea tanquam salutare aliquod medicamentum*, καθάπερ τι φάρμακον σωτήριον, *ejus minas nostris insevit animis.* Est postea: *Num si sileas de gehenna, gehennam exstinxeris? Num si dixeris, accenderis? seu dixeris, seu non dixeris, exardescet ignis. De ea dicatur assidue, ut nunquam in eam incidas.* pag. 1495: *Regni non ita meminerimus ut gehennae. Metus enim majorem vim habet quam promissio, et scio, quod multi bona despicati essent innumerabilia, si liberati essent a supplicio* etc. *Nullus ex iis, qui gehennam habent ante oculos, incidet in gehennam; nullus ex iis, qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam* etc. οὐδὲν οὕτω χρήσιμον ὡς τὸ περὶ γεέννης διαλέγεσθαι, *nihil est aeque utile atque de gehenna disserere, quovis argento puriores nobis efficit animas. Christus ipse de ea disserit. Nam etsi molestia afficit auditorem, ei tamen prodest maxime, talia enim sunt omnia, quae prosunt. Nam et medicamenta et cibi aegroto prius sunt molesti, et tunc afferunt utilitatem. Si non ferimus verborum gravitatem, est perspicuum, fore, ut feramus per rerum experientiam.* Smaragdus ad cap. 4. regulae: *Mala inferni debemus jugiter ante oculos mentis nostrae adducere et gehennam ignis aeterni terribiliter expavescere et insuper diligentissime et apertis oculis mentis intentissime cogitare, quale malum sit ab illo gaudio divinae contemplationis excludi et in inferni tartarum et gehennae locum demergi* etc. Bernhardus in libr. de vita solitar. ad fratres: *Descendamus in infernum viventes, ne descendamus morientes, hoc modo pii saepe in infernum descendunt. Sicut enim assidue contemplando revisere amant gaudia coelestia, ut ardentius ea appetant; sic et dolores inferni, ut horreant et fugiant, et hoc est, quod imprecantur inimicis suis orantes, ut descendant in infernum viventes.* Idem epist. 292: *Utinam saperes, quae Dei sunt, intelligeres, quae mundi sunt, provideres, quae inferni sunt, profecto inferna horreres, superna appeteres, quae mundi sunt contemneres.* Hoc modo sapiebat is, *qui quotidie se librum evolvere dicebat, in quo sint tria folia, rubrum unum, alterum can-* XX. 277
didum, tertium nigrum; in rubro se legere dicebat Christi passionem, in candido beatorum glorificationem. Ita sapiebat, qui in vitis patrum libr. 7. cap. 44. dicebat: *Ego ob peccata mea inferno adjudicavi me ipsum dicoque: Esto cum his, quibus dignus es, istis postmodum annumeraberis. Video igitur ibi pares gemitus et incessabiles lacrymas, adspicio stridentes dentibus* etc. *et tunc lamentor genus hominum, quod audeat loqui vel cuilibet attendere, tantis mundo repositis malis, et in his teneo mentem meam luctum meditans, indignum me coelo et terra judicans.* Utinam vero atque iterum utinam ecclesiarum ministri in *novissimis* hisce, cumprimis vero in *poenis infernalibus* populo inculcandis et exaggerandis frequentiores essent! Majori certe cum auditorum emolumento illud foret conjunctum, quam si controversias vel jamdudum sopitas, vel ecclesiae nunquam auditas ingenii ostentandi causa pro concione toties tractarent. Ἔλεγχον errorum, a quibus auditoribus impendet periculum, non improbamus, sed interim frequentiorem novissimorum mentionem in concionibus fieri merito optamus. Utinam atque iterum utinam nosmet ipsi in poenis inferni ac earum tum *atrocitate*, tum *aeternitate* quotidie expendenda essemus diligentiores! *Atrocitatem* istarum poenarum velut in tabella quadam depictam et per partes expositam superius exposuimus, quam utinam quilibet nostrum pia contemplatione singulis horis, imo momentis intueretur! De *aeternitate* vero istarum poenarum quid dicemus? infinita illa est, proinde etiam finito intellectu comprehendi ac verbis humanis mensurari nequit. Post innumerabilia atque infinita annorum millia semper cogitare cogentur, haec esse duntaxat suppliciorum suorum initia. *O aeternitas, aeternitas*, tu sola ultra omnem modum ac cogitationem damnatorum supplicia exaggeras! Sine ullo fine torquendum esse ultra omnes desperationis fertur terminos. Quid enim gravius, quid molestius, quid durius *quam semper velle, quod nunquam erit, et semper nolle, quod nunquam non erit? semper vivere nolle, et tamen mori, semper mori nolle, et tamen vivere?* Tanta profecto sunt aeternitatis spatia, ut si damnatus aliquis millesimo quoque anno unam ex oculis emitteret lacrymulam, plus aquae effflueret, quam totus mundus capere posset. Confer meditat. nostram 49. et 50.

89. 2. Usus practicus *specialis* est vel παιδευτικός, vel 2. Specialis.
παραμυθητικός. 1. Παιδευτικός est vel ἐπανορθωτικός, 1. παιδευτικός.
vel παραινετικός. 1. Ἐπανορθωτικός, *correctorius*, in eo
consistit, quod infernalium tormentorum meditatio 1. Correctorius.
revocat nos 1. *in genere* ab *impietate et securitate, a peccatis contra conscientiam et proclivitate ad culpam.* Parata sunt peccatoribus aeterna tormenta, eccur adhuc nos delectant peccata? Qui peccat contra conscientiam, aedificat ad gehennam, eccur igitur conscientiae lumen peccatorum tenebris obruere ac internam ejus admonitionem respuere pergimus? Quid aliud devorabit ille ignis quam peccata nostra?

Quanto magis in peccatis pergimus, tanto uberiorem ignis illius materiam colligimus. Chrysostomus homil. 3. in 2. epistol. Thessal.: *Μὴ φύγωμεν τὴν τῆς κολάσεως μνήμην, ἵνα μὴ κολασθῶμεν, ne fugiamus poenae memoriam, ne in poenam incidamus.* Augustinus in enarrat. Psalm. 49: *Si possemus facere, ut dies judicii non veniret, puto, quia nec sic erat male*
XX. 278. *vivendum. Si non veniret ignis Dei judicii et sola peccatoribus immineret separatio a facie Dei, in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes eum, a quo creati sunt, et separati ab illa dulcedine ineffabilis vultus ejus, in qualibet aeternitate et impunitate peccati plangere se deberent. Sed haec amantibus poena est non contemnentibus. Qui dulcedinem sapientiae et veritatis utcunque sentire coeperunt, noverunt, quanta poena sit tantummodo a facie Dei separari; qui autem illam dulcedinem non gustaverunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem. Supplicia terreant, quem praemia non invitant. Vile tibi est, quod Deus pollicetur, contremisce, quod minatur* etc. *Amplexaris peccata tua et delicias carnis tuae, stipulas ad te congeris. Veniet ignis, ignis in conspectu ejus ardebit. Non est iste ignis sicut focus tuus, quo tamen si manum mittere cogaris, facies, quidquid voluerit, qui hoc minatur, si tibi dicat, scribe contra caput patris tui, scribe contra capita filiorum tuorum. Nam si non feceris, manum tuam mitto in focum tuum, facies, ne ardeat manus; ne ardeat ad tempus membrum tuum, non semper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leve malum, et facis malum, minatur Deus aeternum malum, et non facis bonum* etc. *Minis Dei, minis ignis aeterni prohiberis a malo, invitaris ad bonum.* Prosper libro 3. de vit. contemplat. cap. 12: *Inferni tormenta libenter audire vel legere, jugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, sine ulla perturbatione metuere, cogitare, quale malum sit ab illo gaudio divinae contemplationis excludi* etc. *haec, inquam, cogitare nihil est aliud quam vitiis omnibus repudium dare et omnia blandimenta carnalia refrenare.* Hugo libro 3. de anim.: *Si amor Dei tenere non potest, saltem teneat et terreat timor judicis, metus gehennae, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens, sulfur foetens, flamma tartarea et omnia mala.*

90. 2. *In specie* 1) *a libidine et omnibus carnis voluptatibus.* Memoria ignis aeterni exstinguat in nobis ardorem libidinis, amorem carnalis voluptatis, fervorem illicitae cupiditatis. Si durum ac difficile tibi videtur carnis concupiscentias refrenare et voluptatum amorem exstinguere, cogita, longe durius ac difficilius fore inferni ignem tolerare et in mediis flammis aeternum ardere. Augustinus sermon. 181. de tempor.: *Haec recordare et ignem illum gehennae his, quae te nunc exagitant, flammis libidinis et cupiditatis oppone.* Bernhardus sermon. 67. de modo bene vivend.: *Memoria ardoris gehennae exstinguat in te ardorem vitiorum.* 2) *A luxuria.* Multi hic devorant, quod in aeterno igne concoquant. Die Säufer gewöhnen am gepichten Bier und schweflichten Wein, des Feuers, Pechs und Schwefels in der Hölle. Dives epulo in his terris quotidie vixerat *splendide,* in ebrietate et ingluvię Luc. 16, v. 19. sed in inferno nec guttulam aquae, qua linguam suam irroraret, poterat impetrare v. 24. Sonet perpetuo in auribus nostris vox prophetae Esai. 5, v. 11: *Vae, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et usque ad vesperam, ut vino aestuetis.* vers. 14. *Propterea dilatavit infernus animam suam.* 3) *Ab avaritia.* Quid prodest avaris, *si totum lucrentur mundum, animae vero suae detrimentum patiantur? quidnam dare poterunt in commutationem pro anima sua?* Matth. 16, v. 26. *Plorate divites in miseriis vestris, quae advenient vobis. Aurum et argentum vestrum aeruginem contraxit, et aerugo eorum erit vobis in testimonium et manducabit carnes vestras sicut ignis* Jacob. 5, v. 1. et 3. Confer ea, quae de
objecto infernalium poenarum diximus superius, ex XX. 27
illis enim integer catalogus peccatorum, a quibus memoria inferni nos revocare debet, constitui potest. 4) *A praepostero ab hominibus timore.* Matth. 10, v. 28: *Ne metuatis vobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed metuite magis illum, qui potest animam et corpus perdere in gehenna,* in quae verba sic commentatur Hilarius canon. 10. in Matth.: *Constanter ingerenda est Dei cognitio et profundum evangelicae doctrinae secretum lumine praedicationis revelandum, non timendo eos, quibus cum sit licentia in corpora tantum, in animam jus nullum est.* Ambrosius libro 1. officiorum: *Omnia supplicia graviorum suppliciorum vincuntur formidine.*

91. Usus *παραινετικός* sive *exhortatorius* is est, ut 2. Exh tatoriu
infernalium tormentorum meditatio verum Dei timorem cordibus nostris instillet et ad poenitentiam mature agendam eandemque per studium bonorum operum demonstrandam nos impellat. Matth. 3, v. 7: *Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* v. 8. *Facite fructus poenitentia dignos.* v. 10. *Jam enim securis ad radicem posita est. Omnis ergo arbor, quae non facit fructum bonum, exscinditur et in ignem mittitur.* Omnes res viventes arcano naturae instinctu mortem temporalem horrent ac fugiunt, unde ergo est, quod homo ratione praeditus ac fide divina edoctus sempiternam mortem non horret nec fugit? Si unus tantum vel duo vel tres ex universo genere humano damnandi essent, merito timere deberet quisque nostrum, ne ex illorum numero esset; jam vero constat ex sacris literis, innumera hominum millia damnationi fore obnoxia, unde ergo est, quod timoris omnis expertes in securitate carnali infixi haeremus? Chrysostomus homil. 44. in Matth.: *Oro atque obsecro, quando de gehenna quidquam audimus, compungamur. Nihil enim certe hoc sermone jucundius est, quandoquidem nihil sit his rebus amarius. Et quomodo, inquies, de gehenna quidquam audire ac dicere jucundum esse asseris? Quippe quoniam res tristis est in gehennam incidere, idcirco qui ab ea re procul amovent, sermones suavissimi*

sunt. homil. 10. in 2. Corinth.: *Si ingressi in carcerem et videntes alios pallidos, alios vero vinctos et esurientes, alios vero in tenebris conclusos, concutimur, horrescimus et omnia, ne illuc incidamus, facimus; quando adducti trahemur in gehennae carceres, quales futuri erimus?* Idem homil. 5. ad popul. Antioch.: *Confert nos pueris, qui larvas timent, non ignem; ita nos larvas malorum, puta temporalia damna et aerumnas, timemus, ipsum vero malum, id est peccatum ignemque aeternum, quo nos ducit peccatum, non formidamus.* homil. 3. in 2. Thessal.: *Si legum, quae hic latae sunt, metus tantam vim habet, ut nos a pravis abducat actionibus, multo magis futurorum memoria, supplicium immortale, poena sempiterna. Si metus regis terreni a tam multis nos abducit malis, quanto magis metus aeterni regis? si mortuus, etiamsi solum videatur, animum nostrum ita reprimit, quanto magis gehenna et ignis, qui nequit exstingui? quanto magis vermis, qui non moritur?* Cyrillus Alexandrinus in oratione de exitu animae: *Gehennam timeo, quippe interminatam, exhorreo tartarum, ut cui nimium insit caloris, paveo tenebras, quoniam nihil admittunt lucis, formido pestiferum vermem, quoniam est perennis.* Hieronymus epistol. 22. ad Eustoch.: *Ille ego, qui ob gehennae metum tali me carcere damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum* etc. Gregorius
XX. 280. libro 9. moralium cap. 40: *Quid prodest ista* (tormenta inferni) *praenosse, si non contingat evadere? Tota ergo intentione curandum est, ut cum vacationis tempus accipimus, bene vivendi studio malorum ultricia tormenta fugiamus.* Bernhardus sermon. de convers. ad cleric. capite quinto: *Haec mala qui pavet, cavet; nam qui negligit, incidit.* Idem sermon. 16. in Cant.: *Paveo gehennam, contremisco a dentibus bestiae infernalis, horreo vermem rodentem et ignem torrentem, fumum et vaporem et sulfur et spiritum procellarum, horreo tenebras exteriores.* Gersonius lect. 33. in canonem: *Felix terror transitorius, qui timorem aeternum excludit.* Thomas de Kempis libr. 1. de imit. Christi cap. 24: *Una hora illic gravior erit in poena quam hic centum anni in poenitentia. Exhorrescamus ergo gehennam, timeamus vultum judicis ipsis quoque angelicis tremendum potestatibus, contremiscamus ab ira Potentis, a facie furoris ejus, a fragore ruentis mundi, a conflagratione elementorum, a tempestate valida, a voce archangeli, a verbo aspero; contremiscamus a dentibus bestiae infernalis, a ventre inferni, a rugientibus praeparatis ad escam; horreamus vermem rodentem, ignem comburentem et torrentem, fumum et vaporem, sulfur et spiritum procellarum, tenebras mortis, portas inferni. Quis dabit oculis et cordibus nostris fontem lacrymarum, ut praeveniamus fletibus fletum et stridorem dentium, manuum pedumque dura vincula et pondus catenarum prementium, stringentium, urentium et nunquam finientium?*

παρα- υθητι- ἰς. 92. 2. Usus παραμυθητικός sive *consolatorius* in eo consistit, ut in quibusvis adversis ac persecutionibus adeoque in ipso martyrio patientes simus, cogitantes, passiones hujus temporis nullam habere comparationem cum aeternis impiorum suppliciis, quae peccatis nostris eramus promeriti, sed Deus propter Christi meritum ab illis nos liberat et ferreum aeternarum poenarum flagellum in paternam temporariae castigationis virgam benigne commutat. Quemadmodum passiones hujus temporis *non sunt condignae ad futuram gloriam*, quae promittitur Rom. 8, v. 18. ita nihil quidquam estimandae sunt ad aeternam poenam, quae a piis aufertur, impiis vero et ecclesiae persecutoribus, juratis piorum hostibus immittitur. 2. Thess. 1, v. 6: *Justum est apud Deum retribuere tribulationem illis, qui vos affligunt.* Quidquid terribile, quidquid formidabile minantur persecutores, ludus ac jocus erit, si inferni poenas apostatis paratas cogites; cave igitur, ne minis poenarum fractus a veritate coelesti divortium facias. At o stoliditatem! *timetur carcer, et non timentur aeterna tormenta; timetur flamma, et non timentur aeterna incendia* Sed discamus rectius sapere, ac quoties videmus, impios in hoc mundo florere, animis propterea efferri et instar hoedorum oviculas conculcare; cogitemus, brevi secuturam insignem rerum commutationem, ac pios in aeternae vitae septa colligendos, impios vero in die judicii anima et corpore in gehennam perdendos. Cumprimis vero quoties gustus aliquis dolorum infernalium salutari Dei consilio nobis propinatur, cogitemus, quae et quanta Christus tempore passionis suae pro nobis toleraverit, a quibus et quantis malis benigne nos liberaverit, ac certo statuamus, fore ut ex angustiis et doloribus illis eluctati in hac et aeterna vita perpetuis laudum praeconiis ipsum celebremus. Lutherus graviter pronuntiat, *cuilibet vere pio aliquid de doloribus in-* XX. 281.
fernalibus esse gustandum, ut re ipsa experiatur, a quo malo Christus ipsum liberaverit, ac quid peccatis suis quilibet nostrum promeritus fuerit. Hic gustus, si non prius, tamen in agone mortis obtingit, satius autem est eundum anticipare etc. Constituti in illis angoribus respiciamus Christum in horto oliveti agonizantem, pro nobis pugnantem ac triumphantem, et devote oremus cum psalte regio in hac palaestra probe exercitato Psalm. 28, v. 1: *Ad te, Domine, clamabo, o petra mea, ne taceas; ne si tacueris, similis fiam illis, qui descendunt in puteum.* Psalm. 30, v. 4: *Domine, eduxisti ab inferno animam meam, vivificasti me a descendentibus in puteum.* v. 6. *Momentum in indignatione ejus et vita in voluntate ejus.* Psalm. 49, v. 16: *Deus redimet animam meam de manu inferi, qui suscepit me.* Psalm. 86, v. 4: *Laetifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.* v. 13. *Misericordia tua magna super me, eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Psalm. 88, v. 4: *Repleta est malis anima mea et vita mea inferno appropinquavit.* Psalm. 143, v. 7: *Ne abscondas faciem tuam a me, ne similis fiam descendentibus in lacum.*

CAPUT XIII.

DEFINITIONEM INFERNI PROPONIT.

itio ni. 93. Ex illis, quae dicta sunt hactenus, talis colligi potest inferni descriptio. Infernus *subjective* de τῷ πού damnatorum acceptus, est locus tormentorum, obscurus, squalidus, horridus, abominabilis, foetore et igne sulfureo plenus, justo Dei judicio diabolis et hominibus finaliter incredulis praeparatus, in quo animae ipsorum statim post mortem eaedemque corporibus redunitae, ac proinde totum compositum post resurrectionem et judicium cum omnibus diabolis gravissimis et ineffabilibus cruciatibus aeternum sustinendis in anima et corpore torquebitur, ut impii debitas peccatorum suorum poenas percipiant ac flagrantissima Dei ira adversus peccata omnibus creaturis innotescat. Infernus *formaliter* pro ipsa damnatione acceptus, est separatio a Deo, per quam diaboli et homines finaliter impii a facie Dei abjecti ac proinde a vita, felicitate et gloria sempiterna exclusi in tenebras exteriores et cruciatus horribiles nullis seculorum spatiis finiendos abjicientur. Mors aeterna est horribilis, ineffabilis et interminabilis damnatorum poena, per quam diaboli et homines impii finaliter increduli a beatifica Dei visione exclusi in corpore et anima cruciatus sustinebunt sempiternos, a quo *infinito malo* Deus, qui est *infinitum bonum ex infinita misericordia* propter *infinitum Christi meritum* nos custodiat, ut *infinitas et aeternas* laudes cum omnibus beatis angelis et hominibus pro hoc beneficio ipsi offeramus. Amen.

Jesu, redemtor unice,
Ab inferis nos protege!

TRACTATUS SEXTUS

XX. 282.

DE VITA AETERNA.

I.

Fidei nostrae finis vita aeterna.

Divus Petrus 1. epist. 1, v. 9. *τέλος τῆς πίστεως ἡμῶν* vocat *σωτηρίαν ψυχῶν*. Vox *τέλος* significat 1. *finem et exitum* Matth. 10, v. 22. cap. 24, v. 6. 13. et 14. Marc. 13, v. 13. etc. 2. *perfectionem*, quia *τέλος* finis est rei perfectio, ac *τελέω* est *perficio, consummo*. Sic Christus Rom. 10, v. 4. dicitur *finis ac perfectio legis*, quia Christus eam nostri loco implevit, et quia lex ad quaerendum mediatorem Christum nos deducit, 1. Timoth. 1, v. 5: *τὸ τέλος, finis ac perfectio, legis est caritas; qui enim diligit, legem implevit* Rom. 13, v. 10. 3. *mercedem*, quae Hebraice dicitur אַחֲרִית, *finis*, quia datur in fine operis seu opere peracto. Rom. 6, v. 21: *τέλος eorum, de quibus nunc erubescitis, mors.* v. 22. *Liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, τέλος autem vitam aeternam.* 2. Cor. 11, v. 15: *ὧν τὸ τέλος κατὰ τὰ ἔργα*, id quod sic exponitur Apoc. 22, v. 12: *Ecce venio, et merces mea mecum, ut reddam unicuique secundum opera sua.* Confer Rom. 2, v. 6. 7. et 8. Hae significationes omnes et singulae in dicto apostolico certa ratione locum habent. Nam *salus animarum*, id est actualis possessio salutis sive vita aeterna, est 1) *finis et exitus* nostrae fidei, tum *θεωρητικῶς*, tum *πρακτικῶς*. *Θεωρητικῶς* propterea, quia ultimus fidei nostrae articulus in Symbolo apostolico fidei summam complectente est *vita aeterna*, quippe ad quam reliqui omnes tanquam ad *τέλος σκοπιμώτατον* et ad scopum unice referuntur. *Deus Pater* nos creavit non tantum ad hanc, sed etiam, imo praecipue ad futuram vitam; *Christus Dei Filius* nos redemit non unice nec praecipue ob hanc, sed ob futuram vitam; *Spiritus sanctus* nos regenerat et sanctificat in ecclesiae consortium vocando, in communionem sanctorum assumendo et peccatorum remissionem in verbo evangelii offerendo non propter hanc, sed propter futuram vitam; *tota sacrosancta Trinitas* ex morte nos resuscitabit non propter hanc, sed aeternam vitam. Utique ergo omnes fidei articuli vitam aeternam ut finem et scopum ultimum respiciunt. *Πρακτικῶς* propterea, quia *qui in fide perseveraverit usque ad finem, salvus erit*, id est consequetur vitam aeternam Matth. 10, v. 22. cap. 24, v. 13. etc. Hunc ergo finem, hunc exitum habet fides nostra, ut per eam salutis participes reddamur, Johan. 20, v. 31. 2) *Perfectio* ac *πλήρωσις* nostrae fidei, quia *videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem* 1. Cor. 13, v. 12. *Nunc per fidem ambulamus, tunc autem per speciem* 2. Cor. 5, v. 7. In vita aeterna *fidei* XX. 2
succedet visio ac spei fruitio, quae est utriusque impletio ac perfectio. 3) *Merces fidei nostrae*, id quod tamen dextre et juxta fidei analogiam explicandum, eo scilicet modo, 1. ut nomine vitae aeternae non intelligatur *essentialiter* ipsa vita aeterna, sed *accidentaliter* distincta praemia credentibus in vita aeterna promissa, in qua significatione nomen vitae aeternae sive futurae ponitur, 1. Tim. 4, v. 8: *Pietas habet promissionem praesentis et futurae vitae*, id est praemiorum in praesenti et futura vita. Ipsa enim vita aeterna in promissionibus evangelicis non vocatur merces, sed praemia illa, quae in vita aeterna credentibus promissa mercedis nomine veniunt, unde Christus notanter dicit Matth. 5, v. 12. Luc. 6, v. 23: *Merces vestra erit copiosa ἐν τοῖς οὐρανοῖς, in coelo*, ubi inter coelum ipsum seu vitam aeternam et inter mercedem in coelo distinguit. Confer loc. de bon. operib. §. 113. 2. Ut mercedis nomen accipiatur non in sensu *strictiore pro mercede meriti*, in qua est proportio inter mercedem et meritum, qualem proportionem esse inter nostram fidem per opera se exserentem et vitam aeternam disertis verbis negat apostolus Rom. 8, v. 18. sed in significatione *latiore* pro *mercede gratiae*, ut significet gratuitam compensationem profectam a promissione Dei, quae merces vocatur *χάρισμα, gratuitum donum*, Rom. 6, v. 23. *χάρις, gratia* Luc. 6, v. 32. *ἀντα-*

πόδοσις τῆς κληρονομίας Coloss. 3, v. 24. Quia enim pii in hac vita *certant bonum certamen fidei* 1. Tim. 6, v. 12. ac *ἔργον τῆς πίστεως* sive *πίστιν τοῦ ἔργου, τοῦτ᾽ ἔστιν ἐνεργουμένην πίστιν*, arcte tenent 1. Thess. 1, v. 3. 2. Thess. 1, v. 11. Gal. 5, v. 6. ideo etiam in illis laboribus, quos ex fide suscipiunt, et in illis passionibus, quas ob fidei confessionem sustinent, vitam aeternam respiciunt eandemque juxta gratuitam et infallibilem Dei promissionem exspectant, ac Deus operosam ipsorum fidem non tantum temporalibus, sed etiam aeternis et coelestibus praemiis remuneratur, non ex merito, sed ex gratia, ac proinde vita aeterna credentibus est merces *non dignitatis aut meriti*, *sed liberalitatis et gratuiti promissi*. Augustinus tract. 3. in Joh.: *Si fides gratia est et vita aeterna quasi merces fidei*, *videtur Deus quidem vitam aeternam tanquam debitam reddere. Cui debitam? fidei*, *quia ipsa fides gratia est et vita aeterna gratia est pro gratia.* Confer Lyranum in cap. 10. Joh. et Lutherum in libr. de serv. arbitr. tom. 3. Lat. pag. 192. Si quis tamen ad *φλυαρίας* Pontificiorum eo fortius elidendas in primis duabus vocabuli *τοῦ τέλους* acceptionibus malit acquiescere ac nomen illud non *ethice* sed *physice*, id est non pro praemio vel mercede, sed pro ultimo rei exitu, accipere sensu eo, quod quemadmodum clausula finalis in peccato est mors et interitus, ita fidem et opera justitiae ex fide facta subsequatur tandem velut ultima et exoptata clausula vita aeterna, non refragabimur. Nobis hoc loco sufficit, quod *finis*, *scopus*, *exitus ac perfectio fidei* nostrae sit vita aeterna, ex eo enim colligimus, aequum esse, ut inter reliquos fidei articulos etiam hunc ipsum diligenter tractemus et in quotidiana meditatione pie expendamus.

nen- do- le de eter- 2. *Commendatio* hujus articuli ex iisdem fontibus peti debet, ex quibus praecedentibus commendatio fuit petita, videlicet 1. *ex utilitate*, 2. *ex necessitate*. *Utilitas* demonstratur tum a priori, videlicet *ex divina revelatione* in verbo proposita, tum a posteriori,
284. videlicet *ex consequente fructificatione* piis a quotidiana ejusdem meditatione exspectanda. Est enim vita aeterna *omnium beneficiorum Christi* coronis et *complementum*, pia ejusdem meditatio est saluberrimum *adversus peccata προφυλακτικόν* et ab impietate *avocamentum efficacissimum*, bene agendi *ὁρμητήριον* et ad *pietatem incitamentum*, *omnis solidae consolationis* in quibusvis adversis basis ac *fundamentum*, uberrima *divinae glorificationis* materia et *irritamentum*, ut in usu practico inferius monstrabitur. *Necessitas* apparet 1) *ex divino mandato* tum *generali* de novissimis perpetuo ruminandis, tum *speciali*, quod colligitur ex omnibus Scripturae dictis, quae de gaudiis vitae aeternae agunt; 2) *ex muneris ecclesiastici debito*, incumbit enim ecclesiae ministris non tantum comminationibus poenarum infernalium a peccatis homines avocare, sed etiam promissionibus praemiorum coelestium ad bene agendum et mala patienter ferenda eos invitare; 3) *ex prophetarum*, *Christi et apostolorum exemplo*, illi enim non solum doctrinam de sempiterna impiorum poena et ignominia, sed etiam de aeterna piorum gloria auditoribus suis proposuerunt; 4) *ex carnis nostrae torpore ac veterno*, cum enim pii in hac vita cruci sint subjecti et majoribus adversitatibus, quam homines hujus seculi, plerumque obnoxii, ideo animi ipsorum in spem coelestium praemiorum erigendi, ne carnis infirmitate animum despondeant etc.

CAPUT I.

DE ὈΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙΑι.

3. Postquam igitur *de inferno* seu aeterna impiorum morte actum fuit hactenus, consequens est, ut *de coelo* ac vita aeterna sive piorum glorificatione in coelo exspectanda in posterum agamus et felicem clausulam huic locorum theologicorum *ἐργασίᾳ* imponamus. Ordiemur vero hanc tractationem ab *ὀνοματολογίᾳ*, ad quam pertinet 1. *ἐτυμολογία*. Vocatur futura piorum gloria *vita aeterna*. *Vita* appellatur, ut distinguatur ab infelicissimo et miserrimo damnatorum statu, qui mortis nomine exprimitur, ut in praecedenti articulo vidimus. Intelligitur autem vitae nomine non *nuda viventis exsistentia* ab animae et corporis unione dependens, ea enim et piis in coelo, et damnatis in inferno erit communis, sed beatissima et *felicissima viventis conditio*, quae a beatifica Dei viventis visione et corporis et animae glorificatione dependet, per quam pii a damnatis vel maxime distinguuntur. Quemadmodum enim Dei vivere non est nudum esse et exsistere, sed beatissime, tranquillissime et felicissime vivere; sic piorum in coelis triumphantium vivere non per nudam exsistentiam, sed per beatissimam, tranquillissimam ac felicissimam vitam definiendum. Augustinus in enchirid. ad Laur. cap. 92: *Non moveat nos*, *quomodo in damnatis erit corpus incorruptibile*, *si dolere poterit*, *aut quomodo incorruptibile*, *si mori non poterit. Non est enim vera vita*, *nisi ubi feliciter vivitur*, *nec vera incorruptio*, *nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur. Ubi autem infelix mori non finitur*, *ut ita dicam*, *mors ipsa non moritur*, XX. 285.
et ubi dolor perpetuus non intermit sed affligit, *ipsa corruptio non finitur.* serm. 64. de verb. Domini: *Non magnum est diu vivere aut semper vivere*, *sed magnum est beate vivere. Non est vivere vita*, *sed valere*, canit poëta. Huc pertinent dicta Scripturae, in quibus *τὸ* vivere usurpatur pro felicem ac prosperum esse, laetari, prospere agere. 1. Reg. 1, v. 25: *Vivat rex*, Targ. יַצְלַח, felix sit, prosperetur. Psalm. 22, v. 27: *Laudabunt Dominum*, *qui requirunt eum*, *vivet cor eorum in seculum*, illud sic exponitur Psalm. 69, v. 33: *Videbunt afflicti et laetabuntur quaerentes Deum*, *vivet cor vestrum.* Joh. 4, v. 50: *Filius tuus vivit*, id est sanus est, bene se habet. Interim tamen Augustinus l. 19. de civ. Dei c. 14. censet, cum additamento quodam statum beatorum vocandum esse vitam aeternam, ut a dam-

'Ονοματολογία, ad quam pertinet 1. ἐτυμολογία 1. Vita aeterna.

natorum aeterna duratione distinguatur. *Quia*, inquit, *vita aeterna ab eis*, *qui familiaritatem non habent cum Scripturis sanctis*, *potest accipi etiam malorum vita*, *vel secundum quosdam etiam philosophos propter animae immortalitatem*, *vel etiam secundum fidem nostram propter poenas interminabiles malorum*, *qui utique in aeternum cruciari non poterunt*, *nisi vixerint in aeternum*; *profecto finis civitatis hujus*, *in quo summum habebit bonum*, *vel pax in vita aeterna*, *vel vita aeterna in pace dicendus est*, *ut facilius ab omnibus possit intelligi.*

4. *Aeterna* ac permanens vita dicitur, ut a praesente, quae temporalis est, fugiens et momentanea, distinguatur, 1. Tim. 4, v. 8. Duplicis enim vitae Scriptura meminit. Una est *temporalis et naturalis*, qua non solum homines tam mali quam boni, sed etiam quaevis viventia irrationalia in hoc seculo vivunt, donec ad praestitutum durationi suae terminum perveniant. Vocatur alias *vita animalis* ab anima, praestantiore viventis parte, ac quamdiu corpus hujus vitae particeps nutritur, vegetatur, crescit, somnum capit etc. vocatur *animale* 1. Cor. 15, v. 45. homines, qui non sunt alterius quam hujus naturalis et animalis vitae participes, vocantur *ψυχικοί*, *animales* 1. Cor. 2, v. 14. ubi Syrus emphatice reddidit בַּר נָשָׁא דְבַנְפֶשׁ הוּ, *filius hominis qui in anima est*, id est qui nihil in se habet eximium praeter animam rationalem, qui nondum Spiritu Dei regeneratus, qui secundum hominem et ex proprio ingenio sapit etc. Vocatur etiam *vita corporalis*, *vita praesens*, *vita naturae*, cui opponitur mors temporalis ac naturalis (respectu naturae non *institutae* sed *destitutae* sic dicta), quae est animae a corpore separatio sive animae et corporis solutio. (Quidam hujus vitae naturalis duas constituunt species sive gradus, prior est *animalis vita*, quae homini communis cum brutis et omnibus animatis creaturis; posterior est *rationalis*, quae omnibus hominibus communis est, per quam homo a reliquis animatis distinguitur.) Altera est *spiritualis ac supernaturalis*, per quam homo ultra vitam naturae in altiorem vitae gradum elevatur. Ea vero iterum duplex est. Prior vocatur *vita gratiae*, qua homines in peccatis per naturam mortui Spiritu Dei vivificantur, filii Dei viventis fiunt et vera ac viva membra in corpore Christi mystico per communicationem Spiritus facti spiritualiter vivunt ac sapiunt. Haec vocatur *vita Dei* Gal. 2, v. 19. Eph. 4, v. 18. non tantum quia a Deo est, illud enim haec vita commune habet cum naturali et animali, sed etiam ac vel maxime, quia Deus sua gratia suoque spiritu
XX. 286. in cordibus credentium eam efficit ac per eandem in credentibus vivit et ad omne opus bonum efficax est, adeoque habitationem et mansionem in illis sibi parat. Itemque *vita Christi*, Gal. 2, v. 20: *Vivo autem non amplius ego*, *sed vivit in me Christus*, quia Christus per spiritum suum hanc vitam in credentibus efficit, ut per eam Deo vivant et ad praescriptam divinae voluntatis normam vitam suam conforment. Ratione *vitae naturalis* omnes homines in Deo *vivunt*, *sunt ac moventur* Actor. 17, v. 28. sed ratione *vitae spiritualis* in solis piis ac credentibus Deus vivit, efficit ex illis *novas creaturas* 2. Cor. 5, v. 17. Galat. 6, v. 15. *renovat eos spiritu mentis* Ephes. 4, v. 23. et vitam aeternam in illis inchoat. Huic vitae spirituali ac vitae gratiae opponitur mors spiritualis impiorum, qua *in peccatis mortui* et *a* vera illa *vita*, quae Dei et *in Deo est*, *separati* dicuntur Matth. 8, v. 22. Luc. 15, v. 24. Johan. 5, v. 25. 1. Tim. 5, v. 6. Ephes. 2, v. 5. Col. 2, v. 13. etc. Posterior vocatur *vita gloriae*, qua piorum animae tum a corporibus suis separatae, tum iisdem in resurrectione iterum unitae in coelesti gloria ac laetitia, cum Deo, Christo, beatis angelis et omnibus electis in aeternum vivunt. Sic sancti patriarchae, Abraham, Isaac et Jacob, post mortem *Deo* adhuc *vivere* dicuntur Matth. 22, v. 32. Luc. 20, v. 38. in coelesti scilicet gloria et vita aeterna, ac de omnibus vere et perseveranter credentibus dicitur Joh. 3, v. 16: *Sic Deus dilexit mundum*, *ut filium suum unigenitum daret*, *ut omnis*, *qui credit in eum*, *non pereat*, *sed habeat vitam aeternam*. Haec vita dicitur *abscondita cum Christo in Deo* Col. 3, v. 3. quia in novissimo die demum revelabitur, quando *vita Christi* in corporibus piorum *manifestabitur* 2. Cor. 4, v. 10. cujus vitae postquam corpora ex mortuis resuscitata erunt participia facta, vocabuntur et erunt *πνευματικά* sive *spiritualia* 1. Cor. 15. v. 44. utpote glorioso *Christi corpori conformia* Phil. 3, v. 21. De discrimine *vitae gratiae*, quam ecclesia militans agit in terris, a *vita gloriae*, quam ecclesia triumphans agit in coelis, eleganter sic disserit Augustinus tract. 124. in Joh. circa med.: *Duas vitas sibi divinitus praedicatas et commendatas novit ecclesia*, *quarum una est in fide*, *altera in specie; una in tempore peregrinationis*, *altera in aeternitate mansionis; una in labore*, *altera in requie; una in via*, *altera in patria; una in opere actionis*, *altera in mercede contemplationis; una declinat a malo et facit bonum*, *altera nullum habet*, *a quo declinet*, *malum et magnum habet*, *quo perfruatur*, *bonum; una cum hoste pugnat*, *altera sine hoste regnat; una fortis est in adversis*, *altera nihil sentit adversi; una carnales libidines frenat*, *altera spiritualibus delectationibus vacat; una est vincendi cura solicita*, *altera victoriae pace secura; una in tentationibus adjuvatur*, *altera sine ulla tentatione in ipso adjutore laetatur; una subvenit indigenti*, *altera ibi est*, *ubi nullum invenit indigentem; una aliena peccata*, *ut sua sibi ignoscantur*, *ignoscit*, *altera nec patitur*, *quod ignoscat*, *nec facit*, *quod sibi poscat ignosci; una flagellatur malis*, *ne extollatur in bonis*, *altera tanta plenitudine gratiae caret omni malo*, *ut sine ulla tentatione superbiae cohaereat summo bono; una bona et mala discernit*, *altera*, *quae sola bona sunt*, *cernit. Ergo una bona est*, *sed adhuc misera; altera melior et beata. Tota hic agitur ista usque in hujus seculi finem*, *et illic invenit finem*, *differtur illa complenda post hujus seculi finem*, *sed in futuro seculo non habet finem.* De hac *vita gloriae*, non

solum a *vita naturae* (quae et temporalis est et om-
287. nibus hominibus communis), sed etiam *a vita gratiae* (quae piorum quidem propria, interim cum hac vita desinit) distincta, quaeque ob perpetuam sui durationem aeterna appellatur, h. l. unice agimus, cui in Scripturis opponitur *mors aeterna* Joh. 6, v. 50. cap. 8, v. 51. cap. 11, v. 26. sive *secunda* Apoc. 2, v. 11. cap. 20, v. 14. de qua in praecedenti tractatu late egimus.

xli. 5. Ceterum cum beatam illam vitam et gloriam *in coelo* nobis promissam exspectemus, ideo ejus quoque *ἐτυμολογίαν* subjungemus. Ambrosius l. 2. hexaëm. c. 4. coelum ex eo dictum statuit, *quod impressa stellarum lumina velut signa habeat, unde coelum quasi coelatum appelletur.* Plinius l. 2. natur. histor. c. 4: *Coelum haud dubie coelati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro.* Quidam deducunt a *celando, quia intra coelum continentur et occultantur res omnes.* Alii malunt deducere ex Graeco *κοῖλον*, quod *concavitatem* significat, quia concava coeli superficies instar camerae affabre exstructae et exornatae oculis nostris sese conspiciendam exhibet, convexam autem non videmus. *Οὐρανόν* Graecum quidam derivant ab *ὁράω*, ut *οὐρανός* sit quasi *ὁρανός*, eo quod sit *πᾶσιν ὁρώμενος*, vel quod coelum sit visui pervium et minime densum, sicut aqua et terra (quae etymologiae ratio proprie convenit coelo pro aëris regione accepto), vel quod *ὅλην τὴν γῆν ἄνωθεν ὁρᾶν* videatur, ut placet Ambrosio d. l. Aristoteles in lib. de mundo mavult deducerc ab *ὅρος*, *οὐρανόν*, ait, *ἐτύμως καλοῦμεν ἀπὸ τοῦ ὅρον εἶναι τῶν ἄνω.* Aristotelem sequitur Philo in lib. de mundo sic scribens: *Τῶν ἐντὸς ὅρον τε καὶ φυλακτήριον τιθεὶς τὸν αἰθέριον ἐν κύκλῳ τόπον, ἀφ' οὗ καὶ οὐρανὸς ὠνομάσθαι δοκεῖ.* Quidam formant *παρὰ τὸ οὐρῶ*, quia omnia circumdat et conservat. Sed hae etymologiae proprie conveniunt adspectabili isti coelo, quod sideribus variegatum et exornatum in sublimi conspicimus, non autem invisibili *beatorum coelo*, i. e. isti *πού*, in quo electi aeternam laetitiam et gloriam aliquando participabunt, quod coeli nomine videtur insignitum 1. propter pulchritudinem, neque enim quidquam novimus pulchrius visibili isto coelo, in quo siderum faculae una cum duobus magnis luminaribus, sole et luna, perpetua luce fulgent. 2. Propter *altitudinem*, ut enim coelum in sublime elatum ab hac terra longissimo intervallo distat; sic gaudia beatorum a terrenis hujus mundi gaudiis longissime sunt separata. 3. Propter *magnitudinem*, ut enim coelum illud est amplissimum et augustissimum aedificium, quod vel ex eo colligi potest, quod solis globus, qui tam exiguus nobis videtur, sexcenties sexagies sexies terrae globo major sit; sic coelum beatorum est satis amplae capacitatis ac multas habet *mansiones* Joh. 14, v. 2. 4. Propter *majestatis celsitudinem*, ut enim coelum inter omnes creaturas corporeas inanimatas est nobilissimum ac perfectissimum; sic locus beatorum est nobilissimus et perfectissimus. Considerari etiam potest illud, quod Deus dicitur *in coelis habitare*, quia suam majestatem et gloriam in pulcherrimo et magnificentissimo coeli palatio maxime manifestat, quodque Christus *adscendit in coelum*, ingressurus in suam gloriam. Quia igitur beati cum Deo et Christo in vita et gloria aeterna sunt victuri, ideo felicissimum illud *πού*, in quod pii post mortem recipiuntur et in quo coelestis gloriae et laetitiae participes fiunt, quin et ipsa beatorum gloria ac laetitia merito coelum appellatur. Bonaventura 2. sent. dist. 2: *Coelum* XX. 288.
est contentivum, secretum et quietum. Et quia haec triplex proprietas reperitur in celsitudine divinitatis, ideo dicitur coelum. Est enim ampla immensitate virtutis, secreta profunditate cognitionis, quieta tranquillitate dilectionis. Hoc est coelum, ad quod lucifer adscendere voluit, Esa. 14: Adscendam in coelum, i. e. ad aequalitatem Dei. Huc referri potest, quod rabbinis Deus dicitur הַשָּׁמַיִם, quod desumtum videtur ex modo loquendi Scripturis usitato.

6. 2. *Ὁμωνυμία.* Vita aeterna accipitur dupliciter, 2. *Ὁμωνυμία* 1. Vitae aeternae.
1. *proprie* pro felicissimo piorum statu ac beatissima ipsorum sorte, in qua post hujus vitae decursum constituti eadem fruentur in aeternum Joh. 3, v. 16. et 36. Tit. 3, v. 7. etc. 2. *metonymice*, idque dupliciter 1. pro *ipso Christo*, vitae aeternae auctore ac datore, 1. Joh. 1, v. 2: *Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem.* cap. 5, v. 20: *Hic est verus ille Deus et vita aeterna.* Photiniani pugnant, *verba illa non ad Christum, sed ad Deum Patrem esse referenda.* Socinus in comm. 1. Joh. 5. p. 516. et in animadv. ad assert. 12. Posnan. p. 55. catech. Racov. p. 76. Sed nostram sententiam confirmat 1. *textus connexio.* Sic enim loquitur apostolus: *Scimus, quoniam Filius Dei venit et dedit nobis mentem, ut cognoscamus verum et simus in vero, in Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus ille Deus.* Oecumenius monet *οὗτος* poni pro *ὅς*, *hic* pro *qui;* Arabes legunt *et hic est verus Deus;* quidam codices addunt *γάρ*, *hic enim est verus Deus*, quae duae particulae, copulativa *et* ac ratiocinativa *enim*, ostendunt, sequentia verba jungi debere immediate praecedentibus. 2. *Apostolica expositio.* v. 11. praemittitur: *Vitam aeternam dedit nobis Deus, et haec vita est in Filio ejus.* v. 12. *Qui habet Filium, habet vitam.* Ne quis vero cogitet, vitam esse in Filio *accidentaliter*, ideo vocat eum ipsam vitam 1. epist. 1, v. 2: *ἡ ζωὴ ἐφανερώθη*, ex quo sic inferimus: Qui est ipsa vita, is etiam *ὁ ἀληθινὸς θεός*. Filius est ipsa vita. Ergo 3. *Aliorum Scripturae locorum collatio.* Ut enim Christus hic vocatur *ὁ ἀληθινὸς θεός*, ita Tit. 2, v. 13. vocatur *magnus Deus;* Rom. 9, v. 5. *Deus super omnia benedictus.* Ut hic vocatur vita aeterna, ita Joh. 11, v. 25. cap. 14, v. 6. vocatur ipsa *vita.* Joh. 5, v. 26. dicitur *habere vitam in se ipso, sicut Pater habet vitam in se ipso.* 4. *Adversariorum tergiversatio.* Photiniani non possunt evidentem aliquam rationem afferre, propter quam relativum *οὗτος* nolint ad Filium referre. Quidam hoc urgent, *quod alia quoque suppetant exempla, in quibus relativum non ad proxime praecedens, sed ad remotius sit referendum,* Actor.

7, v. 19. cap. 10, v. 6. 2. Joh. v. 7. sed hoc procedit a particulari, non enim sequitur, in quibusdam Scripturae locis relativum ad superius pertinet, ergo etiam hoc ipso in loco. Res ipsa ostendit, in reliquis locis illud necessarium esse, hic vero nulla ad id necessitate urgemur. Quidam urgent articulum ὁ ἀληθινὸς θεός, *qui verum natura Deum notat, ideoque Christo tribui nequit.* At hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, ex hoc ipso enim loco evidenter deducitur, Christum esse verum natura Deum. Quidam se eo recipiunt, quod *Christus non sit a se ipso, proinde nec ὁ ἀληθινὸς θεός.* Atqui generatio Filii a Patre tantum abest, ut verae et perfectae Christi deitati quidquam deroget, ut eam potius fortissime confirmet, est enim generatio *aeterna*, per quam Pater Filio divinam suam essentiam communicavit. Merito igitur
XX. 289. Athanasius in disputatione cum Ario in concilio Niceno hoc testimonium appellat ἔγγραφον ἀπόδειξιν, *scriptam demonstrationem*, et subdit: *Sicut Ioh. 17, v. 3. Christus dixit: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, ita apostolus hic de filio dicit: Hic est verus Deus et vita aeterna, ut utriusque, Patris scilicet et Filii, vera deitas stabiliatur.* (Confer tract. de Deo Patre et Filio §. 36.) Dicitur autem Christus vita aeterna non secundum alterutram duntaxat, sed secundum utramque naturam. *Secundum naturam divinam* dicitur vita aeterna οὐσιωδῶς καὶ κυρίως, *essentialiter ac principaliter*, quia est ipsa vita, aeternum vivens, aeterni et vivi Dei aeternus ac vivens Filius Joh. 5, v. 26. cap. 11, v. 25. cap. 14, v. 6. *Secundum humanam naturam* est vita aeterna ὑποστατικῶς καὶ ὀργανικῶς, *personaliter et instrumentaliter*, quia enim assumta caro est Verbi omnia vivificare valentis propria caro, ideo ipsa quoque in personae unitate est vivifica et organum vivificationis non separatum sed unitum, non ἄεργον sed ἐνεργητικόν per vivificandi virtutem a Λόγῳ sibi personaliter communicatam. *Secundum utramque naturam* Christus est vita aeterna 1) ἱλαστικῶς καὶ καταλλακτικῶς, *meritorie et expiatorie, quia mortem destruxit et vitam ac incorruptionem reduxit* 2. Tim. 1, v. 10. 2) ὑλικῶς, *materialiter*, quia in Christi carne expiatum est peccatum, quod est causa mortis et in vivifica Christi carne residet fons vitae spiritualis et aeternae; 3) ἐνεργητικῶς καὶ κοινωνικῶς, *effective et communicative, quia dat credentibus vitam aeternam* Joh. 10, v. 28. carnem suam vivificam dat nobis manducandum, Joh. 6, v. 51: *Hic est panis ille vivus, qui de coelo descendit, si quis ex ipso manducaverit, vivet in aeternum.* Joh. 4, v. 14: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo illi, non sitiet in aeternum, sed aqua, quam ego dabo illi, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam;* praedicari mandat evangelium, quod est *verbum vitae* Joh. 6, v. 68. donat nobis remissionem peccatorum, in qua consistit γνῶσις σωτηρίας Luc. 1, v. 77. ac Spiritum sanctum, qui est spiritus vitae πρόγευσιν quandam vitae aeternae in nobis accendens, qua ratione in credentibus etiam in hac vita inchoatur vita aeterna. Ubi notandum, 1. Christum inde atque ideo esse vitam ἐνεργητικῶς, quia est vita ὑλικῶς καὶ ἱλαστικῶς, inde atque ideo esse vitam ὑλικῶς καὶ ἱλαστικῶς, quia est vita ὑποστατικῶς καὶ ὀργανικῶς, denique inde atque adeo esse vitam ὑποστατικῶς καὶ ὀργανικῶς, quia est vita οὐσιωδῶς, ut sic gradus posterior priorem semper praesupponat, Joh. 6, v. 57: *Vivo ego propter Patrem, et qui ederit me, vivet propter me;* 2. falsum esse, quod quidam Calviniani disputant, *Christum duntaxat secundum divinam naturam efficienter esse vitam ac secundum humanam naturam non nisi secundario et organice esse vitam*, Bucanus loc. 39. p. 441. Alstedius in lex. theol. p. 421. quae assertio ex negata idiomatum divinorum communicatione carni facta profluit.

7. 2. Pro *via vitae aeternae*, i. e. pro ratione ac modo ad coelestem gloriam perveniendi, Joh. 12, v. 50: *Mandatum Dei est vita aeterna.* Joh. 17, v. 3: *Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum.* Quidam statuunt, *nomen vitae aeternae in propria significatione hic accipi* pro glorioso beatorum statu et coelesti ipsorum felicitate, quae in beatifica Dei et Christi cognitione, i. e. in notitia Dei intuitiva, consistit. Sic ergo appellatio vitae aeternae acciperetur non *causaliter* sed *formaliter*, non pro *acquisitione* XX.
sed *fruitione* alterius vitae hoc sensu: in eo consistit vita beatorum aeterna, ut perfecte cognoscant summum bonum, *ibi enim erit Dei sine fine laudatio, ubi erit plena Dei cognitio, et quia plena cognitio, ideo summa glorificatio.* Hoc sensu dictum Christi accipit Augustinus lib. de spiritu et litera cap. 24: *Cum venerit, quod perfectum est, tunc erit vita aeterna, ut cognoscamus unum verum Deum.* lib. ejusd. c. 33. *Cum sinistri*, inquit, *abierint in ambustionem aeternam, justi ibunt in vitam aeternam, quia haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum* etc. *illa cognitione, illa visione, illa contemplatione satiabitur in bonis animae desiderium.* Confer lib. 1. de Trinit. c. 13. lib. 2. de lib. arbit. c. 2. lib. 1. de morib. eccles. cathol. cap. 25. in soliloq. c. 36. Eodem modo accipiunt Lyranus, Thomas, Dionysius Carthusianus etc. Sed series textus ostendit, Christum principaliter ac praecipue hic loqui de via seu modo perveniendi ad coelestem beatitudinem, ac proinde appellationem vitae aeternae accipi μετωνυμικῶς (qualis metonymia etiam alibi occurrit Deut. 30, v. 15. Joh. 3, v. 19. Rom. 8, v. 6. etc.), praecedit enim v. 1: *Pater, clarifica Filium, ut Filius tuus clarificet te,* v. 2. *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam;* sequitur v. 4: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam,* quibus in verbis medium salutaris illius cognitionis, videlicet praedicatio evangelii, per quam Spiritus sanctus in cordibus hominum ad fidem efficax est, exprimitur, quo sensu etiam plerique veterum Christi verba exponunt. Hilarius lib. 9. de Trin.: *Si vita aeterna est in Deum solum credidisse, sed non sine Christo, separato Christo*

a solo vero Deo, in confessione solius veri Dei vita aeterna non capitur etc. *ad vitae aeternae meritum hoc proficit, ut cum credatur solus verus Deus, credatur et Christus.* lib. 5. contra Julian.: *Nihil conferendum censeo cum certa cognitione et subtili ac exacta contemplatione Dei, non pecuniarum substantiam, non mundanum splendorem, non dignitatum gloriam, non sapientiae terrenae, animalis et diabolicae existimationem* etc. *optima gloriatio Dei cognitio.* Ambrosius lib. 5. de fide cap. 2: *Idem praemium, unum honorem nobis dat Patris Filiique cognitio, quoniam mercedem habere non poterit, nisi qui et Patrem cognoverit et Filium. Sicut enim Patris, ita Filii cognitio vitam acquirit aeternam.* Huic interpretationi affinis est ea, qua dictum Christi de *radice et origine* sive *προποτισμῷ* vitae aeternae, qui in hac vita credentibus obtingit, accipitur, quia praegustus ille vitae aeternae consistit in salutari et salvifica Dei et Christi cognitione ex verbo evangelii per Spiritus sancti operationem hausta. Cyrillus lib. 11. in Joh. c. 16: *Radicem atque originem aeternae vitae fidem et verae pietatis virtutem Dominus esse affirmat* etc. *Cum enim origo et quasi pronuba dictorum omnium bonorum cognitio Dei veri esse inveniatur, recte a Domino nostro Jesu Christo vita aeterna est appellata quasi mater et radix virtute naturaque sua vitam aeternam pariens.* Jansenius in comm. concord. evang. c. 136. p. 976. utramque explicationem conjungit, statuit enim, *Christum loqui de vita aeterna, ut est communis huic et futurae vitae*, unde monet, Christum non dicere, *ut videant te*, sed *ut cognoscant te.* Vita enim aeterna inchoative et imperfecte hic habetur cognoscendo Deum per *fidem*, habetur autem in coelo perfecte cognoscendo Deum per *visionem.*
L. 291. Sed, uti ostendimus, proprie et principaliter agit Christus de modo perveniendi ad vitam aeternam, ubi tamen notandum, 1) particulam *solum* non excludere a deitate *Filium*, cum in cognitione Filii aeque ac in Patris cognitione vita aeterna consistere dicatur, nec Spiritum sanctum utpote unius cum Patre et Filio essentiae, sed creaturas et fictitia nomina; 2) intelligi non nudam *γνῶσιν θεωρητικὴν* sed *πρακτικήν*, cum vera cordis fiducia conjunctam, non literalem sed spiritualem notitiam, juxta usitatam regulam, quod *verba notitiae apud Hebraeos etiam connotent affectum cordis*, qua de re alibi plenius. Bucanus d. l. metonymicae hujus significationis exemplum statuit in dicto Christi Joh. 3, v. 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Sed praestat appellationem vitae aeternae in propria significatione ibi accipere. Quamvis enim pii in hac vita nondum habeant vitam aeternam *consummatam*, habent tamen *inchoatam;* quamvis nondum habeant *jus in re*, tamen habent *jus ad rem*, ex quo dulcissima illa consequentia profluit: *Deus dedit nobis Filium suum unigenitum, in hoc Filio est vita aeterna, et Filius est vita aeterna.* Ergo *Deus nobis in Filio dedit vitam aeternam. Qui credit in Filium, habet Filium in se per fidem habitantem. Qui habet Filium, habet vitam aeternam. Ergo qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Joh. 3, v. 16. et 36. Eph. 3, v. 17. 1. Joh. 5, v. 11. 12. et 13.

8. *Coeli* nomine monet Philosophus lib. 1. de coelo 2. Coeli.
c. 9. text. 96. appellari 1. *ultimam sphaeram;* 2. *totum aggregatum ex orbibus coelestibus;* 3. *τὸ ὅλον καὶ τὸ πᾶν, totum universum.* Scriptura sacra *τοῦ τρίτου οὐρανοῦ* mentionem faciens 2. Cor. 12, v. 2. triplex coelum nobis insinuat. Est enim 1. *coelum naturae*, quod est tum *aëreum*, videlicet tota aëreae regionis ab aquis et terra ad lunae usque orbem expansio; tum *aethereum*, videlicet firmamentum omnes sphaeras coelestes comprehendens, de quo Levit. 26, v. 19. Deuter. 28, v. 23. Matth. 6, v. 26. Luc. 8, v. 5. *volatilia coeli;* 2. *coelum gratiae*, quod est ecclesia, quae in his terris Deo colligitur, de quo Matth. 20, v. 1: *Simile est regnum coelorum patri familias;* 3. *coelum gloriae*, quod est sanctissimum et beatissimum illud habitaculum, in quo Deus gloriam suam angelis et electis hominibus manifestat, in quod apostolus dicto loco sese raptum esse asserit, ac vers. 4. nomine *paradisi ἐξηγητικῶς* illud exponit. Notandum vero, 1) vocari illud tertium coelum non *ratione situs*, vel *διατατικῶς*, ut volunt Calviniani, quasi quemadmodum illud coelum aethereum, in quo stellae cursus suos peragunt, id est firmamentum, est supra coelum aëreum, in quo volucres versantur; ita coelum illud, in quo Christus cum beatis angelis et electis versatur, sit proxime supra firmamentum; sed *ratione numeri ac διακριτικῶς*, ut a primis duobus coelis, videlicet coelo naturae et gratiae, distinguatur, vel etiam ratione perfectionis atque *ἐξοχικῶς*, ut reliquis coelis non tam loco quam dignitate sublimius statuatur. Distinguendum enim inter *beatorum sedem et statum. Sedes* est in certo quodam *πού*, quod ubi sit, definire non possumus, ut infra demonstrabitur; *status* est, ubicunque Deus se et gloriam suam sanctis manifestat, ut apparet ex transfiguratione Christi Matth. 17, v. 4. et ex dicto Salvatoris Matth. 18, v. 10: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris, qui in coelis est.* 2) aliter hoc coelum dici de Deo et Christo, aliter
vero de creaturis, angelis scilicet ac beatis homini- XX. 292.
bus. *Coelum gloriae*, quod Deo tribuitur, non significat locum aliquem creatum, sed increatam, aeternam, invisibilem, infinitam et omnipotentem Dei majestatem (ad quam significationem reducitur ea, qua *μετωνυμικῶς* pro ipso Deo usurpatur). Coelum gloriae quando de beatis accipitur, *πρώτως* significat gloriam coelestem aeternamque beatitudinem in beatifica Dei visione consistentem; *δευτέρως* autem illud *πού*, in quo beati coelites exsistunt et summam illam gloriam ac laetitiam participant (ad quam significationem itidem reduci potest ea, qua pro ipsis angelis et beatis coeli incolis usurpatur); inde quidam melioris distinctionis causa malunt quintuplex coelum statuere: 1. *aëreum*, quod est aër terram ambiens ad sphaeram usque lunae pertingens; 2. *sidereum*, quod est corpus coeleste elementa claudens et ambiens; 3. *majestaticum*, quod significat majestatem,

potentiam et gloriam divinam, quo sensu Deus dicitur habitare in coelo, quod subdistinguitur in *coelum potentiae*, *gratiae*, *gloriae et irae;* 4. *beatificum*, id est habitaculum seu ποί illud angelorum et beatorum, in quo Dei visione fruuntur; 5. *mysticum*, quod significat statum beatorum, id est vitam et laetitiam sempiternam. Vide Meisnerum part. 1. phil. sobr. sect. 3. cap. 4. q. 1. p. 819.

9. Possumus autem διχοτόμως sic progredi. Coelum est vel φυσικόν, *naturale*, vel πνευματικόν, *spirituale*. Naturale est vel *aëreum*, in quo aves volitant, vel *sidereum*, in quo sunt orbes coelestes, de quorum numero discrepantes sunt sententiae. Ut enim haereticorum somnia gerris Siculis inaniora omittamus, puta Basilidis, qui 365 coelos confingebat, tot scilicet quot sunt dies in anno, ut testantur Tertullianus de praescript. p. 113. Epiphanius haeres. 24. Theodoretus lib. 1. haeret. fabul. cap. 5. Augustinus lib. de haer. cap. 4; ac Valentini, qui septem intellectuales coelos exstruebat teste Irenaeo lib. 1. adv. haeres. cap. 1. p. 9; Manichaeorum, qui decem coelos statuebant etc. inter ipsos saniores theologos et philosophos magna occurrunt opinionum divortia. Chrysostomus homil. 4. in Genes. col. 21. *unum solum orbem coelestem* videtur agnoscere, cui hoc opponi solet, quod in coelo plures sint motus quam unus, jam vero unius corporis simplicis unicus solummodo est motus, Aristoteles libr. 12. metaphys. cap. 1. et libr. 1. de coelo cap. 2. ergo in coelo plura distincta corpora, plures scilicet dandi sunt orbes. Origenes lib. 6. contra Celsum f. 75. et 76. *coelorum sive sphaerarum coelestium numerum aliquem praefinitum scriptiones sacras, quibus in ecclesia utimur, haudquaquam designare* asserit, quod verissimum esse quilibet intelligit. Ex philosophis igitur et astronomis numerus orbium coelestium petendus. Sed et illi plurimum variant. Plato in Timaeo et Epinomide, Aristoteles lib. 2. de coelo cap. 12. *octo tantum orbes* omnesque stellatos posuerunt, Timochares vero, Hipparchus et Ptolemaeus observantes in omnibus orbibus stellatis praeter motum diurnum, quo feruntur ab ortu versus occasum, insuper adhuc alium, quo quasi proprio feruntur ab occasu in ortum, *nonam sphaeram* ponere coacti fuerunt, cui proprius esset motus diurnus. Sed illorum etiam diligentiam sequentium temporum astronomi superarunt. Nam Thebit Ben Corath Judaeus, qui quadraginta annis in sublimi monte habitasse dicitur, ut motum octavae
XX. 293. sphaerae exactius deprehenderet, item Alphonsus Castiliae et Hispaniarum rex, qui convocatis ex omnibus regnis et provinciis viris astronomiae peritissimis, Arabibus, Judaeis, Mauris, Aegyptiis, Hispanis, circa annum Christi 1251. tabulas coelestium motuum Toleti confici curavit, et ex recentioribus Georgius Purbachius in theor. planet. pag. 132. et alii eorum sequaces deprehenderunt tres octavae sphaerae motus. Unum *diurnum;* alterum, quem in tabulis *augium et stellarum fixarum* nominant; tertium, quem vocant *motum accessus et recessus vel trepidationis*, ex qua observatione colligunt, non solum nonum sed et *decimum* orbem esse concedendum, ne uni corpori duos motus naturales tribuere cogamur. Verum de his uberius agere hujus nec loci est, nec instituti. Coelum *spirituale* est vel *gratiae*, quod ecclesiae in his terris militanti, vel *gloriae*, quod vel *Deo creatori*, vel *creaturis*, beatis scilicet angelis et hominibus, puta ecclesiae in coelis triumphanti, tribuitur, idque significat beatorum vel sedem vel statum, de quo hoc loco proprie agitur. Confer Flacium in clavi Scriptur. in voce Coelum. **Alii brevius: coelum φυσικόν accipitur 1) pro rudi et indigesta materia in principio a Deo creata, Genes. 1, v. 1. 2) pro coelo sidereo et adspectabili, quod omnia reliqua inferiora suo circuitu claudit et ambit, Genes. 1, v. 14. 3) pro aëre totum illud interstitium, quod est a terra ad sphaeram usque lunae, carepante, Genes. 1, v. 28. cap. 8, v. 2. 4) pro universitate omnium corporum materialium a supremo orbe ad infimas usque terrae partes sive toto universo, Aristoteles lib. 1. de coelo cap. 9. text. 96. Coelum πνευματικόν accipitur 1) μετωνυμικῶς pro ipso Deo Dan. 4, v. 34. Luc. 15, v. 21. cap. 20, v. 4. Joh. 3, v. 27. 2) pro infinita gloria, celsitudine, potentia ac sublimitate et inaccessibili divinae majestatis luce Esa. 14, v. 13. vocatur coelum majestaticum, Esa. 66, v. 1. Luc. 11, v. 2. Actor. 3, v. 48. cap. 17, v. 24. Hebr. 9, v. 24. 3) pro statu beatorum felicissimo seu vita aeterna et gaudio sempiterno Phil. 3, v. 20. 4) pro habitaculo beatorum, id est πού angelorum et omnium beatorum Luc. 16, v. 26. 2. Corinth. 12, v. 2. et 4. **

10. Ex his facile intelligitur, quid de aliorum distinctionibus in defectu vel excessu peccantibus sit statuendum. Pantheologia veterum dicit, *coelum aliud esse materiale*, *aliud spirituale*, *aliud substantiale*, *in quod Christus usque ad qualitatem Patris adscenderit.* Thomas part. 1. q. 68. art. 4. quinque modis coelum usurpari asserit, 1) *pro corpore coelesti*, quod in *sidereum*, *crystallinum et empyreum* partitur; 2) *pro participatione proprietatis alicujus coelestis*, veluti totum spatium, quod est ab aquis usque ad sphaeram lunae, vocatur coelum, quod alii nominant *aëreum;* 3) per metaphoram et juxta sensum mysticum *pro incomprehensibili sublimitate et inaccessibili luce divinae majestatis*, quam affectaverit lucifer Esa. 14, v. 13; 4) *pro tribus generibus supernaturalium visionum corporalis*, *imaginariae et intellectualis*, secundum quam coeli significationem Augustinus raptum Pauli in tertium coelum, per quod visionem intellectualem intelligit, interpretatur, lib. 12. de Genes. ad lit. cap. 29; 5) *pro spiritualibus bonis*, in quibus futura remuneratio sanctorum. Bonaventura 2. sentent. dist. 2: *Secundum majorem computationem novem numerantur coeli largissime accipiendo, scilicet* 1) *aëreum, quod est regio aëris inferior;* 2) *aethereum*, *quod est regio aëris superior;* 3) *olympium*, *quod est inferior regio ignis;* 4) *igneum*, *quod est superior regio ignis;* 5) *coelum planetarum;* 6) *firmamentum;* 7) *aqueum;* XX. 294.
8) *empyreum et* 9) *coelum Trinitatis.* Inter Calvi-

nianos Alstedius in theolog. didact. sect. 3. cap. 4. p. 273. has enumerat significationes: *Coelum proprie notat totum illud expansum a superficie terrae ad extrema usque coelorum culmina* Genes. 2, v. 1. *improprie tum accipitur metonymice pro ipso Deo* Dan. 4, v. 32. Matth. 21, v. 25. Luc. 15, v. 18. *pro angelis et spiritibus beatis* Job. 15, v. 15. Psalm. 89, v. 6. Psalm. 69, v. 35. *Item pro ecclesia militante, cujus ortus est e coelo et πολίτευμα locusque triumphi est in coelo* Dan. 8, v. 10. Apoc. 9, v. 1. cap. 12, v. 7. Esa. 66, v. 22. Luc. 10, v. 18. *pro nubibus denique et meteoris* Levit. 26, v. 19; *tum synecdochice* vel *pro coelo supremo* Marc. 16, v. 19. vel *pro coelo stellifero* Psalm. 19, v. 7. vel *pro aëre* Gen. 1, v. 26. quae, uti solet, transscripsit ex Polano lib. 5. syntagm. theol. cap. 8. p. 272. Timplerus lib. 1. apsychol. cap. 3. probl. 1. tres duntaxat significationes vel species coeli admittit, videlicet coelum 1. *aëreum*, 2. *sidereum*, 3. *empyreum*, cum Scriptura nomine coeli indigitet modo *regionem aëris*, modo *regionem stellarum*, modo *locum beatorum*, quam divisionem declarat comparatione coeli cum templo Salomonis, quod fuit distinctum in tres partes, *atrium* scilicet, *sanctum et sanctum sanctorum*, quae transscripsit ex Zanchio part. 1. de operib. sex dier. lib. 1. cap. 4. p. 63. etc. Auctores concordantiarum edit. Francof. ann. 1600. significationes coeli hoc ordine enumerant: Coelum est 1. *tota aëris et aetheris regionis ab aquis et terra ad lunae usque orbem expansio;* 2. *quod omnes sphaeras coelestes continet;* 3. *Dei habitatio, beatorum sedes, quod supra coelestes orbes collocatum;* 4. *tota illa compages mare et terram circumplectens, quae aërem, aethereum regionem et coelos continet;* 5. *lucida illa pars a crassiori et terrea longo intervallo distincta;* 6. *Dei mandatum et approbatio;* 7. *coelum novum.*

11. 3. *Synonyma* epitheta et encomia tam coeli quam vitae aeternae, id est tam sedis quam status beatorum, in Scripturis occurrunt complura, quorum quaedam sunt *propria*, quaedam vero et quidem pleraque omnia sunt *tropica*, eademque vel *metonymica*, vel *metaphorica* vel *synecdochica*. Vocatur enim 1. *beatorum sedes* 1) *coelum* absolute et simpliciter Matth. 5, v. 12. Marc. 10, v. 21. etc. ad excellentiam illius denotandam. Membra comparationis coeli beatorum cum coelo visibili exposuimus superius §. 5. Item *tertium coelum* 2. Cor. 12, v. 2. rationem appellationis exposuimus paulo ante §. 8. *coelum coelorum* Deut. 10. v. 14. Psalm. 115, v. 16. etc. quia reliquis coelis adspectabilibus est sublimius, non tam situs quam dignitatis ratione. *Coelum novum ac terra nova* Esa. 65, v. 17. cap. 66, v. 22. 2. Petr. 3, v. 13. Apoc. 21, v. 1. Albertus in comm. cap. 5. Matth.: *Licet sit coelum respectu terrae, in qua habitant morientes, tamen terra dicitur respectu superioris coeli, in quo Trinitas habitat, quod dicitur coelum Trinitatis.* 2) *Paradisus* Luc. 23, v. 43. 2. Corinth. 12, v. 4. Apoc. 2, v. 7. quia paradisus terrestris, in quem primi homines erant collocati, fuit typus coelestis illius paradisi, in quem omnes electi introducentur, ut infra demonstrabitur. 3) *Manus Dei* Sap. 3, v. 1. 4) *Sinus Abrahae* Luc. 16, v. 22. rationem appellationis exposuimus in tractat. de morte §. 161. 5) *Domus Patris coelestis* Psalm. 84, v. 5. Joh. 14, v. 2; *domus ἀχειροποίητος aeterna in coelis* 2. Cor. 5, v. 1. *habitaculum sanctitatis Dei* Deut. 26, v. 15. *habitaculum sessionis* XX. 295.
Dei Psalm. 33, v. 14. in qua appellatione respectus habetur tum in genere ad domum quamlibet, quae hominibus in hac vita praebet domicilium, tum in specie ad tabernaculum et templum Hierosolymitanum, quae domus Dei in Scripturis solent appellari Exod. 23, v. 19. Deuter. 23, v. 18. 1. Reg. 2, v. 36. Luc. 6, v. 4. Joh. 2, v. 16. etc. (Quemadmodum enim homo habitat in sua domo, sic Deus dicitur *habitare in coelo* Psalm. 2, v. 4. quemadmodum pater familias familiariter cum suis in domo conversatur, ita coelestis Pater in hac domo sua gloriam suam angelis et electis manifestat ac familiarissime cum illis agit; quemadmodum ad domum non admittuntur peregrini, sic soli *domestici Dei* in domum coelestem colliguntur Eph. 2, v. 19. hoc tempore soli angeli et animae sanctorum versantur in illa domo, nos autem *peregrinamur a Domino* 2. Cor. 5, v. 6. sed veniet tempus, quo recipiemur inter Dei domesticos, tunc domus Dei erit etiam nostra domus; quemadmodum sua cuique domus est tutissimum receptaculum, sic in domo Dei pacatissima requies et summa securitas nobis parata. In specie ac peculiariter typus hujus domus coelestis fuit templum Hierosolymitanum, ut infra ostendemus.) 6) *Repositorium*, ἀποθήκη, quod vulgata versio reddidit *horreum Dei*, Matth. 3, v. 12. Luc. 3, v. 17: *Mundabit Christus aream suam et congregabit triticum in horreum suum.* Quemadmodum grana a paleis separata in locum tutum reponuntur, sic Deus pios ab impiis sequestratos in coeleste granarium colliget. 7) *Tabernacula pacis* Esa. 32, v. 18. *tabernacula aeterna* Luc. 16, v. 9. Tabernacula, in quibus pii patriarchae olim habitarunt, fuerunt transitoria et portatilia, sed coelestia illa tabernacula, in quae pii congregabuntur, erunt aeterna. Vocatur etiam *tabernaculum Dei* Psalm. 15, v. 1. quia in coelo erit *tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus* Apoc. 21, v. 3. 8) *Mons Domini* Psalm. 15, v. 1. Quemadmodum templum Hierosolymitanum exstructum erat in monte *Moria*, qui ob id *mons Domini*, *mons sanctus*, *mons domus Domini* appellatur; sic ecclesia triumphans cujus typus fuit illud templum, in coelo ab omni terrena conditione remoto colligetur. Quidam de ecclesia militante, quae est triumphantis quasi πρόθυρον atque atrium, malunt hoc intelligere, ea enim saepissime in Scripturis per montem Sion describitur, Psalm. 2, v. 6. Esa. 2, v. 3. Mich. 4, v. 1. etc. sed constat ex aliis Scripturae locis, non tantum militantem sed et triumphantem ecclesiam in monte Domini collocari, Psalm. 24, v. 3. Hebr. 12, v. 22. Apoc. 14, v. 1. 9) *Templum Dei.* Psalm. 11, v. 4:

Dominus in templo sancto suo, Dominus in coelo sedes ejus. Psalm. 18, v. 7: *Dominus exaudivit de templo suo vocem meam.* Quidam malunt de templo Hierosolymitano intelligere, in quo Deus *τυπικῶς* respectu peculiaris et gratiosae praesentiae habitare dicebatur, sed potest haud incommode ad ipsum etiam *ἀντίτυπον* referri, de quo Apoc. 21, v. 22: *Templum non vidi in illa civitate, Dominus enim Deus omnipotens templum illius et Agnus.* Apoc. 3, v. 12: *Faciam illum columnam in templo Dei mei.* 10. *τὰ ἅγια, sanctuarium vel sacrarium.* Hebr. 9, v. 12. cap. 10, v. 19. quia sacrarium templi Hierosolymitani fuit typus coelestis illius domicilii ac templi. 11) *Hierusalem absque muro habitabilis* Zach. 2, v. 4. *Hierosolyma, quae sursum est* Gal.
X. 296. 4, v. 26. *Hierusalem coelestis* Hebr. 12, v. 22. *civitas sancta, Hierusalem nova* (propter perfectam animarum et corporum innovationem), *descendens de coelo a Deo* Apoc. 21, v. 2. et 10. *civitas Dei viventis* Hebr. 12, v. 22. *civitas habens fundamenta, cujus δημιουργὸς Deus* Hebr. 11, v. 10. et 16. *civitas futura* Hebr. 13, v. 14. quia typus illius fuit Hierusalem, terrena Israëlitici populi metropolis, templi sedes, ecclesiae novi testamenti mater, civitas Dei *ἐξοχικῶς* dicta. Sicut in vita humana nihil pulchrius civitate optimis legibus munita, sic in vita aeterna erit pulcherrima societas *τῶν τοῦ θεοῦ συμπολιτῶν*, quam sanctissimis legibus Christus reget. *Hierosolyma* significat visionem pacis, atqui in coelesti illa civitate pax et quies felicissima locum habebit. 12) *Patria* Hebr. 11, v. 14. quia pii in terra sunt peregrini et advenae, *non habent hic civitatem manentem, sed futuram inquirunt* Hebr. 13, v. 14. 13) *Regio viventium* Psalm. 116, v. 9. *terra viventium* Psalm. 27, v. 13. ob causam mox explicandam etc.

status. 12. 2. *Status* beatorum apellatur 1) *vita* simpliciter et absolute Ezech. 18, v. 9. Matth. 7, v. 14. cap. 18, v. 8. etc. quia haec vita mortalis potius mors est quam vita, cum quotidie propius ad terminum ejus sive mortem accedamus; sed futura illa vita beatorum vere erit vita, tum propter *felicitatem*, tum propter *aeternitatem*, erit enim in ea *aeterna felicitas et felix aeternitas*, quae sola veram vitam efficit. *Vita aeterna*, cujus *προσδιορισμοῦ* rationem superius exposuimus §. 4. Joh. 3, v. 16. Gal. 6, v. 8. Tit. 3, v. 7. 1. Joh. 2, v. 25. etc. Hebraeis dicitur חַיֵּי עוֹלָם in plurali Dan. 12, v. 2. ubi quidam quaerunt emphasin, quod plures quasi vitas propter aeternam durationem complectatur, sed Hebraeum חַיִּים est plurale tantum, quia vita plures annos vel gradus complectitur. 2) *Regnum coelorum* Matth. 5, v. 20. cap. 7, v. 21. cap. 8, v. 11. Johan. 3, v. 5. *regnum Dei* Matth. 6, v. 33. Marc. 10, v. 23. Act. 14, v. 22. *regnum Dei coeleste* 2. Tim. 4, v. 18. Rom. 14, v. 17. 1. Cor. 6, v. 10. etc. *regnum Patris* Matth. 13, v. 43. cap. 26, v. 29. *regnum Christi* Luc. 23, v. 42. Apoc. 1, v. 9. *regnum aeternum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi* 2. Petr. 1, v. 11. (quidam addunt locum Eph. 5, v. 5. sed *ibi regnum Christi a regno* Dei distinguitur, ac per regnum Christi intelligitur modus regiminis, quo Christus ecclesiam in his terris militantem per verbum et sacramenta colligit, gubernat et adversus hostes defendit; per regnum autem Dei intelligitur modus regiminis, quo ecclesiam in coelis triumphantem devictis et prostratis omnibus hostibus in aeternum reget, ut ostendimus in tract. de consum. sec. §. 90.) *regnum paratum a constitutione mundi* Matth. 25, v. 34. *regnum* absolute et simpliciter Luc. 12, v. 32. etc. quia electi in summa et ineffabili gloria cum Christo in coelis regnabunt Apoc. 20, v. 6. abolitis omnibus hostibus, diabolo, morte, peccato, mundo, inferno etc. Quot et quibus modis alias regnum et regnum coelorum in Scripturis accipiatur, alibi exponitur. 3) *Hereditas* Act. 20, 32. Gal. 3, v. 18. Eph. 1, v. 14. etc. *divitiae hereditatis Christi*, id est quam Christus promeruit ac donat Ephes. 1, v. 18. *hereditas in regno Dei* Ephes. 5, v. 5. *retributio hereditatis* Col. 3, v. 24. *hereditas salutis* Hebr. 1, v. 14. *hereditas aeterna* Hebr. 9, v. 15. *hereditas ἄφθαρτος καὶ ἀμίαντος καὶ ἀμάραντος, τετηρημένη ἐν οὐρανοῖς* 1. Petr. 1, v. 4. ubi in singulis epithetis est magna emphasis. Est *here-* XX. 2
ditas incorruptibilis, ergo non habet finem vel terminum; est *incontaminata*, ergo gaudium illius nulla tristitia vel dolore contaminabitur aut perturbabitur; est *immarcescibilis*, ergo nulla ejusdem nos capiet satietas, sed illius felicitas in pleno flore ac vigore perpetuo durabit, qua ratione a terrena hereditate, etiam amplissima ac vere regia, distinguitur, quae et perire potest et contaminari et marcescere. Quare autem vita beatorum aeterna hereditatis nomine insigniatur, facile cuivis apparet. Pii non obtinent eam operum suorum meritis tanquam debitam mercedem, sed Christus promeruit eis jus *υἱοθεσίας, dedit eis potestatem filios Dei fieri* Johan. 1, v. 12. quod *si filii, utique et heredes* Roman. 8, v. 17. filii Dei per Christum, ergo et heredes Dei per Christum. Interim ut hereditas simul est largissima compensatio obedientiae, quam filius patri praestat, ita quoque coelestis hereditas ratione sequelae est omnium operum bonorum a piis praestitorum et omnium passionum ab ipsis toleratarum amplissima remuneratio. Adde quod hereditas *μετωνυμικῶς* usurpetur *pro quavis re grata et accepta*, quia in populo Israëlitico hereditas utpote a Deo ipso inter tribus distributa erat perquam grata et pretiosa. Ecquid vero pretiosius, gratius at acceptius piis esse potest quam vita aeterna? Haec hereditas *non minuitur copia possessorum, nec fit angustior heredum numerositate, sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus*, Augustinus in Psalm. 49. 4) *Gaudium piorum* Johan. 16, v. 22. ratione subjecti; *gaudium Domini* Matth. 25, v. 23. ratione causae efficientis et objecti; *satietas gaudiorum* Psalm. 16, v. 11. ratione adjuncti; *gaudium in Spiritu sancto* Rom. 14, v. 17. ratione causae efficientis et formalis simul, erit enim gaudium a Spiritu et in Spiritu, non terrenum et transitorium, sed spirituale,

coeleste et aeternum. Confer Esa. 35, v. 10. 5) *Pax* Roman. 14, v. 17. Luc. 1, v. 79. *requies* 2. Thess. 1, v. 7. *refrigerium* Act. 3, v. 20. *sabbatum ex sabbato* Esa 66, v. 23. *σαββατισμός* Hebr. 4, v. 9. *κατάπαυσις* v. 11. quia pii requiescent ab omni labore et dolore Apoc. 14, v. 13. festos dies perpetuo agent, in meditatione beneficiorum et operum divinorum semper occupati erunt etc. 6) *Salus*, *σωτηρία*, *beatitudo*, *μακαριότης* Esa. 33, v. 16. Act. 4, v. 12. 1. Thess. 5, v. 9. etc. *salus aeterna* Esa. 45, v. 17. Hebr. 5, v. 9. *παράδοξον τῆς σωτηρίας* Sap. 5, v. 2. quia pacis ac salutis nomine Hebraei omnis generis bona, quorum in vita aeterna copia erit uberrima, exprimunt. 7) *Corona* Apocal. 3, v. 11. *corona justitiae* 2. Tim. 4, v. 8. *corona vitae* Jac. 1, v. 12. Apoc. 2, v. 10. *corona gloriae* Psalm. 8, v. 6. 1. Petr. 5, v. 4. quia beati sunt victores omnium suorum hostium, sunt sponsae Agni. 8) *Gloria filiorum Dei* Rom. 5, v. 2. cap. 8, v. 21. *futura gloria* Rom. 8, v. 18. *aeterna gloria* 1. Petr. 5, v. 10. *aeternum pondus gloriae* 2. Corinth. 4, v. 17. *divitiae gloriae*, id est dives gloriae hereditatis Eph. 1, v. 18. *gloria* absolute et simpliciter Rom. 9, v. 23. Phil. 4, v. 19. Col. 1, v. 27. 1. Thess. 2, v. 12. etc. *gloria coelestis* 2. Tim. 2, v. 10. *aeterna Dei gloria* 1. Petr. 5, v. 10. quia quos Deus ab aeterno praedestinavit et in tempore vocavit ac justificavit, illos in futura vita glorificabit Rom. 8, v. 30. in summum honoris et gloriae fastigium eos evehendo, gloriosis animae et corporis dotibus exornando, ab omnibus infirmitatibus liberando, a mundi ignominia vendicando, coro-
298. nam gloriae donando etc. 9) *υἱοθεσία*, *adoptio in filios* Rom. 8, v. 23. In hac vita per fidem reddimur Dei filii et in actu justificationis ac regenerationis obtingit nobis adoptio Joh. 1, v. 12. sed consummata adoptio, id est ipsa possessio hereditatis, ad quam et in quam adoptati sumus, obtinget in coelo. De his vitae aeternae appellationibus ac denominationibus sic disserit Andreas Caesariensis in cap. 19. Apocal.: *Cum varia et magna futuri seculi sint bona, quae omnem mentem et cogitationem multis partibus superant, illorum usus et participatio variis multisque nominibus exprimitur. Quandoquidem propter incomparabilem gloriae splendorisque magnitudinem beatorum merces aliquando regni coelestis nomine designatur; nonnunquam vero, quod bonorum omnium copia, quae nunquam deficiunt, affluat et esculentorum spiritualium omnium apparatu abundet, paradisus vocatur; quandoque autem sinus Abrahae appellatur, ea fortassis de causa, quod vita defuncti ibi sortiantur requiem; interdum denique thalami et nuptiarum vocabulo insinuantur, idque, ut nobis videtur, non modo propter continuam laetitiam et oblectationem, verum etiam propter sinceram et inexplicabilem Dei ad servos suos conjunctionem, quae tantum excedit corporum copulam, quantum lumen tenebras et pretiosum unguentum cujusque cadaveris foetorem et graveolentiam.* Guilelmus Alvernus de retribut. sanctor. cap. 1: *Retributio sanctorum dicitur secundum suum principale, imo secundum suum totum gloria animarum* etc. *nominatur etiam beatitudo, quia ipsa est desideriorum omnium plenitudo; dicitur et vita aeterna, quia multum contraria est temporali.*

13. Huc referri possunt periphrasticae piorum veterum descriptiones, quibus vitae aeternae felicitatem utcunque adumbrant. Gregorius Nyssenus orat. 1. de pauperibus amand. vitam aeternam sic describit, quod sit *vita beata*, *nullum finem habitura*, *nullis malis obnoxia*, *in summis et admirandis*, *quaeque hic a nobis cognitione comprehendi non possunt*, *versans gaudiis et voluptatibus*. Basilius in enarr. Psalm. 45: *Vita aeterna est primogenitorum ac descriptorum in coelis congregatio stabilis ac perpetua*. Ambrosius in cap. 6. Galat.: *Haec est vita aeterna vivere sine poena et habere gloriam.* Augustinus lib. 1. de morib. eccles. cathol. cap. 25: *Vita aeterna est totum praemium, cujus promissione gaudemus. Aeterna vita est ipsa cognitio veritatis* lib. 1. de Trinit. cap. 13: *Vita aeterna est illa contemplatio, qua non ad poenam videtur Deus, sed ad gaudium sempiternum.* lib. 6. de civit. Dei cap. 12: *Aeterna vita est, ubi vera et plena felicitas est.* Et postea: *Eam vitam aeternam dicimus, ubi est sine fine felicitas.* Gersonius lib. 4. de consol. theol. prosa 5: *Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Plura adducentur inferius, quando de forma vitae aeternae dissertatio instituetur.

CAPUT II.

DE *ΤΩι ὍΤΙ*, AN SIT VITA AETERNA.

14. Ab *ὀνοματολογίᾳ* transitum facimus ad *πραγματολογίαν*, in qua primo loco occurrit quaestio, *an sit vita aeterna?* Affirmativa probatur 1. *ex manifestis Scripturae dictis* in V. et N. T. magno numero occurrentibus, quorum plurima collegit Augustinus lib. 19. contra Faustum Manich. cap. 80. Dicta Veteris Testamenti petuntur 1. *ex Moyse.* Gen. 2, v. 7: *Inspiravit Deus in faciem hominis a se conditi spiraculum vitae*, id est animam rationalem immortalem, ac proinde homo non solum ad hanc animalem et certo tempore desituram, sed etiam ad coelestem et aeternam vitam a Deo fuit conditus, id quod etiam colligitur ex subjecta comminatione v. 17: *Quacunque die comederis ex hac arbore, morte morieris*, id est morti obnoxius redderis et vita aeterna privaberis. Nisi enim homo ad vitam aeternam fuisset a Deo conditus, non potuisset transgressioni statui mortis aeternae poena. Idem colligitur ex creatione hominis ad imaginem Dei Gen. 1, v. 27. quippe cujus pars est beata immortalitas, ad quam post expletum vitae animalis cursum fuisset homo sine mortis interventu translatus Sap. 2, v. 23. Quin et cum homo per inobedientiam a Deo aversus

An sit vita aeterna. Affirmatio probatur

XX. 299.

1. ex dictis Scripturae.

1. Vet. Test. 1. ex Moyse.

spe vitae aeternae penitus excidisset, Deus ex immensa misericordia propter promissum semen mulieris ipsum in spem vitae aeternae iterum erexit. Gen. 3, v. 15: *Semen mulieris conteret caput serpentis*, id est destruet regnum Satanae, auferet mortem, reducet perfectam justitiam et vitam aeternam. Prolapsi erant primi parentes per et propter peccatum in aeternam mortem, exciderant beata immortalitate, ad quam creati erant, utique ergo promissione de restitutione vitae aeternae in Christo et per Christum erant iterum erigendi. Confer tractat. de resurrect. §. 6. Gen. 4, v. 7. dicit Deus ad Cainum: *Nonne si bene feceris, erit levatio* vel venia? Illud targum Hierosolymitanum sic reddidit, *si emendaveris opera tua in seculo isto, condonabitur et remittetur tibi in futuro seculo*, et addit, Abelem cum Caino inter cetera de *futuro seculo* disceptasse, illo quidem id affirmante, hoc vero proterve illud negante. Et sane testatur ipse eventus, promissionem illam de gratia Dei et retributione benefactorum piis datam non esse de temporali mercede unice vel potissimum intelligendam, quia Abel paulo post a fratre occiditur, sed *sanguis ejus clamat ad coelum*, id est anima ipsa ad coelestem gloriam evecta vindictam expetit et corpus suo tempore ad vitam suscitabitur etc. Genes. 12, v. 3: *In te*, hoc est in semine tuo, in promisso Messia ex semine tuo nascituro, *bene dicentur omnes gentes*, quae promissio repetitur Genes. 18, v. 18. cap. 22, v. 18. cap. 26, v. 4. cap. 28, v. 14. Psalm. 72, v. 17. complectitur autem restitutionem vitae aeternae per lapsum amissae Galat. 3, v. 14. Opponitur enim haec benedictio maledictioni, per quam temporali et aeternae morti homo factus fuit obnoxius, unde apostolus benedictionem illam a Christo nobis partam sic exponit Eph. 1, v. 3. quod *benedixerit nos Deus in omni benedictione spirituali ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, in coelestibus;* ac Jacobus patriarcha in promulgatione hujus promissionis vidit scalam a terra ad coelum adscendentem Genes. 28, v. 12. ut per Christum in coelum nobis reditum comparari intelligeret. Genes. 15, v. 1. dicit Dominus ad Abrahamum: *Ero merces tua magna nimis* (non tantum in hac sed etiam ac vel maxime in futura vita 1. Tim. 4, v. 8. potest enim haec promissio intelligi tum *causaliter*, quod Deus largissimam mercedem sit daturus Abrahamo; tum *formaliter*, quod Deus ipse per beatificam sui visionem sit futurus ipsius merces, quia Deus *erit omnia in omnibus* 1. Cor. 15, v. 28. Sensus ergo est, ego qui sum Deus, summum et in-
XX. 300. finitum bonum, omnium bonorum mare inexhaustum, ero merces, praemium et beatitudo tua; sprevisti bona terrena a rege Sodomorum oblata, ego ipse ero merces tua aeterna). Gen. 49, v. 18. Jacobus morti vicinus dicit: *Salutare tuum* vel salutem tuam *exspecto, Domine* (non temporariam et transitoriam, dicebat enim Gen. 48, v. 21. *en ego morior*, sed aeternam, quam propter promissum Messiam sibi dandam firmissime credebat et exspectabat. Confer Chaldaicam paraphasin illius loci). Exod. 3, v. 6: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob* (ex quo Christus colligit, Abrahamum, Isaacum et Jacobum post mortem adhuc vivere et ad vitam aeternam ipsorum corpora esse resuscitanda, *cum Deus non sit Deus mortuorum sed viventium* Matth. 22, v. 32. Marc. 12, v. 26. Luc. 20, v. 37. Confer tract. de morte §. 145). Levit. 18, v. 5: *Custodite leges meas et judicia, quae faciens homo vivet in eis.* Huc pertinent omnes promissiones legales, in quibus legem perfecte praestantibus vita et salus promittitur Exod. 20, v. 6. Deut. 4, v. 1. cap. 5, v. 33. cap. 30, v. 15. et 19. Ezech. 20, v. 5. 13. 21. etc. quia lex promittit non solum hujus vitae bona, sed etiam vitam et praemia aeterna, verum perfecte eam implentibus. Luc. 10, v. 25. quaerit legis peritus: *Quid faciendo vitam aeternam possidebo?* Huic Christus respondet: *In lege quid scriptum est? quomodo legis?* cumque summam legis de dilectione Dei et proximi legis peritus recitasset, subjungit Christus v. 28: *Recte respondisti, hoc fac, et vives.* Utique ergo promissio legi addita non de hujus duntaxat vitae praemiis, sed etiam de aeterna vita accipienda est. Rom. 2, v. 13: *Factores legis justificabuntur*, id est justitiam et vitam aeternam consequentur. Rom. 7, v. 10: *Mandatum quod erat mihi ad vitam* beatam et sempiternam consequendam datum, *hoc est ad mortem.* Rom. 10, v. 5. Gal. 3, v. 12: *Justitia legis haec est, qui fecerit ea, vivet in eis.* Unde verba legis vocantur λόγια ζῶντα Actor. 7, v. 38. sed quia in hac vitae infirmitate nemo hominum perfecte legem praestat, ideo *promissiones legis nobis redduntur inutiles* Rom. 8, v. 4. non quidem legis sed nostro vitio, quo respiciens apostolus negat, *legem esse datam, quae possit vivificare* sive vitam aeternam dare Galat. 3, v. 21. Ex quo tamen ipsis promissionibus legalibus absolute et in se consideratis nihil quidquam decedit, quo minus vitam aeternam judicentur offerre obedientibus, unde notanter dicit apostolus: *Si data esset lex, quae posset vivificare*, ὄντως, vere, ex lege esset justitia et consequenter etiam vita aeterna.

15. 2. Ex Jobo et Psalmis. Job. 19, v. 26: *Videbo Deum in carne mea.* Psalm. 1, v. 1. *Beatus vir,* 2. Ex Jo et Psalm
qui non abit in consilio impiorum. Huc pertinent reliqua dicta, in quibus agitur *de beatitudine.* Psalm. 2, v. 12: *Beati omnes, qui confidunt in Messia.* Psalm. 32, v. 1: *Beati, quorum remissae sunt iniquitates.* Psalm. 33, v. 12: *Beata gens, cujus est Dominus Deus.* Psalm. 34, v. 9: *Beatus vir, qui sperat in Domino.* Psalm. 41, v. 2: *Beatus vir, qui intelligit super egenum* etc. Plura ejusmodi passim in Psalmis occurrunt, ibi enim intelligitur non tantum hujus sed etiam ac vel maxime futurae vitae felicitas piis promissa, quod colligitur 1) *ex phrasi*, in Hebraeo enim est plurale, *beatitudines viri illius*, id est vir ille omni beatitudinum genere implebitur, erit maxime beatus, id vero coelesti et aeternae beatitudini duntaxat congruit; 2) *ex sorte piorum in* XX. 301
hoc mundo, quia pii in hac vita prae reliquis cruci sunt obnoxii, impiis contra in hoc mundo florenti-

bus. Psalm. 144, v. 15: *Beatum dixerunt populum, cui haec sunt; beatus populus, cujus Dominus Deus ejus;* 3) *ex promissionibus tam legalibus, quam evangelicis*, quae piis et in Messiam credentibus factae, utraeque enim beatitudinem aeternam complectuntur 1. Tim. 4, v. 8; 4) *ex beatitudinis illius descriptione.* Statuitur enim illa beatitudo in peccatorum remissione, in spe et fiducia etc. atqui fructus remissionis peccatorum et finis fidei est vita aeterna, Psalm. 31, v. 2: *In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.* At qui non debet confundi in aeternum, is sperat aeternam beatitudinem. Ubi tamen notandum, dicta illa, in quibus *subjectum*, id est qualitas et actiones beatorum describuntur, prudenter distinguenda esse ab illis dictis, in quibus *forma et modus* beatitudinis impetrandae describitur, neque enim omnia, quae descriptionem subjecti continent, ad modum et formam beatitudinis statim pertinent. Psalm. 16, v. 5: *Dominus pars hereditatis meae.* v. 6. *hereditas praeclara est mihi;* v. 9. *propter hoc laetatum est cor meum;* v. 11. *notas mihi facies vias vitae, abundantia gaudiorum est cum vultu tuo, delectationes in dextra tua usque in aeternum.* Psalm. 17, v. 15: *Ego in justitia videbo faciem tuam, satiabor, cum excitatus fuero ad imaginem tuam.* Psalm. 22, v. 27: *Edent pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent corda eorum in seculum seculi.* Psalm. 27, v. 13: *Credo videre bona Domini in terra viventium* (Augustinus tract. 124. in Joh.: *Hic tolerantur mala hujus mundi in terra morientium, ibi videbuntur bona Domini in terra viventium*). Psalm. 36, v. 8: *Quam pretiosa est misericordia tua, Deus, filii hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* v. 9. *inebriabuntur a pinguedine domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos,* v. 10. *quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.* Petrus Cluniacensis lib. 6. epist. 40: *Quae jucunditas illa miseris mortalibus ignota! qua torrente voluptatis ipsius potatae insatiabili satietate ab illo, apud quem est fons vitae, post has tam densas, tam odibiles Aegypti tenebras in lumine ejus videbitis lumen.* Theodoretus in comment. refert hunc locum ad praesentium spiritualium bonorum affluentiam, quam a Deo sancti recipiunt, quae torrenti comparatur, eo quod instar torrentis in aestate ad tempus fluat et parum duret, videlicet brevi hujus mortalis vitae decursu; sed rectius de sempiterna piorum felicitate accipitur, quae duplici nomine *torrens* dicitur, tum propter impetum et copiam, tum quia sicut torrens aquarum vi et impetu omnia obstacula secum devolvit, ita superna voluptas omnia delectationi contraria in aeternum tollit ac destruit. Quoniam vero similitudo torrentis, qui cito defluit, videbatur diuturnitatem ac aeternitatem beatitudinis evertere, ideo addit propheta regius, quia *apud te est fons vitae*, quo dicitur, nemo existimet, beatorum felicitatem aliquando desituram, eo quod torrentis similitudine eandem expressit, quia hic torrens ortum habet ex fonte quodam perenni, qui nunquam potest deficere. Augustinus in comment. notat, verbo *inebriandi* significari summam vim illius dulcedinis. Quemadmodum enim homines, cum vinum immoderate bibunt, de potestate mentis deturbantur; sic cum accepta fuerit illa ineffabilis laetitia, humana mens a coelesti dulcedine inebriata et absorpta quodammodo deficere videtur. (Sicut ebrietas ponit hominem extra se, ita divinus amor ecstasin facit; XX. 302.
inebriabuntur igitur beati dilectione, et hoc ex abundantia bonorum, quae sunt in domo Domini. In lumine gloriae videbunt lumen divinitatis. Weidnerus de loc. fid. praecip. tract. 2. p. 562.) Psalm. 37, v. 6: *Educet quasi lumen justitiam tuam et judicium tuum tanquam meridiem* (tam clara lux erumpentis justitiae in die novissimo aeternae vitae exordio demum orietur). Psalm. 45. introducit propheta regius ecclesiam ut sponsam Christo sponso *a dextris adstantem, splendide ornatam, ad nuptias regis coelestis deducendam, communione bonorum coelestium donandam*, chorum virginum et amicarum, id est fidelium animarum, instar coelestis gynaecei secum adducentem, laetitia inenarrabili exsultantem etc. Psalm. 68, v. 4: *Justi gaudeant et exsultent in conspectu Dei et delectentur in laetitia.* Psalm. 84, v. 5: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te* (primario et principaliter agit psaltes de statu ecclesiae ac vere piorum in hac vita, sed potest hoc ipsum recte accommodari ad statum ecclesiae in vita futura, quia felicitas illa in hac vita duntaxat incipit ac multis adversitatibus obtecta latet, sed in vita aeterna demum erit consummata, unde) v. 12. subjungitur, *gratiam et gloriam dabit Dominus* (in hac vita est regnum gratiae, in futura vero gloriae), v. 13. *non privabit ullo bono eos, qui ambulant in innocentia; Domine exercituum, beatus homo, qui sperat in te.* Psalm. 116, v. 9: *Ambulabo coram Domino in regione viventium.* Psalm. 125, v. 3: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum* (liberatio illa a tyrannide hostium incipit in hac vita, unde additur, *ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas*, sed perficietur demum in vita futura). Psalm. 122, v. 7: *Sit prosperitas in muris tuis et abundantia in turribus tuis.* Hebraeum *sit salus in palatiis tuis.* (Bernhardus serm. de triplici gen. bon. hoc refert ad Hierosolymam coelestem. *Fiat*, inquit, *abundantia in illis turribus, quae juxta prophetam alium gemmis aedificabuntur, ubi adipe frumenti, non cortice sacramenti satiabit nos Deus.*) Psalm. 126, v. 5: *Qui seminant in lacrymis, cum exsultatione metent;* v. 6: *euntes ibant et flebant portantes pretiosum semen; venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos* (Matth. 13, v. 39: *Messis est consummatio seculi* Galat. 6, v. 9: *Bonum operantes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes*). Psalm. 147, v. 13. et 14: *Qui posuit fines tuos pacem et confortavit seras portarum tuarum.* (Hoc Bernhardus dicto loco itidem ad coelestem Hierosolymam accommodat, quae tam firmiter erit munita, ut nullus

inimicus intret, nullus exire possit amicus. Quid timendum illi civitati, cui pro finibus et moenibus ipsa pax data?) Psalm. 150. Augustinus in commentariis totum de beatis exponit, quos mystice expressos esse statuit, *in tubis*, *psalteriis*, *citharis*, *tympanis*, *choreis*, *organis et cymbalis bene sonantibus*, in quibus omnibus multitudo et varietas cum summa harmonia concentuque conjuncta reperitur. *Habebunt*, inquit, *etiam tunc sancti differentias suas consonantes*, *non dissonantes*, *id est consentientes*, *non dissentientes*, *sicut concentus suavissimus fit ex diversis quidem*, *sed non adversis sonis*. Dictis psalmographi regis conjungi possunt ea, quae petuntur ex proverbiis Salomonis filii. Proverb. 3, v. 13: *Beatus homo*, *qui invenit sapientiam* (spiritualem et coelestem ex verbo Dei discendam), v. 18. qui *tenuerint eam*, *beati*. (Confer Proverb. 8, v. 32. et 34.)
XX. 303. Sic. Prov. 14, v. 21: *Qui miseretur pauperis*, *beatus erit*. cap. 16, v. 20: *Qui sperat in Domino*, *beatus est*. cap. 29, v. 18: *Qui custodit legem*, *beatus est* etc. In his et similibus dictis non temporalem tantum, sed etiam ac vel maxime aeternam beatitudinem promitti ostendimus superius. Proverb. 11, v. 18: *Seminanti justitiam merces fidelis*. v. 19. *Justitia est ad vitam*, *sectatio malorum ad mortem*. (In his et parallelis ejusmodi dictis intelligitur non vita ac mors temporalis, quippe quarum utraque communis est piis et impiis, sed vita aeterna piis promissa et mors aeterna impios manens.)

3. Ex prophetis. 16. 3. *Ex prophetis*. Esa. 25, v. 6: *Faciet Dominus Deus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium*, *convivium vini defaecati*, *convivium pinguium medullatorum*; v. 8. *absorbebit Deus mortem in sempiternum et auferet omnem lacrymam ab omni facie et opprobrium populi sui auferet de universa terra*. (Eusebius Caesariensis lib. 4. demonstrat. evangel. c. 12. hunc locum Esaiae interpretatur *de redemtione mundi facta* per Christum, in qua Christus peccatorum nostrorum maculas abstersit; sed dubium nullum, quin possit hoc oraculum propheticum ad *statum futurae gloriae* accommodari, ut constat ex Apoc. 7, v. 17. et cap. 21, v. 4. perinde ut apostolus 1. Cor. 15, v. 54. ad resurrectionem id ipsum applicat. Quamvis enim per verbum evangelii in ecclesia militante haec beneficia inchoentur, tamen in vita demum aeterna perfecte consummabuntur. In hac vita Deus piis convivium parat, sed illi pro ratione ac statu praesentis temporis aliquid amari est admixtum, verum in vita aeterna exhibet ipsis *convivium pinguium medullatorum*, vinum quod in hac vita piis porrigitur, hoc est divina consolatio, quae piorum cordibus immittitur, habet admixtum aliquid acidi ac turbidi, quia crucem et mortem nondum penitus aufert; sed in vita aeterna exhibebitur ipsis *convivium vini defaecati*, *in quo nihil erit turbidi vel faeculenti*.) v. 9. *et dicent in illa die*, *ecce Deus noster iste*, *exspectavimus eum*, *et salvavit nos*, *iste est Dominus*; *speravimus in eum*, *exsultamur et laetamur in salute ejus* (post difficiles ac longas hujus vitae aerumnas sequetur tandem liberatio ac salus, ob quam perpetuis laudum canticis ecclesia Deum salvatorem suum celebrabit). Esa. 30, v. 18: *Beati omnes*, *qui exspectant eum*. v. 26. *Erit lux lunae*, *sicut lux solis*, *et lux solis erit septempliciter*, *sicut lux septem dierum in die*, *qua alligaverit Dominus vulnus populi sui*. (Quidam allegoriam hanc ad recreatum et florentem populi Judaici in hac vita statum accommodant, quia ut nox et tenebrae pro afflictione, ita lux et dies pro felicitate ac laetitia in prophetis usurpantur, sed Hieronymus et Lyranus haud absurde ad futuram vitam, in qua piorum felicitas demum erit plena et perfecta, accommodant, cum in sequentibus aeterna impiorum supplicia describantur. Expositio hujus vaticinii habetur Apoc. 21, v. 23: *Civitas* superna *non indiget sole nec luna*, *ut luceant in ea*, *nam claritas Dei illuminabit eam et lucerna ejus est Agnus*.) Esa. 32, v. 17: *Erit opus justitiae pax et cultus justitiae quies et securitas usque in sempiternum*, v. 18. *et sedebit populus meus in habitatione pacis et in tabernaculis fiduciae et in requie securitatis* (illa tranquillitas et abundantia in vita demum aeterna piis perfecte obtingunt). Esa. 35, v. 10:
Redemti a Domino convertentur et venient in Sion XX. 304
cum laude et laetitia sempiterna super caput eorum, *gaudium et laetitiam obtinebunt*, *et fugiet dolor et gemitus*. Esa. 49, v. 10: *Non esurient neque sitient*, *et non percutiet eos aestus et sol*, *quia miserator eorum reget eos et ad fontes aquarum ducet eos*. (In sensu literali agitur de vocatione gentium ad ecclesiae consortium, adeoque de pascuis evangelicis, ad quae a Christo pastore adducuntur, sed Apoc. 7, v. 17. mystice hoc vaticinium ad statum beatorum in coelis accommodatur, quia ex ecclesia militante patet transitus ad ecclesiam triumphantem, in qua plena et perfecta securitas, consolatio ac laetitia tandem sequetur.) Esa. 54, v. 11: *Ecce ego ponam in carbunculo lapides tuos et fundabo te in sapphiris*, v. 12. *ponam smaragdum fenestras tuas et portas tuas in lapides rubinos et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles* (confer Apoc. 21, v. 19.), v. 13. *universos filios tuos doctos a Domino et multitudinem pacis filiis tuis*. v. 14. *Paraberis in justitia*, *procul abfutura es a calumnia*, *quia non timebis*, *et a pavore*, *quia non appropinquabit tibi*. Esa. 56, v. 2: *Beatus*, *qui facit hoc*. v. 5. *Dabo illis nomen sempiternum*, *quod non peribit*. Esa. 58, v. 8: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum et incrementum tuum cito germinabit et anteibit faciem tuam justitia tua et gloria Domini colliget te*. Esa. 60, v. 11: *Apertae erunt portae tuae jugiter*, *die ac nocte non claudentur*, *ut afferatur ad te fortitudo gentium et reges earum adducantur* (proprie de statu ecclesiae Novi Testamenti in hac vita propheta vaticinatur, sed Johannes Apoc. 21, v. 25. applicat ad coelestem Hierosolymam ob causam modo expositam). v. 18. *Vocabis salutem muros tuos et portas tuas hymnum*; v. 19. *non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem*, *nec splendor lunae illuminabit te*, *sed erit tibi Dominus in lucem sempi-*

ternam et Deus tuus in gloriam tuam; v. 20. *non occidet ultra sol tuus et luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui;* v. 21. *populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hereditabunt terram, germen plantationis meae, opus manus meae, ut glorificer.* (Apoc. 21, v. 23. cap. 22, v. 5. hoc ad coelestem Hierosolymam applicatur, in illa enim demum complebuntur dies luctus et ad illam pii in hac vita toto pectore adspirant, quippe quae militantis ecclesiae est consummatio.) Esa. 61, v. 3: *Dabit Deus ornatum pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu moeroris, et vocabuntur in ea arbores justitiae, plantatio Domini, ut glorificetur.* v. 7. *Pro confusione vestra duplicia et pro conviciis jubilatio erit pars eorum, propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, laetitia sempiterna erit eis* (haec laetitia et gloria in hac vita inchoatur, in futura consummabitur). Esa. 64, v. 4: *A seculo non audierunt neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparisti exspectantibus te* (1. Cor. 2, v. 9. ad gloriam vitae aeternae hoc vaticinium applicatur, quia Christus, de cujus adventu propheta loquitur, eam nobis promeruit et clausas ob peccatum coeli januas nobis iterum aperuit). Esa. 65, v. 14: *Ecce servi mei laetabuntur, et vos confundemini; ecce servi mei jubilabunt prae exsultatione cordis, et prae contritione spiritus ululabitis.* v. 16. *Oblivioni traditae sunt angustiae priores,* v. 17. *ecce enim ego creo coelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora et non adscendent super cor,* v. 18. *sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his, quae ego creo, quia ecce ego creo Jerusalem*
305. *exsultationem et populum ejus gaudium,* v. 19. *et exsultabo in Jerusalem et gaudebo in populo meo, et non audietur in eo ultra vox fletus et vox clamoris* (confer 2. Petr. 3, v. 13. Apoc. 21, v. 1. et 8. atque ea, quae de hoc loco prophetico dicta sunt in tractat. de consummatione secul. §. 87.). Esa. 66, v. 12: *Ecce ego declinabo super Hierosolymam quasi fluvium pacis et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis, ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis;* v. 13. *quomodo si cui mater blanditur, ita ego consolabor vos et in Jerusalem consolabimini;* v. 14. *videbitis et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt, et cognoscetur manus Domini servis ejus* etc. v. 22. *Sicut coeli novi et terra nova, quae ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum,* v. 23. *et erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato, veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus,* v. 24. *et egredientur et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me.* (Quomodo singula hujus vaticinii membra ad sempiternam beatorum gloriam accommodari possint, ex dictis Novi Testamenti erit manifestum. Confer Apoc. 21, v. 24. Luc. 16, v. 23. et 25. Johan. 16, v. 22. Hebr. 4, v. 9. etc.) Ezech. 18, v. 32. cap. 33, v. 11: *Non delector morte, sed ut convertatur impius et vivat* (in aeterna scilicet felicitate, quia per conversionem homo non liberatur a morte temporali ac prosperitas temporalis piis et impiis communis est). Daniel. 2, v. 44: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur, comminuet et consumet universa regna haec, ipsum autem stabit in aeternum.* cap. 7, v. 26: *Judicium sedebit,* v. 27. *regnum et potestas et magnitudo regni, quae est subter omne coelum, dabitur populo sancto Altissimi, cujus regnum sempiternum est.* cap. 12, v. 2: *Multi de his, qui dormiunt in pulvere terrae, evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium, in ignominiam sempiternam;* v. 3. *qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudierunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* Ose. 6, v. 2: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus.* cap. 13, v. 12: *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus;* v. 14. *de manu inferni redimam eos* etc. *haec consolatio abscondita est ab oculis meis.* cap. 14, v. 6: *Ero quasi ros Israëli, florebit ut rosa et erumpet radix ejus ut Libani;* v. 9. *ero quasi abies virens, ex me fructus tuus inventus est.* Joël. 3, v. 5: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, quia in monte Sion et in Jerusalem erit salvatio* (id est vera ecclesiae membra damnationem effugient). Mich. 7, v. 19: *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Mal. 3, v. 18: *Videbitis, quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei.* cap. 4, v. 1: *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes facientes iniquitatem stipula* etc. v. 2. *et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiae et sanitas in pennis ejus, et egrediemini et crescetis sicut vituli, qui saginantur,* v. 3. *et calcabitis impios, quia erunt cinis sub planta pedum vestrorum in die, quam ego facio, dicit Dominus.* (Hoc perfecte demum implebitur in die extremi judicii, quando impiis dicetur, *ite maledicti in ignem aeternum,* piis vero *venite, possidete regnum;* tunc orietur ipsis *sol* gratiae, justitiae ac laetitiae, tunc aeterna sanitas, tranquillitas et incolumitas ipsis conferetur, tunc perfectam ab omnibus hostibus victoriam reportabunt, quae XX. 306.
omnia sunt aeternae vitae bona.) Huc referri debent ex Moyse, psalmis et prophetis omnia dicta, 1) in quibus *promissiones legales* continentur, ut enim comminationes legales praecipue spectant aeterna supplicia inobedientibus proposita, sic promissiones legales praecipue spectant aeterna praemia perfecte obedientibus promissa; 2) in quibus vaticinia *de beneficiis Messiae,* quae sunt condonatio peccatorum, reconciliatio cum Deo, perfecta justitia, salus et vita, proponuntur, ea enim beneficia primario, si non unice, aeternam vitam spectant; 3) in quibus *status animarum piarum post mortem* describitur, illae enim vivunt in coelesti laetitia et gloria; 4) in quibus agitur *de resurrectione piorum,* illi enim evigilabunt

ad vitam aeternam; 5) in quibus *de consummatione seculi* agitur, illi enim succedet novum coelum ac terra; 6) in quibus *de aeternis impiorum suppliciis* agitur, illis enim opponuntur aeterna piorum praemia.

4. Ex libris apocryphis. 17. 4. Ex libris apocryphis. 4. Esdr. 2, v. 11: *Dabo eis tabernacula aeterna, quae praeparaveram illis;* v. 12. *lignum vitae erit illis in odore unguenti, et non laborabunt neque fatigabuntur.* v. 13. *Paratum est vobis regnum,* v. 18. *paravi tibi arbores duodecim gravatas variis fructibus,* v. 19. *et totidem fontes fluentes lac et mel et montes immensos septem habentes rosam et liliam, in quibus gaudio implebo filios tuos.* v. 34. *Requiem aeternitatis dabit vobis;* v. 35. *parati estote ad praemia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per aeternitatem temporis.* v. 42. *Vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, et omnes canticis collaudabant Dominum.* v. 43. *Et in medio eorum erat juvenis statura celsus, eminentior omnibus illis, et singulis eorum capitibus imponebat coronas et magis exaltabatur* etc. v. 44. *Tunc interrogavi angelum et dixi: Qui sunt hi, Domine?* v. 45. *Qui respondens dixit mihi: Hi sunt, qui mortalem tunicam deposuerunt et immortalem sumserunt et confessi sunt nomen Dei. Modo coronantur et accipiunt palmas.* v. 46. *Et dixi angelo: Ille juvenis quis est, qui eis coronas imponit et palmas in manus tradit?* v. 47. *Et respondens dixit mihi: Ipse est Filius Dei, quem in seculo confessi sunt.* cap. 7, v. 43: *Dies judicii erit finis temporis hujus et initium temporis futurae immortalitatis, in quo transivit corruptela,* v. 44. *soluta est intemperantia, abscissa est incredulitas, crevit autem justitia, orta est veritas.* v. 45. *Tunc enim nemo poterit salvare eum, qui periit, neque demergere, qui vicit.* v. 49. *Promissum est nobis immortale tempus,* v. 50. *praedicta est nobis perennis spes,* v. 51. *reposita sunt nobis habitacula sanitatis et securitatis,* v. 52. *reposita est gloria Altissimi,* v. 53. *ostendetur paradisus, cujus fructus incorruptus perseverat, in quo est securitas et medela.* v. 55. *Super stellas fulgebunt facies eorum, qui abstinentiam habuerunt;* v. 61. *futurum est gaudium super eos, quibus persuasa est salus* etc. cap. 8, v. 1: *Hoc seculum fecit Altissimus propter multos, futurum autem propter paucos;* v. 2. *multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur.* v. 52. *Vobis apertus est paradisus, plantata est arbor vitae, praeparatum est futurum tempus, praeparata est abundantia, aedificata est civitas, probata est requies, perfecta est bonitas et perfecta sapientia,* v. 53. *radix mali signata est a vobis, infirmitas et tinea a vobis absconsa sunt et in infernum fugit corruptio in oblivione,* v. 54. *transierunt dolores et ostensus est in fine thesaurus immortalitatis.* cap. 9, v. 15: *Plures sunt, qui pereunt, quam qui salva-*
XX. 307. *buntur.* Tob. 2, v. 18: *Vitam illam exspectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Sap. 3, v. 7: *Fulgebunt justi et tanquam scintillae in arundineo discurrent;* v. 8. *judicabunt nationes et dominabuntur populis, et regnabit Dominus illorum in perpetuum.* cap. 5, v. 2: *Mirabuntur impii ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας,* v. 5. *docent de sanctis: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei et inter sanctos sors illorum est.* v. 16. *Justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum et cogitatio illorum apud Altissimum;* v. 17. *ideo accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini, quoniam dextera sua teget eos et in brachio sancto suo defendet illos.* cap. 15, v. 3: *Scire virtutem tuam radix est immortalitatis.* Sir. 14, v. 1: *Beatus, qui non est stimulatus in tristitia delicti* (qui a voluntariis peccatis abstinet, ne conscientiae morsus incurrat). cap. 34, v. 17: *Timentis Dominum, beata est anima ejus.* cap. 50, v. 30: *Beatus, qui in istis bonis versatur* etc. 2. Maccab. 7, v. 9: *Rex mundi nos defunctos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit.* v. 36. *Fratres mei modico dolore sustentato, sub testamento aeternae vitae effecti sunt.*

18. 2. In Novo Testamento testimonia occurrunt longe plurima, cum in singulis fere capitibus quaedam solis radiis scripta exstent. Apud Matthaeum potiora haec sunt, Matth. 3, v. 12: *Congregabit Christus triticum in horreum suum.* cap. 5, v. 3: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum;* v. 4. *beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur;* v. 5. *beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (novam, in qua justitia habitat); v. 6. *beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (coelestibus et aeternis bonis); v. 7. *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur;* v. 8. *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* v. 9. *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* etc. v. 12. *Merces vestra copiosa est in coelis.* v. 19. *Qui etiam minima mandata fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regno coelorum;* v. 20. *nisi abundaverit justitia vestra plus quam Pharisaeorum* etc. *non intrabitis in regnum coelorum.* cap. 6, v. 20: *Thesaurizate vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur.* v. 33. *Quaerite primum regnum Dei.* cap. 7, v. 14: *Angusta porta et arcta est via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam.* v. 21. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum coelorum* etc. cap. 8, v. 11: *Multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo in regno coelorum* (antithesis v. 12. ostendit, non de consortio in regno gratiae, ut quidam volunt, sed in regno gloriae cumprimis hic sermonem esse). cap. 11, v. 12: *Regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud* (qui non franguntur adversis, non repelluntur scandalis, non cedunt minis diaboli et organorum ejus, sed fide omnia perrumpunt). cap. 13, v. 43: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* cap. 18, v. 3: *Nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum.* v. 8. *Melius tibi, ad vitam ingredi debilem* etc. cap. 19, v. 23: *Dives difficile intrabit in regnum coelorum;* v. 24. *facilius est, camelum intrare per*

2. Ex N. T.

foramen acus, quam divitem intrare in regnum coelorum, illud v. 25. exponitur per τὸ salvari v. 29. *Qui reliquerit domum vel fratres* etc. *possidebit vitam aeternam.* cap. 22, v. 30: *In resurrectione non nubent nec nuptui dabuntur, sed sunt sicut angeli Dei in coelo.* cap. 23, v. 13: *Clauditis regnum coelorum coram hominibus.* cap. 25, v. 21: *Intra in*
08. *gaudium Domini tui.* v. 34. *Venite, benedicti, possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi.* v. 46. *Ibunt in vitam aeternam.* Similia apud reliquos evangelistas et in epistolis apostolicis, cumprimis vero in apocalypsi Johannea ubivis occurrunt, adeo ut vix ullum ex libris Novi Testamenti adferri possit caput, in quo non clarissimum aliquod de vita aeterna exstet testimonium, ut proinde vitam aeternam negare nemo possit, nisi fundamentum Christianismi labefactare et divinam sacrarum literarum auctoritatem prorsus abnegare velit. Conferantur synonyma vitae aeternae superius enumerata ut et dicta Scripturae, quae in sequentibus ad probandam quamlibet hujus articuli partem afferemus, ac magnus divinorum testimoniorum de vita aeterna in promtu ac parato erit numerus.

19. 2. Ab *exemplis* 1) *primorum parentum ante*
lis. *lapsum.* Nondum quidem ad vitam spiritualem et coelestem statim post creationem perducti erant, sed vitam animalem et naturalem in terris adhuc agebant, interim praeludium quoddam vitae futurae in semet ipsis circumferebant. Conditi erant *ad imaginem Dei* Gen. 1, v. 27. *in justitia et sanctitate vera* Eph. 4, v. 24. fulgebat in mente lux sapientiae et cognitionis, per quam creatorem et creaturas satis clare ac perspicue cognoscebant, voluntas ipsorum divinae legi erat plene conformis, flammae affectuum in corde erant purissimae ac sanctissimae, familiariter colloquebantur cum Deo et sanctis angelis, pax conscientiae in cordibus vigebat, aberat mors, luctus, morbi, omnia adversa etc. haec omnia in gradu longe perfectiori in vita aeterna locum habebunt. 2) *Animarum piarum*, quae a corporibus separatae dicuntur *vivere*, in coelesti scilicet laetitia et gloria, utpote *Habelis* Genes. 4, v. 10. Hebr. 11, v. 4. *patriarcharum* Exod. 3, v. 6. Luc. 20, v. 38. *martyrum* Apoc. 6, v. 9. et omnium vere piorum. Confer ea, quae in tract. de morte in quaest. de stat. anim. dicta. 3) *Eorum, qui animabus et corporibus suis in coelum translati sunt*, utpote in prima mundi aetate *Henochi* Genes. 5, v. 24. Sirac. 44, v. 16. cap. 49, v. 16. Hebr. 11, v. 5. (quem *aeternitatis candidatum* appellat Tertullianus lib. adv. Judaeos cap. 3. p. 93. alii ex veteribus vocant *obsidem ac testem vitae aeternae*), in secunda mundi aetate *Eliae* 2. Reg. 2, v. 11. Sirac. 48, v. 9. 1. Maccab. 2, v. 58. in tertia mundi aetate *ipsius Christi* Marc. 16, v. 19. Luc. 24, v. 51. Actor. 1, v. 9. ac *resuscitatorum* cum ipso sanctorum Matth. 27, v. 52. quibus aliqui conjungunt *Moysen* in transfiguratione Christi una cum Elia apparentem Matth. 17, v. 3. Marc. 9, v. 4. Luc. 9, v. 30. Confer ea, quae dicta sunt in tract. de resurrect. mort. §. 27. 4) *Pauli, qui raptus est in paradisum et audivit arcana verba, quae non licet homini eloqui* 2. Cor. 12, v. 4. unde post gustatam vitae coelestis dulcedinem magno spiritus robore pronuntiat Rom. 8, v. 18: *Existimo, quod non sint condignae passiones futura gloria* etc. 5) *Johannis*, cui nova ac coelestis Hierosolyma in visione fuit praefigurata Apoc. 21, v. 22. 6) *Omnium vere piorum*, qui in hac vita ex doloribus inferni Dei beneficio eluctantur, Psalm. 30, v. 4. Psalm. 49, v. 16. Psalm. 86, v. 13. etc. ac προποτισμόν quendam vitae aeternae in cordibus suis sentiunt, Psalm. 34, v. 9: *Gustate et videte, quoniam bonus est Dominus.* Hebr. 6, v. 5: *Qui gustaverunt bonum Dei verbum virtutesque futuri seculi.* Ideo enim hunc aeternae vitae praegustum dilectis suis Deus confert, ut de certitudine secuturae felicitatis et gloriae con- XX. 309.
firmati quaevis adversa aequo animo tolerent.

20. 3. *Ex rationum momentis*, quarum quaedam spectant *Deum salvantem*, quaedam vero *homines salvandos*. 3. Ex rationum momentis.
Ad priorem classem pertinent, quae ducuntur 1) *a Dei misericordia et bonitate.* Deus est summum et infinitum bonum, fons omnis boni, ideo bonitatem suam communicat creaturis ad imaginem suam conditis, quae communicatio perfecte sequetur in vita aeterna. Natura boni est aliis sese communicare et se in alios quasi effundere, quare cum Deus sit summum bonum, ideo etiam in summo gradu sese piis a se dilectis seque diligentibus communicabit. 2) *A Dei aeternitate.* Cum Deus sit aeternus idemque *perpetuo vivens* et summe beatus Dan. 4, v. 31. cap. 12. v. 7. sequitur necessario, esse vitam ac beatitudinem aeternam, in cujus consortium assumet, quotquot fide et dilectione ipsi adhaerentes facti sunt, *unus spiritus cum ipso* 1. Cor. 6, v. 17. 3) *A divinae justitiae aequitate.* Justitia divina requirit, ut piis et obedientibus reddantur praemia, ea vero, cum in hac vita quandoque differantur ac pii ob confessionem veritatis gravissima sustineant supplicia, ideo necesse est, restare aliam vitam, in qua promissa recipiant pietatis suae praemia, 2. Thess. 1, v. 7: *Justum est apud Deum tribuere illis, qui affliguntur, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de coelo.* 2. Tim. 4, v. 8: *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Hebr. 6, v. 10: *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Ubi tamen notandum, non intelligi hoc loco justitiam strictam, sed misericordia temperatam, ac respectum haberi ad meritum Christi fide nobis imputatum, nec nostri meriti sed gratuiti promissi divini ratione ex justitia praemia dici dari, confer quae dicta sunt in tract. de bon. operib. §. 118. 4) *A divinarum promissionum veritate.* Deus verax est, imo ipsa veritas, jam vero Deus credentibus in Christum et fide sibi obedientibus in verbo promisit vitam aeternam, Tit. 1, v. 2: *Deus ἀψευδὴς promisit vitam aeternam.* 1. Johan. 2, v. 25: *Haec est promissio illa* (singularis ac praecipua), *quam ipse pollicitus est nobis*, nempe vita illa aeterna. Ergo certo et veraciter illud suo tempore implebit. 5) *A Dei potestate*

Deus est potentissimus, imo ipsa omnipotentia, ergo promissum suum poterit implere, dilectos suos ex faucibus mortis revocare et vitam aeternam ipsis donare. Joh. 10, v. 28: *Ego vitam aeternam do ovibus meis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam e manu mea.* v. 29. *Pater meus, qui dedit mihi, major omnibus est, et nemo potest eas rapere e manu Patris mei.* 2. Tim. 1, v. 12: *Scio, cui credidi, et certus sum, quia potens est servare depositum meum usque ad diem illum.* 6) *A meriti Christi dignitate.* Christi meritum est infiniti ponderis, valoris ac dignitatis, ob personae, quae illud praestitit, dignitatem et infinitatem. Ergo etiam aeterna et infinita bona, non autem temporalia duntaxat praemia membris suis promeruit. 7) *Ab officii Christi efficacitate.* Christus *sedet ad dextram Patris et interpellat pro nobis* Rom. 8, v. 34, *vult, ut ubi ipse est, ibi quoque sit minister ejus* Joh. 12, v. 26. cap. 17, v. 24. Hanc Christi intercessionem impossibile est non exaudiri Johan. 11, v. 42. 8) *A correlatorum natura et qualitate.* Christus est *rex ae-*
XX. 310. *ternus*, ergo etiam habebit in aeternum quosdam subditos, a quibus colatur et glorificetur; Christus est *aeternus sponsus*, ergo ecclesiam sponsam suam glorificabit et ad se in coelestium nuptiarum gaudia assumet; Christus est *salvator*, ergo etiam credentes in se salvabit; Christus est *ipsa vita*, ergo credentibus dabit vitam aeternam.

21. Ad posteriorem classem pertinent, quae ducuntur 1) *ab hominis creatione.* Deus hominem primum condidit ad imaginem suam ac proinde non ad hanc duntaxat terrenam et transitoriam sed ad coelestem et aeternam vitam, Genes. 1, v. 27. Sap. 2, v. 23. Quamvis vero *invidia Santanae mors intraverit in mundum*, tamen noluit Deus, finem illum creationis penitus interverti, ideo per Christum vitam reparavit et ad primam integritatem omnia iterum redegit. Confer tract. de resurrect. §. 23. 2) *Ab animae natura et conditione.* Anima hominis est a Deo condita immortalis, quare non exstinguitur una cum corpore, sed a corpore separata adhuc vivit in gloria et laetitia cum Deo, si fidelis et pia fuit, in ignominia et poena cum diabolo, si infidelis atque impia exstitit. 3) *A piorum cruce ac tribulatione.* Pii prae reliquis hominibus in hac vita cruci sunt subjecti. Herodias tripudiat ac saltat, Herodes regnat, Johannes Baptista interficitur. Ergo necesse est, restare aliam vitam, in qua fiat rerum commutatio. 1. Cor. 15, v. 19: *Si in hac vita tantum in Christo speramus, miserrimi omnium sumus.* Hebr. 11, v. 9: *Fide commoratus est Abraham in terra promissionis tanquam in aliena*, v. 10. *exspectabat enim fundamenta habentem civitatem.* 4) *A conscientiae interna testificatione.* Omnium cordibus per naturam inscriptum est, restare aliud seculum, in quo bonis bene, malis autem futurum sit male, inde tyranni etiamsi in terris neminem superiorem agnoscant, tamen ob facinora sua metu poenarum futurarum exagitantur; contra vero qui recta agunt, in mediis adversis conscientiae bonitate et alacritate se sustentant. Cicero lib. 1. Tuscul. cap. 14: *Maximum argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quod omnibus curae sunt, et maxime quidem quae post mortem futura sunt.* Ex hoc principio orta sunt, quaecunque de Elysiis campis, ad quos pii post mortem ducantur, apud gentiles occurrunt, cum enim rem ipsam videre non potuerint, umbram tamen rei sectari voluerunt. Plato libr. 10. de republic. his verbis politiam suam concludit: *Νομίζοντες ἀθάνατον τὴν ψυχὴν καὶ δυνατὴν πάντα μὲν κακὰ ἀνέχεσθαι, πάντα δὲ ἀγαθὰ, τῆς ἄνω ὁδοῦ ἀεὶ ἑξόμεθα καὶ δικαιοσύνην μετὰ φρονήσεως παντὶ τρόπῳ ἐπιτηδεύσομεν, ἵνα καὶ ἡμῖν αὐτοῖς φίλοι ὦμεν καὶ τοῖς θεοῖς, αὐτοῦ τε μένοντες ἐνθάδε καὶ ἐπειδὸν τὰ ἆθλα αὐτῆς κομιζώμεθα, ὥσπερ οἱ νικηφόροι περιαγειρόμενοι καὶ ἐνθάδε καὶ ἐν τῇ χιλιέτει πορείᾳ, ἣν διεληλύθαμεν, εὖ πράττωμεν, immortalem esse animam statuentes talemque, ut et mala omnia possit et bona omnia sustinere, viam semper ad superiora ducentem sequemur justitiamque cum prudentia omni ratione colemus, ut et nobis ipsis simus et deis amici, et hic manentes nunc, et postquam ejus praemia reportaverimus, tanquam victores stipem colligentes et hic et in millenaria profectione, quam perfecimus, feliciter habeamus.* Et paulo ante p. 613: *Οὕτως ἄρα ὑποληπτέον περὶ τοῦ δικαίου ἀνδρός, ἐάν τ᾽ ἐν πενίᾳ γίγνηται, ἐάν τ᾽ ἐν νόσοις ἤ τινι ἄλλῳ τῶν δοκούντων κακῶν, ὡς τούτῳ ταῦτα εἰς ἀγαθόν τι τελευτήσει ζῶντι ἢ καὶ ἀποθανόντι· οὐ γὰρ δὴ ὑπό γε θεῶν ποτὲ ἀμελεῖται, ὃς ἂν προθυμεῖσθαι ἐθέλῃ δίκαιος γίγνεσθαι καὶ ἐπιτηδεύων ἀρετὴν εἰς ὅσον δυνατὸν ἀνθρώπῳ ὁμοιοῦσθαι θεῷ, sic existimandum est de homine justo, sive cum* XX. 311
paupertate conflictetur, sive cum morbis, sive aliis, quae videntur mala, quod haec boni aliquid ei tandem paritura sint, sive viventi, sive mortuo. Non enim unquam negligitur a diis, qui propositum habet juste vivendi ac virtutem colendo, quantum homini possibile est, Deo similis evadendi. Pherecydes Assyrius, cum disputasset de vita post mortem futura, Pythagoram ex athleta in philosophum vertit. Augustinus epist. 3. ad Volusianum, ubi etiam addit, *Christum ad capessendam sempiternam salutem venisse hominibus in magisterium et adjutorium, magisterium quidem, ut ea, quae ante dicta sunt utiliter vera, non solum a prophetis sanctis, quia omnia vera dixerunt, verum etiam a philosophis atque ipsis poëtis et hujuscemodi auctoribus literarum, quos multa vera falsis miscuisse quis ambigat? illius etiam in carne praesentata confirmaret auctoritas propter eos, qui illa non possent in ipsa intima veritate cernere atque discernere.* 5) *Ex nostra regeneratione, sanctificatione, peccatorum condonatione, Spiritus sancti in cordibus nostris habitatione* etc. Haec enim beneficia spiritualia et coelestia confirmant nos de secutura glorificatione in vita aeterna. In sacra coena corpore et sanguine Christi pascimur ad vitam aeternam Joh. 6, v. 54. etc. *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei et heredes vitae aeternae* Rom. 8, v. 16. ac

praegustum quendam futurae felicitatis nobis confert. 6) *A piorum resurrectione*, ideo enim resurgent, ut animae corporibus unitae percipiant vitam aeternam Dan. 12, v. 2. Joh. 5, v. 30. 7) *Ab extremi judicii administratione*, ideo enim pii *sistentur tribunali Christi*, ut recipiant praemia bonorum, quae per corpus gesserunt 2. Cor. 5, v. 10. 8) *Ex absurdorum consecutione*. Sublata spe vitae aeternae tollitur omnis in adversis consolatio, labefactatur martyrum in ipsa morte constantia, evertitur totus Christianismus, subruitur omnis Dei cultus, extinguitur pietatis studium, homo ipsis brutis statuitur miserior et indignior, quippe quae in hac vita non sunt tot calamitatibus et miseriis subjecta quam homo.

22. 4. *Ex typis et parabolis*. Illorum vero quidam sunt *primarii*, quidam *secundarii*. Primarii sunt duo, 1. *Christi transfiguratio*, 2. *coelestis Hierosolymae praefiguratio*. Transfigurationem Christi describunt Matthaeus cap. 17. Marcus cap. 9. et Lucas cap. 9. Petrus 2. epist. 1, v. 16. in qua picturam coelestis gloriae nobis proponi docent apostoli, Paulus Phil. 3, v. 21: *Christus μετασχηματίσει corpus nostrum humile, ut fiat σύμμορφον corpori suo glorioso*, et 1. Cor. 15, v. 49: *Sicut portavimus imaginem terreni, sic portabimus etiam imaginem coelestis;* et Johannes 1. epist. 3, v. 2: *Cum apparuerit, similes ei erimus*. Collatio consistit in his membris. 1) *Tempus. Post dies sex* assumit Christus discipulos, videlicet postquam de sua passione fuerat concionatus et ad crucem tollendam eosdem exhortatus, statim secuta fuit haec transfiguratio, ut ostenderet, se *per passionem intrare in gloriam* Luc. 24, v. 26. ac discipulos in hac via ipsum debere sequi Actor. 14, v. 22. Ut post dies sex Christus coram discipulis transfiguratur, sic exacto hujus vitae sextiduo succedet aeternum sabbatum, in quo piorum corpora clarificabuntur. Quid tota haec vita aliud est quam sex dies laboris? illos sequetur quies sabbati et
12. piorum gloria aeterna. Veteres addunt, quod sex dies intermedii designent sex millia annorum, quibus hic mundus durabit, dies septima erit dies judicii et auspicium vitae aeternae. 2) *Testes et spectatores*. Assumit Christus ex omnibus discipulis Petrum, Jacobum et Johannem, non quod reliqui a spe gloriae coelestis in transfiguratione proponendae debeant esse exclusi, sed quod hi tres idonei et sufficientes testes gloriae Christi a se conspectae esse poterant. 2. Petr. 1, v. 16. fuimus ἐπόπται τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος. Eosdem etiam suae in horto ἀγωνίας testes et spectatores esse voluit Matth. 26, v. 37. Marc. 14, v. 33. Si et nos cupimus aliquando cum Christo in regno coelesti glorificari, simus fideles ejus discipuli, sequamur ipsum, quando nos ad locum ἀγωνίας secum deducit, tollamus crucem nostram, per quam imagini ejus conformamur Rom. 8, v. 29. *si compatimur, etiam conregnabimus* 2. Tim. 2, v. 12. συγκοινωνίαν ἐν θλίψει sequitur συγκοινωνία ἐν τῇ βασιλείᾳ Apoc. 1, v. 9. *Petrus* significat saxeum ac fortem, qualis est petra, tales simus *per fidei firmitatem*; *Johannes* significat gratiosum, tales simus *per seriam caritatem; Jacobus* significat subplantatorem, tales simus *per veram pietatem*, qua carnis nostrae vitia supplantemus. 3) *Locus*. Deduxit eos *in montem excelsum*, quem pii veteres constanter asserunt esse montem Thabor, facta enim haec sunt in Galilaea, jam vero Thabor est altissimus mons Galilaeae, mira rotunditate sublimis, in summitate planitiem viginti sex stadiorum habens teste Josepho lib. 4. de bell. Judaic. cap. 1. Montana illa vocat nos ad coelestia. Si aliquando cum Christo cupimus glorificari, non debemus animis nostris affixi esse rebus terrenis, sed *quaeramus ea, quae sursum sunt* Col. 3, v. 1. corde habitemus in coelo, ubi etiam est *noster thesaurus* Matth. 6, v. 21. et nostrum πολίτευμα Phil. 3, v. 20. Loth servabatur in monte, Sodoma conflagrante Gen. 19, v. 30. sic in extrema totius mundi conflagratione illi solum servabuntur, qui corde suo non adhaeserunt terrenis. In monte Thabor manifestavit sese Christus discipulis post resurrectionem Matth. 28, v. 16. in coelo manifestabit se omnibus electis Joh. 14, v. 21. Johannes in spiritu abducitur *in montem magnum et excelsum*, cum ipsi coelestis Hierosolyma esset ostendenda Apoc. 21, v. 10. *ex montibus venit nobis auxilium* Psalm. 121, v. 1. ex montibus puta divinae providentiae, misericordiae, omnipotentiae, sapientiae etc. quia coelum, in quo Deus habitat, montibus quasi incumbere videtur. Templum Hierosolymitanum coelestis gloriae typus exstructum erat super montem Moria etc. 4) *Forma*. Μετεμορφώθη a Patre coelesti et a se ipso, non quod essentialis quaedam transmutatio fuerit facta, quia eadem caro, quae postea passionis ignominiam sustinuit, hoc in loco claritatis gloriam percipit, sed quia *species vultus fuit alterata*, τὸ εἶδος τοῦ προσώπου ἐγένετο ἕτερον Luc. 9, v. 29. *splenduit facies ejus sicut sol* Matth. 17, v. 2. Formae igitur facta fuit mutatio, non naturae abolitio, μεταμόρφωσις non μετουσίωσις, lux divinae majestatis et gloriae in assumta carne et per eam radios suos exseruit ac per ipsa etiam vestimenta resplenduit, quia *vestimenta ejus facta sunt στίλβοντα, splendentia ac rutilantia, candida nimis sicut nix, qualem candorem ac nitorem nullus fullo super terram potuisset illis inducere* Matth. 17, v. 2. Marc. 9, v. 3. *vestitus factus fuit λευκὸς ἐξαστράπτων, fulgura quasi emittens* Luc. 9, v. 29. qualis facies ac vestis tribuitur angelis in resurrectione Christi ap- XX. 313.
parentibus, qui ex regione lucis coelestis in has terras venerant Matth. 28, v. 3. Marc. 16, v. 5. Luc. 24, v. 3. Hic vestium candor ab ipsa corporis claritate originem ducebat, perinde ut sol per fenestras lumen infundit ac ignis per crystallum lucem trajicit. Speculum hic videmus claritatis in vita coelesti nobis olim exspectandae Dan. 12, v. 3. Matth. 13, v. 43. Phil. 3, v. 21. Apoc. 19, v. 8. etc. Damnati projicientur *in tenebras exteriores* Matth. 8, v. 12. sed beati habebunt *partem sortis sanctorum in lumine* Col. 1, v. 12. videbunt enim Deum, qui *inhabitat lucem inaccessibilem* 1. Tim. 6, v. 16. inde eximia lux

in animas et corpora ipsorum redundabit, quae summam gloriam et laetitiam ipsis conferet. Ut enim luce nihil purius, nihil clarius, nihil splendidius, oculis nihil gratius, sic corporum glorificatorum claritas erit purissima, splendidissima, exoptatissima; sed et amicti erunt beati *vestimentis albis*, per quae summa ipsorum puritas denotatur, Apoc. 3, v. 18. cap. 7, v. 13. etc. Neque tamen diversa erit corporum nostrorum substantia, sed duntaxat qualitas, sicut etiam de Christi corpore diximus. 5) *Collocutores.* Apparuerunt illis Moyses et Elias cum Christo loquentes de exitu, quem completurus erat Hierosolymis. Ex coelo Pater coelestis adducit Moysen et Eliam, insignes Veteris Testamenti prophetas, Christus ex his terris in montem illum secum adducit Petrum, Jacobum et Johannem. Haec fuit augustissima et sanctissima societas, qualis etiam erit in vita aeterna, in qua *videbimus Deum a facie ad faciem*, videbimus Christum, videbimus patriarchas, prophetas, apostolos et totum electorum chorum. Moyses et Elias dicuntur apparuisse ἐν δόξῃ: ergo electi etiam erunt participes claritatis ex corpore Christi refulgentis, sed cum insigni discrimine. Facies Christi splendet sicut sol, qui est rex et dux reliquorum siderum et cujus splendor superat omnes stellas; sic gloria et claritas Christi est plane ἐξαίρετος, *in ipso enim habitat tota plenitudo deitatis* let sic etiam divinae claritatis *corporaliter* Coloss. 2, v. 9. nos participes reddemur illius claritatis *in tanto*, non *in toto*. Sicut Moyses et Elias colloquuntur cum Christo *de exitu*, id est de Christi passione et morte; sic in vita aeterna mutuos eosdemque suavissimos sermones conferemus de redemtionis ac salutis mysterio, quod in hac vita non possumus perfecte intelligere, ideo in coelesti academia erit aeterni colloquii et gaudii materia. 6) Ἑπόμενα, *consequentia.* Discipuli somno erant gravati, per quem denotatur nostra somnolentia, quod gloriam vitae aeternae non satis digne aestimamus ac meditamur. Fuit hoc infirmitatis humanae, sed gratiae divinae opus fuit, quod Moysen et Eliam, quos nunquam viderant, primo statim intuitu agnoverint, quodque gaudio incredibili perfusi dicunt: *Domine, bonum est hic habitare, faciamus tria tabernacula;* sic in vita aeterna sanctos nunquam antea visos agnoscemus, omnium terrenorum obliviscemur et ineffabili perfruemur gaudio, recepti scilicet *in aeterna tabernacula* Luc. 16, v. 9. *in domum non manufactam aeternam in coelis* 2. Cor. 5, v. 1. Sicut etiam lucida nubes obumbrat discipulos, sic Spiritu sancto coelesti illa luce in vita aeterna toti implebimur etc. Cyprianus de resurr. Christi c. 3: *Vestimenta Christi candorem omnem superantia apostolorum hebetavere conspectum, sed momentaneus ille decor imaginem non speciem, similitudinem non substantiam, partem non plenitudinem transformationis mirifice explicavit. Dilata est claritatis illius, quam nobis pollicitus est, plenitudo* etc. Chrysostomus epist. 5. ad Theodor. Lapsum: *Ad montem illum oratione pergamus, ubi Dominus transformatus est, contemplemur eum splendentem, sicut resplenduit, quanquam ne sic quidem universum nobis futuri seculi splendorem exhibuit, quia fuit, quod tunc apparuit, attemperatio quaedam pro captu nostro, neutiquam accurata rei demonstratio, quod a verbis evangelistae manifestum est. Splenduit,* inquit, *sicut sol. Ceterum incorruptibilium corporum gloria non tantam lucem demittit, quantam illud corruptibile corpus, neque talem ejusmodi oculi mortales capere sufficiunt. Ad hanc quidem visionem oculi requiruntur incorruptibiles et immortales, verum in monte tum apparuit tantum lucis, quantum ferre potuerunt citra laesionem aciei atque afflictionem oculorum contuentium in illud* etc. Gregorius lib. 32. moral. cap. 5: *In hac transfiguratione quid aliud quam resurrectionis ultimae gloria nuntiatur? In monte enim vestimenta ejus sicut nix facta sunt, quia in supernae claritatis culmine sancti omnes illi luce justitiae fulgentes adhaerebunt.* Beda homil. de transfig.: *Octava die Dominus promissam futurae beatitudinis gloriam discipulis manifestat, ut et ostensa coelestis vitae dulcedine cunctorum, qui haec audire possint, corda refoveat et octonario dierum numero verum tempore resurrectionis gaudium doceat esse venturum* etc. *In montem transfiguraturus sic adscendit, ut ostendat, eos, qui fructum resurrectionis exspectant, qui regem in decore suo videre desiderant, mente in excelsis habitare* etc. *Vestimenta Domini recte sancti ejus accipiuntur, teste Apostolo, qui dicit: Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Quae videlicet vestimenta Domino in terris consistente despecta aliorumque similia videbantur, sed ipso montem petente novo candore refulgent, quia nunc quidem filii Dei sumus, sed nondum apparuit, quid erimis, scimus autem, quia cum apparuerit, similes ei erimus* etc. *Unde bene de eisdem vestimentis subditur, qualia fullo non potest facere candida super terram. Nam quia ille hoc loco intelligendus est fullo, quem poenitens psalmista precatur: Amplius lava me ab iniquitate* etc. *non potest suis fidelibus in terra dare claritatem, quae eos conservata manet in coelis.* Damascenus in orat. de transfig.: *Octonarius idcirco adhibetur, quia futuri aevi figuram gerit, etenim septem seculis vita praesens concluditur* etc. *Ut enim ille divinus vere divinarum rerum interpres Dionysius dixit, sic Dominus a perfectis famulis suis conspicietur, quemadmodum in monte Thabor ab apostolis conspectus est* etc. Vide ibidem plura.

XX. 314.

23. 2. *Coelestis Hierosolymae* pictura ac praefiguratio proponitur Apoc. cap. 21. et 22. Filius Dei, qui Moysi *figuram tabernaculi* in monte Sinai ostenderat, idem hoc loco Johanni *figuram coelestis Hierosolymae* per angelum ostendit. Describitur autem 1. *appellatio. Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam sicut sponsam ornatam viro suo* Apoc. 21, v. 2. *Civitas sancta* vocatur, quia est societas sanctissima civium coelestium et sanctis ac aeternis a Deo regitur legibus. Est in ea civium supernorum perfectissima unio et aeternae increataeque Dei pacis gustatio. *Hierosolymae* confertur coelestis illa civitas, quia terrena Hierosolyma fuit ejusdem typus. *Sponsae* comparatur tum *ob ardentissimum amorem,* 2. Coel. Hieros. mae pr. figurati

315. quo Christus coelestis illius Hierosolymae cives complectitur, et quo ipsi vicissim ei adhaerent; tum *ob gaudia coelestium nuptiarum*, in quae introducetur; tum *ob ornatum et decorem virtutum*, immortalitatis, claritatis etc. 2. *Origo. De coelo a Deo descendere dicitur*, ut divina et coelestis ejus origo designetur. Augustinus lib. 20. de civit. Dei cap. 17: *De coelo descendere ista civitas dicitur, quoniam coelestis est gratia, qua Deus eam fecit; et de coelo quidem ab initio sui descendit, ex quo per hujus seculi tempus gratia Dei desuper veniente per lavacrum regenerationis in Spiritu sancto misso de coelo subinde cives ejus accrescunt. Sed per judicium Dei, quod erit novissimum per ejus Filium Jesum Christum, tanta ejus et tam nova de Dei munere claritas apparebit, ut nulla remaneant vetustatis vestigia, quandoquidem et corpora ad incorruptionem atque immortalitatem novam ex vetere corruptione atque mortalitate transibunt.* Descendit autem in visione tantum, ut Johanni ostenderetur, quia in coelo perpetuo manebit. 3. *Structura* ipsa, ad quam pertinet ejus tum *materia*, tum *forma*. *Materia* statuuntur gemmae, aurum, margaritae etc. quia nos nihil pretiosius et carius aestimanus. Quae a nobis in hac vita aestimantur pretiosissima et pulcherrima, illis Deus velut rudi quodam carbone utitur, quo gloriam coelestis Hierosolymae utcunque nobis adumbret. *Forma* est quadrata, quae pulcherrima, capacissima, firmissima, sed de his paulo specialius agendum. Pertinent igitur ad structuram hujus civitatis 1) *situs. Sustulit me in montem magnum et excelsum et ostendit mihi civitatem sanctam* Apoc. 21, v. 10. Denotatur ejus firmitas, quia fundata est super petram immobilem, quae est Christus 1. Cor. 10, v. 4. *Fundamenta ejus in montibus sanctis, non commovebitur* Psalm. 87, v. 1. 2) *Claritas.* Magnum urbi conciliat decus, si in loco montano et illustri sita aëre salubri ac luce fruatur perpetua, unde commendatur *civitas super montem posita* Matth. 5, v. 14. Coelestis illa civitas *habet claritatem Dei* v. 11. ornata est coelesti et divina claritate, sic enim exponitur v. 23: *Civitas non eget sole nec luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus. Lumen ejus*, ὁ φωστήρ, lumen ex ea resplendens, *simile est lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidi crystallizanti* v. 11. per hanc gemmam pellucidam ac viridem, adspectu jucundam intelligitur coelestis claritas, lux, gloria et majestas, itemque vigor et pulchritudo illius civitatis. 3) *Murus. Habebat murum magnum et altum* v. 12. Denotatur inexpugnabilis Dei protectio et civitatis securitas, quod nihil periculi ei immineat ab hostibus. Deus ipse circa eam est *murus igneus* Zach. 2, v. 5. Habet hic *murus fundamenta duodecim, et in ipsis nomina duodecim apostolorum Agni* v. 14. Unicum est ecclesiae fundamentum Christus 1. Cor. 3, v. 11. apostoli dicuntur fundamenta ratione doctrinae de Christo, quam praedicarunt, et super quam ecclesia est exstructa Matth. 16, v. 18. Ephes. 2, v. 20. Observa etiam, quod unicus duntaxat fuerit murus. Templum Esechieli ostensum triplici cingebatur muro, quia ecclesia militans triplici indiget protectione, videlicet *divina*, *angelica et humana*, sed triumphans divina tantum protectione erit secura. 4) *Portae. Habebat portas duodecim* v. 12. Per has intelligi possunt *duodecim patriarchae Veteris Testamenti*, filii scilicet Jacobi, a quibus populus Israëliticus est progenitus ac per eosdem propagatus, sicque ingressum in coelestem Hierosolymam mediante circumcisionis sacramento accepit, IX. 316.
ac *duodecim apostoli Christi*, per quos ecclesia Novi Testamenti spiritualiter genita, et quorum fidem, doctrinam et exempla sequendo in hanc civitatem introimus. In portis habebat *angelos duodecim* additos huic civitati custodes ac vigiles Psalm. 34, v. 8. et *nomina* singulis portis inscripta, quae sunt *nomina duodecim tribuum filiorum Israël*, per quas tota electorum multitudo intelligitur Apoc. 7, v. 4. quae cum angelis familiariter conversabitur, erunt enim συμπολῖται. *Ab oriente erant portae tres, ab aquilone portae tres, ab austro portae tres et ab occasu portae tres* v. 13. Ideo autem portae hujus civitatis respiciunt quatuor mundi plagas, *quia ab oriente et occidente venient, qui cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo in rego coelorum recumbent* Matth. 8, v. 11. et Christus electos suos *colliget a quatuor ventis* Matth. 24, v. 31. 5) *Figura. Civitas in quadro posita est, et longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo, et longitudo et altitudo et latitudo ejus aequalia sunt* v. 16. Figura illa quadrata signum est perfectionis, nihil obliqui vel curvi in civitatis hujus incolis deprehendetur, sed omnia erunt τετράγωνα. Potest etiam figura quadrangularis ad pulchritudinem ac stabilitatem hujus civitatis accommodari. Omnes beati erunt *stabiles ac firmi in Deo*, ut nec averti, nec concuti, nec felicitate sua excidere possint. 6) *Quantitas. Angelus, qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundinem auream, ut metiretur civitatem et portas ejus et murum* v. 15. *et mensus est civitatem arundine per stadia duodecim millia* v. 16. Sicut ecclesia militans in hac vita aedificatur juxta regulam ac gnomona verbi, ut omnia sint apta et conformia; sic ecclesia triumphans erit mensurata, h. e. perfecte conformis divinae voluntati. Longitudo cujusque lateris habebat *duodecim mille stadia*, h. e. ultra trecenta milliaria Germanica, cumque civitas in quadro fuerit et longitudo ejus fuerit tanta, quanta et latitudo, ex eo intelligitur, quod ambitus ejus complexus fuerit plura quam mille ducenta milliaria Germanica. Denotatur hujus civitatis amplitudo, quod non sit defuturus habitatoribus locus, quod non sint compingendi in angusta gurgustia, sed amplissima habituri sint palatia, quia in domo Patris coelestis *mansiones multae* Joh. 14, v. 2. Quia vero spatium civitatis hic descriptum consueta urbium spatia plurimum excedit, ideo hac descriptionis parte insinuatur, quod electorum patria omnem viatorum habitationem incomparabili capacitate transscendat. Aequalitas longitudinis, latitudinis et altitudinis cubi formam repraesentat, ac proinde stabilitatem, firmitatem ac perpetuitatem

triumphantis ecclesiae denotat. Mensura muri secundum spissitudinem fuit *centum quadraginta quatuor cubitorum juxta mensuram hominis, quae et etiam angeli* v. 17. h. e. tales cubiti intelligantur, quales sunt hominis a cubito usque ad extremitatem digiti, qua etiam angelus in forma hominis Johanni apparens hic fuit usus. Spissitudo ista muri securissimam hujus civitatis custodiam denotat, quod ab hostibus nec transscendi, nec expugnari possit. 7) *Materiae*, ex qua exstructa est, *pretiositas. Structura muri erat jaspis, ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo* v. 18. hoc est muri ex jaspide et pavimentum urbis erat ex auro puro, *platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum pellucidum* v. 21. *Aurum mundum* denotat puritatem, sinceritatem ac
XX. 317. sanctitatem electorum, et quia pellucidum est, ideo eorum etiam claritatem exprimit. Fulgebit in beatis caritatis fervor et coelestis sapientiae splendor, erunt toti pellucidi, intus ac foris divinae lucis participatione repleti. Aurum, h. e. divitias mundi in hac vita, per contemtum terrenorum calcarunt, ideo in coelesti vita introducentur in ejusmodi civitatem, cujus pavimentum est ex auro, h. e. in qua aurum nihili aestimatur prae coelestium divitiarum copia et abundantia. In hac vita per spinas ac vepres calamitatum ambularunt, tunc vero via auro erit strata, in qua incedent. Gregorius lib. 18. moralium cap. 27: *Appellatione auri in sacro eloquio aliquando splendor supernae civitatis accipitur. Aurum namque, ex quo civitas illa constat, simile vitro dicitur, ut per aurum clara et per vitrum perspicua designetur. Auri quippe metallum novimus potiori metallis omnibus claritate fulgere, vitri vero natura est, ut extrinsecus visu pura, intrinsecus perspicuitate perluceat. In alio metallo quidquid intrinsecus continetur, absconditur; in vitro vero quilibet liquor qualis continetur interius, talis exterius demonstratur et, ut ita dixerim, omnis liquor in vitreo vasculo clausus patet. Quid igitur aliud in auro vel vitro accipimus nisi illam beatorum civium societatem, illam supernam patriam, illam beatorum civium societatem, quorum corda sibi invicem et claritate fulgent, et puritate translucent? Quia enim omnes sancti in aeterna beatitudine summa claritate fulgebunt, instructa auro dicitur; et quoniam ipsa eorum claritas sibi invicem in alternis cordibus patet, et cum uniuscujusque vultus ostenditur, simul et conscientia penetratur, hoc ipsum aurum simile vitro mundo esse memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis, ipsa etiam harmonia corporis* etc. Pergit Johannes in symbolica descriptione: *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso erant ornata* v. 19. h. e. ordines lapidum in fundamento muri erant variis ac pretiosis gemmis ornati. *Fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonyx, sextum sardius, septimum chrysolithus, octavum beryllus, nonum topazius, decimum chrysoprasus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethystus* v. 19. et 20. Denotantur varia et insignia Spiritus sancti charismata, quibus apostoli et omnes electi in vita aeterna erunt exornati. *Jaspis* gemma viridis et pellucida, adspectu grata et jucunda, quia et oculos confortans denotat *caritatem* Deo et hominibus gratam; *sapphirus* coeliformem colorem habens, corpus vegetans ac radiis solaribus tactus ardentem ex se mittens fulgorem, significat *donum sapientiae*, quod angelicis mentibus pios comparat ac vires animae in Deo defigit; *chalcedonius* est pallidi coloris et fortissimae resistentiae, ita ut in eo quis sculpere queat, significat *donum intellectus*, quo ea, quae fidei sunt, in coelesti patria perfecte intelligentur, interim quia ea, quae fidei sunt, nullus intellectus creatus plane et plene comprehendit, ideo donum intellectus quasi pallenti lapidi comparatur; *smaragdus* eximiae est viriditatis ac pulchritudinis, denotat *donum consilii*, quod in se decorum erga alios se diffundit; smaragdus resistit morbo comitiali, sic donum consilii contra peccati ruinam efficax est; *sardonyx* denotat *donum fortitudinis*, dicitur enim illa gemma pudicum et humilem efficere; *sardius* rubei coloris timorem pellens et gaudium pariens *scientiae donum* XX. 31
designat; *chrysolithus* aurei coloris et ardentes scintillas diffundere visa timoresque nocturnos depellens *pietatis donum* designat; *beryllus* eximiae claritatis gemma caeruleum colorem admixtum habens, faciens invictum in bello et mitem, est *donum timoris; topazius* gemma regibus carissima contra iram ac lunaticam passionem valens est *donum justitiae; chrysoprasus* viridis coloris et hinc inde quasi aureis guttulis distinctus, contra lepram valens est *donum prudentiae; hyacinthus* caerulei coloris et cum facie coeli mutatur, dat membris vigorem etc. est *virtus latriae; amethystus* triformi ornatur colore, roseo, violaceo et purpureo, designat *castitatem*, quae est virginum, viduarum et conjugatarum. *Duodecim portae duodecim margaritae, et singulae portae erant ex singulis margaritis* v. 21. Margaritae candidae et pellucidae denotant candorem lucis aeternae, quo incolae hujus civitatis fulgebunt. Sed praestat in generali applicatione persistere, quod scilicet per pretiosas illas *gemmas, aurum, margaritas* etc. gloria vitae aeternae et copia coelestium bonorum nobis adumbretur, quam ad specialem cujusque gemmae explicationem descendere. Andreas Caesariensis in comm. Apoc. 21. cap. 66: *Cum una similitudine exacta coelestis illius civitatis venustas plenaque omnium bonorum ejusdem notitia tradi non possit, sed ad eam rem variis opus sit exemplis et similitudinibus, propterea civitatis illius plateas crystallo auroque mundo assimilat, quo hinc quidem ejus praestantiam colorisque elegantiam colligamus, inde vero ejus munditiem et claritatem, quae duo apud nos in unum convenire haud facile solent.* Potest etiam haec structura portarum accommodari ad ministerium evangelii, quod unioni pretioso comparatur Matth. 13, v. 46. ut enim per portam ingredimur civitatem, sic per ministerium evangelii in ecclesiam tum militantem, tum triumphantem introducimur. 8) *Templum. Non vidi in ea templum,*

Dominus enim Deus omnipotens templum illius est et Agnus v. 22. In futuro seculo non opus erit materiali quodam templo, in quo instituantur conventus ecclesiastici, praedicetur verbum et administrentur sacramenta, quia sublatum erit ministerium ecclesiasticum, nullo amplius opus erit doctore externo, omnes electi erunt θεοδίδακτοι, videbunt Deum a facie ad faciem, ac tradet Christus regnum Dei Patri, h. e. modum, quo ecclesiam in hac vita gubernavit, abolebit ac fidei succedet visio, spei fruitio etc. Nec amplius locus erit visibilibus et externis signis, per quae Deus populo suo in Vetere Testamento sese manifestavit, per templum scilicet et arcam foederis, sed Deus coram intuendum se exhibebit.

24. Atque haec erit *structura* coelestis Hierosolymae. Quinam vero erunt illius *cives et incolae*, hoc jam 4. loco sequitur: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus* Apoc. 21, v. 3. Ergo 1) quod primum est, proponitur *civium illorum descriptio*, non solum *angeli* sed etiam *homines* erunt in illa civitate, in quibus et cum quibus Deus habitabit, nec transitorium aliquod, sed perpetuum et aeternum tabernaculum in eis sibi eriget. Num vero omnes omnino homines in eam introducentur? minime vero, *quia non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae*
310. *Agni* v. 27. h. e. soli electi. In hac vita in externo militantis ecclesiae coetu sanctis mixti sunt hypocritae, sed in die judicii fiet separatio, postquam soli electi per fidem libro vitae Agni inscripti coelestis Hierosolymae cives erunt. Iidem denotantur per *duodecim tribus Israël*, quorum nomina dicuntur portis inscripta v. 12. intelliguntur enim spirituales Israëlitae, quos apostolus vocat *Israëlem Dei* Galat. 6, v. 16. *Judaeos in abscondito* Rom. 2, v. 29. *filios promissionis* Rom. 9, v. 8. *qui insistunt vestigiis fidei Abrahae*, sicque spirituales ejus redduntur filii Rom. 4, v. 12. Gentiles siquidem ab ingressu hujus civitatis non esse exclusos patet ex v. 24: *Ambulabunt gentes, quae servatae fuerunt in lumine ejus, et reges terrae afferent gloriam suam et honorem suum in illam*, h. e. qui ex gentibus ad verum Deum Israëlis conversi Christum Salvatorem fide amplexi sunt, illi coelestem Hierosolymam una cum piis Israëlitis ingredientur. Quod vero *reges terrae gloriam suam in eam dicuntur allaturi*, non habet hunc sensum, quod coelestis Hierosolymae gloria futura sit mundana, terrena, transitoria, qualis est regum hujus seculi, illud enim conditioni ac statui regni coelestis prorsus repugnat, sed symbolice significatur, quod in ea sit omnium bonorum copia et abundantia, ac si in eam omnes reges terrae omnes suos thesauros contulissent. Significatur etiam, pios reges et magistratus, qui Christo nomen dederunt et ecclesiae militantis pomoeria dilatare studuerunt collatis eam in rem bonis regnorum suorum, in coelesti gloria prae reliquis fulsuros etc. Describuntur insuper coelestis Hierosolymae incolae hoc modo, quod *vicerint* v. 7. h. e. quod in hac vita tentationibus diaboli, concupiscentiis carnis, vanitatibus mundi etc. spiritus robore restiterint, quod *pro fide semel tradita fortiter decertarint* Jud. v. 3. nec ullis vel prosperis, vel adversis a Christo se abduci passi fuerint etc. Item *quod fecerint mandata Christi* Apoc. 22, v. 14. hoc est, quod in Christum crediderint et fidem per dilectionem exseruerint 1. Joh. 3, v. 23. Quid vero fiet de reliquis, qui ab ingressu coelestis Hierosolymae excludentur? cap. 21, v. 8: *Timidis et incredulis et exsecratis et homicidis et fornicatoribus et veneficis et idololatris et omnibus mendacibus pars illorum erit in igne et sulfure, quod est mors secunda.* cap. 22, v. 15: *Foris canes et venefici et impudici et homicidae et idolis servientes et omnis qui amat et facit mendacium.* 2) *Civium status et conditio.* Ea vero erit felicissima, laetissima et pacatissima. *Deus cum illis habitabit, erunt populus Dei* cap. 21, v. 3. ab illo honorem, gloriam, laetitiam, protectionem et omnia, quae excogitari vel desiderari possunt bona, percipient, *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* v. 4. non quod lacrymas emissuri sint, quia statim additur, *mors ultra non erit, nec luctus nec clamor nec dolor erit ultra*, h. e. nihil quidquam erit, quod eis molestiam creare vel dolorem in illis excitare possit, sed quod largissima et uberrima consolatione perfundendi sint pro omnibus, quae in hac vita sustinuerunt, adversis ab illo, qui dicit, *prima abierunt* v. 4. *ecce ego nova facio omnia* v. 5. *novum* scilicet *coelum, novam terram* v. 1. novum regnum, nova gaudia, novum statum etc. *Qui vicerit, possidebit illa omnia, et ero illi Deus, et erit mihi filius* v. 7. Ergo beati introducentur in plenissimam coelestium bonorum possessionem, erunt dilecti Dei filii et heredes omnium. *Portae civitatis,* XX. 321.
in quam recipientur, non claudentur per diem, nox enim non erit illic v. 25. nihil periculi a quoquam hostium erit metuendum, ideo portae semper erunt apertae, erit etiam una dies perpetua omnes tenebras et omnem dierum ac noctium vicissitudinem excludens, *quia Deus ipse*, qui est lux indeficiens et aeterna, *eam illuminabit. Omne maledictum non erit amplius* cap. 22, v. 3. hoc est nullus in illa civitate habitabit, qui sit Deo exosus et ipsius ore maledictus, sed omnes erunt dilecti filii, nihil quidquam in ea erit, quod Deus abominetur. *Thronus Dei et Agni in illa erit* versu eodem, hoc est Deus et Christus regnabunt in ea in aeternum, cujus cives et incolae, Christi vero subditi erunt beati, in quibus Deus suum habebit thronum, suum domicilium, suum habitaculum perpetuum. *Nomen ejus erit in frontibus eorum* v. 4. h. e. omnibus notum et manifestum fiet, quod sint Dei filii, Christi fratres et coheredes, Spiritus sancti templa, *nunc filii Dei sumus, sed nondum apparuit, quid futuri simus* etc. 1. Johan. 3, v. 2. In Vetere Testamento laminae sacerdotis inscriptum erat *Sanctitas Domini;* in vita aeterna omnes erunt Dei sacerdotes nomen et gloriam ejus in frontibus suis portantes. *Nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernae neque lumine solis, quoniam Do-*

minus Deus illuminat illos v. 5. depulsis ignorantiae, erroris, peccatorum et calamitatum tenebris luce perfectae *θεογνωσίας*, justitiae ac laetitiae perfruentur in aeternum. *Lumen lucernae* est doctrina Veteris Testamenti, *lumen solis* est doctrina Novi Testamenti, illa non amplius per ministerium verbi in vita aeterna tradetur, sed *lumini gratiae* succedet *lumen gloriae*, lumini fidei succedet lumen visionis. 3) *Civium actiones. Servient Deo et Agno* Apoc. 22, v. 3. cultum perfectissimum et purissimum Deo praestabunt, aeternis laudum encomiis eum glorificabunt et ad nutum voluntatis divinae omnes actiones suas conformabunt. *Videbunt faciem ejus* v. 4. non amplius per speculum in aenigmate, *sed a facie ad faciem* eum intuebuntur 1. Cor. 13, v. 12. perfecte eum cognoscent, ex qua cognitione perfectus Dei amor orietur. *Regnabunt in secula seculorum* v. 5. erunt victores mortis, diaboli, inferni et omnium hostium, fruentur plenissima ac pacatissima libertate, erunt reges in novo coelo ac nova terra etc. 4. *Civium cibus ac potus. Sitienti dabo de fonte aquae vivae gratis* Apoc. 21, v. 6. hic fons aquae vivae est ipse Deus fons omnis boni, omnis laetitiae, omnis consolationis, *qui potabit* electos *torrente voluptatis* Psalm. 36, v. 9. ex hoc fonte qui bibit, *non sitit in aeternum* Johan. 4, v. 14. Hic est ille fons, ex quo promanat fluvius coelestis, de quo Apoc. 22, v. 1. sequitur: *Et ostendit mihi fluvium purum aquae vivae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni in medio plateae ejus.* Fluvius ille purus est symbolum Spiritus sancti, qui a Patre et Filio procedit Johan. 7, v. 38. qui uberrimis suis donis velut flumine quodam coelestem Hierosolymam irrigabit et exhilarabit, *hi sunt rivuli fluminis, qui laetificant civitatem Dei, sanctas habitationes Altissimi* Psalm. 46, v. 5. qui largissimum flumen consolationis et omnium bonorum copiam secum deferunt Ezech. 47, v. 1. *Et ex utraque parte fluminis lignum vitae afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, et folia ligni ad sanitatem gentium* Apoc. 22, v. 2. Quemadmodum in paradiso terrestri constituta erat *arbor vitae* vegetas hominis
XX. 321. vires conservare potens; sic in paradiso coelesti erit lignum vitae diversos bonorum et gaudiorum fructus afferens. Lignum illud vitae Christus est, a quo promanant universa, quae ad plenam et perfectam electorum felicitatem pertinent. *Ibi electi de puro sapientiae fonte bibent et de puro caritatis lacte vivent. Duodecim fructus*, quos lignum vitae singulis duodecim mensibus novos profert, hi sunt: *Sanitas absque infirmitate, juventus sine senectute, satietas sine fastidio, libertas sine servitute, pulchritudo absque deformitate, impassibilitas sine dolore, abundantia sine indigentia, pax sine perturbatione, securitas absque timore, cognitio absque ignorantia, gloria sine ignominia, gaudium sine tristitia*, Bonaventura in diaet. salut. tit. 10. cap. 4. Fructus illi veram et aeternam animae ac corporis sanitatem afferent ac singulis mensibus renovabuntur, quia coelestium bonorum nulla unquam satietas aut fastidium electos capiet, sed omnia erunt illis quasi subinde nova et proinde singulariter grata. Aderit in coelesti paradiso *arbor vitae*, sed non erit *arbor scientiae boni et mali*, quia electi in bono erunt confirmati, ut non possint amplius peccare ac perceptis bonis excidere, ideo etiam mors non erit amplius nec *culpae* nec *miseriae* nec *naturae*.

25. 2. Typi *secundarii* ac parabolae minus principales sunt complures. 1) *Coeli et terrae creatio.* 2. Secundarii.
Coelestis Hierosolyma vocatur *coelum novum ac terra nova* Esa. 65, v. 17. cap. 66, v. 22. 2. Petr. 3, v. 13. Apoc. 21, v. 1. quia coelum illud, quod intuemur, ac terra, cui insistimus, praeludium aliquod futurae gloriae ac aeternorum bonorum nobis exhibet. Coelum lucem nobis praestat, terrae fructibus alimur; sic in novo coelo ac nova terra lux et cibus electis abunde suppetet. Coeli ac terrae opificio nihil pulchrius, unde Graeci illud vocant *κόσμον* ab ornatu; sed longe pulchrius ac praestabilius erit novum illud coelum ac nova terra. *Sicut coelum et terra initio quasi rudia corpora fuerunt, priusquam lux esset addita; ita pii illam imaginem rudem in se habent, quam Deus perficiet in novissimo die in iis, qui verbo crediderunt*, Lutherus in enarr. cap. 1. Gen. Coelum et terra testantur de divina omnipotentia, sapientia, bonitate, majestate etc. at longe clarius et luculentius testimonium de ea feret novum coelum et nova terra, quam exspectamus. 2) *Septenarii numeri perfectio.* In descriptione septimae diei hexaëmeri creationis, in qua Deus dicitur *requievisse* Gen. 2, v. 2. non fit mentio vesperae; sic post sex mundi millenarios dies vitae aeternae sine fine durabit, *quia nox ultra non erit* Apoc. 22, v. 5. Enoch patriarcha septimus non moritur, sicut reliqui priores, sed anima et corpore vivus in coelum transfertur Gen. 5, v. 22. epist. Jud. v. 14. sic per sex millenarios in mundo mors dominabitur, sed septimo millenario appropinquante devicta erit mors, et electi, anima et corpore glorificati, in vita aeterna *semper cum Domino erunt* 1. Thess. 4, v. 17. Septimo die concidunt Hierichuntis moenia Jos. 6, v. 15. sic septimo millenario mundi corruet aedificium. Septimus quisque annus erat annus quietis in populo Israëlitico et post septies septem annos sequebatur *jubilaeus* Levit. 25. septimo mense celebrabant Israëlitae *festum tabernaculorum et propitiationis* Levit. 16, v. 29. sex hydriae positae erant, in quibus aqua commutabatur in vinum Joh. 2, v. 6. hora septima sanabatur filius reguli Joh. 4, v. 52. haec et similia pii veteres applicant ad vitam aeternam, in XX. 322.
qua post exactos sex millenarios mundi sequetur aeterna quies, perfecta sanitas, festum jubilationis, vinum laetitiae et consolationis etc. 3) *Sabbatum.* Gen. 2, v. 2: *Deus requievit die septimo et benedixit diei septimo et sanctificavit illum.* Fuit illud sabbatum typus aeterni illius sabbati in coelis, in quo electi anima et corpore a peccatis, calamitatibus et miseriis hujus vitae requiescent, Deus in illis et ipsi in Deo requiescent. Esa. 66, v. 23: *Erit sabbatum ex sabbato.* Hebr. 4, v. 6: *Superest, introire quos-*

dam in requiem; v. 9. *proinde relinquitur sabbatismus populo Dei.* In sabbato non inveniebant Israëlitae manna; sic in vita aeterna cessabit ministerium verbi. Origenes homil. 23. in Num.: *Ultra hunc mundum est veri sabbati observatio.* Chrysostomus homil. 6. in epist. ad Hebr. dicit, tres esse quietes, *unam sabbati*, in qua Deus quievit ab operibus suis; *secundam Palaestinae*, in quam ingressi Judaei erant, quieturi a multa afflictione et laboribus; *tertiam, quae vere est quies*, nempe regnum coelorum, quam assecuti vere quiescunt a laboribus et afflictionibus. Hesychius lib. 6. in Lev. c. 19: *Docere Judaeos de intelligibili requie et fine mundi volens, quia illo tempore impossibile est cibum conquirere vel operari, nec circa corporale aliquid occupari, talia eis dicere Moysen praecipit: Sabbata hodie Domino, non invenietis illud in agro. Non sabbatum sed sabbata, quia intelligibilis requies non ab uno quodam, sed ab omnibus carnalibus vacationem alienationemque possidet.* Radulphus Flaviacensis lib. 16. in Levit. cap. 1: *Triplex est sabbati figura, nam in praesenti vita dupliciter observatur, in futuro autem sabbatum sabbatorum Deo promittente speratur. Erit enim tunc, ut Esaias testatur, mensis ex mense, sabbatum ex sabbato. In mense siquidem fiet dierum collectio, dies autem virtus intelligitur, sicut et peccatum nox. Quantumcunque ergo justus, dum hic vivit, virtutibus abundet, illi tamen virtutum plenitudini non valet aequari, cum replebimur in bonis domus Dei, quia mensis illic erit ex mense, id est a mensium ceterorum exceptus numero et omnem vitae praesentis transscendens profectum sanctitatis perfectio. Erit et sabbatum ex sabbato, quia sanctorum quies hic inchoatur, illic vero qualibet ex parte perficitur.* 4) *Paradisus.* Hortum paradisiacum, qui homini ante lapsum praebuit domicilium, fuisse typum vitae aeternae colligitur ex appellatione paradisi eidem attributa Luc. 23, v. 43. 2. Cor. 12, v. 4. Apoc. 2, v. 7. Paradisus erat omnis pulchritudinis, omnis laetitiae et voluptatis promtuarium *universae sensibilis venustatis intelligentiam excedens* Damascenus lib. 2. orth. fid. cap. 11. sed paradisus coelestis erit longe pulchrior, in illo enim liberi erimus a peccato, securi a morte, nulla creatura nobis nocebit, sed ex omnibus summam percipiemus voluptatem, familiariter cum Deo et angelis colloquemur, edemus *de ligno vitae*, bibemus *de fluvio aquae vivae, splendido tanquam crystallo, procedente de sede Dei et Agni* Apoc. 2, v. 7. cap. 22, v. 1. etc. Quorum omnium typus in terrestri paradiso primis parentibus fuit propositus. Voluit enim Deus, ut in terris esset aliquod corporeum et adspectabile, quod incomparabilem paradisi coelestis pulchritudinem homini adumbraret. Sed cum homo per peccatum in se ipso destrueret paradisum animae internum, Deus a terreno et coelesti paradiso ipsum expulit, a quo etiam aeternum fuisset exclusus, nisi per sanguinem Christi aperta fuisset porta coelestis paradisi, per quam latronem in cruce immittit. 5) *Arbor*
823. *vitae in paradiso* Genes. 2, v. 9. Per eam symbolice significatam fuisse beatam et immortalem in coelo vitam, quam Deus Adamo promiserat, si praeceptis ejus obsequens mansisset, colligitur ex Prov. 3, v. 18. Apoc. 2, v. 7. et cap. 22, v. 2. quinimo fuit lignum illud vitae non modo symbolum, sed etiam pignus et arrha vitae aeternae, cujus intuitu primi homines confirmabantur, se aeternae beatitudinis fore participes, si in sancta erga Deum obedientia perstiterint. Confer dicta superius §. 14. 6) *Arca Noae* requiescens in montibus Ararat Gen. 8, v. 4. Gregorius in epistol.: *Arca cessante diluvio in monte requievit, quia vitae hujus corruptione cessante cum malorum operum fructus transierint, in coelesti patria ecclesia velut in celso monte requiescet.* 7) *Tabernaculum.* Illud fuisse vitae aeternae typum, colligitur ex Psalm. 84, v. 1. Luc. 16, v. 9. Psalm. 15, v. 1. Apoc. 21, v. 3. Tabernaculum Mosaicum propter *pelles hyacinthinas* ipsum cooperientes coelum e longinquo adspicientibus repraesentabat, ut auctor est Josephus lib. 3. antiquit. cap. 7. jure igitur optimo coelestis gloriae symbolum censetur, quod ipsum ostendit sacra supellex tabernaculi. 1) Per *arcam foederis* denotatur sacrosancta Trinitas, cujus beata visio electis in vita aeterna continget. In arca erant *tabulae legis, urna aurea cum manna et baculus froundens Aaronis;* in coelo Deus Pater, qui nos sanctissimis suis legibus gubernat; Filius, qui est panis vitae, verum et coeleste manna, quod *de coelo descendit et dat vitam mundo* Joh. 6, v. 33. quo electi in aeternum satiabuntur Apoc. 2, v. 17; Spiritus sanctus, qui perpetuis et aeternum virentibus charismatibus nos replebit et in hac vita per ministerium evangelii nos ducit. *Caritas ibi erit lex, Filius Dei erit rex, modus aeternitas.* 2) Per *propitiatorium* exprimitur Christi Salvatoris bonitas, qui gratiam Dei et vitam aeternam nobis promeritus est Rom. 3, v. 25. Ex propitiatorio Deus responsa dabat; sic in vita aeterna familiarissime cum Deo loquemur. 3) Per *Cherubin* significatur beatissima sanctorum angelorum societas, erimus enim ἰσάγγελοι Matth. 22, v. 30. ac unum cum illis constituentes chorum aeternis laudum praeconiis Deum concelebrabimus. 4) Per *altare* denotatur devotionis sanctitas, erimus enim *sacerdotes Dei* Apoc. 1, v. 6. *offerentes quotidie fructum labiorum nostrorum, hostiam scilicet laudis* Hebr. 13, v. 15. In sanctum sanctorum solus summus sacerdos ingredi poterat, sed Christus per passionem suam in coeli sanctuarium ingressus Hebr. 10, v. 19. hanc gratiam et gloriam nobis promeruit, ut in vitae aeternae adyta pateat nobis aditus. 5) Per *candelabrum* denotatur beatae visionis claritas 1. Cor. 13, v. 12, *claritas Domini illuminabit* coelestem Hierosolymam, *et lucerna ejus erit Agnus* Apoc. 21, v. 23. Triplex visio exhilarabit electos: *corporalis*, qua Christi humanitatem; *spiritualis*, qua angelorum subtilitatem; *intellectualis*, qua superbenedictam Trinitatem videbunt. 6) Per *mensam* intelligitur beatae fruitionis satietas, *quia edent de fructibus ligni vitae*, qui singulis mensibus renovabuntur Apoc. 22, v. 2. 7) Denique per *ligna sittim* imputribilia,

ex quibus tabernaculi supellex erat fabrefacta, denotatur in omnibus bonis indeficiens aeternitas, quod beatorum gloria corruptionis omnis expers, adeoque in eodem semper statu in omnem aeternitatem firmissima sit mansura. Septima enim illa dies nec vesperam, nec noctem habebit Apoc. 22, v. 5. Procopius in comm. cap. 5. Genes.: *Interius taberna-*
XX. 324. *culum dicit locum, qui supra coelum vel firmamentum frequentatur. Pontificem summum vel primum nominat Christum, quod hic primus in hoc adscenderit et nobis primam istam habitationem aperuerit* etc. Quidam tamen per tabernaculum utpote portatile ac de loco in locum translatum malunt intelligere *ecclesiam militantem*, quae in hac vita est ambulatoria, nulli certo loco affixa; per templum vero Hierosolymitanum utpote fixum *ecclesiam triumphantem*, quae in vita aeterna erit immobilis et perpetua. Multa significabant ecclesiam militantem et triumphantem, *desertum et terra promissionis, tabernaculum in deserto laboris et templum in loco pacis, sanctum et sancta sanctorum, altare holocausti et thymiamatos* etc. sed nulla cum absurditate conjunctum, si unus idemque typus diversimode applicetur ac proinde tabernaculum et militantis et triumphantis ecclesiae figura statuatur, praesertim quia pii ex ecclesia militante transferuntur in triumphantem, sicut vasa sacra ex tabernaculo olim transferebantur in templum Hierosolymitanum. 8) Exod. 15. Israëlitae post aquarum amaritudinem perveniunt *ad Helim*, ubi erant duodecim fontes aquarum et septuaginta palmae. Hoc Ambrosius accommodat ad statum piorum, praesertim martyrum in futura vita, sic enim scribit serm. 24: *Est palma martyribus suavis ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita foliis, semper parata victoriae, atque ideo non marcescit palma, quia non marcescit martyrum victoria, juxta illud, Justus ut palma florebit.* 9) *Manna.* Apoc. 2, v. 17: *Vincenti dabo manna absconditum.* Manna significat donum praeparatum, sic regnum coelorum paratum est electis ab aeterno ut gratuitum donum Matth. 25, v. 34; manna coelitus depluebat, vita aeterna est donum coeleste et supernaturale; manna erat saporis mellei dulcissimi, at quid vita aeterna suavius ac dulcius excogitari potest? Sicut gomor cum manna in tabernaculo asservabatur Exod. 16, 32. Hebr. 9, v. 4. sic aeternae vitae bona piis in coelo asservantur 1. Petr. 1, v. 4. Qui in septimanae sextiduo non collegerat manna, in septimo nihil inveniebat; sic in hac vita per fidem in Christum aeternae vitae hereditas acquirenda, qua in parte qui negligens exstiterit, in die judicii nihil gratiae ac vitae inveniet. 10) *Annus jubilaeus.* Is celebrabatur *in fine septem hebdomadarum annorum*, h. e. post exactos septies septem quietis annos; sic vitae aeternae festivitas plene inchoabitur in fine mundi, qui per septenarium dierum et aetatum decursum continue defluit. In beato illo jubilaeo omnia naturae humanae debita, timor, languor, mors etc. erunt soluta, servitus corruptionis dimissa, hereditas gloriae, quae per Adamum vendita, plenarie restituetur, erit etiam summa jubilatio et gratiarum actio, quia sequetur ἀποκατάστασις πάντων Actor. 3, v. 21. 11) Moyses *ore ad os loquitur cum Deo nec per aenigmata et figuras Dominum videt* Num. 12, v. 8. *ostendit ipsi Deus gloriam suam* Exod. 33, v. 18. *loquitur cum ipso facie ad faciem, sicut homo solet loqui ad amicum suum* v. 11. *in monte cum Domino conversatus per quadraginta dies et quadraginta noctes panem non comedit et aquam non bibit* Exod. 34, v. 28. *ac splenduit cutis faciei ejus ex consortio sermonis Domini* v. 29. Talis gloria ac felicitas omnibus electis in vita aeterna obtinget, videbunt Deum a facie ad faciem, familiariter cum illo colloquentur, non indigebunt cibo ac potu terreno, corpora ipsorum fulgebunt instar radiorum solis etc. 12) *Terra Canaan.* Fuit haec patribus promissa et gratuita Dei benignitate Israëlitis distributa, quod tribus
distinctis vicibus inculcatur Deut. 9, v. 4. 5. et 7. XX. 325
sic vita aeterna piis promissa est gratuitum divinae misericordiae donum. Terra Canaan bellando ab Israëlitis erat occupanda; sic pugnanti et vincenti dabitur coelestium bonorum possessio Apoc. 21, v. 7. Terra Canaan sorte instar cujusdam hereditatis inter Israëlitas fuit distributa; sic verbum κληρονομεῖν de vitae aeternae distributione in Scripturis frequentissime usurpatum, ex sortibus in terrae Canaan divisione usitatis deductum et ad vitae aeternae hereditatem denotandam est translatum. Terra Canaan *fluebat lacte et melle* Jos. 5, v. 6. sic vita aeterna abundabit omnium bonorum copia. *Adscendebant filii Israël armati in terram promissionis*, sed postquam eam ingressi erant, arma deposuerunt obliti timoris et rumoris bellici, *habitabat quisque sub vite et ficu sua confidenter;* sic in vita aeterna erit perfecta tranquillitas et aeterna securitas. 13) Jobo *septuplo* majora omnia a Deo restituebantur Job. 42, v. 11. sic in vita aeterna recipiemus millies meliora et praestantiora bona illis, quae propter Christum in hac vita amisimus Matth. 19, v. 29. 14) *Templum Salomonis.* 1. Reg. 6, v. 7: *Cum domus aedificaretur, de lapidibus perfectis allatis aedificata est, et malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum aedificaretur;* sic in coelesti Hierosolyma, in qua Christus aedificat templum suum, vox securis vel mallei non auditur, h. e. nec poena nec tribulatio sentitur, nec vox doloris auditur, quia lapides h. e. sancti, qui sunt materia hujus templi 1. Petr. 2, v. 5. prius in hoc mundo per tribulationes praeparantur ac dolantur. Templum non erat amplius mobile ac portabile sicut tabernaculum; sic ecclesia triumphans non amplius erit mutabilis et ambulatoria, sicut militans in terris, sed stabilis et fixa. Templum Hierosolymitanum exstructum fuit a Salomone; sic Christus *coelestis Salomon* Matth. 12, v. 42. parat nobis in coelo locum Joh. 14, v. 3. 15) Per *Reginam austri*, quae venit ad Salomonem, ut audiret sapientiam ejus 1. Reg. 10, v. 1. 2. Paral. 9, v. 1. Matth. 12, v. 42. Luc. 11, v. 31. significatur anima, quae ad Christum in Hiero-

solymam coelestem cum multorum angelorum comitatu ingreditur. Illa miratur regis Christi sapientiam, ministrorum, h. e. sanctorum et angelorum, ordinem, ciborum, h. e. aeternae refectionis, plenitudinem, vestium, h. e. corporum, glorificationem, pulchritudinem, domus, h. e. coeli, magnitudinem, sacrificiorum, h. e. divinarum laudum, multitudinem, quae admiratur et significat, se non potuisse credere, quod coram intuetur. Quid est sapientia Salomonis ad Christi sapientiam comparata? quid ordo ministrorum comparatus cum novem ordinibus angelorum? quid cibi terreni collati ad manna coeleste? quid vestes corruptibiles aestimatae ad stolam incorruptibilitatis? 16) *Elias* curru igneo in coelum vehitur 2. Reg. 2, v. 11. sic piorum animae ab angelis in paradisum coelestem portantur Luc. 16, v. 22. ab angelis, inquam, qui sunt *spiritus illi administratorii*, de quibus Psalm. 104, v. 4: *Facis angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem fulgentem.* Pallium Elias relinquit in terris; sic corpora piorum, quae fuerunt velut animae indumenta, relinquuntur in terra, sed in die novissimo ex pulvere terrae iterum suscitabuntur et in coelestis gloriae consortium introducentur. Elias relinquebat pallium suum, quia in coelo nullo indigebat vestimento; sic in vita aeterna nullis indigebimus vestibus, *quia immortalitate erimus vestiti* Fulgentius de fid. ad Monim. cap. 34. Elias ambulans ad montem Dei Horeb per quadraginta dies sustentabatur sine cibo corporali 1. Reg. 19, v. 8. sic visio Dei in vita aeterna corpus et animam nostram satiabit, ut nullis opus sit cibis terrenis ac transitoriis. 17) *Ahasveri magnificum ac regium convivium* Esth. 1, v. 4. et seqq. descriptum vitae aeternae gaudia utcunque adumbrare, colligitur ex verbis Christi Luc. 22, v. 29: *Dispono vobis regnum,* v. 30. *ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo et sedeatis super thronos duodecim* etc. 18) *Visionem Ezechieli* cap. 1. et 10. oblatam specimen aliquod vitae aeternae exhibere, colligitur ex Apoc. 4, v. 8. Cum prophetae cap. 1, v. 10. monstrata fuissent quadriformia animalia, quorum singula quatuor facies habebant, *leonis, hominis, bovis et aquilae;* cap. 10, v. 14. ubi eadem visio repetitur, pro facie bovis facies *cherub* apparuit, sicque facies bovis in faciem cherub conversa fuit, sanctorum enim facies in hac vita mortali est facies bovis in area laborantis et sudantis, quae tamen postea in faciem cherub pulcherrimam commutabitur, abstersis scilicet lacrymis, deterso pulvere ac mortalitate in gloriam immortalitatis commutata.

26. In Novo Testamento regni coelestis gloria per *convivium, nuptias, sessionem in thronis regalibus* etc. exprimitur, de quibus symbolicis ac parabolicis descriptionibus inferius agemus, quando formam vitae aeternae utcunque delineabimus. Hoc loco notamus, 1. statum vitae aeternae Luc. 21, v. 30. conferri cum *aestate.* Tempus praesentis vitae convenit cum hieme, in quo dies breves et omnia tristia, sed tempore veris, quod est aestas inchoata, dies protenduntur, omnia sunt laeta et amoena, ac quae in hieme erant emortua, vicissim reviviscunt; sic in vere vitae aeternae *ossa nostra germinabunt instar graminis,* totius naturae renovatio succedet, aderit volucrium intellectualium cantus, frondebit et fructus afferet lignum vitae etc. Tunc implebitur quod praedictum Cant. 2, v. 10: *Surge, propera amica mea, formosa mea et veni,* v. 11. *jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit,* v. 12. *flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra,* v. 13. *ficus protulit grossos suos, vineae florentes dederunt odorem suum.* 2. Servis fidelibus et prudentibus talem promissionem esse factam, quod *super omnia bona domini sint constituendi* Matth. 24, v. 47. Luc. 12, v. 44. quod *dominus in suo a nuptiis reditu,* quem vigilanter ejusmodi servi exspectant, *sese sit praecincturus ac ipsis mensae assidentibus ministraturus* Luc. 12, v. 37. quod *constituendi sint super multa et in gaudium Domini sui introducendi* Matth. 25 v. 21. 23. quae omnia coelestem et aeternam ipsorum felicitatem παραβολικῶς καὶ μυστικῶς exprimunt. 3. Luc. 24, v. 31. *Christus manifestat se discipulis in Emaus, cum distribueret illis panem;* sic in coelestis paradisi hospitio Christum plene cognoscemus, quando panem aeternae satietatis nobis distribuet. 4. Suavissima ac familiarissima illa conversatio, qua Christus post suam resurrectionem usque ad tempus ἀναλήψεως cum discipulis usus est συναλιζόμενος Act. 1, v. 4. *manducans et bibens cum ipsis* Act. 10, v. 41. typum exhibet vitae aeternae, in qua Christum videbimus, Christum docentem audiemus, cum Christo in mensa ipsius accumbemus, Christo in omnem aeternitatem associabimur. Neque enim modo nobis aderit, modo aberit, nec a nobis assumetur Act. 1, v. 11. sed erit nobiscum in aeternum, *et nos semper cum ipso erimus* 1. Thess. 4, v. 17. Christus per XX. 337.
quadraginta illos dies *loquebatur discipulis suis de regno Dei* Act. 1, v. 3. cujus phraseos sensum et emphasin in harm. de resurr. c. ult. expendimus; sed in vita aeterna omnes veri discipuli Christi possidebunt regnum Dei Matth. 25, v. 34.

27. 5. In Apocalypsi praeter hieroglyphicam coelestis Hierosolymae picturam superius qualitercunque expositam exstant ejusmodi typicae ac parabolicae descriptiones aeternae felicitatis complures. Apoc. 2, v. 7: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei* (dabo illi vitam aeternam, cujus symbolum et sacramentum, pignus et arrha fuit arbor vitae in paradiso, ut ostendimus superius). v. 10. *Dabo tibi coronam vitae* (utpote victori). v. 11. *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda* (liber erit ab aeterna damnatione). v. 17. *Vincenti dabo manna absconditum* (consortem eum faciam coelestium bonorum, quae piis in coelo asservantur, quorum typus fuit manna Israëlitis in deserto datum, ut paulo ante vidimus) *et dabo illi calculum candidum* (absolvam eum a morte et damnatione, quia calculus albus fuit olim symbolum sententiae absolutoriae, sicut contra niger damnatoriae. Ovidius lib. 15. metamorph.:

Mos erat antiquis, niveis atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpa)

et in calculo nomen novum scriptum, *quod nemo scit, nisi qui accipit* (nomen novum illud est, ut dicatur filius Dei, frater et coheres Christi 1. Joh. 3, v. 2. quod nomen dicitur scriptum super calculum candidum, quia Christus electos non solum a damnatione absolvet, sed etiam coelesti honore et gloria illos coronabit. Nemo illud scit, nisi qui accipit, quia Dominus novit, qui sunt sui, ac vera fides et interior Spiritus sancti inhabitatio non sunt aliorum hominum oculis in hac vita obvia. Aretas Caesariensis in comm. h. l.: *Manna tropice panis est vitae qui propter nos de coelo descendit, tametsi bona universa futura designentur perinde ac coelitus et ipsa devolantia, ubi etiam superna illa est Jerusalem. Vincenti diabolum se etiam calculum candidum donaturum, h. e. gloria illustratum fulgentemque, pollicetur. Posuit autem h. l. calculum candidum, quod is apud eos, qui in theatris ac stadiis luctabantur, familiaris esset ac notus et vincentibus traderetur. Nomen vero novum hoc est, quod in praesenti vita ignoratur. Hoc autem nomen sancti hereditate assequentur.*) v. 26. *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes*, v. 27. *et reget eas in virga ferrea, tanquam vasa figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo* (participem illum faciam victoriae meae ab hostibus reportatae Matth. 19, v. 28. Luc. 22, v. 29. 1. Cor. 6, v. 3. Ephes. 2, v. 6. Apoc. 3, v. 21. Lyranus in h. l.: *Dabo illi potestatem super gentes in finali judicio, in quo sancti judicabunt cum Christo, et sic habent potestatem super gentes judicandas. Et reget illas virga ferrea, h. e. inflexibili justitia, et tanquam vasa figuli confringentur, quia tunc peccatores in infernum praecipitabuntur*), v. 28. *et dabo illi stellam matutinam* (ea est symbolum perfectae ϑεογνωσίας et claritatis, qua animae et corpora piorum induentur in vita aeterna Dan. 12, v. 3. 1. Cor. 15, v. 41.). Apoc. 3, v. 4: *Ambulabunt mecum in albis.* v. 5. *Qui vicerit, vestietur*
XX. 328. *vestimentis albis* (quae sunt symbolum victoriae, innocentiae, gloriae ac laetitiae, quin et dignitatis regiae) *et non delebo nomen ejus de libro vitae et confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram angelis meis* (certo consequetur salutem eademque nunquam excidet). v. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei* (erit perpetuus heres aeternorum bonorum nec ullum ἐκπτώσεως ipsi imminebit periculum, quia columna est symbolum immobilitatis in statu gloriae coelestis, unde explicationis causa subjungitur) *et foras non egredietur amplius et scribam super eum nomen Dei mei* (in columnis regum ac principum nomina eorum inscribi solent; ita quoque Dei nomen super columnas illas coelestes scribitur, quia pii in hac vita per gratiam adoptionis, in futura per beatificam visionem sunt et dicuntur Dei filii, ac nomen illud dicitur scribi super eos, quia quod supra naturam est, non in illis, sed super illos scribi dicitur) *et nomen civitatis Dei mei novae Hierusalem, quae descendit de coelo a Deo meo, et nomen meum novum* (electi erunt et dicentur cives coelestis Hierosolymae, ac omnibus manifestum fiet, columnas illas in coelo a Christo per passionem et mortem, qua nomen illud novum consecutus est, tanquam in victoriae suae monumentum fuisse erectas illique omnium sanctorum gloriam unice ferendam esse acceptam). v. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus* (collocabo ipsum in throno gloriae, sicut et ego per passionem intravi in gloriam meam; regnabit mecum in coelo 2. Timoth. 2, v. 12. Apoc. 2, v. 26. sicut et ego per crucem intravi in regnum; ubi tamen notandum, *thronum Patris*, in quem Christus evectus est, distingui *a throno Christi*, in quem sancti collocabuntur). Apoc. 4, v. 4. electi apparent *circumamicti vestimentis albis* (quorum significationem paulo superius exposuimus) *et in capitibus eorum coronae aureae* (in signum victoriae a diabolo, peccato, morte, inferno, mundo et omnibus hostibus reportatae, ut et dignitatis regiae a Christo sibi collatae). Apoc. 7, v. 15: *Sunt ante thronum Dei et serviunt ei die et nocte in templo ejus* (sunt enim ἰσάγγελοι ac sacerdotes coelestes), *et qui sedet in throno, habitabit super illos* (σκηνώσει, *obumbrabit eos*, h. e. veluti umbraculo quodam eos proteget contra quaevis mala et adversa; Apoc. 22, v. 3: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt;* ergo σκηνώσει ἐπ' αὐτούς καὶ σκηνώσει μετ' αὐτῶν). v. 16. *Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol nec ullus aestus* (liberi erunt ab omnibus molestiis, ab omni indigentia, ab omni tentatione ac persecutione 1. Petr. 4, v. 12), v. 17. *quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos et deducet eos ad fontes vitae aquarum* (ἐπὶ ζώσας πηγὰς ὑδάτων, ad viventes fontes, h. e. satiabit, potabit et inebriabit eos coelestium bonorum abundantia), *et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* (consolabitur eos, *sicut mater consolatur filios* Esa. 25, v. 8. cap. 66, v. 13. replebuntur coelesti laetitia etc.). Proponitur igitur in hac visione apocalyptica: 1. *beatorum multitudo et varietas.* Multitudo quidem v. 9: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat;* varietas vero, quando subjungitur ibidem *ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis.* Utraque ad pulchritudinem et excellentiam coelestis illius patriae augendam plu-
rimum facit. 2. *Beatorum concordia et pacata tran-* XX. 3
quillitas. Mirum sane, coelestis Hierosolymae cives tanta multitudine ac varietate esse illustres, sed longe mirabilius, in tanta multitudine ac varietate pacatissimam inveniri concordiam, quae a Johanne insinuatur, quando *ante thronum in conspectu Agni stetisse* dicuntur. 3. *Gloriae coelestis stabilitas ac firmitas.* Dicuntur enim beati *stare ante thronum* et in conspectu Agni, tum quia gratia apud Deum et Agnum fruuntur et ad divina mandata promtos sese exhibent, quorum utrumque competit illis, qui coram principibus adstant; tum quia in bono ac proinde

etiam in coelesti gloria sunt stabiles et immoti. 4. *Beatorum triumphalis dignitas.* Palmae erant in manibus eorum in signum victoriae, quam de diabolis et ipsius organis, persecutoribus tyrannis, seductoribus haereticis, de peccatis, morte, inferno etc. reportarunt. Gregorius homil. 17. in Ezech.: *Palmas in manibus tenere est victorias in operatione tenuisse, cujus operationis palma ibi retribuetur, ubi jam sine certamine gaudebit.* 5. *Gloriae coelestis continuatio ac perpetuitas.* Sunt ante thronum Dei *et serviunt ei die ac nocte*, ubi per verba *die ac nocte* non significatur, fore in coelo dierum ac noctium vicissitudinem, *quia nulla ibi nox erit* Apoc. 21, v. 25. sed idiotismo linguae sanctae status beatissimi continuatio ac perpetuitas denotatur, neque vero tam diuturna Deo assistendi et serviendi continuatione beati fatigabuntur propter summam, quam ex hoc servitio percipiunt, voluptatem etc. 6. *Summa beatorum felicitas.* Comparatur enim eorum status uberrimis *pascuis. Agnus, qui in medio throni est, pascet illos ac deducet eos ad vivos fontes aquarum* (ergo nec cibus, nec potus, neque quidquam beatis deerit Psalm. 23, v. 1.), *et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* (ubi proponitur similitudo ducta a matribus, quae parvulos plorantes solent amplecti, osculari, blanditiis delinire, lacrymas abstergere iisdemque ubera porrigere; sic sanctos ex hac miseriarum et lacrymarum valle ad se venientes Deus in sinu gloriae beatae excipit ac instar matris eosdem consolatur).

28. 5. *Ex ecclesiae symbolis.* Symbolum *apostolicum* felicem illam habet clausulam: *Credo vitam aeternam; Nicaenum* eodem modo finit: *Exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi seculi; Athanasianum* repetit dictum Christi Johan. 5, v. 29: *Qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam.* Irenaeus lib. 1. adv. haeres. cap. 2. pag. 34: *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata credit, Christum ad judicium rediturum* etc. *ut justis et sanctis et qui mandata ejus observant et in dilectione ejus perseverant, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex poenitentia vitam donet, incorruptibilem statum largiatur et vitam aeternam tribuat.* Tertullianus lib. de praescript. adv. haeres. cap. 13. p. 110: *Regula autem fidei est, ut jam hinc quid credamus, profiteamur* etc. *venturum Christum cum claritate ad sumendos sanctos in vitae aeternae et promissorum coelestium fructum et ad profanos judicandos igni perpetuo, facta utriusque partis resuscitatione* etc.

29. Antithesis. 1. *Epicurei, Sadducaei et empaectae*, tam intra quam extra visibilis ecclesiae pomoeria, vitam aeternam esse negant. Ut enim
330. animae immortalitatem, corporum resurrectionem, futurum judicium, consummationem seculi et aeternos impiorum cruciatus pro fabulis habent, ita quoque aeternam piorum in coelis felicitatem risu, sed vere Sardonio excipiunt, sero enim in poenas aeternas tandem credent, qui vitam aeternam credere noluerunt. Das sind des Teufels Mastsäue allhie auf'm Koben der Wollust, dort am höllischen Bratspieß. Plinius lib. 2. histor. natur. cap. 7. quaestionem de vita aeterna dicit esse coecae mortalitatis argumentum. 2. *Michaël Balbus* Amoraeus circa annum Christi 820. *vanam* statuebat esse *doctrinam de bonis aeternis*, referente Zonara in hoc Michaële. 3. *Barbara*, *Sigismundi imperatoris conjunx*, animas cum corporibus mori et post hanc vitam, quam vivimus, nullam aliam futuram esse dicebat, referente Cuspiniano in Sigismundo et Aenea Sylvio epist. 130. 4. *Recentiores Judaei* bonorum operum mercedem in praesenti duntaxat vita se accepturos et sperant et asserunt, referente Galatino lib. 12. de arcan. cathol. verit. cap. 6. ubi quaedam ex vetustioribus rabbinis huic impietati opponit. 5. Georgius. *David* negavit aeternam beatorum in coelo vitam, si fides habenda Cochlaeo in libro de act. et script. Luth. anno 1549. 6. *De Johanne XXIII.* concilium Basiliense sess. 11. sub finem memorat, *quod saepe et saepius coram diversis praelatis et aliis honestis ac probis viris pertinaciter diabolo suadente dixerit, asseruerit et dogmatizaverit, vitam aeternam non esse nec aliam post hanc.*

30. 6. *Photiniani* negant, piis in Vetere Testamento promissam fuisse vitam aeternam. Socinus in lib. quod evang. se Photinianis conjungere debeant p. 63: *Credunt Evangelicorum ministri, vitam aeternam non primum ac demum in novo foedere, sed antea quoque in vetere fuisse promissam et ex ipso Dei promisso a fidelibus ejus temporis exspectatam, quo vix quidquam inveniri potest divinis testimoniis et oraculis magis contrarium.* Similia habet Schmaltzius in lib. de divinit. Christi c. 7. Argumentis utuntur duorum generum. Primo enim asserunt, *nostram sententiam esse ἄγραφον, cum vitae aeternae a Deo hominibus ipsique populo suo promissae pro eo tempore, quod Christi adventum praecessit, nulla prorsus fiat aperta mentio.* Respondemus: contrarium ostendunt ea, quae ex Vetere Testamento produximus. Quid clarius dicto Salvatoris Joh. 5, v. 39: *Scrutamini Scripturas, quia vos existimatis in ipsis vitam aeternam habere, et illae sunt, quae testimonium perhibent de me*, et apostoli Pauli 2. Timoth. 3, v. 15: *Ab infantia sacras literas nosti, quae te possunt erudire, σοφίσαι, sapientem reddere, ad salutem.* Si in Scriptura Veteris Testamenti habetur vita aeterna ac sacrae Veteris Testamenti literae possunt nos instruere ad salutem, utique in illis vita aeterna et modus ad eam perveniendi revelatus est; sed verum prius, quia manifestum est, de Scriptura Veteris Testamenti Christum et apostolum loqui; ergo etiam posterius. Pueriliter excipit Schmaltzius cont. disp. D. Frantz. pag. 222. *Judaeos quidem putasse, quod in antiquis Scripturis vitam habuerint, non autem revera habuisse.* Nam verbum δοκεῖν hic non significat inanem ac falsam quandam opinionem, sed verum judicium, cui res ipsa in veritate respondet, id quod tum *collatione aliorum Scripturae locorum*, in quibus verbum δοκεῖν usurpatur Matth. 17, v. 25. cap.

22, v. 42. Marc. 10, v. 42. Luc. 10, v. 36. 1. Cor. 4, v. 9. tum *ex Syriaca versione*, quae habet verbum סְבַר respondens Hebraeo חָשַׁב; tum *ex ipso con-*
XV. 331. *textu* sole clarius elucet. Christus enim hanc Judaeorum *δόκησιν* non taxat nec improbat, sed ex hoc ipso principio ad diligens Scripturae scrutinium eos hortatur ac evidentem addit rationem, quare in Scripturis vita aeterna dicatur haberi, quia scilicet de Christo, *qui est vita aeterna* et in cujus cognitione consistit vita aeterna, testificantur. Quemadmodum ergo Johannes de evangelica sua historia dicit: *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus* Johan. 20, v. 31. ita quoque de Mosaicis et propheticis Veteris Testamenti Scriptis ex oraculis Christi et apostoli modo adductis vere dicere possumus. Haec scripta sunt, ut pii Veteris Testamenti crederent, promissum Messiam fore Dei Filium ac mundi salvatorem, ut credentes vitam haberent in nomine ipsius, quem primarium ac praecipuum Mosaicorum ac propheticorum scriptorum scopum cum Judaei non attenderent, Christus hoc nomine eos taxat v. 40: *Non vultis ad me venire, ut vitam habeatis.* Idem Schmaltzius lib. de divin. Christi cap. 7. alia exceptione utitur: *Si ulla vitae aeternae promissio in Vetere Testamento facta fuisset, Judaei eam urgerent ac in ipso foedere ejus mentio facta fuisset, reliquae enim prophetarum voces non ad omnes pertinuerunt vel pervenerunt.* Respondemus: imo vero in ipso foedere tam legali quam evangelico diserta fit vitae aeternae mentio. *De legali foedere* illud liquido conspicuum ex promissionibus huic foederi additis: *Faciens ea homo vivet in eis* Lev. 18, v. 5. in quibus aeternae vitae promissionem contineri ostendimus superius §. 14. ac sole clarius id elucet ex Luc. 10, v. 25. et 28. *De foedere evangelico* idem facili negotio probatur, promissa enim serpentini capitis contritio ac per Messiam benedictio spiritualia cumprimis et coelestia beneficia complectitur. Circumcisionis sacramento additur haec promissio Gen. 17, v. 7: *Ero Deus tuus et Deus seminis tui*, cujus promissionis genuinam sententiam exponit Christus Matth. 22, v. 32. Marc. 12, v. 27. Luc. 20, v. 38: *Non est Deus mortuorum, sed viventium Deus, omnes enim vivunt ei*, hoc est quorum se Deum fore Deus promittit, illos non solum gratia in hac vita complectitur, sed etiam ex terrae pulvere aliquando ad vitam aeternam eos resuscitabit. Haec foederalis promissio non fuit Israëlitis incognita, sed perpetuum ejus memoriale ac pignus in carne sua circumgestarunt, ac quoties ad foedus cum patribus factum provocarunt, toties promissionem de vita aeterna propter Messiam danda fide se amplecti testati sunt. Quamvis vero quaedam prophetarum vaticinia, utpote particularia, non pertinuerint ad omnes neque etiam pervenerint ad omnes omnium aetatum et nationum homines, tamen promissiones evangelicae, ex fonte protevangelii *de semine mulieris contrituro caput serpentis* haustae, non fuerunt Israëlitis ignotae, nec ullus ab illarum vel intellectu, vel fructu absoluto quodam Dei odio fuit exclusus.

31. Hisce Christi et Pauli dictis conjungi possunt ea Veteris Testamenti oracula, in quibus agitur *de beatitudine* piis promissa, eam enim aeternam in coelis felicitatem complecti, superius demonstratum; *de libro vitae*, in quem electi scribuntur, eum enim complecti promissionem salutis manifestum est, tum ex ipsa phrasi, tum ex loco prophetico Dan. 12, v. 1. 2. et 3. *de beneficiis Messiae* non ad Novi duntaxat, sed etiam Veteris Testamenti tempora pertinentibus, inter quae eminet justitia, salus et vita, XI. 33
de animae immortalitate et beato animarum piarum post mortem statu, is enim arguit, superesse vitam aliam post exactum hujus vitae cursum; *de resurrectione piorum ad vitam aeternam, de extremo judicio*, cujus finis erit, ut quilibet reportet fructum eorum, quae per corpus gessit; *de justitia fidei et ejus effectu ac consequente*, quod est vita aeterna etc. Addi etiam possunt *exempla translationis Enochi et Eliae.* Quin et Photinianorum opinio ad absurdum deduci potest. Si enim pii in Vetere Testamento non habuerunt promissionem vitae aeternae, ecclesia Israëlitica nihil aliud fuit quam hara porcorum, quippe quorum *ventrem Deus impleverit bonis hujus vitae* Psalm. 17, v. 14. et postea eos dimiserit bonis coelestibus inanes ac vacuos, omnibus etiam pereundum fuit aeterna morte, quia nullam habuerunt promissionem, quam terroribus et angoribus mortis opponere potuerint; pii fuerunt deterioris conditionis quam impii, quippe qui in hac vita prae reliquis florente fortuna consueverunt uti, quae omnia absurda esse quivis videt. Excipiunt Photiniani, *non esse putandum, non habituros aeternam vitam eos, qui fideles ante Christi adventum fuerint, quamvis illis non fuerit a Deo promissa. Nihil enim impedire, quo minus Deus multo plus det, quam promisit*, Socinus d. l. Respondemus: 1. fundamenta hactenus allata ostendunt, non absque promissione in verbo revelata ex ignota penitus et insperata Dei gratia vitam aeternam credentibus sub tempore Veteris Testamenti obtigisse, sed promissionem beatitudinis in verbo ipsis fuisse positam. 2. Haec revelatio promissionis omnino fuit necessaria, ut in omnibus hujus vitae adversis, cumprimis vero in agone mortis, pii Veteris Testamenti sese eadem sustentarent. 3. Exempla patriarcharum testantur, promissionem hanc ipsis non fuisse ignotam. Gen. 3, v. 20. primi parentes audita promissione *de semine mulieris* ex angoribus conscientiae et terroribus mortis iterum eluctantur ac Adamus conjugem suam vocat *Evam*, eo quod *mater esset cunctorum viventium*, hoc est quia Deus promissionem vitae propter Messiam restituendae ipsis dederat, per quam et ipsis et posteris ipsorum ad vitam iterum patebat aditus. *Abrahamus exsultavit, ut videret diem Christi, et vidit eum et gavisus est* Johan. 8, v. 56. *Exspectavit civitatem habentem fundamenta, cujus artifex et conditor Deus* Hebr. 11, v. 10. Jacobus patriarcha in ipsa morte *exspectat Dei salutare* Genes. 49, v. 18. Jobus

scit et et firmissime credit, *in carne sua se visurum Dominum* Job. 19, v. 26. David certo sperat, *se visurum bona Domini in regione viventium* Psalm. 27, v. 13. *se in aeternum non confusum iri* Psalm. 31, v. 2. Assaph dicit Psalm. 73, v. 25: *Si te, Domine, solum habeo, nihil desidero in coelo vel terra.* De omnibus Veteris Testamenti sanctis in genere dicitur Hebr. 11, v. 14. quod *confitentes, se esse peregrinos et hospites super terram, significaverint, se patriam inquirere*, puta coelestem, sic enim exponitur v. 15: *Siquidem istius meminissent, de qua exierunt habebant tempus revertendi*, v. 16. *nunc autem meliorem appetunt*, hoc est coelestem, *ideo non erubescit Deus, vocari Deus eorum, paravit enim eis civitatem.* 4. Ex quibus omnibus sic concludimus: Fides et verbum promissionis sunt relata. Jam vero in patriarchis et omnibus sanctis Veteris Testamenti locum habet fides et spes salutis aeternae. Ergo eadem in verbo ipsis fuit promissa. Ignoti ut nulla notitia, ita quoque nulla fides, nulla exspectatio,
33. nullum desiderium. 5. Deus dat vitam aeternam non quibusvis hominibus quovis modo sese habentibus, sed credentibus, sperantibus et ad finem illum propositum per multas tribulationes et per studium pietatis strenue contendentibus, teste tota Scriptura. Jam vero fides, spes et studium consecutionis non potuissent in sanctis Veteris Testamenti locum habere, si nihil quidquam scivissent vel audivissent de vita aeterna. 6. Sicut piorum ecclesia est *unum corpus, unus spiritus*, sic etiam *vocati sunt in una spe vocationis* Ephes. 4, v. 4. *sicut unus eorum Dominus*, ita quoque *una fides* v. 5. Sacramentorum duntaxat, non autem promissorum bonorum facta est mutatio ac variatio. 7. Denique si patres Veteris Testamenti non acceperunt promissionem vitae aeternae, vixerunt per totum vitae suae tempus in crassissima finis, ad quem homo conditus ac per Messiam redimendus erat, ignorantia, nec pensi habuissent media ad finem illum ducentia, sed fortuito per accidens et praeter intentionem fuissent salvati.

32. Secundo ἀντίγραφον esse nostram sententiam ex eo probare conantur, *quod in N. T. saepius commemoratur, vitam aeternam per Christum a Deo promissam fuisse et per ejus evangelium hominibus patefactam, cum ea prius apud Deum lateret* 1. Joh. 1, v. 2. cap. 2, v. 25. 2. Tim. 1, v. 10. *ac denique novum foedus in melioribus promissionibus fuisse sancitum* Hebr. 8, v. 6. Respondemus: 1. vitam aeternam per Christum in N. T. promissam fuisse non negamus, sed ex eo inferri nequit, in V. T. non fuisse promissam, quia ab inclusione unius non potest procedi ad exclusionem alterius eidem subordinati. 2. Invertimus potius argumentum: Vita aeterna in N. T. per Christum fuit promissa. Ergo etiam in V. T. Ratio consecutionis haec est, *quia Christus Jesus idem est heri et hodie et in secula* Hebr. 13, v. 8. ac Paulus in N. T. nihil docuit *extra ea, quae prophetae locuti sunt futura esse et Moyses* Act. 26, v. 22. 3. Sicut *salus*, utpote *finis*, communis est piis Veteris ac Novi Testamenti, ita quoque *media ad finem ducentia* utrisque fuere communia, inter ea vero est ex parte Dei promissio vitae aeternae propter Messiam dandae, et ex parte hominum fides oblata bona recipiens. Posito enim fine ponuntur media essentialiter ad finem requisita. 4. Quod evangelium de Christo dicitur *aeternis temporibus tacitum* Rom. 16, v. 25. Ephes. 3, v. 9. Coloss. 1, v. 26. illud vel accipiendum est *ratione certi objecti*, quod gentilibus illud non fuerit manifestatum, vel *ratione modi et gradus*, quod non tam clare et aperte fuerit praedicatum; vel nomine evangelii intelligendum *publicum de Christo jam exhibito praeconium*, in quo sensu nomen evangelii usurpatur Marc. 1, v. 1. Quod enim absolute ac simpliciter doctrina evangelii de gratia Dei, peccatorum remissione, justitia et vita aeterna non fuerit tacita, patet ex verbis diserte additis Rom. 16, v. 26. *patefactum nunc per scripturas prophetarum*, ac Rom. 3, v. 21. docet apostolus, *justitiam fidei* (cujus finis est salus animarum sive vita aeterna 1. Petr. 1, v. 9.) *esse μαρτυρουμένην a lege et prophetis.* Huc referri potest distinctio inter ἐπαγγελίαν, promissionem de Christo venturo, et εὐαγγέλιον, specifice sic dictum, hoc est praeconium de Christo exhibito. 5. 1. Joh. 1, v. 2. per ζωὴν τὴν αἰώνιον intelligitur non status piorum post hanc vitam, sed Christus aeternae vitae auctor, ut patet tum *ex serie textus*, quia is, qui vocatur *vita aeterna*, dicitur v. 1. λόγος τῆς ζωῆς, dicitur XX. 334.
fuisse ἀπ' ἀρχῆς, dicitur *ab apostolis visus et contrectatus;* v. 2. vita illa dicitur *manifestata*, videlicet in carne 1. Tim. 3, v. 16. dicitur *fuisse apud Patrem*, videlicet in principio Joh. 1, v. 1. *et nobis apparuisse*, videlicet quando *verbum caro factum est et habitavit in nobis* Johan. 1, v. 14. tum *ex aliorum locorum collatione* Johan. 1, v. 4. cap. 11, v. 25. cap. 14, v. 6. cumprimis 1. Johan. 5, v. 20. Quodsi vel maxime appellatio vitae aeternae accipiatur pro beatissima piorum conditione propter Christum ipsis promissa, nondum tamen evictum erit, piis in Vetere Testamento non fuisse promissam vitam aeternam, inde enim atque ideo in exhibitione Christi promissi dicitur nobis oblata vita aeterna, quia tunc *appropinquavit regnum coelorum* Matth. 3, v. 2. cap. 4, v. 17. Marc. 1, v. 14. *salus nostra facta est tunc propior, quam cum crederemus* sive speraremus Rom. 13, v. 11. 6. Eodem sensu a quibusdam accipitur dictum apostolicum 2. Tim. 1, v. 10. ubi Christo tribuitur τὸ φωτίζειν, *illuminare*, in apertiorem et clariorem lucem proferre vitam et ἀφθαρσίαν. Jam vero gradus lucis majoris non variat rem ipsam, sed eadem manet vitae aeternae promissio in Vetere et Novo Testamento, quamvis in Novo major claritas accesserit, in Vetere autem involucris promissionum de terra Canaan ea fuerit involuta. Sed simplicius videtur responderi, Christo destructionem mortis et reparationem vitae tribui, tum ἱλαστικῶς, *ratione acquisitionis*, tum ἐνεργητικῶς, *ratione applicationis.* Utroque enim modo destructio mortis et vitae reparatio Christo competit, ac per verbum φωτίζειν apostolus nos deducit ad opus creationis,

ut innuat, Christum eadem virtute mortem abolevisse ac vitam promeruisse et credentibus conferre, qua olim lucem ex tenebris produxit. Ex eo vero inferri nequit, Christi meritum et beneficia evangelii pertinere tantum ad Novi Testamenti tempora. 7. Quid *per meliores promissiones*, quibus Novum Testamentum sancitum et quarum respectu vocatur *ἡ κρείττων διαθήκη*, intelligatur Hebr. 8, v. 6. declarat apostolus versu sequenti ex Jer. 31, v. 31. Nimirum instituitur collatio inter Testamentum Vetus sive *legale*, et Testamentum Novum sive *evangelicum*. Prius requisivit perfectam et omnibus numeris gradibus ac partibus absolutam obedientiam juxta omnia et singula praecepta praestitam; quia vero talem ac tantam obedientiam in hujus vitae infirmitate homines praestare non possunt, ideo ad nihil aliud Testamentum istud profuit, quam ut peccatum et miseriam manifestaret. Posterius vero quia promittit gratuitam peccatorum remissionem, donationem Spiritus sancti legem Dei in corda scribentis, interiorem renovationem etc. ideo confert certam spem aeternae salutis. Sed ex hac Veteris ac Novi Testamenti collatione inferri nequit, pios tempore Veteris Testamenti non habuisse promissionem vitae aeternae, ut enim nihil dicam de eo, quod in promissionibus legalibus expressa fiat mentio vitae aeternae, quae tamen ob *ἀδυναμίαν* implendi legem hominibus sunt ad vitam aeternam obtinendam inutiles, illud certum est, quod durante tempore Veteris Testamenti non tantum tradita fuerit doctrina legis ad naturam ac definitionem Veteris Testamenti (prout illud a Novo Testamento in Scripturis distinguitur) pertinens, sed etiam doctrina de Messia et ipsius beneficiis, inter quae eminet promissio vitae aeternae gratuita propter Christum, qua de re in tract. de evang. §. 120. et seqq. plenius egimus. Plura de hac quaestione vide apud Meisne-
XX. 335. rum amicum nostrum singularem in consid. theol. c. 5. art. 7. pag. 783.

Quaestio, an per naturam notum sit, esse vitam aeternam?

33. Quaeritur hoc loco, *an per naturam notum sit, esse vitam aeternam, et an homines naturaliter eam appetant*? Dubium nullum, hominem ante lapsum per notitias menti naturaliter insitas cognovisse non solum, quod sit vita aeterna, sed etiam quomodo ad eam sit perveniendum, atque ad eam naturali desiderio adspirasse, quia conditus fuit *ad Dei imaginem*, ac proinde etiam ad beatam immortalitatem; sed ut per lapsum tristissimum imago Dei in homine ferme penitus fuit exstincta et obliterata et bonum vitae aeternae amissum, ita quoque cognitio illius summi boni, ad quod homo primum conditus est, misere fuit obscurata et desiderium ejus fere totum elanguit. Augustinus serm. 19. de verb. apost.: *Hoc praecipue Christianos a gentili errore discernit, quod hi hanc tantummodo vitam credunt, nos etiam futuram.* Interim tamen, ut quaedam imaginis divinae reliquiae et clarissimae illius lucis exiles scintillulae in anima hominis permanserunt; ita quoque tenuis quaedam notitia et generalis quidam appetitus illius beatitudinis permansit, ex quo fonte profluxit, quidquid apud gentiles de praemiis bonorum post hanc vitam exspectandis, de animae immortalitate, de campis Elysiis occurrit. Sed haec notitia, uti dixi, est non solum *imperfecta* et *obscura*, quia modum perveniendi ad illam beatitudinem homo per naturam penitus ignorat, imo mysterium evangelii de Christo vitae aeternae reparatore habet pro stultitia, sed etiam assensus ex ea ortus est *languidus et imbecillis*, imo in tentationibus et adversis facile evanescit, Plato in Phaedone: *τὸ μὲν σαφὲς εἰδέναι περὶ τῆς μελλούσης ζωῆς ἐν τῷ νῦν βίῳ ἢ ἀδύνατόν ἐστιν ἢ παγχάλεπον·* inde est, quod homines beati quidem esse volunt, sed a mediis, per quae beatitudo obtinetur, turpiter aberrant et pro *ὄντως* bono *φαινομένως* bonum amplectuntur, sicut Ixion pro Junone amplexatur nubem, ac sicut illi, qui scotomate laborant, veras rerum differentias internoscere et aurea ab aereis distinguere nesciunt. Quapropter Scholastici part. 1. quaest. 12. art. 1. recte disputant, *gloriam et beatitudinem aeternam esse supernaturalem non tantum in assecutione, sed etiam in cognitione*, et per consequens non esse in homine perfectum et efficax desiderium vel appetitum naturalem hujus beatitudinis. Quando ergo dicitur, *quod omnis voluntas tendat ad beatitudinem*, tum intelligendum id est de beatitudine in sua generalitate considerata, in cujus appetitu omnes communicant; sed prout beatitudo determinate accipitur pro illa, quae in visione Dei consistit, nec ab omnibus appetitur, nec omnes in illam tendunt.

CAPUT III.

DE *ΤΩι ΤΙ*, QUID SIT VITA AETERNA.

Quid vita XX.

34. Atque haec dicta sint de quaestione *εἰ ἔστι*, *an sit, vita aeterna;* ab ea transitum facimus ad quaestionum *τί ἐστι*, *quid sit, vita aeterna*, *et quid sit coelum beatorum*. 1. Quid sit vita aeterna, *generaliter et αἰνιγματικῶς* ex verbi revelatione sciri potest, quod scilicet sit beatissimus ac felicissimus ille piorum status, in quem post hanc vitam translati Deum a facie ad faciem videbunt et ab omni molestia liberi in sempiterna laetitia et gloria ac ineffabili felicitate vivent et regnabunt; sed *specialiter et exacte* in hujus vitae infirmitate illud sciri nequit, *quia oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscendit, quid praeparaverit Dominus se diligentibus* Esa. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9. Ceterum haec vitae aeternae qualiscunque descriptio illustrior erit, quando causas vitae aeternae, cumprimis formalem in lumine verbi contemplati fuerimus; hoc loco notamus, beatitudinem vitae aeternae dupliciter considerari, primo *objective*, secundo *formaliter*. *Objectum* beatitudinis est ipse Deus, summum illud et infinitum bonum, quod se in clara visione conspiciendum, amandum, laudandum et glorificandum beatis exhibebit, atque hoc respectu

Deus ipse dicitur electorum in coelis beatitudo. *Forma* beatitudinis est ipsa Dei visio et ex ea orta animae et corporis gloria, adeoque aeterna beatorum laetitia. Hoc respectu beatitudo electorum dicitur bonum aliquod creatum et finitum, quia Deus non est rei alicujus creatae forma vel materia, sed duntaxat efficiens, finis et objectum, interim bonum illud finitum et creatum non nisi propter objectum increatum et infinitum, in quod fertur et ad cujus participationem homo conditus est, desiderium beatorum implet, terminat atque perficit. *Beatitudo objectiva* significat rem, cujus adeptione reddimur beati, quae non potest esse aliud quam ipse Deus; *beatitudo formalis* ipsam rei fruitionem seu adeptionem significat, qua beati sumus. De priore sic loquuntur veteres. Irenaeus lib. 3. cap. 22. *gloria hominis Deus est.* Augustinus passim repetit, *ut anima carnis vita est, ita beata vita hominis Deus est.* De posteriore agunt, quoties in Dei visione ac fruitione beatitudinem constituunt. Prior vocatur etiam beatitudo *increata ac finalis*, posterior *creata et informans.* Quidam ex Scholasticis addunt tertiam, videlicet *beatitudinem subjectivam*, quam dicunt esse naturam beatificabilem, sed Biel 1. sent. dist. 1. q. 6. recte monet, *hanc impropriissime dici beatitudinem, proprie autem vocari beatam, sicut subjectum albedinis non dicitur albedo, sed album.*

35. 2. Quid sit *beatorum coelum*, de eo variant theologorum sententiae. Quidam existimant, de eo in hac mortalitate et intellectus nondum glorificati infirmitate nihil certi a nobis definiri posse ac debere, cum beatorum gloria ita comparata sit, ut in nullius hominis cor adscenderit, cum coeli illius quidditas ac qualitas non sit in Scripturis diserte et expresse definita, cum nostrae fragilitatis non sit coelorum secreta discutere, cum praestet de possessione quam de exacta cognitione coeli esse solicitum etc. Horum ἐποχὴν et ἐχεμυθίαν cum pia modestia conjunctam non possumus improbare. Quidam coelum beatorum dicunt *esse in Deo*, vel potius ipsum Deum, quia beati dicuntur *esse in manu Dei* Luc. 23, v. 46. Sap. 3, v. 1. quo referri posset illud Augustini in enarr. Psalm. 30: *Vilescat totum, quidquid praeter Deum est. Qui nos tuetur in loco vitae hujus, ipse post istam vitam sit locus noster, sicut hoc ipso*
341. *psalmo dicitur: Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii; esto domus ejus, et ipse erit domus tua, habitet in Deo, et tu habitabis in eo.* Itemque illud Bernhardi serm. de triplici habitac.: *Beati, qui in domo tua, in te Deo habitant. Hic in tabernaculis fiunt sancti, illic in atriis securi, in domo tua in te beati* etc. Quidam coelum non nisi per coelestem gloriam et sempiternam electorum beatitudinem ex clara Dei visione ortam definiendum esse censent. Et sane libenter concedimus, si nomen coeli accipiatur pro ipsa beatitudine, hoc est pro ipso laetissimo et felicissimo beatorum statu, in qua significatione Scriptura quandoque hac voce utitur Matth 18, v. 10. tum recte dici, quod coelum beatorum sit ipse Deus, videlicet *efficienter, finaliter et objective*, quia Deus beatitudinis illius est efficiens, finis atque objectum, a qua illa unice et in solidum dependet; recte etiam dici, quod coelum beatorum definiendum sit per coelestem gloriam et sempiternam electorum laetitiam, videlicet formaliter ac principaliter, quia forma beatitudinis praecipue ac principaliter consistit in coelesti gloria et laetitia, qua beati Deum videntes in aeternum eo fruentur. Interim negari vix potest, si coelum accipiatur *subjective*, quo modo in quibusdam Scripturae dictis accipitur Matth. 5, v. 12. cap. 6, v. 20. Luc. 6, v. 23. cap. 12, v. 33. 1. Petr. 1, v. 4. etc. tunc nomine coeli intelligendum esse certum illud ποὺ, in quo beati Deum videbunt et coelesti illa gloria ac laetitia perfruentur, id quod iisdem fere argumentis demonstrari potest, quibus in praecedenti tractatu ostendimus, infernum esse certum illud ποὺ, in quo damnati poenas aeternas sustinent, videlicet 1) *ab appellatione.* Scriptura vocabulis certum ποὺ significantibus coelum describit. Joh. 12, v. 26: *Ubi ego sum, ibi etiam minister meus erit.* Joh. 17, v. 24: *Volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, quos dedisti mihi, ut videant claritatem meam.* Joh. 14, v. 2: *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* 2. Cor. 5, v. 1: *Habemus aedificationem ex Deo, domum non manu factam aeternam in coelis.* 1. Petr. 1, v. 4: *Hereditas piorum asservatur illis in coelo* etc. 2) *Ex distinctione.* Scriptura illud ποὺ, in quod animae piorum post mortem colliguntur, distinguit ab eo, in quod impiorum animae transferuntur, ut in tractat. de morte §. 159. ostensum. Eadem Scriptura ποὺ damnatorum, id est domicilium illud, in quod velut in carcerem quendam damnati compingentur, distinguit a ποὺ beatorum, id est a sede aeternae beatitudinis, gloriae ac laetitiae, in qua electi post mortem recipiuntur Luc. 16, v. 26. 3) *Ex oppositione.* Scriptura sibi invicem directe opponit coelum tanquam summum et altissimum palatium, et infernum tanquam imum et vilissimum carcerem καθ' ἡμᾶς, respectu nostri. 4) *Ex necessaria consecutione.* Corpora beatorum in resurrectione animabus redunita adeoque ipsimet beati aut erunt ubique, aut nullibi, aut in certo ποὺ. Sed nec primum, nec secundum dici potest, manet ergo tertium. Confer tract. de inferno §. 25.

36. Circa quam assertionem notandum, 1. ποὺ illud beatorum in lata et generali significatione vocari posse *locum*, sicut et ποὺ damnatorum Luc. 16, v. 28. *locus* appellatur, non autem in stricta et specifica loci significatione, qua accipitur pro loco physico et corporeo; 2. illius *ποὺ quidditatem, qualitatem, situm* etc. in hujus vitae infirmitate a nobis definiri non posse, an scilicet sit ποὺ creatum vel increatum, corporeum vel spirituale, intra hunc mundum vel XX. 342.
extra hunc mundum, quod ipsum etiam de ποὺ damnatorum diximus; ac proinde 3. merito a nobis repudiari temeritatem Calvinianorum, qui audacter definiunt, *coelum beatorum esse certum aliquem locum proprie sic dictum, videlicet corporeum supra terram, supra nubes, supra coelos adspectabiles*

constitutum, *eundemque amplissimum ac lucidissimum certis mansionibus distinctum*, *in quo beati coelites localiter sedeant*, *ambulent et conversentur*. Quamvis enim ad hanc assertionem stabiliendam proferant quaedam Scripturae dicta, in quibus coelum ita describi videtur, ad ea tamen promte responderi potest, *Christum et apostolos verbis hujus seculi describere res futuri seculi*, sicut prophetae verbis Veteris Testamenti describere solent res Novi Testamenti, quae in Scripturis per quandam *συγκατάβασιν* dicuntur *ἀνθρωποπαθῶς καὶ ἀνθρωπίνως*, ea intelligenda esse *θεοπρεπῶς καὶ θεϊκῶς;* verbis locum significantibus rei conditionem humilem vel sublimem aliquando exprimi, per corporalia et visibilia describi spiritualia et invisibilia, cum corporeis ac visibilibus assueti sine eorum velamine spiritualia et invisibilia in hac vita cognoscere non possimus, qua de re infra in quaestione de loco vitae aeternae plenius dicemus. Videatur Meisnerus part. 1. sobr. phil. sect. 3. cap. 4. q. 4.

CAPUT IV.

DE CAUSA EFFICIENTE VITAE AETERNAE.

Causa efficiens vitae aeternae.

37. Succedit ergo *causa efficiens vitae aeternae.* Quemadmodum tres causae justificationis statuuntur, videlicet *gratia Dei*, quae est causa efficiens principalis, *meritum Christi*, quod est causa efficiens meritoria, et *fides oblata in verbo evangelii beneficia Christi amplectens*, quae est causa instrumentalis, ut in tract. de justif. late demonstratum fuit; ita quoque eaedem tres causae glorificationis sive vitae aeternae in Scripturis statuuntur, *gratia Dei*, *meritum Christi et fides hominis credentis*, cujus *ἁρμονίας* fundamenta probe sunt notanda. 1. Apostolus Rom. 4, v. 5. et seqq. *μακαρισμόν* seu *beatificationem* ac *justificationem* arctissime conjungit, quando unam per alteram probat, nam justificatio est inchoata beatificatio Rom. 8, v. 24. et beatificatio est completa justificatio. 2. *Quos Deus justificavit*, *hos et glorificavit* Rom. 8, v. 30. quae glorificatio incipit in hac vita 2. Corinth. 3, v. 18. consummatur autem in futura. Utitur autem apostolus verbis *praeteriti* temporis, tum propter immotam certitudinem, tum quia in Christo capite eos jamdum glorificavit Eph. 2, v. 6. Fulgentius lib. 1. ad Monim. p. 23: *Dicens Paulus*, *quia quos Deus justificavit*, *illos et glorificavit*, *non utrumque praesenti vitae deputat*, *sed ea fide*, *quod futurum est*, *velut factum firmat*, *qua fide propheta de Deo dicit: Qui facit*, *quae futura sunt.* et p. 24: *Quaecunque promisit*, *jam facta dicimus*, *quia de faciendis dubitare non debemus.* Bernhardus serm. de verb. sap. 5: *Regnum Dei conceditur in praedestinatione*, *promittitur in vocatione*, *ostenditur in justificatione*, *percipitur in glorificatione.* 3. *Qui credit in Christum*, *is habet vitam aeternam* Joh. 3, v. 36. nimirum, *quia vitam aeternam dedit nobis Deus*, *et haec vita in Filio ejus* II.
est 1. Johan. 5, v. 11. ex quo promte sequitur, *qui habet Filium*, *habet vitam* v. 12. Summus ergo vitae aeternae thesaurus jamdum in hac vita est in piis, sed *absconditus*, in novissimo die sequetur revelatio, inde gloria vitae aeternae dicitur *μέλλουσα ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς* Rom. 8, v. 18. ac vita nostra dicitur *abscondita cum Christo in Deo* Col. 3, v. 3. cum autem *Christus apparuerit vita nostra*, *tunc et nos cum ipso apparebimus in gloria* v. 4. *Filii Dei sumus*, *sed nondum apparuit*, *quid futuri simus* 1. Joh. 3, v. 2. 4. Deus ut essentia, ita quoque voluntate est invariabilis et immutabilis. Ergo non propter alias causas ab aeterno eligit et in tempore justificat, quam propter quas homines glorificat et salvat. *Elegit nos in Christo ante jacta mundi fundamenta* Ephes. 1, v. 4. justificat nos in Christo ac propter Christum fide apprehensum, ergo etiam glorificabit in Christo et propter Christum fide apprehensum. Refero huc quaedam ex Form. concord. declarat. art. 3. de just. fidei pag. 694: *Rejiciendus est hic error*, *cum docetur*, *hominem alio modo seu per aliquid aliud salvari quam per id*, *quo coram Deo justificatur*, *ita ut sine operibus per solam quidem fidem coram Deo justificemur*, *sed tamen absque operibus salutem aeternam consequi impossibile sit. Hoc ideo falsum est*, *quia e diametro pugnat cum dicto Pauli Roman. 4: Beatitudo hominis est*, *cui Deus justitiam imputat sine operibus. Et hoc est fundamentum Paulinae disputationis*, *quod eodem prorsus modo et justitiam et salutem consequamur*, *imo quod eo ipso*, *cum fide justificamur*, *simul etiam adoptionem in filios Dei et hereditatem vitae aeternae atque salutem adipiscamur*, *eamque ob causam Paulus particulas illas exclusivas*, *id est ejusmodi voces*, *quibus opera et propria merita prorsus excluduntur*, *videlicet ex gratia*, *sine operibus et similes*, *non minus constanter et graviter in articulo salutis quam in articulo justificationis nostrae urget.* Similia occurrunt in declarat. art. 4. de bonis operibus p. 704.

1. P alis est Dei.

38. *Causa ergo efficiens principalis* vitae aeternae est *gratia Dei*, vel quod idem est Deus gratis homines salvans, quod probatur 1. *ex manifestis Scripturae dictis.* Luc. 12, v. 32: *Noli timere*, *pusille grex*, *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Rom. 6, v. 23: *χάρισμα*, *gratuitum donum*, *Dei est vita aeterna.* Eph. 2, v. 8: *Gratis salvati estis*, *donum Dei est.* 1. Tim. 4, v. 10: *Deus est salvator omnium hominum*, *maxime fidelium.* Tit. 3, v. 5: *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* Hebr. 11, v. 10: *Artifex et conditor coelestis civitatis est Deus.* 1. Johan. 5, v. 11: *Vitam aeternam dedit nobis Deus.* Apoc. 21, v. 2. nova Hierosolyma *descendit de coelo a Deo parata.* 2. *Ex rationum momentis*, 1) *ab electione.* A quo ad vitam aeternam electi sumus, ab eodem etiam vitam aeternam accipimus, quia finis electionis est vitae aeternae donatio. Jam vero a Deo ad vitam aeternam

sumus electi. Ergo; 2) *a justificatione.* Qui justificat nos in hoc seculo, is vitam aeternam dabit in futuro seculo. Sed solus Deus nos justificat in hoc seculo. Ergo. Rationem majoris paulo superius exposuimus; 3) *ex resurrectione.* Qui pios ex morte resuscitat, ille etiam piis dat vitam aeternam. Ratio est, quia pii *prodibunt ad resurrectionem vitae* Joh. 5, v. 29. Solus Deus pios ex morte resuscitat, Ergo; 4) *ex vitae aeternae conditione.* Beatitudo vitae aeternae consistit in summi boni communicatione ac fruitione. Jam vero solus Deus est summum bonum, qui *solus reficit non deficit*, qui est fons omnis boni et extra quem nullum est verum bonum. Augustinus lib. 5. de civ. Dei c. 1. in princ.: *Constat, omnium rerum optandarum plenitudinem esse felicitatem, quae non est dea, sed donum Dei* lib. ejusd. c. 11: *Dei participatione felices sunt, quicunque sunt veritate, non vanitate felices.* lib. 6. de civ. Dei cap. 12: *Qui non dat felicitatem, quomodo vitam dare possit aeternam? Eam quippe vitam aeternam dicimus, ubi est sine fine felicitas* etc. *Vitam igitur aeternam, id est sine ullo fine felicem, solus ille dat, qui dat veram felicitatem.* Notanda autem circa hanc assertionem potissimum tria, 1. *exclusive* id esse intelligendum, quod Deus dicitur causa efficiens principalis vitae aeternae, sensu scilicet eo, quod solus Deus et praeter atque extra eum nullus alius sit vitae aeternae dator, id quod probant non modo argumenta proxime allata, sed etiam expressa Scripturae dicta, in quibus exclusiva diserte additur. Esa. 43, v. 11. *Ego sum, ego sum Dominus, et non est* מִבַּלְעָדַי, *praeter me et extra me, salvator.* Oseae 13, v. 4: *Ego Dominus Deus tuus, non est servator* אֵין בִּלְתִּי, *absque me.* Jacob. 4, v. 14: *Unus est, qui potest salvare et perdere.* Ut absque eo et extra eum non est alius Deus Deut. 32, v. 39. 1. Reg. 19, v. 19. Esa. 43, v. 10. cap. 44, v. 6. et 8. cap. 45, v. 5. 6. 14. ita quoque absque eo, extra et praeter eum non est salvator, sicut haec duo expresse conjunguntur Esa. 45, v. 21: *Numquid non ego Dominus et non ultra Deus praeter me? justus Deus et salvans non est praeter me.* Si quis obvertere velit, de salute et auxilio temporali ibi sermonem esse, respondemus tum *per inficiationem*, negando quod de sola temporali salute haec accipiantur; tum *per inversionem*, si enim de salute temporali hoc recte dicitur, multo magis de aeterna salute dici poterit. 2. Vocem Dei accipiendam esse *οὐσιωδῶς, essentialiter*, ut tribus Deitatis personis est communis. Nam vitam aeternam dare est opus ad extra, ac proinde omnibus tribus personis commune. Deus inde atque ideo electis potest dare vitam aeternam, quia essentialiter in ipso est vita, vel potius, quia est ipsa vita. Unde Scriptura sacra Deo Patri, Filio et Spiritui sancto aequaliter donationem vitae aeternae assignat. De Patre dicitur Joh. 5, v. 21: *Pater excitat mortuos et vivificat*, non solum respectu vitae naturalis, sed etiam spiritualis et aeternae, nimirum quia *vitam habet in se ipso*, in sua essentia, ut Syrus reddidit v. 26. Filius de se ipso dicit Joh. 10, v. 28: *Ego vitam aeternam do eis.* Joh. 17, v. 2: *Ut quotquot dedisti ei, det eis vitam aeternam.* Actor. 4, v. 12: *Non est in alio quoquam salus* etc. Hebr. 5, v. 9: *Factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis aeternae.* Apoc. 1, v. 18. Christus dicit, se *habere claves mortis et inferni*, ut possit ex utroque liberare et ad utrumque damnare. cap. 3, v. 21: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* De Spiritu sancto dicitur Rom. 8, v. 11: *Si Spiritus ejus, qui excitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, is qui excitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem ejus Spiritum in vobis.* 3. Per *gratiam Dei* hic intelligendam esse gratuitam ipsius misericordiam, dilectionem et favorem, quo credentes in Christum complectitur, non autem donum ex gratia profectum seu habitum aliquem supernaturalem divinitus homini infusum, propter quem homo Deo gratus et vita aeterna dignus habeatur. Eadem enim est gratia Dei justificantis et salvantis. Jam XX. 345.
vero gratia Dei justificantis est gratuita ipsius misericordia, favor ac dilectio, ut in tract. de justif. §. 18. et seqq. multis argumentis contra Pontificios demonstravimus. Ergo. 4. Perinde esse sive dicatur, causam efficientem principalem vitae aeternae esse Dei gratiam, sive causam efficientem principalem esse Deum, causam impulsivam internam *προηγουμένην* Dei gratiam et misericordiam, cum inde atque ideo Deus dicatur vitae aeternae hominibus dandae causa, quia gratia sua eos complectitur, cumque Deus diligens et Dei dilectio realiter sint unum.

Qua ratione Deo tribuatur electorum beatitudo.

39. Ceterum ut distinctius intelligatur, qua ratione causa efficiens vitae aeternae statuatur *solus Deus*, notandum est, electorum beatitudinem Deo tribui 1. *ratione praeparationis.* Matth. 25, v. 34: *Venite, possidete regnum paratum vobis a constitutione mundi*, videlicet a Deo, sic enim exponitur Esa. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Hebr. 11, v. 16: *Deus paravit illis civitatem.* Quidam etiam hoc sensu accipiunt dictum Christi Matth. 20, v. 23. Marc. 10, v. 40: *Sedere ad dextram meam et sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Ambrosius lib. 8. de fide c. 3. Epiphanius haeres. 69. Cyrillus lib. 10. thesauri cap. 5. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 137. p. 35. sed rectius per τὸ *sedere ad dextram et sinistram* intelliguntur *πρωτοκλισίαι* et *πρωτοκαθεδρίαι* in regno mundano, quas discipuli petierant, sed Christus ad eas distribuendas in mundum sese missum esse negat. Haec vitae aeternae praeparatio nihil aliud est quam eorum, quos Deus in Christum mediatorem per efficacem Spiritus sancti operationem finaliter crediturus ab aeterno praevidit, ad vitam aeternam praedestinatio. Deus primum hominem *ad suam imaginem* ac proinde etiam ad beatam immortalitatem creaverat Gen. 1, v. 27. Sap. 2, v. 23. inspiraverat illi *spiraculum vitae* Gen. 2, v. 7. cujus beneficio non tantum animalem in paradiso vitam

ab omnibus malis et adversis immunis traduceret, sed etiam expleto animalis vitae cursu sine ullo dolore ac interventu mortis in vitam coelestem et aeternam transferretur, cujus symbolum, arrha et pignus erat *arbor vitae*, in medio paradisi collocata v. 9. Quoniam igitur omnes Adae posteri, adeoque totum genus humanum in ipsius utpote parentis lumbis erat constitutum, ideo hoc sensu ac respectu omnes homines in Adamo ad imaginem Dei, ac proinde etiam ad vitam aeternam recte dicuntur conditi, quod in tract. de elect. et reprob. § 101. et 102. plenius confirmavimus. Hanc totius humani generis in Adamo ad beatam immortalitatem creationem si quis ad vitae aeternae praeparationem certa ratione referre velit, non erraverit, modo eandem ab *electione* ad vitam aeternam, quam Scriptura proprie et specifice vocat praeparationem regni coelestis, accurate distinguat, quippe cum istaec totius humani generis in Adamo ad vitam aeternam creatio, utpote universalis, non sit ipsa electio seu praeparatio vitae aeternae, prout Scriptura eam definit, ea enim particularis est, nec in Adamo sed in Christo facta, ut d. l. §. 203. pluribus demonstravimus. Quia enim Deo utpote omniscio ab omni aeternitate constitit, primos homines in concreata integritate ac felicitate
XX. 246. non perstituros, sed a creatore per voluntariam apostasiam suasu infernalis serpentis sese aversuros, ideo ex immensa misericordia ab aeterno hoc decretum fecit, quod Filius Dei unigenitus in temporis plenitudine humanam naturam assumere inque ea passionem et mortem sustinere, atque ea ratione humanum genus a peccato et aeterna damnatione redimere, adeoque vitam aeternam per lapsum amissam hominibus restituere debeat. Haec beneficia passione et morte Christi parta in verbo evangelii Adamo et omnibus ipsius posteris offerre decrevit, ac quotquot vera et usque ad finem vitae perseverante fide ea fuerint amplexi, illos in filios suos recipere et heredes vitae aeternae facere decrevit, hoc est in Christo ad vitam aeternam eos elegit, atque haec τῶν μελλόντων πιστεύειν in Christo electio est illa, de qua loquimur, *vitae aeternae praeparatio*. Typus illius praeparationis nobis proponitur *in terra Canaan*, quam Deus Israëlitis *praeparasse* dicitur, quia scilicet eam ipsis dare decrevit et absque ullo eorum merito ipsos in eam introduxit. Exod. 23, v. 20: *Ecce mitto angelum meum coram te ad introducendum te in locum, quem paravi;* quo etiam referri possunt parabolae *de parato prandio* Matth. 22, v. 4. *et coena* Luc. 14, v. 17. de *paratis nuptiis* Matth. 22, v. 8. *de Hierosolyma coelesti parata, ut sponsa marito suo* Apoc. 21, v. 2. 2. *Ratione promissionis*. Deus non solum ab aeterno paravit piis in Christum credentibus vitam aeternam, h. e. fecit aeternum electionis decretum, sed etiam in tempore hoc suum decretum hominibus in verbo evangelii manifestavit, ut per illud ipsum verbum accedente Spiritus sancti efficacia veram in Christum fidem conciperent ac per fidem vitae aeternae heredes fierent. Quando enim primis parentibus post lapsum proponit hanc promissionem: *Semen mulieris conteret caput serpentis* Genes. 3, v. 15. proponit ipsis et omnibus ipsorum posteris promissionem vitae aeternae, quod Filius Dei in arcano Trinitatis consilio mediator et reconciliator humani generis constitutus bona coelestia per lapsum amissa reparare et ex regno diaboli et morte aeterna genus humanum liberare velit, quam promissionem protoplasti fide amplexi sunt eamque posteris velut sanctum divinae revelationis depositum fideli manu tradiderunt, quorum plurimi eandem vera fide itidem sibi applicarunt et hac ratione promissorum Messiae beneficiorum participes facti aeternam vitam omnium promissionum complementum hereditarunt. Eandem vitae aeternae promissionem Christo jam exhibito Deus repetivit, ab involucris corporalium promissorum liberavit, magis magisque illustravit et novis sacramentis confirmavit. 1. Joh. 2, v. 25: *Haec est promissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam aeternam.* 3. *Ratione acquisitionis.* Filius Dei non solum promissionem evangelicam de semine mulieris contrituro caput serpentis protoplastis manifestavit eamque subinde in colloquiis cum patriarchis et sanctis Dei hominibus repetivit ac magis magisque illustravit, ut Λόγος et interpres divinae voluntatis; sed etiam in plenitudine temporis a Patre in hunc mundum missus, ex Spiritu sancto conceptus veram humanam naturam in et ex Maria virgine assumpsit et in assumta illa natura redemtionis pretium persolvens vitam amissam humano generi reparavit et acquisivit, qua de re in causa meritoria vitae aeternae plenius dicetur. 4. *Ratione applicationis.* Deus non
solum ab aeterno quosdam elegit ad vitam, per ver- X
bum evangelii promissionem vitae aeternae protoplastis et ipsorum posteris proposuit ac Filio in carnem misso vitam amissam humano generi reparavit, sed etiam summum illum thesaurum credentibus in Christum applicat triplici potissimum ratione. Primo enim in hac vita offert hominibus verbum evangelii et in eo Christi beneficia, inter quae eminet vita ac salus aeterna. Quotquot ergo fide oblata in evangelio bona amplectuntur, quotquot fide Christum recipiunt, illi in Christo accipiunt vitam aeternam 1. Joh. 5, v. 12. illis etiam datur Spiritus sanctus, qui est Spiritus υἱοθεσίας, ac proinde interno suo testimonio credentes confirmat et obsignat, quod sint *filii Dei et heredes vitae aeternae* Rom. 8, v. 16. et 17. unde vocatur *arrha hereditatis nostrae* Ephes. 1, v. 14. *sigillum*, quo obsignamur in diem redemtionis Ephes. 4, v. 30. Idem Spiritus πρόγευσιν ac praegustum quendam vitae aeternae et coelestis suavitatis in credentibus excitat Hebr. 6, v. 4. et 5. Confer tract. de Spiritu sancto §. 54. et adde pulcherrimam observationem piorum veterum, quod Spiritus sanctus non dicatur simpliciter pignus, sed *arrha sive arrhabo* salutis nostrae, quia reddita pecunia mutuo accepta restituitur pignus, arrha autem soluto integro pretio non redditur, cum sit *pars pretii, quod non est auferendum sed complendum*, ut ex Augustino annotat Thomas in comm. Eph. 1. Quid? quod arrhae appellatio etiam nos deducit ad

considerationem spiritualis desponsationis, quae animae nostrae cum Christo intercedit. Per Spiritum sanctum enim confirmamur, quod Christus coelestis noster sponsus ad nuptias in coelo paratas certissime aliquando nos sit introducturus Apoc. 19, v. 7. cap. 21, v. 2. etc. Secundo, quando animae piorum a corporibus separantur, Deus per angelos in sinum Abrahae eas portari curat ac mandat Luc. 16, v. 22. in quo pace, gaudio et laetitia coelesti perfruuntur, Deum videntes, laudantes, glorificantes etc. ut in tractat. de morte §. 297. ostendimus. Tertio, in die novissimo excitabit Deus per Christum corpora piorum ad vitam aeternam Dan. 12, v. 2. Joh. 5, v. 29. h. e. corpora animabus redunita in plenam possessionem ac participationem aeternae vitae introducet. Sic ergo *initium* aeternae felicitatis et coelestis gaudii pii sentiunt in hac vita, *incrementum* ipsorum animae accipiunt post mortem, *complementum* et plena possessio post resurrectionem demum sequetur. 5. *Ratione continuationis ac conservationis.* Quando pii in plenam vitae aeternae possessionem post mortem semel sunt immissi, nunquam hac sua beatitudine iterum excident, sed ut Deus, quem a facie ad faciem vident, est aeternus; ita quoque beatitudo ex visione summi illius boni orta in beatis erit aeterna. Electi in coelo erunt ἰσάγγελοι Matth. 22, v. 30. Luc. 20, v. 36. Jam vero angeli sunt in bono confirmati, ut a concreata integritate et felicitate nunquam excidant. Ergo etiam beati homines in coelo tales erunt. Apoc. 3, v. 12: *Faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur.* Haec aeterna coelestis gaudii et felicitatis in beatis continuatio ac conservatio unice a Deo dependet, inde beatitudo electorum sic describitur, quod *fluvius aquae vivae, splendidus tanquam crystallus, procedat de sede Dei et Agni in medio plateae civitatis sanctae* Apoc. 22, v. 1. et 2. hoc est ex fonte vitae indeficientis, quae est in Deo, profluat fluvius aquae vivae et indeficientis in perpetua viriditate et immarcescibili vigore coelestem
XX. 348. paradisum conservans, qua de re in quaest. de aeternitate coelestium gaudiorum plenius dicetur.

Coelum an sit locus aliquis corporeus creatus.

40. Qui coelum statuunt esse *locum corporeum creatum*, illi adderent, 6. vitam aeternam Deo tribui *ratione creationis*, quia scilicet sedem ac locum, in quo beati vitae aeternae gaudia percipient, Deus una cum aliis suis operibus in hexaëmero creavit, quam sententiam hujuscemodi ratiocinationibus confirmare nituntur: 1) *ex appellatione.* Vocatur *civitas* Apoc. 21, v. 2. *domus* Joh. 14, v. 2. 2. Cor. 5, v. 1. *tabernaculum* Luc. 16, v. 9. *paradisus* Luc. 23, v. 43. *templum* Apoc. 3, v. 12. *locus* Joh. 14, v. 2. etc. 2) *Ex creationis descriptione.* Quidquid nomine coeli in Scripturis significatur, illud totum esse a Deo creatum ex eo intelligitur, quod primo die *coelum et terram Deus condidisse* dicitur Gen. 1, v. 1. 3) *Ex apostolica assertione* Hebr. 11, v. 10: *Exspectabat civitatem fundamenta habentem, cujus* τεχνίτης καὶ δημιουργὸς ὁ θεός. 2. Cor. 5, v. 1: *Habemus aedificationem ex Deo, domum non manu factam.* Huc referri etiam possent sequentia Scripturae dicta. Psalm. 33, v. 14: מִמְּכוֹן, *de praeparato, habitaculo sessionis suae prospexit super habitatores terrae.* Prov. 8, v. 27: בַּהֲכִינוֹ, *quando praeparabat coelos, ibi ego.* 4) *Ex sufficienti enumeratione.* Quidquid est, aut creator est, aut creatura. Coelum beatorum non est creator, quia Scriptura inter creatorem Deum et sedem Dei ac beatorum sive coelum distinguit. Sed hypothesis illa, quod coelum sit locus aliquis corporeus creatus, perquam dubia est et incerta, quod probamus 1. *ex Scripturae silentio.* Moyses in descriptione creationis non meminit alterius cujusdam coeli quam illius visibilis et adspectabilis, quod vocat רָקִיעַ, quod ex aquea materia productum et in quo *luminaria magna*, sol et luna, cum stellis posita Genes. 1, v. 8. 2. *Ex loquendi modo.* Coelum beatorum in Scripturis vocatur *novum coelum* Esa. 65, v. 17. cap. 66, v. 22. 2. Petr. 3, v. 13. Apoc. 21, v. 1. Atqui si jam olim in prima creatione est productum, quomodo erit coelum novum? Regnum coelorum in Scripturis non dicitur creatum sed *praeparatum* Esa. 64, v. 4. Matth. 25, v. 34. 1. Cor. 2, v. 9. per aeternam scilicet piorum ad vitam praedestinationem. 3. *Ex ultimo mundi incendio. Coeli, qui nunc sunt, reservantur igni in diem judicii* 2. Petr. 3, v. 7. proinde omnes coeli creati dissolventur v. 11. ut succedat *novum coelum* v. 13. Jam vero beatorum coelum non conflagrabit. 4. *Ex comparato.* Sicut ex eo, quod Deus dicitur *esse in coelo, habitare in coelo, descendere e coelo* etc. inferri nequit, coelum Dei esse locum aliquem corporeum creatum, quia Deus ab aeterno fuit in coelo, neque tamen quidquam creatum est ab aeterno, ac coelum illud definitur *per lucem inaccessam* 1. Tim. 6, v. 16. per divinam scilicet gloriam ac majestatem; sic ex eo, quod beati dicuntur *recipiendi in coelum, futuri in coelo* etc. inferri apodictice nequit, coelum beatorum esse locum aliquem corporeum creatum, quia coelum illud definitur per coelestem felicitatem et gloriam, ac piorum animae statuuntur *in manu Dei* Sap. 3, v. 1. *in sinu Abrahae* Luc. 16, v. 22. *sub altari in coelo* Apoc. 6, v. 9. per quae et similia locum aliquem corporeum creatum intelligi, difficulter admodum probari poterit. 5. *Ex opposito.* Si coelum esset locus corporeus creatus, etiam infernus corporeum aliquod domicilium creatum foret, quod certo demonstrari non posse, in tractat. de inferno §. 32. XX. 349.
ostendimus. 6. *Ex loci corporei proprio.* Si coelum esset locus aliquis corporeus, utique etiam esset longum, latum ac profundum quoddam spatium ac domicilium. 7. *Ex non necessario.* Beatorum corpora erunt spiritualia. Ergo non indigebunt loco aliquo corporeo, perinde ut et angeli eo non indigent. 8. *Ex adversae partis dissidio.* Qui enim coelum beatorum statuunt locum creatum, illorum quidam *primo*, quidam vero *secundo* die illud creatum asserunt. Quidam volunt, esse *corpus physicum materiale*, quidam vero, *hyperphysicum et materiae expers.* Haec et alia argumenta prohibent, quo

minus firmiter et indubitato statuamus, coelum esse locum aliquem corporeum, neque inest argumentis in contrarium adductis immotum aliquod robur. Nam 1) appellationes illae sunt parabolicae, metaphoricae ac mysticae, quibus non tam *locus* quam *status* beatorum describitur. 2) Ubicunque coeli creatio ponitur, intelligitur visibile et adspectabile illud coelum, cujus Moyses in hexaëmero mentionem facit. 3) Sicut ipsa civitas coelestis non est substantia aliqua corporea, ita quoque structura ejusdem non est corporea, sed per civitatis illius creationem coelestis gloriae et felicitatis praeparatio intelligitur. 4) Coelum beatorum, ut superius monuimus, tripliciter potest accipi, primo *objective et efficienter*, secundo *formaliter*, tertio *subjective*. Si primo modo accipiatur coelum beatorum, est ipse Deus creator; si secundo modo, coelum beatorum est aliquid a Deo distinctum, videlicet gloria ac laetitia coelestis in ipsis sanctis, non tamen est substantia corporea in prima creatione a Deo producta; si tertio modo, dicimus *πού* illius quidditatem, qualitatem ac situm in Scripturis non esse nobis revelata, ideo praestat, de ejus *possessione* quam accurata *definitione* in hac vita solicitum esse.

Porisma ex causa efficiente principali deductum.

41. Ex eo, quod *causa efficiens principalis* vitae aeternae sit gratia Dei salvantis, vel quod idem est, Deus gratis salvans, *χαρισματικῶς* colligimus, *vitam aeternam non esse debitum operum nostrorum stipendium per merita propria ex condigno a nobis acquirendum, sed gratuitum misericordis Dei donum*, quam assertionem contra Pontificios meritorum propriorum patronos in tractat. de bon. operibus §. 87. et seqq. late confirmavimus. 1. *Ex perspicuis Scripturae dictis.* Psalm. 103, v. 4: *Dominus coronat te misericordia et miserationibus.* Esa. 55, v. 1: *Sitientes venite ad aquas, emite absque argento et absque pretio.* Luc. 17, v. 10: *Cum omnia feceritis, dicite, servi inutiles sumus.* Roman. 6, v. 23: *χάρισμα, donum gratuitum, Dei est vita aeterna in Christo*, in quem locum sic commentatur Augustinus lib. de grat. et lib. arbitr. cap. 9: *Cum posset dicere, et recte dicere, stipendium autem justitiae vita aeterna, maluit dicere, gratia autem Dei vita aeterna, ut hinc intelligeremus, non meritis nostris Deum nos ad vitam aeternam sed pro sua misericordia producere.* Theodoretus in eund. loc.: *Cum loquitur de vita aeterna, quae redditur justitiae, non dixit, eam esse mercedem sed gratiam, est enim donum Dei vita aeterna.* Cajetanus ibid.: *Non dicit, propter stipendia justitiae vita aeterna, sed donum Dei vita aeterna, ut intelligamus, non ex operum meritis, sed ex gratuito Dei dono assequi nos pro fine vitam aeternam, propter quod subdit in Christo Domino nostro: Ecce meritum, ecce justitiam, cujus stipendium est vita aeterna,*
XX. 350. *nobis autem donum ratione ipsius Christi.* Rom. 8, v. 18: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam* etc. in quem locum sic commentatur Anshelmus: *Si quis pateretur omnes poenarum acerbitates, quae in tempore praesentis vitae sufferri possunt, non essent omnes illae passiones dignum meritum ad consecutionem futurae gloriae, quae ablato omni velamine revelabitur in nobis, quando percipiemus illud, quod oculus non vidit* etc. Eph. 2, v. 8: *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis, Dei donum est*, v. 9. *non ex operibus, ne quis glorietur.* Phil. 3, v. 8: *Existimo, omnia detrimenta esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei* etc. Tit. 3, v. 5: *Non ex operibus, quae nos fecimus, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit*, v. 7. *ut justificati ipsius gratia efficeremur heredes secundum spem vitae aeternae.* Hisce dictis adde Luc. 12, v. 32: *Complacuit Patri dare vobis regnum coelorum.* 1. Tim. 6, v. 2. ubi credentes dicuntur *τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι*, per quam *beneficentiam*, utique gratuitam, intelligitur vitae aeternae hereditas. 2. Tim. 1, v. 18: *Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in die illo.* 1. Petr. 3, v. 7. mulieres dicuntur *συγκληρονόμοι χάριτος ζωῆς, gratiae vitae*, id est vitae aeternae, quae ex gratuita misericordia credentibus in Christum datur. Jud. epist. v. 21: *Vosmet ipsos in dilectione servate expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam aeternam.* Apoc. 21, v. 6: *Sitienti dabo de fonte aquae vitae gratis.* c. 22, v. 17: *Qui vult, accipiat aquam vitae gratis.* 2. *Ex immotis argumentis*, 1) *ex gratuita electione.* Electio ad vitam aeternam est ex gratia, non ex operibus. Ergo etiam vita aeterna datur ex gratia, non ex operibus. 2) *Ex gratuita justificatione.* Justificatio est ex gratia, non ex operibus. Ergo etiam glorificatio sive vita aeterna. 3) *Ex terrae Canaan praefiguratione.* Terra Canaan coelestis hereditatis typus non propter operum merita, sed ex gratuita Dei benignitate Israëlitis fuit data Deut. 9, v. 4. Ergo et vita aeterna non ex operum meritis, sed gratuita Dei benignitate spiritualibus Israëlitis datur. 4) *Ex hereditatis appellatione.* Vita aeterna datur credentibus ut hereditas filiis Rom. 8, v. 17. Coloss. 3, v. 24. Ergo non obtinetur ex operum meritis, cui argumento adde emphasin ex dicto Christi Marc. 10, v. 15. Luc. 18, v. 17: *Quisquis non receperit regnum Dei ut parvulus, non intrabit in illud.* Jam vero parvuli non jure mercedis, sed solo jure hereditatis vitam aeternam accipiunt, fatentibus Pontificiis. Ergo nisi quis solo jure hereditatis vitam aeternam accipiat ut parvulus, non intrabit in eam. 5) *Ex necessaria peccatorum condonatione.* Quotidie peccamus et debita contrahimus Matth. 6, v. 12. Ergo operibus nostris non meremur vitam aeternam. 6) *Ex meriti conditione.* Meriti natura postulat, ut opus illud, quo meremur, sit nostrum, ut sit opus indebitum, ut sit utile atque commodum illi, cui praestatur, ut sit pretio et dignitate aequale illi, quod pro opere nostro redditur. Costerus in enchir. c. 7: *Meritum est actio libera, cui merces debetur ex justitia, cui innititur propter aequalilatem.* Becanus part. 2. theol. schol. p. 491: *Rigor justitiae requirit talem contractum, ut inter contrahentes nulla intercedat libera-*

litas et gratia. At hae conditiones non conveniunt nostris operibus. 7) *Ex negata nobis acceptorum beneficiorum compensatione.* Non possumus sufficientes Deo gratias referre pro beneficiis acceptis.
XX. 351. Ergo non possumus, nova beneficia, et quidem longe maxima, quale est vita aeterna, operibus nostris mereri. 8) *Ex quadam a minori illatione.* Non possumus operibus nostris promereri panem quotidianum, sed a Deo eum emendicare cogimur; ergo multo minus vitam aeternam promereri poterimus. Petrus negat, se propria εὐσεβείᾳ claudum sanasse Actor. 3, v. 13. ergo multo minus aeternam felicitatem ac sanitatem propria εὐσεβείᾳ mereri potuit. Ezechias rex propter ostentatas opes terrenas reprehenditur, et Deum credamus ferre posse, ut spirituales operum divitias tanquam vitae aeternae meritorias jactitemus? 9) *Ex propria electorum testificatione.* Electi in die novissimo ad vitae aeternae possessionem vocati nolunt agnoscere opera sua, quasi propter eorum merita in vitam aeternam intromittendi sint vel gloria illius vitae coronandi. Matth. 25, v. 37. Apoc. 4, v. 10. 10) *Ex absurdorum consecutione.* Si bona opera essent vitae aeternae ex condigno meritoria, fiducia cordis in ea collocari atque intentione vitam aeternam per ea promerendi fieri possent. Sed hoc adversatur Scripturis. 11) *Ex meriti Christi et nostrorum meritorum oppositione.* Stante merito Christi concidunt operum nostrorum merita etc. Horum argumentorum pleniorem confirmationem et ab exceptionibus adversariorum vindicationem vide tract. de bonis operibus §. 96. et seqq. Addi etiam posset argumentum *ex nostri status ad primaevum comparatione.* Si in statu integritatis homo non potuisset vitam aeternam ex merito obtinere, multo minus post lapsum illud fieri poterit. Sed verum prius, ergo et posterius. Connexio est in aprico. Assumtum probatur, 1) quia obedientia primi hominis jam ante fuisset Deo utpote creatori debita. Ergo proprie et accurate loquendo non fuisset meritoria. 2) Si homines in statu innocentiae ex dono Dei accepissent vitam corporalem, multo magis ex dono Dei se vitam aeternam accepturos confessi fuissent. 3) Nulla fuisset aequalis proportio obedientiae hominis etiam perfectissimae ad aeternam coelestis gloriae pondus. 4) Lyranus in comm. Gen. 2, v. 15. utitur tali argumento: *Dicitur homo positus a Deo in horto. Per hoc ostenditur, quod Adam fuerit formatus extra paradisum ad ostendendum, quod ille locus ipsi debebatur non ex natura sed ex gratia, sicut et immortalitas praedicta.* 5) Primus homo *conditus erat* a Deo ad beatam immortalitatem Sap. 2, v. 23. ergo non fuit opus, ut per propria merita eam demum acquireret. Idem judicium esto de sanctis angelis, de quibus Augustinus lib. de fide ad Petrum c. 23: *Hoc ipsum, quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratiae divinae largitate collatum.* 3. *Ex patrum dictis,* quae longa serie enumeravimus §. 106. *Magna est stultitia,* inquit theol. Germ. c. 42. *quod homo aut creatura opinatur, se scire vel posse ipsam, et praesertim si opinatur, se scire aut posse aliquid bonum, quo plurimum mereri aut impetrare valeat apud Deum, Deo fit hac ratione contumelia juxta eum, qui haec recte intelligit.* 4. *Ex propriis adversariorum sententiis,* quas recensuimus §. 107. quibus adde sequentes. Lyranus in exposit. Tit. 3: *Salus aeterna excedit totaliter facultatem humanae naturae, propter quod non potest eam attingere, nisi ex largitate divinae misericordiae.* Brigitta in revelat. lib. 1. c. 53. Christum introducit conquerentem: *Homines per suam superbiam volunt adscendere in coelum et non confidunt in me sed in se, facientes voluntatem suam et meam relinquentes.* XX. 352.
lib. 4. c. 20: *Sunt quidam, qui meritis suis obtinere credunt coelum, quibus Deus parcit a diaboli tentationibus ex occulta dispensatione sua; alii sunt, qui operibus suis satisfacere Deo putant pro excessibus suis. Quorum omnium error omnino damnabilis est, quia etiamsi quilibet homo centies corpus suum occideret, non posset Deo unum pro mille respondere.* lib. 6, c. 69: *Non in bonis operibus nostris debemus confidere, quae quantumcunque magna sunt, quasi nulla reputare debemus, licet necessaria sint, sed cum humilitate sperare debemus in sola misericordia Dei.* Johannes Ferus in exeg. epist. Rom. c. 1: *Paulus negat, per opera nos mereri remissionem peccatorum, alioqui si operibus meremur, jam non est gratia, gratia excludit merita.* c. 3: *Gratiae Dei detrahunt et Christum abjiciunt, adeoque se ipsos perdunt, qui fiduciam in opera ponunt.* c. 16: *Sola fide in Christum et nullis meritis nostris justificamur.* Ludolphus Carthusianus in medit. vitae Christi prolog. col. 3: *Caveat prudenter fidelis peccator, ut nunquam in quocunque statu fuerit, confidentiam in meritis suis habeat, sed tanquam mendicus pauperculus, omnino nudissimus, ad eleemosynam Dominicam mendicandam semper vacuus accedat, haec autem faciat non quasi ex humilitate ficta merita sua abscondens, sed certissime sciens, quod non justificabitur in conspectu Dei omnis vivens.* Jacobus Sadoletus lib. 1. comm. in epist. Rom. p. 11: *Spero immortalitatem consequi, quam Deus fidelibus suis proposuit, nec id tamen meritorum meorum fiducia, sed ipsius Dei clementia et bonitate adductus.* Fridericus Nausea episcopus Viennensis cent. 2. homil. 373: *A misericordia Dei nobis est, quidquid sumus et habemus, et quidquid agimus, est perinde atque signum gratitudinis.* Agenda eccles. Mogunt. ann. 1551. edit. f. 71: *Non tua solum, carissime frater, sed omnium etiam hominum merita nimis exigua et tenuia sunt, quam ut fiduciam salutis homo in ea collocare possit.* Bellarminus ipse lib. 2. de poenit. c. 12. *meritum ex condigno gratiae opponi,* recte asserit. Jam vero tota Scriptura clamat, vitam aeternam dari ex gratia, quo Bellarminus negare nequit, nisi velit negare, solem lucere in meridie. Ergo agnoscat, bona opera non esse meritoria vitae aeternae ex condigno. lib. 2.

de grat. et lib. arbit. c. 13. scribit, *opera esse viam perveniendi ad gloriam.* Atque per viam non ut per meritum, sed ut per medium sine quo non, terminus viae acquiritur, unde Bernhardus tract. de grat. et lib. arbitr. col. 1069. haec opponit. *Bona opera*, inquit, *sunt via regni, non causa regnandi.* Antithesin et argumenta contraria Pontificiorum late exposuimus dict. tract. §. 108. et seqq.

Causa meritoria vitae aeternae. 42. *Causa meritoria vitae aeternae* hominum salvandorum respectu est perfecta obedientia Christi mediatoris tam activa quam passiva Deo Patri in diebus carnis ab ipso praestita. Antequam vero hanc assertionem demonstremus, ad uberiorem ejus declarationem notari jubemus, 1. *causam efficientem principalem* non excludere *causam meritoriam*, hoc est gratiam Dei non excludere meritum Christi, nec eidem etiam opponi. Sane inter Dei gratiam et nostra merita in articulo justificationis et salvationis est perpetua oppositio. Si enim salvamur *gratis* per Dei gratiam, ergo non propter nostra merita; sed inter Dei gratiam et Christi meritum non solum nulla
XX. 353. oppositio, sed etiam necessaria connexio. Neque enim Dei salvantis gratia in hominibus ac circa homines locum habere potuisset, nisi justitiae divinae per Christi meritum satisfactum fuisset, siquidem justitia ac veritas divina requirebat, ut homo vel aeternum periret, vel aequivalens pretium Deo creatori, quem offenderat, praestaret; quod cum in hominis viribus nullatenus esset, Christus partes illas satisfactionis coram Dei judicio in se recepit. Confer, quae de hac meriti Christi necessitate diximus tract. de justif. §. 31. et 49. quae opponenda sunt perpetuo illo Photinianorum coccysmo, quo gratiam Dei et meritum Christi ἐναντίως sibi invicem opponi garriunt, Catech. Racov. p. 262. Ostorodus in instit. cap. 36. p. 299. Schmaltzius in exam. 157. errorum err. 80. p. 24. 2. Perinde esse, sive Christi obedientia dicatur *causa meritoria* nostrae salutis, sive *causa impulsiva* ac προηγουμένη, quae Deum permoverit, ut credentes in Christum ab aeterno ad salutem elegerit eosque in tempore justificet et salvet. Inde enim atque ideo Christi obedientia dicitur causa salutis nostrae meritoria, quia dignitate, merito ac perfectione sua impetrare potuit, ut Pater coelestis nos in hoc dilecto suo Filio gratos et acceptos haberet, ante jacta mundi fundamenta nos eligeret Eph. 1, v. 4. et in tempore propter ipsum nos justificaret ac salvaret. Vicissim etiam inde atque ideo Christi obedientia est causa impulsiva, Deum ad salvandos nos movens, quia meritoria dignitas eidem inest. 3. Obedientiam et satisfactionem Christi hoc loco considerari, non ut est nudi hominis sed ipsius Filii Dei satisfactio et obedientia, unde notanter Scriptura dicit Actor. 20, v. 28: *Deus suo sanguine redemit ecclesiam.* 1. Joh. 1, v. 7: *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato.* cap. 3, v. 8: *In hoc apparuit Filius Dei, ut destruat opera diaboli*, ut ostendat, satisfactionem et obedientiam Christi inde atque ideo esse tantae efficaciae ac tanti coram Deo pretii, quia est ipsius Filii Dei satisfactio et obedientia. Confer tract. de justif. §. 32. Opponendum hoc est Pontificiis, qui Christum secundum humanam tantum naturam nostrum mediatorem et causam salutis meritoriam esse disputant. 4. Christum duplici potissimum ratione esse nostrum salvatorem, primo ἱλαστικῶς καὶ καταλλακτικῶς, *meritorie*, quatenus sanctissimo et pretiosissimo suo merito salutem et vitam aeternam nobis promeruit; secundo ἐνεργητικῶς, *efficienter*, quatenus pretiosum istud bonum tam care acquisitum in verbo evangelii nobis offert et post hanc vitam in coelestia tabernacula nos recipit. Posterior modus cum Patre et Spiritu sancto ipsi communis est, prior vero proprius. Opponendum hoc Photinianis, qui concedunt quidem, Christum esse nostrum Salvatorem, primo *doctrina*, quatenus salutis aeternae viam in verbo evangelii nobis annuntiavit; secundo *exemplo*, quatenus viam illam in sua ipsius persona nobis commonstravit et a mortuis resurgendo manifestissime confirmavit; tertio *communicatione*, quatenus plenissima potestate in coelo et terra a Patre accepta se vitam aeternam nobis daturum promisit et re ipsa tandem largiturus est; negant vero, Christum esse Salvatorem *satisfactione*, qua mediante passione et morte peccata nostra expiarit, iram Dei placaverit nosque cum illo reconciliaverit, et *eadem cum Patre efficientia*, qua αὐτεξουσίως et κυριακῶς salutem nobis conferat. 5. Ad causam meritoriam salutis nostrae pertinere totam Christi obedientiam, tam *activam*, quam *passivam*, hoc est non solum ipsius passionem et mortem, sed etiam perfectam XX. 354.
impletionem, quam legi divinae nostri loco praestitit. Opponendum hoc Piscatori Herbornensi et ipsius asseclis, qui obedientiam Christi activam a causa meritoria nostrae salutis excludunt. Vide tract. de justificat. §. 57. et seqq. 6. Respectu hominum salvandorum obedientiam Christi statui meritoriam aeternae salutis causam. Angelorum enim dispar est ratio, qui cum in peccatum non fuerint lapsi, ideo tali redemtore non indigebant, unde Filius Dei *non angelos sed semen Abrahae assumsit* Hebr. 2, v. 16. ac apostolus emphatice dicit 1. Tim. 2, v. 5: *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*, quo dicitur, quorum naturam Filius Dei assumsit, eorum etiam mediator est. Jam vero non angelicam sed humanam naturam assumsit. Opponendum hoc quibusdam Pontificiis et Calvinianis, qui Christum etiam angelorum respectu causam vitae aeternae meritoriam ἄτερ γραφῶν statuunt. Otto Brunfelsius in pand. evang.: *Christi crux non solum hominibus sed etiam angelis profuit, et omnis creatura cruce Domini purgata est.* Philippus Dietz tom. 2. concion. p. 201: *angeli boni per Christum redemti sunt, qui eos a lapsu praeservavit.* Gregorius de Valentia tom. 2. lib. de Christo p. 164: *Christus etiam angelis gratiam et beatitudinem coelestem promeruit.* Blasius de Viega in comm. Apocal. 1. p. 24: *Christus ut homo est caput angelorum gratiamque et gloriam illis promeruit, quae ipsis data sunt propter praevisa ejus merita*, quibus merito opponitur Ruardus

Tapperus, decanus Lovaniensis, contrarium statuens tom. 2. artic. 8. p. 5. col. b. Ex Calvinianis Guilelmus Bucanus loc. 6. q. 30. *angelos*, asserit, *habuisse opus mediatore non quidem redemtionis a peccato, sed conservationis in bono et gratia et ἀνακεφαλαιώσεως, recapitulationis, ut videlicet rursum unirentur cum electis sub uno eodemque capite Christo, ut sine ullo in posterum lapsus periculo et inseparabiliter Deo adhaererent, adeoque ut illorum justitia et integritas, quae coram Deo manca est, tegeretur coram Deo perfecta et infinita illa justitia Christi* etc. Idem statuit Calvinus in comm. Eph. 1. et Coloss. 1. 7. Christi obedientiam non sui ipsius sed hominum salvandorum duntaxat respectu causam vitae aeternae meritoriam statui. Christus enim ratione sui ipsius nullo indigebat merito, quia in ipsa unione secundum humanam naturam assumtam angelis longe praestantius nomen est sortitus et super omnes creaturas evectus. In exaltatione, quae est consequens et velut praemium quoddam exinanitionis, non est Christo data nova plane potestas et gloria, quam per unionem personalem antea non habuerit, sed collata plena facultas administrandi regni et radios divinae majestatis per carnem plena luce exserendi. Quidquid igitur Christus meruit, non sibi sed nobis meruit, *nobis enim natus*, *nobis datus est* Esa. 9, v. 6. *nobis factus est redemtio* 1. Cor. 1, v. 30. etc. Opponendum hoc tum Pontificiis, qui putant, *Christum non solum nobis gratiam et gloriam, sed etiam sibi corporis gloriam et nominis exaltationem promeruisse* Lombardus 3. sent. dist. 18. Thomas part. 3. q. 49. art. 6. Bellarminus lib. 5. de Christo cap. 9. tum Calvinianis, inter quos Bullingerus serm. 27. in Apoc. Zanchius passim, Piscator in cap. 2. Philipp. p. 173. Vorstius in Antibellarm. pag. 55. 56. etc. idem cum Pontificiis statuunt. Ravenspergerus in pentad. quint. centur. et judic. de illustr. theolog. quaestionib. q. 2. sic scribit:
155. *Duo sunt, quae Christum sibi promeruisse statuimus, videlicet vita aeterna et summa illa ac singularis gloria, qua pro Filio Dei ab omnibus creaturis rationalibus agnoscitur ac proinde ut verus Deus adoratur, quarum illam sibi meruit observatione legis, hanc vero per multas ac varias passiones atque inprimis per mortem crucis.* Quibus merito opponitur Calvinus ipsorum daduchus contrarium propugnans lib. 2. instit. cap. 17. §. 6. De reliquis circa causam salutis nostrae meritoriam corruptelis Pontificiis egimus dict. tract. de justif. §. 54.

43. Hisce praemissis demonstramus, obedientiam Christi esse causam salutis nostrae meritoriam, et quidem unicam *ex manifestis Scripturae dictis.* Joh. 3, v. 13: *Nemo adscendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo* (id est nemo hominum propria virtute, merito et dignitate adscendit in coelum, sed quotquot in coelum adscendere volunt, illos oportet per fidem fieri unum cum Christo atque ipsius gratia, merito et virtute adscendere, quae explicatio traditur v. 15. 16. 36. etc.). Joh. 14, v. 2: *In domo Patris mei mansiones multae sunt, si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum.* (Non poteramus nostris viribus aut meritis ad aeternam beatitudinem adspirare, sed Christus sua passione et morte, quam passim vocat *abitum ad Patrem*, paravit nobis locum, per suum in terris exsilium paravit nobis aeternum in coelis domicilium. Per passionem et adscensionem *intravit in gloriam suam* Luc. 24, v. 26. ut in coelesti gloria etiam nobis locum parare posset. Per peccatum obstructa nobis erat in coelum via, cujus typus proponitur Gen. 3, v. 24 ubi Cherubim flammante gladio ab ingressu paradisi homines arcent, sed Christo *nota facta est via ad vitam* Psalm. 16, v. 11. ipse iterum aperuit nobis viam et paravit nobis in coelum locum, unde converso latroni dicit Luc. 23, v. 43: *Hodie mecum eris in paradiso.* Paratae quidem sunt mansiones illae coelestes credentibus aeterna praedestinatione, interim parandae adhuc erant per Christi passionem, mortem, resurrectionem et adscensionem, quia non nisi in Christo et propter Christum ac credentibus in Christum regnum illud est paratum, Christi meritum est unica causa, propter quam mansiones illas credentibus Deus paravit, unde dicuntur *electi ad vitam in Christo.* Eph. 1, v. 6.) Act. 4, v. 12: *Non est in alio quoquam salus, nec aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri.* Rom. 6, v. 23: *Vita aeterna est gratuitum Dei donum in Christo*, qui sanctissima sua obedientia et satisfactione nobis illud promeruit. 1. Thess. 5, v. 9: *Non posuit nos Deus ad iram, sed in acquisitionem salutis per Jesum Christum Dominum nostrum.* 2. Tim. 2, v. 10: *Ut et ipsi salutem consequantur, quae est in Christo Jesu.* Hebr. 5, v. 9: *Factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis aeternae.* 1. Joh. 5, v. 11: *Vitam aeternam dedit nobis Deus, et haec vita est in Filio ejus.* Apoc. 1, v. 18. dicit Christus, *habeo claves mortis et inferni* tanquam ejus victor. Huc pertinent omnia Scripturae dicta, 1. in quibus Christus dicitur noster *salvator ac Jesus* Matth. 1, v. 21. Luc. 2, v. 11. Joh. 4, v. 42 etc. est enim noster Salvator non solum ratione *efficientiae et applicationis*, sed etiam ratione *meriti et acquisitionis;* 2. in quibus dicitur noster *redemtor* Psalm. 111, v. 9. Luc. 1, v. 68. etc. quia scilicet redemit nos ex inferno et morte aeterna Os. 13, v. 14. 3. in quibus vocatur noster *mediator* 1. Tim. 2, v. 5. Hebr. 8,
v. 6. etc. quia ad officium mediationis pertinet bona XX. 356.
per lapsum Adami amissa reparare; 4. in quibus dicitur *propitiatio* pro peccatis nostris 1. Joh. 2, v. 2. ac Deo Patri nos *reconciliasse* 2. Cor. 5, v. 19. quia sublata ira divina tollitur mors aeterna et vita amissa restituitur. Rom. 5, v. 10: *Si cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius;* 5. in quibus dicitur *factus pro nobis peccatum et maledictum* 2. Cor. 5, v. 21. Gal. 3, v. 13. quia sublato peccato et maledictione legis tollitur aeterna damnatio et coelestis benedictio restituitur; 6. in quibus nos dicitur liberasse *a peccato* Hebr. 9, v. 14. *a maledictione*

legis Gal. 3, v. 21. *ab ira Dei* 1. Thessal. 1, v. 10. *ab aeterna damnatione* 1. Thess. 5, v. 10. contra vero *adduxisse perfectam justitiam* Dan. 9, v. 24. ex his enim omnibus sequitur, Christum vitam aeternam nobis promeruisse; 7. in quibus credentibus in Christum promittitur salus et vita aeterna, quae postmodum enumerabimus, illud enim inde atque ideo fit, quia Christus pretioso suo sanguine ac morte vitam aeternam nobis promeruit. Sed in re manifesta pluribus opus non est. Confer ea, quae Photinianis opposuimus in tract. de justif. §. 37. et seqq.

Porisma ex causa meritoria vitae aeternae deductum. 44. Porisma hujus assertionis esto, quo nec a beata genitrice semper virgine, nec ab ullo sanctorum vel meritum, vel donatio vitae aeternae sit quaerenda, petenda, exspectanda etc. Manifestae enim sunt exclusivae, quibus Spiritus sanctus utitur. Joh. 14, v. 6. inquit Christus: *Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Actor. 4, v. 12: *Non est in alio salus, nec aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri.* 1. Cor. 3, v. 11: *Fundamentum aliud nemo ponere potest.* Huc referendum illud propheticum Esa. 63, v. 3: *Torcular calcavi solus,* μονώτατος. Consideretur etiam immediata ratio ac fundamentum, quare Christi obedientia sit meritoria vitae aeternae causa, quod unice in eo residet, quod Christus in personae unitate sit verus Deus et verus homo, inde enim atque ideo Christus *carnem suam dare potuit pro mundi vita*, quia est *verbi* omnia vivificare valentis *propria caro* Joh. 6, v. 51. inde atque ideo potest Christus ovibus suis *dare vitam aeternam*, quia *animam suam pro ovibus suis posuit,* et quia *est cum Patre unum* Joh. 10, v. 15. 28. et 30. inde Christus est *mediator Dei et hominum*, quia *dedit semet ipsum pretium redemtionis pro omnibus* 1. Tim. 2, v. 5. et 6. inde autem atque ideo animam suam potuit dare in pretium redemtionis pro omnibus, quia ut verus et unus cum Patre Deus *potestatem habuit ponendi animam suam et eam iterum sumendi* Joh. 10, v. 18. Opponenda haec sunt Pontificiis, qui *fontem aquae vivae derelinquunt ac fodiunt sibi cisternas, cisternas fractas, quae non continent aquas* Jerem. 2, v. 13. dum Mariae θεοτόκῳ ac sanctis meritum ac donationem salutis aeternae asscribunt. Brigitta in lib. 1. revelat. cap. 3: *Ego Filius Dei benedicere possum, quod mater mea et ego quasi cum uno corde salvavimus hominem, ego patiendo corde et carne, ipsa cordis dolore et amore.* Johannes David in Pancarpio Mariano pag. 188: *O Maria mater et virgo, tu nobis scala Jacob vera per illam in somnis visam figurata* etc. *per te Christus voluit nos ad se in coelum adscendere.* p. 194: *Dic nobis, Maria, o porta, o via, dic nobis de fructu ventris tui jucundum auditu elogium. Per me si quis introierit, salvabitur. Quis ergo hic loquitur? Christus. Non et Maria? quidni?*
XX. 357. *quisquis per hoc ostium intrat, per Mariam intrat, per quam Christum accepimus et habemus. Maria tu porta et portaria* etc. In rosariis suis sic orant: *O gloriosa virgo Maria, libera nos ab omni malo et a poenis inferni.* In breviario Romano ipsam vocant *arborem vitae, fenestram coeli, portam paradisi.* Martinus Del-Rio in opere Mariano p. 863: *Maria est vita viventium, quos arcet a morte, et mors mortuorum, quos ab orco ad vitam reducit.* Osorius tom. 4. conc. p. 530: *Christus in calvaria carnem, Maria immolabat animam.* tom. 5. p. 139: *Maria est mulier illa excellentissima, quae contrivit caput serpentis.* Salmeron. tom. 10. tract. 41: *Maria stetit sub cruce, ut esset adjutrix liberationis et corredemtrix, quemadmodum Eva una cum Adamo malum invexit.* Plura hujusmodi φορτικὸ ex Pontificiis scriptoribus adduximus tract. de justif. §. 54. no. 5. quibus opponimus illud Cypriani de idolorum vanit. sect. 8: *Christus Dei Filius hominibus ad vitam datus creditur* etc. *hunc igitur comitamur, hunc sequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, salutis auctorem* etc. Augustinus in enarr. Ps. 31: *Si speras vitam aeternam a Domino per alium quam per Christum, per quem solum datur vita aeterna, impius es.* epist. 105. ad Sixtum: *Gratia Dei vita aeterna, et haec, ne praeter mediatorem aliqua alia vita quaeretur, adjecit: in Christo Jesu Domino nostro.* Itemque illud Arnobii lib. 2. adv. gent. p. 110: *Unius pontificis Christi est dare animis salutem et spiritum perpetuitatis apponere* etc. pag. seq.: *A nullo animae possunt vim vitae atque incolumitatis accipere nisi ab eo, quem rex summus huic muneri officioque praefecit. Hanc omnipotens imperator esse voluit salutis viam, hanc vitae, ut ita dixerim, januam. Per hunc solum ingressus est ad lucem, neque alias datum est vel irrepere, vel invadere, ceteris omnibus clausis atque inexpugnabili arce munitis* etc. Notandum tamen, particulam exclusivam opponi duntaxat illis, quae in hoc genere causae meritoriae male feriatis hominibus merito Christi conjunguntur, qualia sunt *merita sanctorum et merita cujusque propria,* nequaquam vero illis, quae in alio genere causae adduntur, quia per meritum Christi non excluditur gratia Dei, quae pertinet ad ordinem causae efficientis principalis, non excluditur verbum evangelii, quod est *potentia Dei ad salutem omni credenti* Rom. 1, v. 16. quod quisquis salutariter praedicat, *se ipsum salvat et eos, qui ipsum audiunt* 1. Tim. 4, v. 16. nec sacramenta, quae sunt efficacia salutis media atque organa Tit. 3, v. 5. nec fides, quae in Christo apprehendit vitam aeternam Joh. 20, v. 31. 1. Joh. 5, v. 12. et 13. haec enim omnia pertinent ad ordinem causae instrumentalis, ex parte quidem Dei instrumenta sunt verbum et sacramenta, ex parte autem nostra perseverans in Christum fides.

45. *Tertiam* proinde *salutis causam* statuimus fidem in Christum, quod confirmamus 1. *ex dictis Scripturae.* Psalm. 2, v. 12: *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Habac. 2, v. 4: *Justus ex fide sua vivet*, ea scilicet vita, quae peccato et morti aeternae opponitur, ut colligitur ex vers. seq. quae perpetuo durat, ut apparet ex verbo ζήσεται futuri temporis, C st ta In

quae complectitur benedictionem et salutem aeternam, ut ex N. T. explicatione probatur Roman. 1, v. 17. Galat. 3, v. 11. Hebr. 10, v. 38. Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Joh.
XX. 358. 3, 15. et 16: *Ut omnis, qui credit in Filium, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* v. 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Joh. 5, v. 24: *Qui credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam et in judicium non venit* etc. Joh. 6, v. 40: *Haec est voluntas ejus, qui misit me, Patris mei, ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam.* v. 47. *Qui credit in me, habet vitam aeternam.* Joh. 11, v. 25: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Joh. 20, v. 31: *Haec scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Act. 16, v. 31: *Crede in Dominum Jesum Christum, et salvus eris tu ac domus tua.* Hebr. 4, v. 3: *Ingrediemur requiem, qui credidimus.* 1. Petr. 1, v. 5: *In virtute Dei custodimini per fidem in salutem.* v. 9. *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum.* 1. Joh. 5, v. 13: *Haec scripsi vobis, ut sciatis, quoniam vitam aeternam habetis, qui creditis in nomine Filii Dei.* Huc pertinent dicta Scripturae, 1) in quibus fides dicitur nos facere *Dei filios* Joh. 1, v. 12. Gal. 3, v. 26. etc. qui enim sunt *filii Dei*, illi etiam sunt *heredes vitae aeternae* Rom. 8, v. 17. 2) in quibus per fidem dicimur *justificari* Genes. 15, v. 6. Rom. 3, v. 28. Gal. 2, v. 16. etc. quia justificatio *ἀδαμαντίνως* invicem cohaerent Roman. 4, v. 5. 6. 3) in quibus fide dicimur *accipere Spiritum sanctum* Rom. 8, v. 15. Gal. 4, v. 6. hic enim Spiritus est *arrha salutis nostrae* 2. Cor. 1, v. 22. etc. 4) in quibus per fidem dicimur *benedictionem consequi* Gal. 3, v. 9. quia benedictio illa includit bona coelestia et ipsam vitam aeternam; 5) in quibus per fidem dicimur *accipere peccatorum remissionem* Matth. 9, v. 2. Act. 10, v. 43. ubi enim peccatorum remissio, ibi salus et vita; 6) in quibus fide dicimur *Christo uniri* et *Christus per fidem in cordibus nostris habitare* dicitur Eph. 3, v. 17. ubi enim gratiosa Christi inhabitatio, ibi vita aeterna. 2. *Ex fidei natura et proprietate.* Fides est unicum illud medium, quo beneficia Christi in verbo evangelii nobis oblata amplecti nobisque applicare possumus; est salutaris ille canalis, per quem fluenta divinae gratiae ad nos descendunt; est situla illa, per quam ex fonte vitae vitam et salutem haurimus. Quemadmodum igitur gratia Dei excludit reliqua omnia, quae in ordine causae efficientis principalis nos salvare dicuntur, ac quemadmodum meritum Christi excludit reliqua omnia, quae in ordine causae meritoriae nos salvare dicuntur; ita quoque fides excludit reliqua omnia, quae in ordine causae instrumentalis ex parte nostra nos salvare dicuntur. Vitam aeternam per lapsum protoplastorum amissam Deus nobis offert in Filio suo, qui ergo *habet Filium, habet vitam* 1. Joh. 5, v. 12. atqui Filium nemo habet, nisi qui vera fide eum amplectitur. Ergo etiam vitam nemo habet, nisi qui fide in Christum eam accipit. 3. *Ex typis.* Ab ictibus ignitorum serpentum Israëlitae non aliter liberabantur et in vivis servabantur, quam per intuitum serpentis aenei a Moyse exaltati Num. 21, v. 9. sic Christus in cruce exaltatus est, *ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* Joh. 3, v. 15. Cibabantur Israëlitae in deserto per manna coelitus deplutum, ut in vivis servarentur; sic Christus est *panis ille, qui de coelo descendit, ut det vitam mundo, qui manducaverit ex hoc pane* per fidem, *vivet in aeternum* Joh. 6, v. 32. et seqq. Qui corporalia beneficia a Christo petebant, jubebantur credere, et quidem *tantum credere* Marc. 5, v. 36. sic beneficia spiritualia, inter quae eminet
promissio de vita aeterna, sola in Christum fide im- XX. 359.
petrantur, quo pertinet totum caput 11. epistolae ad Hebraeos. Terram Canaan Josua et Caleb fide ingrediebantur, incredulis ab ea penitus exclusis; sic coelestis aeternae vitae hereditas fide accipitur etc. De hac fidei natura et efficientia sic loquuntur pii veteres, Justinus in epist. ad Diog. p. 385: *Μόνῃ τῇ πίστει θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται.* Irenaeus lib. 4. adv. haeres. c. 5. p. 236: *Non aliter salvantur homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra* etc. Cyprianus libr. testim. adv. Jud.: *Fide stare justitiam et illic esse vitam, praedictum est apud Habacuc: Justus ex fide vivit.* Ambrosius lib. de poenit. cap. 10: *Qui fidem habet, habet vitam aeternam, qui vitam habet, non est exclusus a venia. Omnis, inquit, qui credit, non peribit.* in comm. Rom. 9: *Sola fides posita est ad salutem. In 1. Cor. 1. hoc constitutum est a Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.* Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Joh. 9: *Janua et via ad vitam fides est et recessus quidam atque reductio a corruptione ad immortalitatem.* Augustinus de spir. et lit. c. 32: *Haec est fides, ex qua justus vivit* etc. *haec est fides, qua salvi fiunt, quibus dicitur, gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis.* libr. 1. ad Bonifacium cap. 21: *Quantalibet virtute fuisse antiquos praedices, non eos salvos fecit nisi fides Salvatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit.* Chrysostomus homil. 4. in 1. Tim. 1: *Incredibile videbatur esse, siquidem homo, qui omnem priorem vitam frustra atque inaniter consumsisset duxissetque per mala opera, postmodum ex fide sola salvandus diceretur, ideo addit, fidelis sermo.* Fulgentius lib. 1. de praedestin. ad Monim.: *Attendamus etiam vitam aeternam regnumque coelorum divinitus fide fidelibus praeparatum.* Marius Victorinus lib. 1. advers. Arian.: *Credere in Deum et Filium ejus vitam aeternam est habere.* libr. 4.: *Vita vera Christus est et credentibus in se dat vitam aeternam et adest apud Deum credentibus in se, quod sit Dei Filius, idque per fidem.* Oecumenius in cap. 3. Roman.: *Gratis, hoc est absque tuis rectis operibus, salvaris* etc. *ita ut nihil conferas aliud praeter fidem.* Alcuinus libr. 1. de Trinit.: *Constat, neminem ad*

veram pervenire posse beatitudinem, nisi Deo placeat, et Deo neminem placere posse nisi per fidem. Smaragdus in cap. 8. Roman.: *Secundum quod proposuit non ex operibus legis nec legalibus sacrificiis, sed sola fide et sanguinis sui effusione salvare nos praescierat, multo magis glorificat operantes.* [Confer tractat. de justif. §. 159. ubi plura hujus generis dicta ex veteribus enumeravimus, in quibus soli fidei in Christum justitiam et vitam aeternam asscribunt. Refero huc insigne dictum Lutheri in comment. c. 48. Genes.: *Tanta vis est fidei, quae nos vivos facit ex mortuis. Ac sane ea ipsa hora, qua incipimus credere et apprehendere verbum, etiam vivere incipimus vita aeterna, quia verbum Domini manet in aeternum, et Deus, qui loquitur nobiscum, aeternus est et nobiscum erit perpetuo.*

46. Notandum hoc loco, 1. dicta Scripturae, in quibus credentes in Christum dicuntur beati ac heredes vitae aeternae, distinguenda esse ab illis Scripturae dictis, in quibus beati dicuntur, qui justitiam faciunt, miserentur pauperis, persecutionem sustinent. In illis enim beatitudinis et salutis *causa*, in his vero salvandorum *qualitas* describitur, ut in tract.
XX. 360. de justif. plenius docuimus. 2. Fidem salvare non *meritorie*, sed *instrumentaliter*, quia scilicet Christum et in Christo vitam aeternam apprehendit, non quia tanti apud Deum meriti sit, ut propter eam Deus homines salvet. 3. Fidem hic intelligi *veram, vivam, efficacem*, quae per dilectionem et bona opera sese exserit, non autem inanem fidei persuasionem, falsam de fide gloriationem et inanime fidei cadaver. 4. Sicut absque Christo nemini post lapsum contingit salus, ita quoque absque fide Christum apprehendente neminem salvari posse, quod opponendum illis, qui sanioribus gentilibus fide in Christum destitutis salutem asscribunt ac qui infantes baptizatos credere negant, eosdem tamen salvari concedunt. 5. In ordine causae instrumentalis fidem non opponi verbo evangelii et sacramentis, sed potius correlate ad eadem referri. Nam in verbo evangelii offert nobis Deus inaestimabilem illum salutis thesaurum ac per illud ipsum verbum evangelii accedente Spiritus sancti operatione fidem in cordibus nostris operatur, quam per usum sacramentorum auget, confirmat et obsignat, quae omnia in negotio salutis nostrae amicissime conspirant. 6. Fidem hic intelligi *perseverantem*, in qua et cum qua homo ex hac vita discedit. Qui enim fidem ex verbo evangelii per Spiritus sancti operationem conceptam amittit, is gratia Dei et spe vitae aeternae iterum excidit, ut in tract. de bon. operibus §. 134. et seqq. multis ostendimus.

Porisma ex causa instrumentali deductum.

47. *Porisma* hujus assertionis esto, quod *vere credentibus in Christum non sit de vita aeterna dubitandum.* Probamus hoc 1. *a divinae promissionis firmitate.* 1. Joh. 2, v. 25: *Haec est promissio, quam pollicitus est nobis, vitam aeternam.* Jam vero, qui hoc promisit, fidelis est ac verax. Ergo promissioni huic fide immota insistere possumus. 2. *A juramenti divini stabilitate.* Ezech. 33, v. 11: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (aeterna scilicet ac beata in coelis vita, quia de tali vita agitur, quae solis conversis competit). Joh. 5, v. 24. *Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit et credit ei, qui misit me, habet vitam aeternam* etc. Joh. 8, v. 51: *Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum* (liber erit a morte aeterna ac proinde aeternae salutis particeps). Atqui hoc juramentum divinum promissionem immota ratione confirmat et firmum fidei fulcrum suppeditat, Hebr. 6, v. 17. 3. *A sacramentorum utilitate.* De baptismo dicitur Marc. 16, v. 16: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Joh. 3, v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum coelorum.* Ergo a contrario sensu, qui per baptismum renatus fuerit, intrabit in regnum coelorum. Tit. 3, v. 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* etc. 1. Petr. 3, v. 21: *Baptisma nos salvat.* In sacra coena cibamur corpore et sanguine Christi, ut certi reddamur, ad nos pertinere beneficia, quae Christus traditione sui corporis et effusione sui sanguinis nobis promeruit, quae sunt peccatorum remissio, justitia et vita aeterna. Confer tract. de euchar. §. 212. 4. *Ex Spiritus sancti in cordibus testificantis veritate. Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei, si autem filii, utique et heredes* Rom. 8, v. 16. et 17. *Spiritus est arrhabo hereditatis nostrae* Eph. 1, v. 14.
quo signati sumus usque in diem redemtionis cap. 4, XX. 361.
v. 30. 5. *Ab exauditionis promissae infallibilitate.* Petimus in oratione Dominica, *adveniat regnum tuum.* Jam vero quidquid in nomine Christi secundum Dei voluntatem petimus, dabitur nobis, Matth. 18, v. 19. Joh. 16, v. 23. etc. 6. *A verae fidei proprietate.* Fides apprehendit Christum et in Christo vitam aeternam, *quia Deus dedit nobis vitam aeternam, et haec vita est in ejus Filio; qui Filium habet, is vitam habet* 1. Joh. 5, v. 11. et 12. *Scio,* inquit Jobus c. 19, v. 26. *quod visurus sim Deum. Certus sum,* ait apostolus Rom. 8, v. 38. *quod nec mors nec vita, nec futura nec praesentia* etc. *separare nos possint a dilectione Dei, quae est in Christo.* 2. Tim. 1, v. 12: *Scio, cui credidi.* 1. Joh. 3, v. 14: *Scimus, quod translati sumus de morte in vitam.* 1. Joh. 5, v. 13: *Haec scripsi vobis, ut sciatis, vos vitam habere, qui creditis in nomen Filii Dei.* Jam vero scire ac certum esse non est ambigere, dubitare, fluctuare etc. *Qui in Dominum sperant, non confunduntur* Psalm. 22, v. 5. Psalm. 25, v. 2. Psalm. 62, v. 8. Rom. 5, v. 5. 1. Petr. 2, v. 6. etc. ergo nullam habent dubitandi causam. 7. *A Dei bonitate, fidelitate ac potestate.* Hic est funiculus ille triplex, qui nunquam rumpitur. Deus, qui salutem nobis promisit, bonus, fidelis ac potens est, ergo promissa sua complere poterit etc. 1. Petr. 1, v. 5: *Virtute Dei per fidem custodimur ad salutem.* Cyprianus serm. de mortal. sect. 2: *Si vere in Deum credis, cur non cum Christo futurus et de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum*

voceris, amplecteris? etc. sect. 4. *Deus de hoc mundo recedenti immortalitatem atque aeternitatem tibi pollicetur, et tu dubitas? hoc est Deum omnino non nosse*, etc. Augustinus tract. 22. in Joh.: *Credo promittenti, Salvator loquitur, veritas pollicetur. Ipse dixit mihi: Qui audit verba mea et credit ei, qui me misit, habet vitam aeternam et transitum faciet de morte in vitam* etc. *Ego audivi verba Domini mei, credidi, ad judicium non venio, non praesumtione mea sed ipsius promissione.* Bernhardus serm. 3. de fragm. septem miserie.: *Tria sunt, qui sic roborant et confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriae vilitatis, nulla aestimatio coelestis beatitudinis ab altitudine spei abjicere possit in ea firmiter radicatum.* Confer tract. de elect. §. 207. et tract. de justif. §. 83. et seqq. Opponenda haec sunt Pontificiis, qui ut de gratia Dei ac peccatorum remissione, ita quoque de vita aeterna vere in Christum credentes dubitare jubent. Hosius tom. 1. oper. p. 434: *Remissa nobis esse peccata et esse nos in gratia certoque possessuros regnum coelorum, certo statuere non possumus.* Censura Coloniensis p. 55: *Audistis, neminem esse certum de adepta jam justitia, ex quo consequitur, neque quemquam sibi de vita aeterna tanquam certo promissa blandiri.* Lovanienses in propos. contr. Luther: *Fides, qua quis firmiter credit et certo statuit, propter Christum remissa sibi esse peccata seque possessurum vitam aeternam, nullum habet in Scripturis testimonium, imo eisdem adversatur.* Notandum tamen, certitudinem illam fidei ac spei de vita aeterna obtinenda non esse absolutam, sed conditionatam, quia sub conditione finalis perseverantiae credentibus in Christum vita est promissa, qua de re in tract. de elect. d. l. latius egimus.

362.

CAPUT V.

DE MATERIA ET FORMA VITAE AETERNAE.

48. *Materia ex qua* vitae aeternae proprie loquendo non datur; *materia in qua* est ejus subjectum; *materia circa quam* est ejusdem objectum, de quibus inferius dispicietur. Transitum ergo facimus ad vitae aeternae *formam*, quae consistit in summa felicitate, gloria ac beatitudine, qua electi ab omnibus malis liberati ac liberi corpore et anima plenissime et jucundissime in omnem aeternitatem perfruentur. Haec vero aeternae vitae felicitas nobis in hac vita est incomprehensibilis et ineffabilis, si de *accurata quidditativa et scientifica* cognitione agatur. Probamus hoc 1. *ex prophetica assertione* Esa. 64, v. 4. quam allegat apostolus 1. Cor. 2, v. 9: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quae praeparavit Deus illis, qui diligunt eum*, in quae verba sic commentantur pii veteres. Chrysostomus homil. 23. in epistol. Hebr.: *Non dixit, quia transcendit cor hominis, sed quia neque intellexit quidquam aliquando, quae praeparavit Deus diligentibus se. Quorum bonorum praeparator et opifex Deus est, qualia esse possunt.* Augustinus epist. ad Diosc.: *Oculus non vidit, quia non est color; nec auris audivit, quia non est sonus; nec in cor hominis adscendit, quia cor hominis debet illuc adscendere.* Idem in Psalm. 85. pulcherrime sic loquitur: *Quid quaeris, ut adscendat in linguam, quod in cor non adscendit?* serm. 64. de verb. Domini secundum Joh.: *Unde adscenderet in cor meum, ut dicerem, quod in cor hominis non adscendit? creditur, et non videtur. Non solum non videtur, sed nec dicitur.* Quidam haec verba intelligunt de ipso Christo sensu eo, *quod Christus in primo suo adventu ea facturus et pro hominum salute passurus sit, ut nemo a mundi primordiis audierit, nemo auribus acceperit ab omni seculorum memoria, neque oculis spectarit absque ipso, quae in suo adventu his, qui eum diligunt atque exspectant redemtionis officia, praeparaverit.* Hanc interpretationem probant tum *ex serie contextus prophetici*, ostenderat propheta in praecedentibus, quanta futura esset in mundo rerum mutatio in Messiae adventu, ut *montes defluerent et tabescerent*, jam subjungit, quibus mediis illud Christus perfecturus sit, videlicet talibus passionibus ac operibus ab immensa caritate profectis, qualia a seculo nemo vidisset vel audivisset, imo nec in hominum cogitationem cadere potuissent; tum *ex allegatione apostolica*, tractat enim apostolus v. 7. de illa *sapientia, quae est in mysterio abscondita et ante secula in gloriam nostram praefinita*, v. 8. quam quia *principes hujus seculi non cognoverunt, Dominum gloriae crucifixerunt;* quae sapientia est ipse Christus. Cur vero illam sapientiam, id est ipsum Christum, non cognoverint, docet apostolus v. 9. *quia scriptum est, oculus non vidit* etc. ex quo colligunt, de Christo potius vitae aeternae auctore et causa beatitudinis meritoria, quam de formali beatorum felicitate hoc vaticinium esse accipiendum. Sed nulla necessitate cogimur a vulgari et communi interpretum sententia discedere, quam amplectuntur Tertullianus libr. 1. de resurrect. car- XX. 363.
nis cap. 26. Cyprianus lib. 4. epist. 6. Hieronymus et Haymo in Esaiam, Anshelmus et alii complures in comm. 1. Cor. 2. quamque contextus propheticus et apostolicus optime admittit. Postquam enim propheta de *primo Christi adventu* ejusdemque effectu egerat, subjungit vaticinium de *gloria vitae aeternae*, tum quia Christus praedicationis evangelicae exordium in officio ministerii sui fecit a promissione vitae aeternae, *agite poenitentiam et credite evangelio, appropinquavit enim regnum coelorum;* tum quia passione ac morte sua coeli januam nobis aperuit et bona coelestia per lapsum amissa nobis iterum reparavit, sicque fructus et finis adventus ipsius fuit gloria coelestis hominibus impetranda, quam etiam praeparavit *exspectantibus*, h. e. credentibus et ex fide ipsius adventum diligentibus. Apostolus per *sapientiam in mysterio absconditam* intelligit doctrinam evangelii, in qua talia nobis monstrantur et propter Christum offeruntur bona, quae sensum

et intellectum hominis exsuperant; praeparavit autem illa Deus *se diligentibus*, i. e. veram suam fidem per dilectionem Dei et proximi demonstrantibus. v. 10. occurrit apostolus prolepsi sive tacitae objectioni. Si enim hanc gloriam credentibus praeparatam nemo vidit, audivit nemo, unde nobis de ea quidquam constat? respondet apostolus, *nobis revelavit Deus per Spiritum suum*, i. e. scimus eàm non per visum, auditum, intellectum naturalem, sed per supernaturalem Dei revelationem. Potest autem utraque interpretatio commode conjungi, nam et ipsa doctrina evangelii est sapientia ab omni humana ratione abscondita, et bona in evangelio oblata excedunt omnem sensum, experientiam et cogitationem naturalem, et ea, quae Christus dro nobis fecit ac passus est, ut bona illa acquireret, omni hominis cogitatione naturali sunt sublimiora. Huic dicto prophetico conjungenda sunt parallela. Rom. 8, v. 18: ἡ μέλλουσα δόξα ἀποκαλυφθῆναι. Coloss. 3, v. 3: *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* 1. Joh. 3, v. 2: *Nondum apparuit, quid futuri simus.* 1. Petr. 1, v. 4: *Hereditas conservatur in coelis;* cumprimis illud, quod Paulus *in tertio coelo se audivisse* dicit ἄῤῥητα 2. Cor. 12, v. 4. 2. *Ex parabolica et mystica coelestis beatitudinis descriptione.* Ideo namque Spiritus sanctus aeternam beatorum felicitatem tot ac tam variis typis, parabolis et metaphoris describit, modo eam conferens *nuptiali festivitati*, modo *convivio lautissimo*, modo *pascuis uberrimis*, modo *aestati fertilissimae*, modo *civitati pulcherrimae* etc. quia nudo ac simplici mentis intuitu proprium ejus formale intelligere non possumus. 3. *Ex vitae praesentis conditione.* Sicut infans in utero matris conclusus de pulchritudine lucis nihil novit; sic et nos in hujus vitae tenebris de aeternae vitae gaudiis nihil possumus perfecti ac solidi scire. Quemadmodum visus noster imbecillior est, quam ut ad stellas pertingat, sic intellectus noster infirmior, quam ut coelestia gaudia percipiat. Visum in contemplatione stellarum corrigimus ratione, intellectum in meditatione coelestium corrigimus fide. 4. *Ex cognitionis nostrae imperfectione. Videmus hic per speculum in aenigmate* 1. Cor. 13, v. 12. quomodo igitur vitae aeternae gloriam perfecte cognoscere poterimus? Intellectus noster finitus est, quomodo igitur infinitam beatorum felicitatem agnosceret? Huc referenda sunt dicta patrum. Ephraemus
XX. 364. lib. de jud. cap. 5. cum de gaudiis vitae aeternae disseruisset, subjungit: *De illa ineffabili laetitia et mansione aeterna nunc ex parte narrantes tanto nobis evangelizavimus, tanquam si quis ex pelago maris aquae guttam digito suo potest auferre.* Chrysostomus epistol. 5. ad Theodorum lapsum: *Concipe animo statum vitae illius, quantum homini concipere datur, nam juxta rei dignitatem nobis sermo nullus adesse potest, ex iis tamen, quae audimus, ceu per aenigmata conjecturam quantulamcunque faciemus etc.* Et postea: *Anima, quae in propriam rediit naturam, quae in reliquum tempus multa libertate dominum suum suscipit, quantum ea fructum capiat, quantum dulcedinis, quantum lucrum, haud quisquam unquam satis explicabit. Eam jucunditatem universam sermone quis effinget, quis attinget cogitatione?* Caesarius homil. 26: *Vita illa, quae nec oculis potest cerni, nec tacita mentis cogitatione perstringi, quam utique consequi facilius est quam enarrare.* Nilus in sentent. tom. 1. orthodoxogr. p. 181: τῶν μελλόντων ἀγαθῶν καὶ τὸ πλῆθος καὶ τὸ κάλλος ἄπειρον. Gregorius Nyssenus libr. de opific. hominis: *ἑτέρας τινὸς βασιλείας ἡ ἐλπὶς, ἧς ὁ λόγος ἐν ἀποῤῥήτοις, aliud regnum est spes, cujus tota ratio illorum in numero, quae enarrari dicendo nequeunt.* Augustinus de tripl. habit. cap. 1: *Bona regni coelestis dicere vel cogitare vel intelligere, ut sunt, nullus potest carne vestitus, multo enim majora et meliora sunt, quam cogitantur et intelliguntur. Regnum namque Dei omni fama majus et omni laude melius, omni scientia innumerabilius, omni gloria, quae putatur, excellentius.* cap. 4: *De hac urbe* (coelesti) *quidquid homo dixerit, quasi stilla de mari est vel quasi scintilla de foco. Bona vitae aeternae tam multa sunt, ut numerum, tam magna, ut mensuram, tam pretiosa, ut aestimationem omnem excedant.* Bernhardus serm. 11. in Cantic.: *Velim scire, cujus rei futura sit illa mensura, vel potius illa immensitas, quae repromittitur? Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te. Dic nobis, tu qui praeparas, quid praeparas? credimus, confidimus, re vera sic promittis: Replebimur in bonis domus tuae. Sed quibus quaeso bonis vel qualibus? Forte frumento, vino, oleo, auro atque argento lapidibusque pretiosis? Sed haec novimus et vidimus et videmus et fastidimus. Id quaerimus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit. Hoc placet, hoc sapit, hoc delectat inquirere, quodcunque est illud. Erunt,* inquit, *omnes docibiles Dei et ipse erit omnia in omnibus. Ut audio, plenitudo, quam exspectamus a Deo, non erit nisi de Deo. Quis vero comprehendat, quam magna multitudo dulcedinis in brevi isto sermone comprehensa sit. Erit Deus omnia in omnibus?* Idem sermon. 4. omnium sanctor.: *Quam magna est beatitudo illa, tam abscondita est ex oculis nostris.* Est et hoc Bernhardi, quod recitat Bonaventura lib. 7. compend. cap. 31: *Tam magna sunt vitae illius bona, ut non possint mensurari; tam multa, ut non possint numerari; tam copiosa, ut non possint terminari; tam pretiosa, ut non possint aestimari.* Idem: *Quod Deus praeparavit diligentibus se, fide non capitur, spe non attingitur, caritate non apprehenditur, desideria et vota transgreditur, acquiri potest, aestimari non potest.*

49. Quamvis vero beatitudo illa sit mysterium in- Unde l… torum licitas pareat
visibile, inauditum et incomprehensibile, de ea tamen penitus silere non debemus, sed de ea quantum valemus, quia quantum volumus, dicere non possumus.
Spei nostrae gaudium, ait Augustinus lib. 22. de civ. XX. 36…
Dei cap. 21. *propter Dei laudem non est tacendum et de intimis ardentis sancti amoris medullis dictum est, Domine dilexi decorem domus tuae.* In genere

summa electorum felicitas colligitur 1. *ex appellatione*, i. e. ex nominibus *beatitudinis*, *salutis*, *pacis et vitae aeternae*, quibus in sacris literis describitur, ut ostendimus superius §. 12. Illae enim appellationes felicissimum electorum statum συντόμως καὶ ἐπιτομικῶς exprimunt. *Beatitudo* perfecta complectitur omnis mali absentiam et omnis boni desiderabilis praesentiam, unde definitur a Boëtio lib. 3. de consolat. p. 105. quod sit *status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 5: *Beatus est*, *qui habet*, *quidquid vult*, *et nihil mal' vult*. Anshelmus lib. de similitud. cap. 48: *Beatitudo est omnium bonorum sufficientia*. Thomas 4. sent. dist. 48: *Beatitudo est summum bonum et ultimus finis rationalis naturae tantum*. Idem 1. 2. q. 3. art. 2: *Beatitudo est ultima hominis perfectio*. Scotus 4. sent. dist. 49: *Beatitudo est bonum sufficiens*, *excludens scilicet defectum et indigentiam; est et bonum perfectum et completum*, *excludens imperfectionem seu diminutionem; est bonum ultimatum*, *excludens tendentiam ad aliud completius bonum*. Quando ergo electi in vita aeterna dicuntur beati, intelligitur 1) quod bonis omnibus affluant. Si enim quidquam bonorum necessariorum ac utilium adhuc desiderarent eodemque destruerentur, perfecte beati non essent. 2) Quia perfecta omnis boni affluentia locum non habet, nisi malum bono oppositum penitus removeatur, ideo beatitudinis nomine intelligitur, quod electi sint ab omnibus malis liberati ac liberi. 3) Quia perfecte beatus non est, nisi qui semper talis, si enim quis modo abundaret, modo deficeret, perfecte beatus non esset, ideo beatitudinis nomine electis attributo intelligitur, quod immutabiliter sint beati. 4) Quia per suam naturam et essentiam non sunt in bono ac beatitudine immutabiles, ideo non a se ipsis vel in se ipsis, sed a Deo et in Deo beatitudinem illam obtinent, quippe a quo in bono confirmati et adversus omnem ab hoc beatissimo statu excidentiam firmiter sint muniti, intelligitur ergo nomine beatitudinis electis attributo, quod Deus futura sit ipsorum beatitudo. Augustinus lib. 5. de civ. Dei cap. 1. in princ.: *Constat*, *omnium rerum optandarum plenitudinem esse felicitatem*, *quae non est dea*, *sed donum Dei*. cap. 11: *Dei participatione felices sunt*, *quicunque sunt veritate non vanitate felices*. 5) Quia beatus nemo dici potest, nisi bona, quibus affluit, intelligat, cognoscat ac velit, ideo beatitudinis nomine intelligitur, quod electi suam beatitudinem agnoscant per *intellectum*, summe ament per *voluntatem*, quiete et pacate in ea acquiescant per *cordis affectum*, ex qua acquiescentia oritur summum et ineffabile *gaudium*, quo in Deo, tanquam summo et infinito bono, fruuntur ac supra, quam dici vel cogitari potest, delectantur. 6) Denique quia perfecte beatus non est, nisi qui in omnem aeternitatem beatitudine perfruitur, ideo etiam beatitudinis nomine electis attributo hoc intelligitur, quod in omnem aeternitatem in beatissimo illo statu sint mansuri. Augustinus lib. 13. de Trin. cap. 7: *Quidquid amabitur*, *aderit*, *nec desiderabitur*, *quod non aderit*, *omne quod ibi erit*, *bonum erit atque ad fruendum amantibus praesto erit*, *et quod est omnino beatissimum*, *ita semper fore praesto erit*. Beatitudo Graece dicitur εὐδαιμονία a daemonibus i. e. diis, ut ethnici XX. 366.
censebant, quia postquam homo ad hunc statum pervenit, est plus quam homo. Idem judicium esto de nominibus *salutis* ac *pacis*, quibus Hebraei omnis generis felicitatem et omnium bonorum abundantiam intelligunt, itemque *vitae aeternae*, quae non nudam viventis exsistentiam et durationem, sed conditionem beatissimam, tranquillissimam et felicissimam exprimit, ut ostendimus superius §. 3.

50. 2. *Ex oppositione*, id est ex atrocitate et gravitate infernalium cruciatuum, quos electi evaserunt. Quemadmodum enim poena infernalis est infinita, quia aeterna et quia separat a Deo, qui est bonum infinitum; sic felicitas coelestis est infinita, quia itidem aeterna, quia liberat ab infinita poena et quia conjungit cum bono infinito, videlicet Deo. Quemadmodum supplicium damnatis praeparatum est *malum universale*, omnia malorum et suppliciorum genera in unum conglomerata complectens; sic gaudium electis praeparatum et praemium piis promissum est *bonum universale* omnium bonorum genera in sese continens. Si vel maxime nihil quidquam boni piis post hanc vitam promissum esset, tamen immensi beneficii loco habendum foret, quod ab infernalibus suppliciis duratione infinitis essent liberi. 3. *Ex analogica collatione cum hac vita*. Homini in hac vita nihil carius ipsa vita, quae tamen multis molestiis ac miseriis est repleta. *Pellem pro pelle et cuncta*, *quae habet homo*, *dabit pro anima sua* Job. 2, v. 4. inde tot curas, tot solicitudines, tot labores suscipit, ut vitam hanc temporalem fugacem et fallacem conservet. At quanto carior, quanto felicior, quanto pretiosior censenda est vita aeterna, quae est felix aeternitas et aeterna felicitas? Augustinus lib. 5. de civ. Dei cap. 17: *Illa civitas*, *in qua regnare nobis promissum*, *tantum ab hac distat*, *quantum distat coelum a terra*, *a temporali laetitia vita aeterna*, *ab inanibus laudibus solida gloria*, *a societate mortalium societas angelorum*, *a lumine solis et lunae lumen ejus*, *qui fecit solem et lunam*. 4. *Ex gaudii illius praegustatione*, quam pii quandoque in hac vita experiuntur. Quanta sit illius praegustus dulcedo, nemo novit, nisi qui aliquando eundem sensit. Tantae profecto in martyribus fuit efficaciae, ut exquisitissimos corporis cruciatus et acerbissima supplicia non solum tolerabilia sed et suavia illis redderet. Atqui si tantam dulcedinem exhibent *primitiae*, quid de plenis *decimis* sperandum erit? si promulsis tam suavis est, quid de integro vini coelestis dolio et torrente statuendum erit?

51. 5. *Ex parabolica beatitudinis descriptione*. Quidquid enim in hac vita occurrit laeti ac boni, quidquid desiderabile vel amabile, illud omne ad vitae aeternae felicitatem ac laetitiam utcunque adumbrandam transfertur, ut innuatur, vitam aeternam fore omnium bonorum plenitudinem, omnis lae-

titiae promtuarium, omnis desiderii terminum ac complementum. Comparatur beatitudo electorum 1) *nuptiis*. Apoc. 19, v. 7: *Gaudeamus et exsultemus, quia venerunt nuptiae Agni.* v. 9. *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* In nuptiis omnes convivae laetantur Matth. 9, v. 15. sic in vita aeterna omnes beati gaudebunt; in nuptiis *editur ad saturitatem, bibitur ad hilaritatem;* sic beati *comedent, bibent, laetabuntur, jubilabunt* Esa. 65, v. 13. *inebriabuntur a pinguedine domus Dei et tor-*
XX. 367. *rente voluptatis coelestis potabuntur* Psalm. 36, v. 9. In nuptiis adhibetur suavis musica, sic in vita aeterna angelorum et hominum chorus suavissimis concentibus Deo jubilabit; in nuptiis incipit arctissimum et indissolubile vinculum inter sponsum ac sponsam, sponsa deducitur in domum mariti, particeps redditur honoris et bonorum etc. sic in vita aeterna inter Christum sponsum et ecclesiam sponsam indissolubile consortium sequetur, sponsa in domum coelestem introducta omnium coelestium bonorum particeps fiet; ex aedibus nuptialibus expelluntur non habentes vestem nuptialem Matth. 22, v. 13. idem in coelestibus nuptiis continget, *foris canes* Apoc. 22, v. 15. 2) *Convivio.* Matth. 8, v. 11: *Recumbent cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo in regno coelorum.* Luc. 22, v. 30: *Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo,* non quod Bacchanalia ac Saturnalia in coelo sint futura, sed ad satietatem et laetitiam beatorum insinuandam. 3) *Pascuis uberrimis.* Joh. 10, v. 9: *Per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.* v. 10. *Ego veni, ut habeant vitam καὶ τὸ περισσόν, et abundantiam, habeant.* Erit ergo vita abundans omni bonorum affluentia, Apoc. 7, v. 17: *Agnus, qui in medio throni est, pascet eos et deducet ad fontes vivos aquarum* etc. 4) *Regno.* Luc. 22, v. 29: *Dispono vobis regnum,* v. 30. *ut sedeatis super thronos;* unde beatis tribuuntur *coronae aureae* Apoc. 4, v. 4. in signum tum *potestatis regiae,* tum *victoriae,* quam a diabolo, mundo, carne, peccato et morte reportarunt. Esa. 28, v. 5: *In illa die erit Dominus exercituum corona gloriae et sertum exsultationis residuo populi sui.* Dominus non solum imponet electis coronam *vitae,* coronam *justitiae,* coronam *gloriae,* sed ipse etiam erit eorum corona. Quae vero major gloria esse possit, quam Deum ipsum esse coronam et sertum beatorum, ut omnes creaturae ipsos tanquam reges ac principes, imo tanquam deos quosdam, utpote Deo ipso velut corona redimitos revereri et observare teneantur? Quanto honore regni proceres eum honorant, cui coronam regalem ab ipso rege imponi vident, quale quid Mardochaeo contigit Esth. 6, v. 8! At haec gloria omnibus electis continget. Sap. 5, v. 17: *Accipient regnum decoris et diadema speciei* sive speciosum *de manu Domini.* Chrysostomus epist. 5. ad Theodor. lapsum: *Quemadmodum puellus regius primum alitur cibo non admodum splendido, terretur minis paedagogi, ne per indulgentiam lapsus paterna se indignum reddat hereditate, mox regiam nactus majestatem omnia haec mutat, praesidet cum magna libertate, vestitus purpura diademateque ornatus et stipatus numeroso satellitio abjectis ab anima rebus humilibus ac subamaris, in quarum tunc locum omnia magnifica, omnia jucunda successerunt; sic tunc eveniet omnibus sanctis.* Nimirum tunc omnes sancti libertate, gloria, dignitate, potentia ac rerum omnium affluentia, ut reges ac summi regis filii, perfruentur ab omni plane hostium impugnatione tuti. 5) *Mensurae superabundabuntur.* Luc. 6, v. 38: *Mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum,* in quem locum sic commentatur Vincentius Burgundus in speculo historiali lib. 32. cap. 28: *Constat, felicitatem esse omnium rerum optandarum plenitudinem. Illic ergo implebitur, quod voce Dominica dicitur: Mensuram plenam* etc. *Mensura dicitur, quia secundum qualitatem et quantitatem meriti* (non proprie et exquisite sic dicti, sed latius pro opere Deo grato accepti) *praemium* (non essentiale, quod omnibus beatis XX.
aequale, sed accidentale) *dabitur. Bona, quia isto praemio nihil melius invenitur; conferta, id est referta, quia nulla pars animae vel corporis nullusque angulus remanebit, qui repletus non sit; coagitata, quia undique gaudium erit, scilicet intus in conscientia, supra in Deo, infra in coelo et in ceteris creaturis, juxta vero in sanctis hominibus et angelis; supereffluens quoque, quia super omne meritum erit et etiam supra omnem sensum desiderium.* Confer ea, quae superius dicta §. 25. ubi plures ejusmodi parabolas, similitudines ac typos ex Scripturis adduximus.

52. 6. *Ex speciali bonorum in vita aeterna sperandorum enumeratione,* quam postea subjungemus, ubi prius generales et emphaticas aeternae beatitudinis descriptiones tum ex sanctis patribus, tum ex recentioribus quibusdam scriptoribus adduxerimus. Sic vero de ea loquuntur pii veteres. Cyprianus lib. 4. epist. 6: *Quae erit gloria et quanta laetitia admitti, ut Deum videas; honorari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis aeternae gaudium capias? Abraham et Isaac et Jacob et patriarchas omnes et prophetas et apostolos et martyras salutare, cum justis et Dei amicis in regno coelorum datae immortalitatis voluptate gaudere? sumere illic, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit?* serm. de Christ. adscens.: *Exsultabunt sancti in gloria, videbunt Deum et gaudebunt, laetabuntur et delectabuntur et fruentur gloria et in felicitate jucundabuntur aeterna. Ibi non gustabunt, quam suavis sit Dominus, sed implebuntur et satiabuntur dulcedine mirifica; nihil eis deerit, nihil oberit, omne desiderium eorum Christus praesens implebit. Non senescent, non tabescent, non putrescent amplius. Perpetua sanitas, felix aeternitas beatitudinis illius sufficientiam confirmabunt. Non erit concupiscentia in membris, non ultra illa exsurget rebellio carnis, sed totus hominis status pudicus et pacificus, sana ex integro natura, sine omni macula et ruga deinceps permanebit. Erit denique Deus omnia in omnibus et illius praesentia omnes*

animas et corporis implebit appetitus, cessabuntque de cetero consummatis omnibus ministratorii angelicarum virtutum discursus et impleta ordinataque omnino civitate Dei, nec mutabitur ultra fixae et consummatae beatitudinis status. Hilarius in Psalm. 60: *Haec hereditas sancti est vita et incorruptio et regnum et coaeterna cum Deo habitatio.* Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum lapsum: *Quid ea vita beatius erit? Non est, cur illic pauperiem metuas et morbum. Nemo videbit contumeliosum nec inique oppressum; nemo exasperatum aut irascentem aut invidentem; nemo ardentem absurda concupiscentia, aut moerentem propter sumtum necessarium, aut a magistratu vapulantem. Omnis enim affectuum turba, quae hic sedata est, perimetur; omnia erunt pax, laetitia, gaudium, omnia serenitas et tranquillitas, omnia dies et splendor et lux; lux, non quae nunc est, sed plane alia, quae hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lychni; neque enim occulitur illic aut nocte aut congressu nubium, nec urit nec inflammat corpora, nam nox non obumbrat, nec aderit vespera, nec frigora, nec aestus, nec alia hujus generis immutatio; sed omnino alia est conditio, quam demum ad hoc idonei reperti intelligent; non est illic senium nec senectae mala, quaeque obnoxia sunt corruptioni, e medio tollentur. Omnia occupabit ubique incorruptibilis gloria et quod omnium longe est maximum, continua fruemur conversatione cum Christo, una cum angelis,*
XX. 369. *cum archangelis, cum superioribus potestatibus* etc. *Unde putas tum simultas? unde pugna? jucundus nimirum concentus erit in hoc, quod omnes sancti perpetuo inter se consentient, nullus illic calumniator timendus, nullae daemonum insidiae, nullae minae, nulla mors, nec ea, qua hic exstinguimur, nec altera, quae hac multo est acerbior* etc. *Quis vel delineabit voluptatem, quae ex convictu Christi exstabit, aut utilitatem, aut gaudium?* Augustinus lib. 2. de civ. Dei c. 29: *Incomparabiliter superna civitas est clarior, ubi victoria, veritas, ubi dignitas, sanctitas, ubi pax, felicitas, ubi vita, aeternitas.* lib. 11. de civ. Dei c. 28: *Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi nosse nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem.* lib. 22. de civ. Dei c. 30: *Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus? Vera ibi gloria erit, ubi laudantis non errore quisquam nec adulatione laudabitur; verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus; vera pax ibi est, ubi nihil adversi, nec a se ipso, nec ab alio quisquam patietur. Praemium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit eique se ipsum, quo melius et majus nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud, quod per prophetam dixit: Ero illorum Deus et ipsi erunt mihi plebs, nisi, ego ero, unde satientur, ego ero, quaecunque ab hominibus honeste desiderantur, et vita et salus et victus et copia et gloria et honor et pax et omnia bona? Sic enim et illud recte intelligitur, quod ait apostolus: Ut sit Deus omnia in omnibus. Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine defatigatione laudabitur.* In enchir. ad Laurent. c. 23: *Erit ibi vita sine morte, veritas sine errore, felicitas sine perturbatione.* in homil. de verb. Christ. *Ego sum pastor* etc.: *Erit ibi festivitas sine fine, aeternitas sine labe, serenitas sine nube.* in med. cap. 22: *Vita, quam praeparavit Deus his, qui diligunt Deum, est vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiae, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate et mutatione, vita totius elegantiae et dignitatis plenissima, ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus et timor nullus, ubi dies aeternus et unus omnium spiritus, ubi Deus a facie ad faciem cernitur et hoc vitae cibo mens sine defectu satiatur* etc. *O vita felicissima, o regnum vere beatum carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per aevum, ubi continuus sine nocte dies nescit habere tempus, ubi victor miles illis hymnidicis angelorum sociatus choris cantat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion: Nobile perpetua caput amplectente corona.* cap. 25: *Plena et perfecta ibi regnat caritas, quia Deus est ibi omnia in omnibus, quem sine fine vident et semper videndo in ejus amore ardent, amant et laudant, laudant et amant. Omne opus eorum laus Dei sine fine, sine defectione, sine labore.* In soliloq. c. 35: *Intra in gaudium sine tristitia, quod continet aeternam laetitiam, ubi erit omne bonum et non erit aliquod malum, ubi erit quidquid voles, et non erit, quidquid noles; ubi erit vita vitalis, dulcis et amabilis semperque memorialis; ubi non erit hostis impugnans, nec ulla illecebra, sed summa et certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas,*
felix aeternitas, aeterna beatitudo et beata Trinitas XX. 370.
et Trinitatis unitas et unitatis Deitas et Deitatis beata visio, quae est gaudium Domini Dei tui. O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium etc. *Ibi gaudium infinitum, laetitia sine tristitia, salus sine dolore, via sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo, ubi juventus nunquam senescit, ubi vita terminum nescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi dolor nunquam sentitur, ubi gemitus nunquam auditur, ubi triste nihil videtur, ubi laetitia semper habetur, ubi malum nullum timetur, quoniam ibi summum bonum possidetur, quod est videre semper faciem Domini virtutum.* in manuali c. 7: *O vita vitalis, vita sempiterna et sempiterne beata, ubi gaudium sine moerore, requies sine labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione, sanitas sine languore, abundantia sine defectione, vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, beati-*

tudo sine calamitate. Ubi omnia bona in caritate perfecta, ubi species et visio a facie ad faciem, ubi plena scientia in omnibus et per omnia, ubi summa Dei bonitas cernitur et lumen illuminans a sanctis glorificatur, ubi praesens majestas Dei conspicitur et hoc vitae cibo sine defectu mens intuentium desideratur. Vident semper et videre desiderant, sine anxietate disiderant et sine fastidio satiantur. Ubi verus sol justitiae mira suae pulchritudinis visione omnes reficit et ita universos coelestis patriae cives illuminat, ut luceat ibi lumen, videlicet illuminatum per divinum lumen illuminans ultra omnem solis nostri splendorem atque cunctarum stellarum claritatem, immortali adhaerentes Deitati ac per hoc immortales et incorruptibiles facti. c. 17: *Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non aegritudinis imbecillitas? ibi nemo laeditur, nemo irascitur, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris aut potestatis pulsat ambitio, nullus ibi diaboli metus, insidiae daemonum nullae, terror gehennae procul, mors neque corporis neque animae, sed immortalitatis munere jucunda vita, nulla erunt tunc mala, nusquam discordia, sed cuncta consona, cuncta convenientia, quia omnium sanctorum una erit concordia, pax cuncta et laetitia continet, tranquilla sunt omnia et quieta, jugis splendor, non ut est ille, qui nunc est sol, sed tanto clarior, quanto felicior* etc. *Nox ibi nulla, tenebrae nullae, concursus nubium nullus, nec frigoris ardorisve asperitas ulla, sed talis erit rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audivit* etc. *Verum super haec omnia est consociari choris angelorum et archangelorum atque omnium coelestium virtutum, intueri patriarchas et prophetas, videre apostolos atque omnes sanctos, videre etiam parentes nostros. Gloriosa haec sunt, sed multo gloriosius est praesentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre. Superexcellens gloria erit, cum Deum videbimus in se ipso, videbimus et habebimus in nobis, quod cernere finis non erit.* Auctor libri de spir. et anim. (qui exstat tom. 3. oper. Augustini) c. 36: *Sicut exterior homo circa ista temporalia quinque partito sensu afficitur, i. e. visu, auditu, gustu et ceteris; sic interior homo in beata vita circa quinque ineffabilia Dei ineffabili amore afficitur. Cum enim Deum suum amabit, quandam lucem, quandam vocem, quendam odorem, quendam cibum et quendam amplexum interiorem amabit; ibi enim fulget, quod non capit locus; ibi sonat, quod non rapit tempus; ibi olet, quod non spargit ventus; ibi sapit, quod non minuit edacitas; ibi haeret, quod non divellit satietas, ibi siquidem videtur Deus*
XX. 371. *sine intermissione, cognoscitur sine errore, amatur sine offensione, laudatur sine fatigatione.* Prosper lib. 1. de vita contempl. c. 2: *Futura vita creditur beate sempiterna et sempiterne beata, ubi est certa securitas et secura tranquillitas et tranquilla jucunditas, felix aeternitas, aeterna felicitas; ubi est amor perfectus, nullus timor, dies aeternus, alacer motus et unus omnium spiritus de contemplatione Dei sui ac de sua cum illo permansione securus; ubi ipsa civitas, quae est angelorum sanctorum et hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat et aeterna salus exuberat, veritas regnat; ubi nec fallit quisque, nec fallitur, unde nullus ejicitur beatus, quo nullus miser admittitur.* cap. 4: *Erit intellectus sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, caritas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio et tota sanitas sine morbo* etc. Caesarius hom. 26: *Vitae illius cursus erit sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibo, adjutorium sine defectu, requies sine nocte, otiositas sine senio, indeficiens sub nutu Dei caritas et sub antiquis perpetuisque gaudiis semper nova jucunditas et sine ullo amittendi periculo felicitas.* Fulgentius epist. 4. cap. 8: *Ibi nec minor erit laudatione nostra dilectio, nec inferior dilectione laudatio. Erit enim plena nostra laudatio, quia tunc in nobis erit Dei proximique perfecta dilectio. Tunc laudabimus et habebimus, tunc habebimus et amabimus, tunc satiabimur cum delectatione et delectabimur cum satietate.* epist. 6. c. 4: *Nihil ibi deest, quia totum in illo est; nihil ibi superest, quia nihil praeter illum est* etc. *In ipso beati erunt pleni, in quo nihil indigetur; in eo securi, in quo nihil metuitur; in eo vere semperque gloriosi, cujus vera et sempiterna gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur.* Gregorius hom. 37. in evang.: *Quae lingua dicere vel quis intellectus capere sufficit, illa supernae civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriae conditoris assistere, praesentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuae munere laetari?* Audoënus in vita Eligii lib. 2. c. 16: *Amanda est illa vita, ubi nullus labor est, ubi summa semper securitas, secura felicitas, felix libertas, libera beatitudo, ubi, sicut Dominus ait, erimus similes angelis et justi fulgebunt sicut sol. Nulla ibi erit tristitia, nullus labor, nullus timor, mors nulla, sed perpetua sanitas. Nulla illic exsistet malitia, nulla carnis miseria, nulla aegritudo, necessitas nulla, non fames, non sitis, non frigus, non aestus, non lassitudo, non ulla inimici tentatio, non peccandi libido, imo nec male agendi facultas; sed gaudium et laetitia omnia occupabit hominesque angelis sociati sine ulla carnis infirmitate perpetuo florebunt. Erit illic laetitia certa, requies secura, pax vera, jucunditas infinita. Ibi quidquid semel adepti erimus, nunquam amittemus. Nihil loco illo magnificentius, nihil gloriosius, nihil illustrius, nihil pulchrius, nihil verius, nihil munificentius, nihil illa bonitate sincerius, nihil illa abundantia copiosius* etc. Rabanus in eccles. lib. 6. c. 12: *Quid vita illa beatius? ubi non est paupertatis metus, non aegritudo; nemo laedit injuste aut laeditur, nemo irascitur, nemo invidet, nulla cupiditas exardescit,*

nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsat aut potestatis ambitio, sed omnis vitiorum labes penitus deposita et penitus exstincta est, pax cuncta continet et laetitia, tranquilla sunt omnia et quieta, jugis splendor, non iste qui nunc est, sed tanto splendidior, tanto clarior, quanto splendidior est sol lucerna etc. (quae omnia ut et sequentia ad vitae aeternae descriptionem spectantia desumsit ex Chrysostomi epist. 5. ad Theod. lapsum.) Anshelmus lib. de similitud. cap. 47: *Quatuordecim sunt beatitudinis partes, quas omnes electi habebunt, oppositas totidem miseriae generibus, quae mali tunc sustinebunt.* c. 48: *Partes beatitudinis pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, longaevitas, sapientia, amicitia, concordia, honor, potestas, securitas, gaudium.* cap. 49: *Septem priores illius beatitudinis partes ad corporis, septem vero posteriores ad animae beatitudinem pertinent. Quicunque illas omnes beatitudinis partes habere poterit, perfectam corporis et animae beatitudinem possidebit.* Idem in proslogio cap. 25: *Si delectat te pulchritudo, justi fulgebunt sicut sol; si velocitas aut fortitudo aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit, erunt similes angelis Dei; si longa et salubris vita, ibi sana est aeternitas et aeterna sanitas, quia justi in perpetuum vivent; si satietas, satiabuntur, cum apparuerit gloria Dei; si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei; si melodia, ibi angelorum chori concinunt sine fine Deo; si munda voluptas, torrente suae voluptatis potabit eos Deus; si sapientia, ipsa Dei sapientia ostendet eis se ipsam; si amicitia, diligent Deum plus quam se ipsos et invicem tanquam se ipsos, et Deus illos plus quam illi se ipsos, quia illi illum et se et invicem per illum et ille se et illos per se ipsum; si concordia, omnibus illic erit una voluntas, quia nulla illis erit nisi sola Dei voluntas; si potestas, omnipotentes erunt suae voluntatis ut Deus suae, nam sicut poterit Deus, quod volet, per se ipsum, ita poterunt illi, quod volent, per illum, quia sicut illi non aliud volent quam quod ille, ita ille volet, quidquid illi volent, et quod ille volet, non poterit non esse; si honor et divitiae, Deus servos suos bonos et fideles super multa constituet; si vera securitas, certe ita certi erunt, nullatenus et nunquam istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt, se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum et illos separaturum.* cap. 26: *Tantum gaudebunt, quantum amabunt, tantum amabunt, quantum cognoscent.* Hugo lib. 4. de anim. c. 15: *Omnium beatorum actio simul in communi septiformis est: vivunt, sapiunt, amant, gaudent, laudant, veloces sunt, securi sunt. Vivunt vita sine fine, sine molestia, sine diminutione, sine omni adversitate; vita eorum visio et cognitio beatae Trinitatis. Sapiunt consilia et judicia Dei, quae sunt abyssus multa, sapiunt causas et naturas et origines omnium rerum. Amant Deum incomparabiliter, quia sciunt, unde et ad quid Deus eos provexit; amant singuli singulos sicut se ipsos. Gaudent de Deo ineffabiliter, gaudent de tanta sua beatitudine, et quia unusquisque unumquemque diligit sicut se ipsum, tantum gaudium quisque habet de bono singulorum, quantum de suo, quoniam bonum, quod non habet in se ipso, possidet in altero; constat igitur, quod singuli tot gaudia habent quot socios, et singula gaudia tanta sunt singulis, quantum proprium singulorum* etc. *Laudant Deum sine fine, sine fastidio, sicut scriptum est: Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Veloces sunt, quia ubicunque esse vult spiritus, ibi est etiam corpus. Omnes securi sunt de tali vita, de tanta sapientia, de tanto amore, de tanto gaudio, de tali laude, de tali velocitate, quod nullum finem, nullam diminutionem, nullum detrimentum habebunt.* cap. 16: *In coelesti patria est vita sine morte, juventus sine se-* XX. 373. *nectute, sanitas sine infirmitate, requies sine labore, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, delectatio sine fastidio, lux sine tenebris, pulchritudo sine turpitudine, agilitas sine ponderositate, fortitudo sine imbecillitate, libertas sine servitute, voluptas sine anxietate, longaevitas sine vitae termino, sapientia sine insipientia, amicitia sine inimicitia, concordia sine discordia, honor sine dedecore, securitas sine timore.* Bernhardus serm. de tripl. gen. bon.: *Aeterna illa bona sunt, quae nec oculus vidit, nec auris audivit et quae nunquam exeunt ab illa patria, quae nescit nisi gaudium et jubilationem. Ibi nihil deest, ecce abundantia, qua impleatur humana cupiditas. Quae est ista copia, ubi nihil, quod nolis, sit, totum sit, quod velis? Quod si nihil deerit nobis, aliquid autem nos latuerit, numquid erit gloria consummata? Ideo nihil latebit nos, et ecce sapientia, qua curiositas hominis satietur* etc. *Quid si et nihil defuerit, et nihil latuerit, maneat autem timor et anxietas amittendi? Ideo nihil terret, et ecce potentia, qua humana infirmitas roboretur. Ubi ergo summa abundantia, summa sapientia, summa potentia est, puto quod nihil desit plenitudini beatitudinis, quantum spectat ad summam felicitatis humanae.* lib. de meditat. c. 4: *Praemium est videre Deum, vivere cum Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus, habere Deum, qui est summum bonum. Et ubi est summum bonum, ibi summa felicitas, summa jucunditas, vera libertas, perfecta caritas, aeterna securitas et secura aeternitas. Ibi est vera laetitia, plena scientia, omnis pulchritudo et omnis beatitudo.*

Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas,
Gaudia, laetitiae dulcedo, vita perennis,
Gloria, laus, requies, amor et concordia dulcis.

Sic cum Deo homo beatus erit, in cujus conscientia peccatum inventum non fuerit; videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem; in aeternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi aeternitatem, sic cognoscendi facilitatem et requiescendi felicitatem. Civis siquidem erit illius sanctae civitatis, cujus cives sunt angeli, Deus Pater templum,

Filius ejus splendor, Spiritus sanctus caritas. O civitas coelestis, mansio secura, patria fertilis et ampla, totum continens, quod delectat, populus sine murmure, incolae quieti, homines nullam indigentiam habentes. Quam gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei! sicut laetantium omnium habitatio est in te. Omnes laetantur in laetitia et exsultatione, omnes delectantur de Deo, cujus adspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce etc. *In illo clarificatur intellectus et purificatur affectus ad cognoscendam et diligendam veritatem. Et hoc est totum bonum hominis, nosse scilicet et amare creatorem suum* etc. *Convolemus ad sanctorum felicitatem, ad angelorum societatem, ad supernae laetitiae solennitatem et contemplativae vitae jucunditatem, ut possimus intrare potentias Domini et videre superabundantes divitias bonitatis ejus. Ibi vacabimus et videbimus, quam dulcis est Dominus et quam magna multitudo dulcedinis ejus; videbimus gloriae decorem, sanctorum splendorem et regiae potestatis honorem* etc. *Quidquid desiderabimus, totum habebimus, nihil amplius desiderantes, et quidquid videbimus, amabimus ipso amore beati. Beati dulcedine amoris et suavitate contemplationis* etc. *Una erit omnium lingua, jubilatio indefessa; unus affectus, amor aeternus. Patebit veritas, implebitur caritas et erit integra corporis et animae sanitas, fulgebit sicut sol glorifica humanitas, quieta erit et concors carnis ac spiritus societas. Angelorum et hominum unum erit*
XX. 374. *gaudium, unum colloquium, unum convivium. Erit communis omnium omnipotentia, sapientia, pax, justitia et intelligentia. Non erit in illa pace diversitas linguarum, sed pacifica et concors concordia morum et affectuum. In torrente illius voluptatis nihil ultra appetet cumulata satietas, tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloria et superabundans laetitia.* Idem serm. 11. super Cant. col. 519: *Error a ratione, a voluntate dolor atque a memoria timor omnis decedet et succedet illa, quam speramus, mira serenitas, plena suavitas, aeterna securitas. Primum faciet veritas Deus, secundum caritas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inexstinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti aeternaliter inhaerente* etc. Ibidem: *Qui replet in bonis desiderium animae, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriae continuatio aeternitatis.* serm. 17. in Psalm. Qui habitat etc.: *Nec longinquitas illa terminum, nec claritas occasum, nec satietas habet fastidium. Erit enim securitas de aeternitate, gloriatio de veritate, exsultatio de satietate.* Innocentius serm. 3. dom. Laet.: *Vita sine morte, dies sine nocte, securitas sine timore, jucunditas sine dolore, tranquillitas sine labore, pulchritudo sine deformitate, fortitudo sine debilitate, rectitudo sine perversitate, bonitas sine malitia, veritas sine fallacia, felicitas sine miseria.* Idem serm. de D. Gregorio: *Electi duplicem glorificationis stolam habebunt, unam corporis et alteram spiritus. Stola spiritus in tribus consistit, in cognitione, in dilectione et in delectatione; stola carnis consistit in quatuor, in claritate, in subtilitate, in agilitate, in impassibilitate.* Thomas in comm. Esa. 34: *Gloria aeterna erit magna quintupliciter, erit enim intensa, extensa, aeterna, perfecta et integra.* Bonaventura in diaeta salutis tit. 9. c. 50. (tom. 6. oper. p. 337.): *'In illa coelesti gloria consideranda sunt tria, amoenissima civitas, amantissima societas, amplissima felicitas.* tit. 10. c. 4. enumerat duodecim fructus vitae immortalis, quos ex ipso recensuimus superius §. 24. in explic. Apocal. 22, v. 1. Petrus Alliacus in speculo considerationis part. 3. cap. 11: *Duodecim privilegia beatorum post generalem resurrectionem corporum figurantur, videlicet sanitas sine infirmitate, juventus sine senectute, impassibilitas sine morte, pulchritudo sine deformitate, libertas sine servitute vel coactione, pax sine turbatione, securitas sine timore, satietas sine fastidio vel esurie, abundantia sine indigentia vel paupertate, cognitio sine ignorantia vel errore, gloria sine ignominia vel dedecore, gaudium sine tristitia vel dolore.* Laurentius Justinianus de discipl. et perf. c. 17: *Tunc videbimus Deum sicut est, tunc laudabimus perfecte, amabimus ardenter, vacabimus actualiter, inhaerebimus indissolubiliter, jucundabimur laetanter, satiabimur sufficienter et transformabimur totaliter. Erit namque tunc Deus omnia in omnibus. Nam nihil in nobis a laude cessabit. Erit enim rationi Dei sapientia plenitudo lucis, erit affectioni Dei bonitas et clementia multitudo pacis et superabundantia dilectionis, erit memoriae Dei mira essentia et majestas continuatio fruitionis. Erit quippe tunc in coelesti gloria laeta societas, concors voluntas, communis felicitas, sempiterna libertas, secura tranquillitas, indicibilis honestas, plena pax, vera dilectio, mutuus amor, una gloria, eadem mansio et imperturbabile regnum.* Johannes de Turrecremata tractat. 36. in reg.: *Duodecim considerationes sunt vitae aeternae, quae ad concupiscentiam illius nos movere debent. Prima est, quod illa sola est vera vita, cum sit aeterna; altera, quia* XI. 3[illegible]
in illa aeterna vita possidetur sanitas sine quacunque infirmitate, molestia aut passione; tertia, quia in illa est pulchritudo sine quacunque deformitate; quarta, quia in illa vita est copia omnium bonorum; quinta, est in ea satietas et adimpletio omnium desideriorum sine quocunque defectu; sexta, est in ea securitas et pacis tranquillitas sine timore quocunque; septima, habebitur in ea visio beata clarissima et jucundissima divinitatis; octava, est in ea delectatio summa; nona, est in ea sapientia et plenissima cognitio absque ignorantia; decima, in illa viventes summo ibi honore et gloria sublimantur; undecima, est in ea jucunditas ineffabilis, et duodecima, est in ea laus interminabilis. Rupertus de Lycio de beat. sanct. serm. 2. cap. 3: *Procedet laetitia beatis propter tria,* 1) *propter loci luminositatem, illud enim coelum erit lumine plenissimum et omni jucunditate gratiosum;* 2) *propter loci puritatem,*

non erunt ibi caligines, non lutum, non foetores, non calores, non frigora, non malitia, non tormenta et odia, sed tota puritas, sanctitas, laetitia; 3) *propter loci magnitudinem ac pulchritudinem* etc. Carthenius de quatuor noviss. lib. 4. cap. 1: *Beatitudo coelestis in absentia omnis mali et praesentia omnis boni consistit. Ibi enim erit lumen indeficiens, gaudium sempiternum, vita perennis et immortalis, laetitia sempiterna cum angelis et omnibus sanctis, ibi est lux lucis et fons luminis, civitas sancta, Hierusalem coelestis. Ibi nullus dolor nec tristitia post gaudium* etc. *ibi omnis dolor et omne malum non videbitur et omne bonum nunquam deesse poterit, quia Deus erit ibi omnia in omnibus, id est quaecunque ab omnibus desiderantur, vita, salus et copia, honor, pax et omnia bona. Praemium virtutis erit ipse, qui dedit virtutem, et qui se ipsum, quo melius ac majus nihil possit esse, promisit diligentibus se, erit beata satietas omnibus. Tunc erit Christus speculum visui, mel gustui, cithara auditui, balsamum olfactui, flos tactui. Ipse erit perfectio desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine defatigatione laudabitur.* Confer ea, quae sub calcem hujus tractat. adducentur.

53. Atque ut multa brevibus complectamur, in vita aeterna erit *τῆς παναγίου τριάδος ὄψις, τῆς ἀφθαρσίας ἔνδυσις καὶ τῆς πάσης ἐπιθυμίας πλήρωσις, sacrosanctae Trinitatis visio, incorruptibilitatis indutio et omnis desiderii impletio.* In hac vita *mera calamitas* in altera *mera felicitas;* hic *mera captivitas,* illic *mera libertas;* hic *mera fugacitas,* illic *mera aeternitas.* Erit *ibi insatiabilis satietas et indeficiens gaudium,* erit *ibi beata Dei visio, perfectae justitiae reductio, bonorum omnium impletio et imaginis divinae recuperatio. Omnia ibi clara, omnia ibi cara, omnia ibi rara.* In anima beatorum erit *perfecta Dei notitia, perfecta sapientia, perfecta justitia,* in corpore *perfecta sanitas, angelica claritas, summa subtilitas,* in utroque *vera immortalitas, jugis vita, jugis laetitia.* Erit illic *sine servitute libertas, sine metu securitas, sine fletu gaudium, sine fine gloria, sine satietate solatium. Majora ibi erunt praemia quam beatorum hominum desideria.* Erit ibi *summi boni communio sine invidia, gaudiorum satietas sine fastidio, perpetuus triumphus sine bello, perfectio sine defectu, perpetuitas sine fine.* Erit ibi *amoenitas vernalis, formositas aestivalis, ubertas autumnalis, tranquillitas hiemalis.* Erit ibi *corporum aeterna sanitas, animorum summa puritas, gloriae et voluptatis divinae ubertas, perpetua sanctorum familiaritas et stupenda corporum glorificatorum claritas.* Gaudium ineffabile orietur in beatis *ex beatifica Dei visione, ex plenissima mysteriorum divinorum cognitione, ex verae justitiae perfectione, ex suavissima angelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, cognatorum etc. cohabitatione, ex corporum conditione,* quippe quae erunt *immortalia, impassibilia, agilia, subtilia, splendida etc.* Gaudebunt beati *supra se* de Dei visione, *infra se* de inferni evasione, *intra se* de animae et corporis glorificatione, *circa se* de angelorum et sanctorum omnium associatione. Erit ibi *lux sine caligine, sapientia sine ignorantia, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate, memoria sine oblivione, gaudium sine moerore, festivitas sine fine, aeternitas sine tabe, serenitas sine nube.* Fidei succedet *visio,* spei *comprehensio,* dilectioni *perfecta fruitio. Sapientia Salomonis* videbitur ignorantia; *pulchritudo et forma Absolonis* turpitudo ac deformitas; *fortitudo et robur Samsonis* debilitatio ac languor; *eorum, qui primi in hoc mundo fuerunt, vita* mors quaedam; *divitiae et regum hujus terrae thesauri* paupertas et miseria. Erit ibi *amor sine livore, securitas sine timore, requies sine terrore, felicitas sine horrore, firmitas sine tremore, puritas sine squalore, otium sine labore, voluptas sine dolore, gaudium sine angore, laetitia sine moerore, conversatio sine clamore, sapientia sine errore.* Aderit *omne bonum, omne gaudium,* quod dici vel cogitari potest, aderit plus boni ac gaudii, quam dici vel cogitari potest. Beatissima erit illa vita propter *rem,* qua fruemur, fruemur enim ipso Deo; propter *modum,* quo ipso fruemur, eo enim fruemur per se omnibus mediis cessantibus; propter *mensuram,* qua Deo fruemur, plene enim eo potiemur; propter *tempus,* in aeternum enim eo fruemur; propter *certitudinem,* quia eo perfecte nos frui cognoscemus; propter *domicilium,* in coelo enim novo et terra nova eo fruemur; propter *comites* denique nobis adjunctos, qui sunt angeli et electi.

Specialis enumeratio bonorum vitae aeternae.

54. Neque vero in generali illa coelestis beatitudinis descriptione subsistendum, sed *in specie,* quae et qualia in vita aeterna exspectanda sint praemia, juxta Scripturae ductum explicandum, ut ad illius desiderium et verae pietatis studium magis excitemur, qua de re Anshelmus in libro de similitud. cap. 47. sic disserit: *Multi homines, quibus nonnunquam boni mores et justa opera proponuntur, ut se in eis seculi postposita vanitate exerceant, inquirere solent, quamobrem, quo praemio, qua retributione. Respondetur itaque illis, quod scriptum est, quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quae praeparavit Deus diligentibus se. Quod cum illi non clare, quid sit, advertere possunt, repetitur hoc ipsum aliis verbis et dicitur eis: Praemium, quod his, qui in hac vita Deo serviunt, in futura vita compensatur, est vita aeterna, beatitudo aeterna, aeterna jucunditas, sufficientia simul omnium commodorum secundum voluntatem et sine omni indigentia. Haec ergo cum illis hoc modo dicuntur, bona quidem et magna, ut sunt, videntur, sed quia non intelligunt, quid in ipsa vita habituri sint, nec subito, quid sit omnium commodorum secundum voluntatem sufficientia et sine omni indigentia, percipere possunt, haerent animo nec multum efficaci sapore ad audita trahuntur. Quid igitur agendum, ut haec illis aliquatenus sapiant et sic ad bona opera evigilent? Puerorum more cibandos aestimo eos, qui si aliquando grossum*

aliquod pomum edendum percipiunt, illud ob den-
XX. 377. *tium teneritudinem et oris angustiam assumere nequeunt, si pro illorum capacitate prius non fuerit particulatim divisum. Itaque dividamus in partes magna, quae diximus, ut inde possint ad vitam nutriri, de quibus agimus.* Progrediemur igitur hoc ordine. In bonis vitae aeternae consideranda eorum tum *quantitas*, tum *qualitas*. Quantitas est vel *discreta*, vel *continua*. Ad discretam quantitatem *numerus*, ad continuam refertur *tempus*. Numerus bonorum coelestium ex *multiplici eorum varietate* colligitur. Varietatem et copiam illam nullus in hac vita animo complecti, nedum verbis explicare potest, interim ductum Scripturae secuti in ea explicanda eo usque progrediemur, quo in hujus vitae caligine et infirmitate possumus. Bona vitae aeternae sunt vel *στερητικά, privativa*, vel *θετικά, positiva*, quia Scriptura eadem describit tum *ἀποφατικῶς καὶ ἀφαιρετικῶς, negative*, tum *καταφατικῶς καὶ θετικῶς, affirmative*. Erit in vita aeterna *absentia omnis mali et praesentia omnis boni, ἀναίρεσις πάντων κακῶν καὶ θέσις πάντων καλῶν καὶ εὐεργετημάτων.* Quid enim mali illis adesse ac quid boni illis deesse posset, qui Deum a facie ad faciem vident ac summo et infinito illo bono perfectissime fruuntur? Descriptio negativa illorum bonorum praetermittenda non est, cum ipsa Scriptura eadem utatur, cumque in hac vita vix possimus ulterius progredi, quam ut per *viam negationis* felicitatem et gloriam vitae aeternae utcunque declaremus. Augustinus lib. 3. de symbolo ad catechumenos cap. 12: *Facilius possumus dicere, quid non sit in vita illa aeterna, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus aestus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla molestia, nulla tristitia. Ecce diximus, quid ibi non sit. Quid autem ibi sit, vis nosse? haec nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.*

Bona vitae aeternae privativa.

55. Describi autem possunt haec bona vitae aeternae privativa tum *γενικῶς*, tum *εἰδικῶς*. *In genere* dicimus, a beatis omne malum abfuturum, quodcunque nominari vel cogitari potest. Ut enim in inferno est omnis mali praesentia, ita in coelo erit omnis mali absentia. Ac si vel maxime nullum in coelo esset bonum positivum, tamen maximi beneficii, imo infiniti boni loco habendum esset, quod pii ab inferni poenis futuri sint liberi, quia poenae illae ratione aeternitatis sunt infinitae ac *interminabiles*, ratione multiplicis varietatis *innumerabiles*, ratione acerbitatis et intensionis *inaestimabiles*, ut in praecedente tractatu ostendimus. Quemadmodum non potest rectius intelligi, quantum bonum sit sanitas, quam si animo et oculis intueamur morbos, quibus alii miris ac miseris modis torquentur; sic non potest melius intelligi, quantum bonum sit vita aeterna, quam si miserrimum statum damnatorum consideremus, qui infinita multiplicium malorum varietate divexantur. Isidorus lib. 1. sentent. cap. 38: *Sicut comparatus color candidus nigro colori fit pulchrior, ita et sanctorum requies comparata damnationi malorum erit gloriosior.* Quotquot in damnatis describuntur mala, totidem beatis tribuuntur bona, quia a malis illis omnibus beati immunes erunt. *In specie* dicimus, a beatis abfutura *mala culpae et poenae*, mala *peccati et supplicii*, mala *animae et corporis*, mala *interna et externa*, mala *αὐθαίρετα καὶ αὐτόματα*, mala XX. 3..
temporalia et aeterna, adeoque omne quidquid mali nomine exprimitur. Aberit a beatis *peccatum*, aberunt *peccati causae*, aberunt *peccati poenae*. 1. *Peccatum* est fons omnis mali, quia ob malum culpae creaturae rationales subjiciuntur malis poenae. Atque aberit a beatis omne etiam minimum peccatum, aberunt omnes peccatorum species. In hac vita pii in carne sua peccati reliquias circumferunt, sed in vita aeterna omnes illae peccati reliquiae perfecte erunt expurgatae ac deletae. In hac vita pii quotidianis infirmitatibus ac naevis sunt obnoxii, sed in vita aeterna nec ignorantiae, nec infirmitatis peccata in beatis amplius locum habebunt. Esa. 30, v. 26: *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui et percussuram plagae ejus sanaverit.* Esa. 44, v. 22: *Deleo ut nubem iniquitatem tuam et quasi nebulam peccata tua.* Esa. 60, v. 18: *Non audietur ultra iniquitas* (ita reddidit vulgata versio, in Hebraeo est חָמָס *violentia, rapina*) *in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, vocabis salutem muros tuos et portas tuas hymnum;* v. 19. *non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem* etc. (Hoc vaticinium ad ecclesiam triumphantem et Hierosolymam coelestem refertur Apoc. 21, v. 23. cap. 22, v. 5. quia beneficia illa Novi Testamenti, de quibus propheta ibidem agit, inchoantur tantum in hac vita, in futura autem erunt perfecta et completa.) Jer. 50, v. 20: *In diebus illis et in tempore illo, ait Dominus, quaeretur iniquitas Israël, et non erit, et peccatum Juda, et non invenietur.* Ose. 13, v. 12: *Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum ejus.* Mich. 7, v. 19: *Mundabit iniquitates nostras et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Huc referri possunt omnia Scripturae dicta, quae de peccati abolitione ac deletione loquuntur, quia peccatum in hac vita mortificari incipit, sed plena peccati abolitio sequetur in vita aeterna. Rom. 7, v. 17: *Habitat in me peccatum.* v. 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus?*

Aberit beatis 1. peccatum.

56. 2. *Peccati causae* sunt 1. *carnis corruptio*, 2. *diaboli persuasio*, 3. *mundi seductio.* At hae peccati causae omnes a beatis aberunt, non erit in eis *peccandi voluntas* nec *delinquendi facultas*, erunt enim in bono perfecte confirmati et a peccandi periculo liberati. 1) *Carnis corruptio* prorsus erit abolita, nec fomes peccati in corporibus glorificatis amplius locum habebit. In hac vita *caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem* Gal. 5, v. 17. sed in futura vita caro perfecte subjecta erit spiritui. In hac vita renati adhuc ex parte

2. Peccati causae.

carnales sunt Rom. 7, v. 14. sed *non secundum carnem ambulant* Rom. 8, v. 4. sed in futura vita erunt perfecte spirituales. 2) *Diaboli insidiae* non erunt amplius beatis metuendae, quia diabolus cum omnibus malis angelis et hominibus impiis in carcere infernali erit conclusus, nec ad coelestia palatia amplius ei patebit aditus. In hac vita *diabolus circuit tanquam leo rugiens, quaerens, quos devoret* 1. Petr. 5, v. 8. sed in futura vita rictus hujus leonis penitus erit occlusus. In hac vita Satanas *expetit pios, ut cribret eos sicuti triticum* Luc. 22, v. 31. sed in futura vita *tritico a paleis perfecte purgato et in coeleste horreum recondito* Matth. 3, v. 12. nihil quidquam moliri poterit. In hac vita *piis est colluctatio adversus principes et potestates, adversus mundi rectores* Eph. 6, v. 12. qui *telis ignitis* eos aggrediuntur v. 16. sed in futura vita cessabit omnis pugna, quia perfecta sequitur victoria. In hac vita *modo aperte et violenter, modo occulte et fraudulenter, semper autem malitiose et crudeliter pios impugnat et persequitur*, Bernhardus serm. 3. de sept. panib. col. 183. sed in futura vita tum violentia, tum fraudulentia ipsius penitus erit depressa, qua de re testantur haec Scripturae dicta Esa. 27, v. 1: *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan, serpentem directum, et super Leviathan, serpentem tortuosum, et occidet cetum, qui in mari est.* (Christus in passione sua pugnavit contra diabolum, contrivit caput infernalis serpentis, per *mortem destruxit eum, qui mortis habet imperium, hoc est diabolum* Hebr. 2, v. 14. hujus beneficii fructus perfecte conspicietur ac piis continget in vita aeterna.) cap. 35, v. 9: *Non erit ibi leo et mala bestia non adscendet per illam* (viam sanctam) *nec invenietur ibi;* (beati a potestate infernalis leonis plene liberati ambulabunt libere). Roman. 16, v. 20: *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.* (Christus contrivit Satanam, ne possit in pugna contra pios praevalere, interim adhuc ipsi permittitur, ut in hac vita tentationibus suis nos oppugnet, sed in die judicii plene et perfecte sub pedibus piorum conteretur. In hac vita reportant pii victoriam ex pugna, in futura plenarie liberabuntur a pugna.) 1. Corinth. 6. v. 3: *Nescitis, quoniam angelos judicabimus?* (Tantum abest, ut mali angeli possint suis tentationibus beatos post hanc vitam seducere, ut etiam malos angelos pii sint judicaturi ac condemnaturi suo tum exemplo, tum suffragio.) Apocal. 12. v. 7: *Michaël et angeli ejus proeliabantur cum dracone et draco pugnabat et angeli ejus,* v. 8. *et non valuerunt, nec inventus est locus eorum amplius in coelo,* v. 9. *et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas* etc. (Haec victoria inchoatur in ecclesia militante, in qua virtute et efficacia Christi per praedicationem evangelii Satanas debellatur ac regnum ejus in cordibus hominum destruitur Luc. 10, v. 18. cap. 11, v. 22. etc. sed perfecte consummabitur in ecclesia triumphante.) Apocal. 20, v. 10: *Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis et sulfuris.* 3) *Mundi seductio* non amplius erit beatis pertimescenda, quia in coelum, perfectae beatitudinis, quietis ac laetitiae locum, erunt translati ac proinde ab omni deceptionis periculo liberi. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitae, ex mundo est* 1. Joh. 2, v. 16. sed hic mundus in die judicii transibit v. 17. proinde etiam beatos amplius seducere non poterit. In ostio sancti sanctorum depictae erant *palmae* 1. Reg. 6, v. 32. quisquis enim in sancta sanctorum coelestia est ingressus, victor erit tentationum Satanae, mundi et carnis. In deserto erant tria serpentum genera, *serpens flatu urens, scorpio pungens et dipsas siti enecans* Deuter. 8, v. 15. sic in deserto hujus mundi tria mala nobis sunt infesta, *scorpio cauda pungens*, h. e. carnis fallacia; *serpens flatu urens*, h. e. hostis malitia, et *dipsas siti enecans*, h. e. mundi avaritia. Sed quemadmodum Israëlitae terram promissam ingressi ab omnibus illis malis erant liberi, sic beati in promissam vitae hereditatem collocati ab omnibus tentationibus ac seductionibus erunt pacati. In hac vita diabolus clamat, *ego decipiam;* caro clamat, *ego deficiam;* mundus clamat, *ego interficiam;* sed XX. 360.
in futura vita nec diabolus poterit decipere, nec caro deficere, nec mundus interficere. Proinde cum Fulgentio epistol. 4. cap. 8. *gemamus et fleamus coram Domino, qui fecit nos, ut a concupiscentia carnis et a concupiscentia oculorum et superbia seculi, quae non est ex Patre sed ex mundo, liberet nos et ad illam nos subjectionem perducat, in qua nobis nihil repugnat ex mortalitatis vitio, sed ex immortalitatis dono totum, quidquid in nobis est, fiat subditum Deo. Tunc enim erit in nobis vera, perfecta et excelsa humilitas, cum et in carne, et in mente nostra nulla remanserit prava cupiditas, nec cogitationibus fatigabitur spiritus, nec laboribus macerabitur corpus; nulla erit solicitudo certaminis, sed perfecta erit securitas pacis; nulla nobis erit justitiae indigentia, sed cum delectatione saturitas plena. Ibi erimus enim perfecta celsitudine beati, quia perfecta erimus Deo carnis et spiritus humilitate subjecti.*

57. 3. *Peccati poenae* sunt 1) *variae calamitates, dolores, molestiae, adversitates*, quibus in hac vita homines sunt subjecti. Atqui illa omnia aberunt a statu futuri seculi. Psalm. 116, v. 7: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi,* v. 8. *quia eripuit animam meam a morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.* Psalm. 125, v. 3: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum.* Psalm. 129, v. 4: *Dominus justus concidet funes impiorum.* Esa. 25, v. 8: *Auferet Deus omnem lacrymam ab omni facie et opprobrium populi sui auferet.* cap. 32, v. 17: *Erit opus justitiae pax et cultus justitiae quies et securitas usque in sempiternum.* v. 18. *Sedebit populus meus in habitatione pacis, in tabernaculis fiduciae et in requie securitatis.* cap. 35, v. 10: *Fugiet dolor et gemitus.* cap. 49, v. 10: *Non esurient nec sitient,*

3. Peccati poenae.

et non percutiet eos aestus et sol, quia miserator eorum reget eos et ad fontes aquarum ducet eos. cap. 65, v. 16: *Oblivioni traditae sunt angustiae priores et absconditae sunt ab oculis nostris.* v. 19. *Non audietur in populo meo ultra vox fletus et vox clamoris.* Apoc. 7, v. 16. adducitur dictum propheticum Esa. 49, v. 10. *non esurient* etc. Apoc. 19, v. 20. cap. 20, v. 10: *Bestia persequens et pseudopropheta seducens mittentur in stagnum ignis*, ut beatis non amplius sint molesti. Apoc. 21, v. 4: *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Huc pertinent dicta, in quibus *requies et regnum* beatis tribuitur, quia ideo dicuntur futuri in requie, quod ab omnibus molestiis et adversitatibus futuri sint liberi; ideo dicuntur regnaturi, quia ab omnibus hostium impugnationibus erunt immunes. 2) *Mors temporalis.* Ab ea vero nullum amplius beatis imminebit periculum, nullus in posterum ejus erit metus. Si qua hujus vitae felicitas, si aliquod gaudium, illud turbat mortis memoria, quia omnes tandem cogimur morti esse obnoxii; sed in futura vita exstincta penitus erit mortis memoria, adeoque mors erit prorsus mortua. Esa. 25, v. 8: *Absorbebit mortem in sempiternum.* Ose. 13, v. 14: *De morte liberabo eos, ero pestilentia tua, o mors.* 1. Cor. 15, v. 26: *Novissimus hostis destruetur mors.* v. 54: *Cum corruptibile hoc induerit incorruptionem et mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, absorpta est mors in victoriam.* Apoc. 2, v. 7: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei* (quod est praesentissimum
XX. 381. mortis alexipharmacum). cap. 21, v. 4: *Mors ultra non erit.* 3) *Mors aeterna, infernus ac damnatio.* Nec illam metuere cogentur beati, quia hereditatem coelestem obtinebunt in omnem aeternitatem. Oseae 13, v. 14: *De manu inferni redimam eos, ero lues tua, o inferne.* Luc. 16, v. 26: *Magnum chasma firmatum est, ut qui volunt hinc transire ad vos, non possint.* 1. Cor. 15, v. 55: *Ubi est, inferne, victoria tua?* Apoc. 2, v. 11: *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda.* cap. 20, v. 14: *Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis, haec est mors secunda* (penitus ea sunt deleta et exstincta, ut in electos Dei nullam amplius habeant potestatem, sicut diabolus et omnes ecclesiae persecutores, qui in lacum ignis sunt projecti. Quidam *μετωνυμικῶς* exponunt de illis, quos mors et sepulchrum reddiderant v. 13.).

Dicta veterum de privativis vitae aeternae bonis.

58. De hisce *privativis* vitae aeternae bonis sic loquuntur pii veteres. Lib. 2. oraculorum Sibyllinorum:

Οὐκ ἔαρ, οὐχὶ θέρος, οὐ χειμών, οὐ μετόπωρον,
οὐ γάμος, οὐ θάνατος, οὐ πράξεις οὐδ' ἀγορασμοί,
οὐ δύσις ἀντολίη τε, ποιήσει γὰρ μακρὸν ἦμαρ.

Athanasius serm. 3. contra Arian.: *Omnia in omnibus erit Christus. Ubi porro Christus, quod genus metus ac periculi erit?* Basilius homil. in Psalm. 114: *Ea viventium beata regio, in qua non nox, non somnus mortis imitatio quaedam, non cibus aut potus humanae infirmitatis praesidia, non praeterea morbus, non dolor aut medicina, vel judicia seu mercatus, non artes, non pecunia malorum origo, bellorum materia, inimicitiae radix, sed regio viventium, non morientium ob peccatum, sed veram vitam viventium in Christo Jesu.* Ephraemus de compunct. cordis cap. 8: *Plorate, fratres, in conspectu Domini, ut gaudere nos faciat in regno suo, in vita illa immortali, ubi fugatur dolor, tristitia et gemitus, ubi nec lacrymis aliquis nec poenitentia indiget, ubi non est timor et tremor, ubi non est mors et corruptio, ubi non est adversarius et impugnator, ubi non est exacerbatio inobedientiae et ira contentionis, ubi non est odium et inimicitiae, sed omnino gaudium et laetitia et exsultatio et mensa spiritualibus cibis plena* etc. Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum lapsum: *Nullus illic calumniator timendus, nullae daemonum insidiae, nullae minae, nulla mors, nec ea, qua hic exstinguimur, nec altera, quae hac multo est acerbior, omnis harum rerum exspectatio desiit.* idem homil. 6. in epist. ad Hebraeos in morali: *Re vera est illa requies, ubi aufugit dolor, tristitia et gemitus, ubi neque curae, neque labores, neque angor, neque metus animam percellens et quatiens, sed solus Dei metus plenus voluptate. Non est illic, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, neque sunt spinae, neque tribuli. Non est amplius, in doloribus paries filios tuos* etc. *omnia sunt pax, gaudium, laetitia, voluptas, bonitas, mansuetudo. Non est illic aemulatio et invidia, non morbus, non haec mors corporis, non illa animae, non sunt tenebrae neque nox; omnia sunt dies, omnia lux, omnia sunt mitia ac mansueta, omnia splendida. Non potest capi satietas, semper erimus in perpetuo bonorum desiderio* etc. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joh. cap. 58: *Nos dicimus, nullas corruptionis reliquias, nullum signum, nulla consequentia vel antecedentia post resurrectionem in* XX.
hominibus futura. Eucherius homil. 1. de epiph. Dom.: *Veniet tempus illud exspectatissimum ac beatissimum, in quo nobis ad serviendum Deo nostro nulla jam obsistat infirmitas, nulla contradicat miserae carnis adversitas, nulla ulterius remaneat pugnandi necessitas. Veniet, inquam, tempus illud, quando jam nulla desideretur cibi somnique refectio, nulla sentiatur jejunii lassitudo, nulla timeatur vel de carne inquietudo, vel de hoste tentatio, sed adversario in inferni profunda contruso perfruemur hac primum felicitate, ut incipiamus nec velle ultra peccare, nec posse, cessante omni iniquitate, omni miseria, omni moerore, totum innocentia, totum laetitia, totum felicitas possidebit. Nullam inferior miseriam, nullam felicior timebit invidiam, quia exinanita et penitus exstincta omni malignitate transibit in pectora hominum claritas angelorum, quibus admixti homines jam coelestes recepta carne sine carnis infirmitate fulgebunt et ideo nullum ulterius patientur de sempiterna domini servitute fastidium, nullum sub perenni laudum suarum exsul-*

tatione defectum. Augustinus lib. 3. de symb. cap. 11: *Facilius possumus dicere in illa vita aeterna, quid ibi non sit, quam quid sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames, nulla sitis, nullus aestus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla moestitia, nulla tristitia.* serm. 64. de verb. Domini secundum Joh.: *Non erit ibi lassari et dormire, non erit ibi esurire et sitire, non ibi erit crescere et senescere, quia nec nasci erit, ubi numeri integri manent.* Alcimus lib. 2. de pecc. orig.:

Cessabit gemitus, luctus, metus, ira, voluptas,
Fraus, dolor atque dolus, moeror, discordia, livor,
Nullus egens, nullus cupiens etc.

Prosper de vita contemplat. lib. 1. cap. 4: *Nec ulla peccata ibi, nec peccatores erunt, et qui ibi fuerint, jam peccare non poterunt.* Smaragdus in regulam Bened. in expos. prologi: *In vita aeterna non est fletus nec ullus potest esse gemitus; ibi habebunt omnes sancti amorem perfectum, timorem nullum et gaudium sempiternum; ibi enim erit eis voluntas certa, cupiditas nulla, quia fruentur bonis coelestibus, ad quae pervenire cupiebant. Nihil eis deerit, quod ulterius concupiscant, et in illa regione perpetuae securitatis ac pacis perfectae nec timoris stimulos passuri sunt, nec dolores.*

vi- 59. Bona vitae aeternae θετικά seu *positiva* qui-
ter- dam revocant ad tres classes, videlicet *ad Dei vi-*
osi- *sionem, dilectionem et glorificationem,* cujus distributionis fundamenta petunt 1. *ex tribus summorum bonorum generibus* naturae rationali in prima creatione a Deo attributis, videlicet *sapientia* seu agnitione Dei perfecta et omnibus numeris absoluta sine errore et ignorantia; *justitia* seu obedientia erga Deum juxta legem integra sine peccato, quae Deo maximopere placuit; et *laetitia cordis* in Deo tanquam summo bono suavissime acquiescentis, quae comes fuit priorum duorum beneficiorum individua. 2. *Ex oppositis tribus gradibus* poenarum, mortis et damnationis aeternae, qui sunt: *tenebrae* seu caligo perpetua; *odium Dei* et ecclesiae ἄσπονδον seu furor peccandi diabolicus; et *cruciatus* nunquam finiendus. 3. *Ex dicto Augustini,* quo lib. 22. de civitate Dei caput ultimum concludit: *Ibi Deum sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, sine defatigatione laudabimus.* Nos σαφηνείας καὶ εὐμεθοδείας causa hoc modo progredimur. Bona vitae aeternae θετικά sive positiva distingui possunt in *bona interna,* quae
83. beati in semet ipsis sentient, et *externa,* quae in sociis beatitudinis intuebuntur, quorum intuitu bona interna augmentum capient quaeque ratione
na. externi domicilii percipient. 1. *Interna bona* sunt vel totius compositi, vel *alterutrius partis,* animae scilicet vel corporis. *Bona totius compositi* vocamus ea, quae ad animam et corpus beatorum pertinent, quamvis ad animam *primario et originaliter,* ad corpus *secundario et consequenter; bona alterutrius partis* accipienda sunt *non exclusive,* quasi a bonis animae penitus separatum futurum sit corpus et a bonis corporis prorsus separanda sit anima, sed *inclusive et subordinate.* Cum enim inter animam et corpus arctissima futura sit unio, ideo orietur ex ea talis communicatio, qua bona animae redundabunt in corpus et vice versa bona corporis redundabunt in animam. Inter bona interna 1. totius compositi eminet 1. Totius compositi
1. *beata et beatifica Dei visio,* quam electis in vita 1. Dei visio.
aeterna competere sequentia Scripturae dicta ostendunt. Job. 19, v. 26: *In carne mea videbo Deum,* v. 27. *quem visurus sum ego mihi et oculi mei conspecturi sunt et non alienus.* (Hoc dictum non esse accipiendum de visione Dei, quae in hac vita Jobo obtigit, sed de ea, quam post resurrectionem speravit, ex contextu ostendimus in tract. de resurr. §. 9.) Psalm. 11, v. 7. יָשָׁר, *rectum* (per heterosin numerorum *recti,* ut exponunt rabbini) *videbunt faciem ejus.* Psalm. 16, v. 11: *Saturitas laetitiarum est cum vultu tuo.* Psalm. 17, v. 15: *Ego in justitia videbo* פָּנֶיךָ, *faciem tuam.* (חָזָה quando cum ב construitur, quod fit hoc loco, non significat nude ac simpliciter intueri, sed *cum quadam delectatione et voluptate spectare.* Psalm. 27, v. 4: *Ad videndum in amoenitate Domini.* Mich. 4, v. 11: *Videbit in Sion oculus noster,* h. e. cum voluptate spectabit, id quod voluit, optavit et exspectavit, quae significatio pulchre huic loco congruit, פָּנִים plurale tantum significat *faciem et personas,* sed prior significatio usitatior est, in qua etiam hoc loco usurpatur.) Psalm. 27, v. 13: *Credo, me visurum bona Domini in terra videntium.* Psalm. 36, v. 10: *Quoniam tecum vena vitae, et in lumine tuo videbimus lumen* (in quem locum sic commentatur Augustinus in soliloquiis cap. 36: *Tu es quippe lumen, in cujus lumine videbimus lumen, te scilicet in te, in splendore vultus tui, quando te videbimus a facie ad faciem*). Psalm. 42, v. 3: *Quando erit, ut videam faciem Dei?* (non solum in ecclesia militante, in qua Deus per verbum sese revelat, sed etiam ac vel maxime in ecclesia triumphante). Matth. 5, v. 8: *Beati mundo corde, quia Deum videbunt.* Sicut mundities cordis in hac vita nondum est perfecta (Esa. 66, v. 18: *Venient et videbunt gloriam meam.* Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 8. refert huc dictum Psalm. 5, v. 4: *Mane adstabo tibi et contemplabor. Cum tenebrae mortalitatis nostrae transierint,* inquit, *tunc erit illud mane nostrum,* et Psalm. 91, v. 16: *Longitudine dierum replebo eum et ostendam ei salutare meum*). In futura autem perficietur; sic visio Dei in hac vita inchoatur, in futura consummabitur. Sicut in speculo lucido ac perpurgato imago facile conspicitur; sic in corde puro Dei facies relucet. (Hieronymus lib. 3. adv. Pelag.: *Mundum cor, quod postea visurum sit Deum, in umbra possidemus et imagine.*) Joh. 14, v. 21. *Qui diligit me,* inquit Christus, *diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum.* Joh. 17, v. 24: *Volo, ut ubi ego sum, etiam illi sint mecum, ut videant claritatem, quam dedisti mihi.* 1. Cor. 13, v. 12: *Videmus* XX. 384.
nunc per speculum in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem. (Justinus in ἐκδ. πίστ. pag. 298: δι'

ἐσόπτρου καὶ ἐν αἰνίγματι βλέπειν τὸ ἀμυδρόν tenuitatem et obscuritatem visionis significare, *παραινίττεσθαι*, asserit. Quemadmodum enim perquam tenuiter et imperfecte res corporeas adspiciunt, qui imagines earum in speculo intuentur; sic in hac vita Deum et divina mysteria imperfecte et quasi per speculum cognoscimus. Speculum illud sunt verbum, sacramenta et creaturae, h. e. *liber Scripturae et liber naturae*, sed huic speculari et aenigmaticae cognitioni intuitiva notitia in vita aeterna succedet.) 2. Cor. 3, v. 18: *Nos omnes retecta facie gloriam Domini intuentes in eandem imaginem transformamur a gloria in gloriam tamquam a Domini Spiritu* (in quem locum sic commentatur Chytraeus lib. de vit. et mort. p. 159: *In vita aeterna primum penitus remoto velo ignorationis Dei et densissimarum tenebrarum, quibus in hac vita circumsepti sumus, gloriosissimam faciem Domini Dei Zebaoth aeterni Patris et Filii ipsius Domini nostri Jesu Christi et Spiritus sancti lucem, essentiam, bonitatem, sapientiam, justitiam, omnipotentiam, veritatem et amorem inprimis ac misericordiam erga miserum genus humanum plus quam paternam, in clara et illustri luce retectam et oculis beatorum subjectam a facie ad faciem intuentes in eandem imaginem, ad quam initio conditi eramus, integre et perfecte transformabimur, simili luce experte omnis caliginis, sapientia sine errore, justitia sine omni peccato, laetitia sine omni moerore et vita sine morte, qualis in ipso Deo palam in nobis habitante et lucente fulget, complebimur et de gloria seu luce fidei in gloriam seu claritatem visionis aeternae transferemur.*) 2. Cor. 5, v. 7: *Per fidem ambulamus* (in hac vita) *et non per speciem* (quod in futura demum vita sequetur). Hebr. 12, v. 14: *Sine sanctimonia nemo videbit Deum* (in vita aeterna). 1. Joh. 3, v. 2: *Cum apparuerit, similes ei erimus, videbimus enim eum, sicuti est.* Apoc. 22, v. 3: *Servi ejus servient illi* v. 4. *et videbunt faciem ejus.*

60. De hac visione Dei in vita aeterna omnibus beatis exspectanda notandum est, 1. eam referri *inter bona electorum interna*, quia visio Dei cum fruitione illius summi boni et communione cum eo erit conjuncta. Neque enim eo modo electi videbunt Deum, quo in hac vita homo hominem intuetur, ex quo intuitu mere externo aliquid forte *voluptatis*, sed nihil vel parum *utilitatis* percipit; sed Dei visio erit vel maxime interna et intima, summam non solum laetitiam ac voluptatem, sed etiam omnium bonorum congeriem electis afferens. Cum enim Deus sit *summum bonum*, ideo visio Dei affert eximia et inenarrabilia bona. Unumquodque bonum, quo majus ac praestantius est, eo magis est sui *communicativum ac diffusivum;* quia ergo Deus est summum bonum, ideo per sui visionem suum bonum, suum gaudium, suam dulcedinem in summo gradu electis communicat. Nec in coelo, nec in terra majus bonum quam Deus. Ergo nec majus gaudium quam Deum videre, Deum possidere. Obscura et imperfecta illa Dei cognitio, quae in hac vita per verbum et Spiritus sancti illuminationem contingit, est interna et divinae naturae nos *κοινωνούς* efficit 2. Petr. 1, 4. ut cum ipso dicamur habere *κοινωνίαν* 1. Joh. 1, v. 6. quanto magis *intuitiva Dei visio*, quae clarissimam et perfectissimam Dei cognitionem complectitur, erit interna ac in *κοινωνίαν* longe uberiorem et arctiorem cum Deo nos reponet? Inde manifesta- XX. 88
tionem illam, quae in vita aeterna sequetur, Christus exponit per *μονήν* sive *mansionem* Patris coelestis, adeoque totius sacrosanctae Trinitatis in electis Joh. 14, v. 23. 2. Eam statui *bonum totius compositi*, quia ad animam et corpus beatorum pertinet. Quamvis enim adhuc controversum sit, an beati oculis corporeis glorificatis ipsam Dei essentiam sint visuri, qua de re in quaestionibus aliquid monebitur; certum tamen est, beatos corporeis suis oculis Christi verum Deum et hominem visuros, ac proinde a Dei visione beatorum corpora non possunt penitus excludi. Joh. 14, v. 9. *Qui videt me*, ait Christus, *videt Patrem*, v. 10. *quia ego in Patre et Pater in me est.* Visio ergo Dei ad cognitionem intellectualem habet se ut *genus ad speciem* sive *totum ad partem*, inde pii veteres beatis triplicem visionem tribuunt, *corporalem*, qua visuri sunt Christi humanitatem et sanctos in corporibus glorificatis ac coelum novum et terram novam; *spiritualem*, qua visuri sunt angelos et animas beatorum; *intellectualem*, qua visuri sunt ipsum Deum. 3. Eam statui *praecipuum et maximum beatorum bonum* tum *ratione objecti*, quia versatur circa Deum, qui est summum et infinitum bonum, extra quem et praeter quem non est verum bonum, qui est fons omnis boni ac proinde etiam omnis beatitudinis; tum *ratione effecti*, quia ex visione Dei omnia beatorum bona unice oriuntur ac dependent. Quemadmodum enim ex eo, quod angeli in coelis dicuntur *διὰ παντὸς videre faciem Dei, qui in coelis est* Matth. 18, v. 10. recte colligitur, quod vivant in summa laetitia ex hac Dei visione in ipsos redundante, quod Deum laudent et glorificent, quod mysteria divina perfecte cognoscant, quod sint in bono confirmati, quod Deo serviant etc.; ita quoque ex eo, quod beati in vita aeterna Deum dicuntur visuri, recte infertur, quod ex illa visione Dei dilectio et glorificatio, summa delectatio et exsultatio, adeoque omnia reliqua corporis et animae bona sint exoritura, ut in progressu plenius et in specie ostendetur. Augustinus q. 114. in Genes.: *Dei visio summum erit beatorum praemium.* Deus est *summa dulcedo*, summum gaudium; utique ergo ex visione Dei in beatis oritur summum et ineffabile gaudium. Deus est *ipsa vita*, *ipsa lux*, *ipsa beatitudo essentialis;* ergo ex visione Dei electi participant vitam, lucem et beatitudinem. Summum bonum per visionem cognitum non potest non amari, quia haec est natura boni, ut ad sui amorem alliciat; ergo ex visione Dei oritur in beatis summa dilectio Dei. Summum bonum cognitum et amatum non potest non laudari, praedicari et glorificari, quia quod quis amat, illud etiam laudat et glorificat; ergo ex visione et dilectione Dei orietur in beatis ejusdem glorificatio. Qui Deum

intuitive videt et cognoscit, is etiam divina mysteria cognoscit, quia perfecta Dei cognitio complectitur etiam voluntatis et sapientiae divinae cognitionem; utique ergo ex Dei visione divinorum mysteriorum scientifica cognitio orietur. Qui Deum intuitive cognoscit, in bono confirmatus est, quia a summo bono perfecte cognito voluntarie nunquam se avertit; ergo ex Dei visione orietur electorum in bono confirmatio, quod nec voluntatem, nec facultatem peccandi ulterius sint habituri, ut apparet in sanctis angelis. Qui Deum a facie ad faciem videt, is etiam coram throno ejus stans ipsi servit Apoc. 7, v. 9.
186. unde in Scripturis proceres et ministri regii *faciem regis videre* dicuntur, quia ad mandata ejus exsequenda regi praesto sunt, ac dilectio ex visione Dei in beatis orta efficit, ut ad quaevis obsequia promti sint ac parati; ergo etiam ex Dei visione oritur promtitudo ad Dei servitium et cultum. 4. Eam conjunctam fore *cum singulari Dei favore et gratia. Facies Dei* in Scripturis significat non solum gratiam et favorem, sed etiam iram ac furorem Levit. 17, v. 10. cap. 26, v. 17. 2. Thessal. 1, v. 9. etc. proinde ut intelligatur, visionem faciei divinae significationem favoris, gratiae et clementiae includere, ideo Psalm. 36, v. 10. dicitur, *quod beati in lumine Dei visuri sint lumen;* jam vero lumen faciei semper notat favorem ac gratiam Numer. 6, v. 25. Psalm. 4, v. 7. Psalm. 31, v. 17. Psalm. 67, v. 2. Psalm. 119, v. 135. etc. qua de re in disput. de benedictione ecclesiastica numer. 6. plenius egimus. Quemadmodum in hac vita est signum eximii amoris ac favoris, si rex vel princeps in secretius conclave ad videndum faciem suam aliquem admittat, familiariter cum ipso conversetur ac sereno, laeto ac lucido vultu eum intueatur, Prov. 16, v. 15. *in hilaritate vultus regis vita*, Hebraeum *in luce faciei* vel *cum illuxerit facies;* sic visio divinae faciei arguit, Deum beatos summo amore complecti, familiarissime et suavissime cum illis conversari, imo in illis et cum illis habitare, *ut sint populus ejus et ipse sit Deus eorum* Apoc. 21, v. 3. 5. Eam esse *bonum vitae aeternae proprium.* Exod. 33, v. 19: *Ego ostendam tibi omne bonum*, h. e. post hanc vitam ostendam tibi me ipsum, in quo continetur omne bonum, ostendam autem perclaram visionem, nam in hac vita *non poteris videre faciem meam*, sed duntaxat *posteriora mea videbis.* 1. Cor. 13, v. 12: *Videmus nunc* (in hac vita) *per speculum in aenigmate*, *tunc autem* (in futura vita) *a facie ad faciem.* 2. Cor. 5, v. 7: *Per fidem ambulamus et non per speciem* (quod tunc demum nobis obtinget, quando *praesentes erimus ad Dominum* v. 8.) 1. Joh. 3. v. 2: *Cum apparuerit* (Christus in die extremo 1. Joh. 2, v. 28. vel cum patefactum fuerit id, quod erimus, utroque enim modo verbum φανερωθῇ exponi potest), *tunc videbimus eum, sicut est.* Eo quidam interpretes putant apostolum respexisse, quando 1. Cor. 13, v. 13. caritatem fide majorem statuit, quia scilicet fide cessante caritas duratura est in vita aeterna. *Fidei enim succedet visio ac spei fruitio*, h. e. fides transibit in notitiam intuitivam et rei praesentis adspectum, sicque mutabit suam speciem ac naturam, quod caritati non congruit, quae eandem naturam retinet, licet ratione graduum augeatur ac perfectior reddatur. Chrysostomus homil. 34. in 1. Corinth.: *Caritas major fide et spe, quia transeunt hae, illa durat.* Anshelmus in comm. ejusd. loci: *Fides cessabit, dum futura, quae creduntur, advenerint, et spes finem habebit, dum beatitudinem, quam quisque praestolatur, acceperit; sola vero caritas in aeternum perseverabit et de visione conditoris ac beatitudine sanctorum sine fine gaudebit.* Neque huic assertioni repugnat, quod Jacobus patriarcha Gen. 32, v. 30. *Dominum a facie ad faciem* in hac vita vidisse, et Exod. 33, v. 11. ad Moysen, Deut. 5, v. 4. ad Israëlitas Deus *a facie ad faciem locutus* dicitur, illud enim de apparitione Filii Dei in forma humanà ad tempus assumta ac de familiari et amica conversatione Dei cum homine, qualis in hac vita locum habere potest, accipiendum, de intuitiva enim XX. 387.
ac beatifica visione dicit ipse Dominus ad Moysen Exod. 33, v. 20: *Non poteris videre faciem meam;* v. 23. *videbis posteriora mea*, *faciem autem meam videre non poteris.* Proinde manet peculiare ac proprium aeternae vitae bonum, quod electi sint Deum visuri αὐτοπροσώπως eundemque audituri αὐτοφώνως. 6. Denique promissionem de visione Dei in vita aeterna beatis exspectanda, quae est caput reliquarum promissionum omnium, non everti oraculo divino Exod. 33, v. 20: *Non videbit me homo et vivet.* Neque enim absolute et simpliciter dicit Dominus, *non videbit me homo*, sed addit conditionem *et vivet*, hoc est quamdiu in his terris vivit, ut sit sensus, in statu hujus vitae nemini beata et beatifica illa visio obtingere poterit. Gregorius lib. 18. moralium cap. 37. sic exponit: *Nullus Deum spiritualiter videt et mundo carnaliter vivit, non enim possumus simul frui Deo et mundo.* Sed hoc a literali sensu longius recedit.

Dicta veterum de Dei visione.

61. De visione illa Dei beatifica et communione beatorum cum Deo sic loquuntur veteres. Dionysius de div. nominib. c. 1: *Tunc vero quando incorruptibiles immortalesque facti erimus et ad imaginem Christi beatissima dignati requie, semper* (ut scriptum est) *cum Domino erimus, visibili quidem ipsius divina praesentia castissime contemplando fruentes, lucidissimis nos circumfulgente luminibus, non secus ac discipulos in sacratissima illa transfiguratione sua; porro spiritualis ipsius et intelligibilis lucis* (*mente perturbatione omni et materia libera*) *participes facti, ejus qui sensum omnem superat, unionis lucidissimorum radiorum incognitis ac beatissimis jactibus erimus supercoelestes spiritus* etc. Irenaeus lib. 4. adv. haeres. c. 37. p. 267: *Potens est in omnibus Deus visus quidem, tunc per spiritum prophetiae, visus est autem et per Filium adoptive, videbitur autem et in regno coelorum paternaliter, Spiritu quidem praeparante hominem in Filium Dei, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptibilem donante in vitam aeternam, quae

unicuique evenit ex eo, quod videat Deum. Quemadmodum enim videntes lumen intra lumen sunt et claritatem ejus recipiunt; sic et qui vident Deum, intra Deum sunt percipientes ejus claritatem. Vivificat autem eos claritas, percipiunt ergo vitam, qui vident Deum etc. Idem lib. 5. c. 10. p. 325: *Facies nostra faciem Dei vivi videbit et gaudebit gaudio inenarrabili, videlicet cum suum videat gaudium.* cap. 11: *Si igitur nunc habentes pignus Spiritum Dei clamamus Abba pater, quid fiet, quando resurgentes facie ad faciem Deum videbimus?* etc. *Si pignus complectens hominem in semet ipsum jam facit dicere Abba pater, quid faciet universa Spiritus gratia, quae hominibus dabitur a Deo? similes nos ei.* cap. 22. p. 355: *Quicunque erga Deum custodiunt dilectionem suam, his praestat communionem. Communio autem Dei vita et lumen et fruitio eorum, quae sunt apud eum, bonorum.* Hilarius in Psalm. 55: *Sunt ergo in se vota, quae reddet tum, cum lumen viventium sit in eodem viventium lumine Deo ipse placiturus.* Gregorius Nazianzenus orat. 4. de theol.: *Μηκέτι πολλὰ ὄντες, ὥσπερ νῦν τοῖς κινήμασι καὶ τοῖς πάθεσιν οὐδὲν ὅλως θεοῦ ἢ ὀλίγον ἐν ἡμῖν αὐτοῖς φέροντες, ἀλλ' ὅλοι θεοειδεῖς, ὅλου θεοῦ χωρητικοὶ καὶ μόνου, τοῦτο γὰρ ἡ τελείωσις, πρὸς ἣν σπεύδομεν, non amplius multa existentes, ut nunc, variis animorum motibus et affectibus jactitati nihil omnino Dei aut parum in nobis habemus,*
XX. 388. *sed toti Deo similes et conformes totiusque Dei capaces futuri sumus, haec enim est perfectio, ad quam tendimus.* Idem in carminibus:

Ἓν μόνον ἀνθρώποισι καλόν τε καὶ ἔμπεδόν ἐστιν,
Ἔνθεν ἀφορμᾶσθαι καὶ θεὸν αὐτὸν ὁρᾶν,

(*unum modo hominibus et pulchrum et certum est, hinc abire et Deum ipsum videre*). Idem in orat. ad Patrem ob grandinis calamitatem: *Beatos lux excipiet ineffabilis* (τὸ ἄφραστον φῶς) *et sanctae ac regiae Trinitatis contemplatio radios suae lucis illustrius et purius in mentes nostras spargentis, et toti menti totaliter commixta, quam ego solam regnum coelorum potissimum esse arbitror.* Idem jambico 15.

Felicitas quid? vivere beatum.
Quid et coeleste regnum? visio summi Dei.

Gregorius Nyssenus lib. de virginit.: *Τὸ καταξιωθῆναι τὸν θεὸν ἰδεῖν πάσης ἐλπίδος ἡ κορυφὴ καὶ πάσης ἐπιθυμίας καὶ τῶν ἀῤῥήτων ἀγαθῶν τὸ πέρας καὶ κεφάλαιον, dignitas videndi Deum supremum omnis spei fastigium et omnis desiderii ac bonorum ineffabilium finis caput et summa est.* serm. 6. de beatitud.: *Ὁ τὸν θεὸν ἰδὼν πᾶν, ὅπερ ἐστὶν ἐν τῷ τῶν ἀγαθῶν καταλόγῳ, διὰ τὸ ἰδεῖν ἔσχε, τὴν ἀτελεύτητον ζωὴν, τὴν ἀΐδιον ἀφθαρσίαν, τὴν ἀθάνατον μακαριότητα, τὴν ἀτελεύτητον βασιλείαν, τὴν ἄληκτον εὐφροσύνην, τὸ ἀληθινὸν φῶς, τὴν πνευματικὴν καὶ γλυκεῖαν τροφὴν, τὴν ἀπρόσιτον δόξαν, τὸ διηνεκὲς ἀγαλλίαμα, τὸ πᾶν ἀγαθόν, qui Deum vidit, quidquid in bonis numeratur, per hoc, quod vidit, adeptus est, vitam sine fine, aeternam incorruptibilitatem, immortalem beatitudinem, regnum sine fine, laetitiam continentem, lumen verum, spirituale ac dulce nutrimentum, gloriam inacessam, perpetuam exsultationem, omne denique bonum.* Ambrosius in comm. 1. Cor. 13: *Cognoscam sicut et cognitus sum, hoc est videam, quae promissa sunt, sicut videor, h. e. praesentem esse ad Deum, ubi Christus est.* Augustinus lib. de spiritu et anima cap. 55: *Visio Dei est tota vita aeterna. Si mali Dei faciem viderent, poenis carerent.* lib. 1. de Trinit. cap. 8: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, h. e. in similitudinibus, tunc a facie ad faciem. Haec enim nobis contemplatio promittitur actionum omnium finis atque aeterna perfectio gaudiorum.* Et postea: *Hoc est plenum nostrum gaudium, quo amplius non est, frui scilicet Trinitate Dei, ad cujus imaginem facti sumus.* lib. 10. de civit. Dei cap. 16: *Illa namque visio Dei tantae pulchritudinis visio est et tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis praeditum atque abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere.* In meditat. cap. 22: *O tu vita, quam praeparavit Deus his, qui diligunt eum, ubi Deus facie ad faciem cernitur, et hoc vitae cibo mens sine defectu satiatur.* cap. 27: *Quis dicere vel cogitare sufficiat, quae sit in angelis* (et beatis hominibus) *sine fine festivitas visionis Dei, quae laetitia sine defectu, quis amoris ardor non crucians, sed delectans? quod sit in eis desiderium visionis Dei cum satietate et satietas cum desiderio, in quibus nec desiderium poenam generat, nec satietas fastidium parit? quomodo inhaerendo summae beatitudini sint beati? quomodo conjuncti vero lumini facti sunt lux? quomodo semper adspicientes incommutabilem Trinitatem mutati sunt in incommutabilitatem?* Et postea sub finem: *Nihil tam pulchrum ac jucundum quam ipsum solum mentis intuitu et cordis aviditate contemplari Deum et miro modo invisibiliter cernere*
invisibilem, sicque aliam non istam gustare dulce- XX. 38
dinem et inspicere aliam non istam lucem. Lux enim ista, quae loco clauditur, tempore finitur, noctium interruptione variatur, et quam communem cum vermibus et pecoribus habemus, in comparatione illius summae lucis non lux dicenda est, sed nox. cap. 28: *Illa summa et incommutabilis essentia, lux vera, lux indeficiens, lux angelorum a nemine conspici valet in hac vita, quod solum praemium sanctis reservatur in coelesti gloria.* In soliloq. c. 36: *Cum pervenerimus ad te sapientiae fontem, ad te lumen indeficiens, ad te lucem inexstinguibilem, ut te non jam per speculum in aenigmate, sed facie ad faciem videamus; tunc satiabitur in bonis desiderium nostrum, quia nihil erit exterius, quod desideretur nisi tu, Domine, summum bonum, qui eris praemium beatorum et diadema decoris eorum et laetitia sempiterna super capita eorum etc. Videbimus in lumine tuo lumen. Quale autem lumen? lumen immensum, lumen incorporeum, lumen incorruptibile, lumen incomprehensibile, lumen indeficiens, lumen inexstinguibile, lumen inaccessibile,*

lumen increatum, lumen veridicum, lumen divinum, quod illuminat oculos angelorum, quod laetificat juventutem sanctorum, quod est lumen luminum et fons vitae, quod es tu, Domine Deus meus etc. *Quid est videre facie ad faciem, nisi quod ait apostolus, cognoscere, sicut et cognitus sum, cognoscere veritatem tuam et gloriam tuam, hoc est cognoscere faciem tuam? Cognoscere Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti clementiam, ipsius summae Trinitatis unam et individuam essentiam. Videre enim faciem Dei vivi, hoc est summum bonum, gaudium angelorum atque omnium sanctorum, praemium vitae aeternae, gloria spirituum, laetitia sempiterna, corona decoris, bravium felicitatis, requies opulenta, pulchritudo pacis, intimum et externum gaudium, paradisus Dei, Hierusalem coelestis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium aeternitatis, pax Dei, quae exsuperat omnem sensum. Haec est plena beatitudo et tota glorificatio hominis videre faciem Dei sui, videre eum, qui fecit coelum et terram, videre eum, qui fecit eum, qui salvavit eum et qui glorificavit eum.* de tripl. habit. cap. 4: *Si Dei faciem omnes carcere inferni inclusi viderent, nullam poenam, nullum dolorem nullamque tristitiam sentirent. Dei praesentia, si in inferno cum sanctis habitatoribus appareret, continuo infernus in amoenum converteretur paradisum* etc. *Cum angeli ab initio mundi mirabilia Dei soliti sint videre, inde hodie non minus mirantur ea quam in primo die, alioqui dudum coram angelis assiduo videndi usu vilescerent.* serm. 64. de verb. Domini secundum Johannem: *Erimus illic salvi, erimus incolumes, erimus viventes, erimus sine poenis, erimus sine fame et siti, erimus sine defectu, erimus sine orbitate oculorum nostrorum. Totum hoc dixi, et quid habebimus plus? nondum dixi, videbimus Deum. Hoc autem tantum erit et tanta res erit, ut ejus comparatione nihil sit totum.* Discipulus de tempore allegat dictum Augustini, *quod Deum videre ita sit delectabile, ut potius velit esse in inferno et Deum videre quam in coelo et ejus visione carere.* Beda in cap. 12. Marci: *Sicut angeli in coelis erunt, ita et erunt sancti, qui gloria resurrectionis innovati absque ullo mortis metu, absque ulla labe corruptionis perpetua Dei visione fruentur.* Idem in cap. 11. Marci: *O quanta felicitas Deitatis visioni inter angelorum choros adesse perpetuo, si tanta transfigurata Christi humanitas duorumque societas sanctorum ad punctum visa delectet, ut eos, ne de-*
90. *scendant, etiam Petrus obsequio sistere velit.* Gregorius in homil. super illud Johannis 10: Per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur et pascua inveniet: *Ingredientur ad fidem, egredientur autem a fide ad speciem, pascua autem invenient in aeterna refectione. Oves ejus ergo pascua invenient, quia quisquis illum corde simplici sequitur, aeterno viriditatis pabulo nutritur. Quae autem sunt istarum ovium pascua nisi interna gaudia semper virentis paradisi? pascua namque electorum sunt praesens Dei vultus, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens vitae cibo satiatur. In istis pascuis de aeternitatis satietate laetantur, quia jam laqueos voluptuosae temporalitatis evaserunt.* Damascenus lib. ultimi de orth. fid. cap. ultimum sic concludit: *Qui bona egerunt, fulgebunt sicut sol cum angelis in vitam aeternam cum Domino nostro Jesu Christo, ipsum videntes semper, ab eoque cernentur et incessabili, quae ab eo est, laetitia perfruentur.* Prosper lib. 1. de vit. contempl. cap. 4: *Quod hic crediderunt electi, ibi videbunt, sui creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes aeterna exsultatione gaudebunt, divina ac mutua dilectione possessi Deo suo in aeternum et invicem sibi feliciter adhaerebunt.* Alcuinus lib. 3. de beat. sanct. cap. 22: *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt. Haec est absque omni perturbatione beata Dei pax, quae exsuperat omnem sensum, in qua videbitur Deus deorum in Sion, hoc est in speculo perpetuae quietis.* Bernhardus de medit. cap. 4: *Omnes delectantur de Deo, cujus adspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum, ipse per se placet et per se sufficit ad meritum, sufficit ad praemium, nec extra illum quidquam quaeritur, quia totum in illo invenitur, quidquid desideratur. Semper libet eum adspicere, semper habere, semper in illo delectari et illo perfrui* etc. *Ibi videbimus, quam dulcis est Dominus et quam magna multitudo dulcedinis ejus; videbimus gloriae decorem, sanctorum splendorem et regiae potestatis honorem; cognoscemus Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus sancti benignissimam clementiam, et ita habebimus notitiam summae illius Trinitatis. Nunc corpora per corpus videmus, imagines etiam corporum spiritu cernimus, tunc vero ipsam Trinitatem puro mentis intuitu videbimus. O beata visio, videre Deum in se ipso, videre in nobis et nos in eo felici jucunditate et jucunda felicitate* etc. *Haec erit summa illius contemplationis, haec erit summa illius felicitatis, quoniam intelligetur in suo puro esse sincera divinitas, comprehendetur in ea incomprehensibilis Trinitas. Patebunt arcana divinitatis, videbitur et amabitur Deus, et haec visio et delectatio totum cor hominis implens et satians tota erit illius beatitudinis consummatio.* Idem: *Tripliciter in aeterna illa et perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, et quod his omnibus ineffabiliter jucundius fit atque beatius, ipsam quoque cognoscentes Trinitatem.* Hugo in evang. Dom. resurrect.: *Beatitudo principaliter consistit in cognoscendo et amando Deum et possidendo. Anima per essentiam Deum cognoscet et non per aliquam similitudinem et ipsum perfecte amabit tanquam summum bonum et perfecte possidebit in se tanquam proprium et intrinsecum bonum.* Lutherus in enarr. 1. Cor. 15: *In futuro seculo tantum in Deo habituri sumus, ut nulla coena quamlibet delicate et opipare instructa tantum praebitura sit nobis voluptatis, quantum*

Deus ipse unico intuitu nos delectabit et afficiet. Itaque semper sanus et validus, semper laetus et
XX. 391. *alacris, neque non sole et luna pulchrior et nitidior permanebis, adeo ut vestes aureae atque purpureae, quas reges et caesares ferre solent, pro luto et stercore ducendae sint, si cum uno adspectu, quo Deus nos illustrabit, comparatae fuerint.* Refero huc locum pulcherrimum ex Scaligero exerc. 307. sect. 26: *Beatitudo est fruitio summi boni, sed quid est fruitio? participatio. Quomodo participatur ei, qui fruitur? non abscedit ab illo illa pars, ut huic communicetur, sed hoc cum illo unum, quo potest modo sit. Quo potest modo? potestne finitum unum fieri cum infinito? non hoc, quo illud infinitum est, sed quo bonum, hoc finitum fit cum illo unum per similitudinem. Hoc de ea beatitudine, quae in subjecto est et qua subjectum fit beatum. Fit ergo, quia una fit beatitudo cum illa beatitudine, quae neque in subjecto illo est, neque ipsa subjectum ullum.*

Explicatio dicti 1. Cor. 15, v. 28. Deus erit omnia in omnibus.

62. Omnium vero rectissime et plenissime apostolus explicat, quantum bonum futurum sit Dei visio, quando 1. Cor. 15, v. 28. *Deum omnia in omnibus fore*, pronuntiat. Plura quidem in his verbis continentur, quam humanus intellectus in hac vita assequi possit, interim ut aliquo duntaxat modo ac, ut philosophi loquuntur, *νόθῳ λογισμῷ* summam illam beatitudinis perfectionem exprimamus, progredimur hac ratione, ut statuamus, Deum in vita aeterna fore omnia in omnibus, 1. *ratione agentis immediati.* In hac vita *operatur* Deus omnia in omnibus 1. Cor. 12, v. 6. sed tunc *erit* omnia in omnibus. ** Brentius in recognit. tom. 8. pag. 1066: *Paulus non dicit simpliciter, Deus erit omnia, sed addit in omnibus. Nec ego Paulum exponens dixi simpliciter, Deus erit coelum, locus, cibus, potus et reliqua, sed addidi noster. Quare quemadmodum nec Paulus, ita nec ego unquam sensi, omnia redigenda in Deum, sed Deum fore omnia in nobis, in nobis inquam, videlicet apte significans, nos non redigendos in nihilum, ut nihil prorsus praeter Deum remaneat, sed nos in nostra substantia resuscitatos, non collecturos particulatim et quasi emendicatim ea, quae sunt nobis ad vitam et salutem nostram necessaria, ab aliis creaturis mediate, quemadmodum in hoc seculo fieri solet, sed nos habituros omnem nostram felicitatem et salutem a Deo ipso immediate* etc.** Dixerat apostolus in praecedentibus, primo *Christum traditurum regnum Deo Patri;* secundo *evacuaturum omnem principatum et potestatem et virtutem* v. 24. tertio *ponendos omnes hostes sub pedes ejus* v. 25. quarto *novissimum hostem mortem esse aliquando destruendum* v. 26. quinto *omnia pedibus ejus subjicienda praeter eum, qui subjecit ipsi omnia* v. 27. sexto denique, *cum omnia fuerint illi subjecta, tunc ipsum quoque Filium subjectum fore ei, qui subjecit ipsi omnia, ut sic Deus sit omnia in omnibus.* Ex his verus et genuinus hujus phraseos sensus utcunque colligi potest: Deus in hac vita nobiscum agit non *immediate* sed *mediate.* Per ministerium verbi informat nos de via salutis, per verbum et sacramenta colligit sibi ecclesiam eandemque adversus hostes potenter defendit, corda hominum per verbum et Spiritum sanctum illuminat, regenerat, sanctificat, renovat, novos motus in illis accendit. Atque hoc est regnum Christi, quod in his terris administrat, sed in die judicii *tradet illud regnum Deo Patri,*
h. e. modum illum administrationis ac regiminis abolebit XX. 39
ac electos utpote regni hujus cives Deo Patri glorificandos sistet, non amplius per verbum et sacramenta cum ipsis aget, sed se ipsum et gloriam suam illis conspiciendam sistet, adeoque a fide ad praesentem intuitum eos perducet, non amplius contra hostes eos defendet, sed omnes hostes et inter eos ipsam mortem penitus destruet, ut ab illis nullum amplius metuendum sit periculum, *omnia pedibus suis subjiciet,* h. e. publice in conspectu angelorum et hominum manifestabitur, quod omnia a Patre ipsi sint subjecta, *ipse etiam subjectus erit Patri,* in suis scilicet membris, cum quibus unum corpus mysticum constituit. Pii in hac vita sunt subjecti Deo secundum spiritum, sed quamdiu in ipsis *caro adversus spiritum concupiscit,* nondum ex integro sed ex parte Deo subjecti sunt, ut notat Origenes homil. 7. in cap. 10. Levit. pag. 138. tunc vero penitus cessabit lucta carnis adversus spiritum, ac pii plene, integre ac perfecte secundum carnem et spiritum Deo erunt subjecti. In hac vita piis adhuc imminet ac dominatur mors temporalis, sed tunc, quando mors penitus abolebitur, consummata erit beata illa subjectio. Oseae 12, v. 11. dicit Dominus: *Ego per manum prophetarum* אֲדַמֶּה, *assimilatus sum* (ponitur enim futurum pro praeterito juxta vulgarem Hebraeis idiotismum, unde LXX interpretes reddiderunt ὡμοιώθην), ex quo colligitur, quod prophetae et in genere omnes ecclesiae ministri sint velut Dei larvae, per quas nobiscum loquitur, sicut Lutherus in annot. margin. istius loci scribit: Die Propheten waren meine Larven oder Personen, darunter ich gegenwärtiglich alles that und redete. Quemadmodum igitur homo personatus deponit larvam, quando se ipsum manifestare cupit; sic Deus faciem suam, h. e. se ipsum electis deposita verbi larva in vita aeterna manifestabit. In commentar. Lat. fol. 542. Lutherus exponit *active,* quod prophetae sint veluti pictores Dei, qui Deum nobis in verbo ac per verbum depingunt ac imaginem ejus velut in speculo nobis exhibent. *Proponit* (inquit) *nobis Deus in verbo similitudinem sui, h. e. pingit voluntatem suam, de qua non possunt dubitare, qui verbum fideliter retinent. Sicut enim pictura refert faciem hominis, ita verbum veram Dei notitiam nobis proponit.* Sed haec Dei pictura, haec umbratilis ac specularis Dei cognitio in vita aeterna abolebitur, *tunc enim videbimus eum, sicuti est,* non amplius per obscuram quandam imaginem. Apoc. 21, v. 22: *Templum non vidi in ea* (coelesti Hierosolyma, in quo homines per verbi praedicationem instituantur), *Dominus enim Deus omnipotens templum ejus et Agnus* (qui a facie ad faciem sine verbi involucro ab electis videtur). Cassiodorus in Cantic. cap. 4: *Sanctorum doctorum in praesenti*

tantum vita necessaria est praedicatio et doctrina, nam in alia vita, postquam apparuerit aeterna dies et finita fuerit nox praesentis seculi, non necesse erit, doceri aliquem, quia omnes revelata facie gloriam Domini contemplabuntur. In hac vita custodit nos Deus *per angelos* invisibiliter, *per magistratum politicum* visibiliter, per eundem praestat nobis quietem et tranquillitatem 1. Tim. 2, v. 2. prospicit liberis per parentes, egenis per benefactores etc. sicque omnia ad hanc vitam necessaria et utilia operatur nobisque commoda illa praestat, mediate scilicet per creaturarum ministeria; sed in vita aeterna Deus ipse erit omnia in omnibus, ipse enim immediate
93. electos proteget, custodiet, reget Apoc. 7, v. 17. faciet illos *angelis aequales* Luc. 20, v. 36. *evacuabit omnem principatum et potestatem et virtutem* 1. Cor. 15, v. 24. h. e. omnia imperia mundana Dan. 2, v. 44. quippe quorum in vita aeterna nullus amplius erit usus, omnem potestatem in omnes se habere ostendet, in omnibus dominabitur, omnia sibi subjiciet, et sic ipse solus immediate electis omnia praestabit, quae in hac vita mediate per diversa organa ipsis praestitit. In hac vita sustentat nos Deus per cibum et potum, sanitatem conservat ac restituit per medicinas, tegumentum corporis nobis praestat per vestes etc. sed in futura vita Deus ipse erit *cibus noster*, qui solus reficit nec deficit, ipse erit *animarum ac corporum nostrorum sanitas*, ipse erit *nostrum ornamentum ac munimentum*, sicque erit omnia in omnibus. In Deo solo et unico sine ullis aliis mediis et adminiculis cuncta ad beatitudinem aeternam necessaria habebimus, in eo solo et per eum solum erimus beati, salvi, ditati et locupletati honoribus, pulchritudine, fortitudine, donis, bonis et dignitatibus, *ὅπου γὰρ ἡ οὐσία τοῦ θεοῦ, ἐκεῖ καὶ ἡ τοῦ ἀγαθοῦ.* 2. *Ratione objecti.* In hac vita occupati sumus circa veri Dei cognitionem, dilectionem, laudem et cultum, sed in multa aliena distrahimur ac circa *τὰ βιωτικά* et res terrenas occupati a cura divinorum saepius avocamur; in futura autem vita *ἀπερισπάστως* Domino adhaerebimus 1. Cor. 7, v. 35. non curabimus amplius ea, *quae sunt mundi,* sed illa duntaxat, *quae sunt Domini* v. 32. circa solum Deum agnoscendum, laudandum, colendum citra ullam mentis distractionem ac impedimentorum objectionem erimus unice occupati. Moyses, Aaron et seniores Israëlitarum Deum in monte viderant Exod. 24, v. 10. sed ex monte descendentes ad negotia secularia revertebantur, occupati erant circa regimen politicum, circa cultum Leviticum, circa laborem oeconomicum; verum in vita aeterna ad praesentem Dei intuitum semel admissi nunquam ad alia negotia in posterum distrahentur, qui in templum Dei semel ingressus fuerit, *foras non egredietur amplius* Apoc. 3, v. 12. 3. *Ratione effecti.* In hac vita multis delectamur, sed in vita aeterna in solo et unico Deo erit omnis oblectatio; in hac vita variis et diversis bonis Deus nos cumulat, sed in futura ipse unus ac solus erit nostrum praemium, *erit lumen nostro intellectui, erit rectitudo nostrae voluntati, erit pacata quies nostro affectui, erit dulce melos nostro auditui, erit suavissimum mel nostro gustui, erit summa pulchritudo nostro visui, erit fragrantissimum balsamum nostro olfactui, erit summa voluptas nostro tactui.* Quidquid boni, quidquid laeti desideramus, in illo summo bono abundantissime inveniemus. Ipse erit finis omnium desideriorum nostrorum, ut extra et praeter illum nihil quidquam appetamus. *Erit omnia in omnibus*, h. e. lucem, laetitiam omniumque bonorum plenitudinem in omnes beatos effundet inque eis in aeternum habitabit Apoc. 21, v. 3. et 4.

63. Sed praestat *pios veteres* audire, quomodo Deus *omnia in omnibus* futurus sit, explicantes. Cyprianus serm. de adscens. Domini cap. 9: *Non gustabunt, quam suavis sit Dominus, sed implebuntur et satiabuntur dulcedine mirifica, nihil eis deerit, nihil oberit, omne desiderium eorum Christus praesens implebit* etc. *Erit Deus omnia in omnibus et* XX. 304.
illius praesentia omnes animae et corporis implebit appetitus. Hilarius in Psalm. 60: *Beati comparticipes et concorporales et conformes Christi effecti sunt, jam in his nec corruptione, nec morte dominante, cum in omnem plenitudinem Dei repleantur.* Nazianzenus in orat. funebr. ad patrem: *ὅπου γενόμενοι θεὸς αὐτὸς (ἵνα τολμήσας εἴπω) σχόντες ὅλην τῆς ἁγίας τριάδος τὴν ἔλλαμψιν, ἥτις ἐστὶ καὶ οἵα καὶ ὅση ἐν αὐτῷ Χριστῷ τῷ κυρίῳ ἡμῶν.* ** Nyssenus in disp. de anima et resurrectione super haec verba Pauli sic scribit: *Cum vita, quam in praesentia transigimus, varie pariter ac multifariam a nobis exigatur, multae quidem res sunt, quarum participes sumus, ut temporis, ut aëris, ut loci cibique et potus, ut tegumentorum, ut solis lucernarumque et aliarum rerum multarum ad usum vitae necessariarum, quarum rerum nulla Deus est. Beatitudo vero, quae exspectatur, nullius quidem harum rerum egena est, omnia autem nobis locoque omnium erit divina natura ad omnem usum ac necessitatem illius vitae sese convenienter et apte impertiens. Atque id planum et manifestum est ex sacris literis, quod Deus et locus exsistit iis, qui digni sunt, et domus et indumentum et cibus et potus et lumen et divitiae et regnum ac quidquid vel mente concipi, vel nominari potest, quod nobis conferat et conducat ad bonam vitam.*** Hieronymus in epist. 147. ad Amandum: *Dominus atque Salvator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis, verbi gratia in Salomone sapientia, in Davide bonitas, in Job patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Pinehas et Paulo zelus, in Johanne virginitas, in ceteris cetera; cum autem rerum omnium finis advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut singuli sanctorum omnes virtutes habeant, ut sit Christus totus in cunctis.* Augustinus lib. 1. de Trinit. c. 10: *Similitudinem gaudii coelestis praesignabat Maria sedens ad pedes Domini et intenta in verbum ejus, quieta scilicet ab omni actione et intenta in veritatem secundum quendam modum, cujus capax est ista vita, quo tamen praefiguraret illud, quod futurum est in aeternum, Martha quippe sorore

sua in necessitatis actione conversante, quamvis bona et utili, tamen cum requies successerit, transitura, ipsa requiescebat in verbo Domini. Et ideo Dominus conquerenti Marthae, quod eam soror non adjuvaret, respondit: Maria bonam partem elegit, quae non auferetur ab ea. Non malam partem dixit, quod agebat Martha, sed istam optimam, quae non auferetur. Illa enim, quae in ministerio indigentiae est, cum indigentia ipsa transierit, auferetur, boni quippe operis transituri merces est requies sempiterna. In illa igitur contemplatione Deus erit omnia in omnibus, quia nihil ab illo aliud requiretur, sed solo ipso illustrari perfruique sufficiet etc. Et postea: *Cum tradiderit Christus regnum Deo et Patri, id est cum credentes et viventes ex fide, pro quibus nunc Mediator interpellat, perduxerit ad contemplationem, cui percipiendae suspiramus et gemimus, et transierit labor et gemitus, jam non interpellabit pro nobis, sed manifeste Patrem nobis ostendet.* lib. 83. quaestionum q. 69: *Deus omnia in omnibus dicitur, ut nemo eorum, qui ei cohaerent, amet adversus eum suam propriam voluntatem, manifestumque sit omnibus, quod idem apostolus ait: Quid autem habes, quod non accepisti?* Et sub finem: *Corpus Christi mysticum subjectum erit Deo secundum contemplationem sempiternae veritatis ad obtinendam beatitudinem, nullo motu animi, nulla corporis parte resistente, ut in illa vita, nemine*
XX. 395. *amante propriam potestatem, sit Deus omnia in omnibus.* lib. 22. de civ. Dei c. 30: *Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus!* etc. *Praemium virtutis erit ipse, qui dedit virtutem, eique se ipsum, quo nihil melius et majus possit esse, promisit. Quid est enim aliud, quod per prophetam dicit: Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi plebs, nisi ego ero, unde satientur, ego ero, quaecunque ab hominibus honeste desiderantur, et vita et salus et victus et copia et gloria et honor et pax et omnia bona? Sic enim et illud recte intelligitur, quod ait apostolus, ut sit Deus omnia in omnibus.* Et postea: *A Deo refecti et gratia majore perfecti vacabimus in aeternum videntes, quia ipse est Deus, quo pleni erimus, quando ipse erit omnia in omnibus.* lib. 1. contra serm. Arianorum cap. 37: *Apostolus dicit, tunc Patri Filium subjectum futurum, ut sit Deus omnia non tantum in illius unius forma hominis* (Christi), *sed in omnibus, id est ut ad habendam vitam et satiandum in bonis desiderium nostrum natura divina sufficiat. Tunc enim Deus erit omnia in omnibus, cum praeter ipsum nihil omnino habere velle coeperimus. Omnia quippe ipse nobis erit, quando ipso sufficiente nihil deerit.* serm. 4. de verb. Domini secundum Matth.: *Divitiae nostrae Deus noster, quaecunque hic varia quaeris, tibi unus omnia erit.* serm. 14. de verb. apostoli: *Erit vita de verbo sine verbo, de verbo nullo sonante verbo.* serm. 16. de verb. apostol.: *Quid est omnia? quidquid hic quaerebas, quidquid hic pro magno habebas, ipse tibi erit; quidquid hic volebas, quidquid hic amabas manducare et bibere, ipse tibi erit cibus, ipse tibi erit potus, ipse erit tibi sol, ipse luna; volebas sanitatem corporis, ipse erit tibi immortalitas.* Eucherius lib. 3. in lib. Regum: *Ita nos in illa patria divinae praesentiae claritas adimplet, ut nihil aliud visus noster, nihil auditus, nihil olfactus, nihil gustus, nihil tactus dulce habeat nisi diligere Deum nostrum ex toto corde, tota anima, tota virtute et proximum tanquam nos ipsos.* Anshelmus in comm. 1. Cor. 15: *Deus in electis erit omnia, id est vice rerum omnium, erit ipse nostra vita, salus, virtus, copia, gloria, honor, pax, omnia bona, finis ac satietas desideriorum nostrorum.* Bernhardus de meditat. cap. 4. col. 1194: *Praemium est videre Deum, vivere cum Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus, habere Deum, qui est summum bonum* etc. *Homo beatus videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem.* Idem serm. 11. super Cant.: *Qui replet in bonis desiderium animas, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriae continuatio aeternitatis.* serm. 4. omn. sanct.: *Deus implebit animam nostram rationalem luce sapientiae, concupiscibilem justitia, irascibilem perfecta tranquillitate.* **Theophylactus in h. l.: *Cum peccatum porro non fuerit, planum est, quod Deus omnia in omnibus erit, quanto non amplius motibus et affectibus succubuerimus, ita ut nihil omnino Dei vel parum in nobis feramus, sed toti Dei similes, totius et solius Dei capaces erimus. Omnia sane tum nobis Deus erit et cibus et potus et cogitatio et indumentum et motus.*** Gersonius lib. de vita contempl. disputat contra eos, qui ex hoc loco apostolico colligere voluerunt, *quod in resurrectione omnes homines omnesque res creatae redituras sint ad suum esse ideale et divinum, quod ab aeterno habuerunt in Deo, adeoque convertendae sint in ipsum Deum, ita ut tunc omne esse creatum evanescere debeat et* XI. 39
absorberi ab ipso esse increato, puta ab ipsa divinitate. Sed recte monet, hunc locum errori illi potius contrariari, tantum abest, ut eidem vel in speciem faveat. *Si enim in vita aeterna Deus erit omnia in omnibus, ergo omnes, id est omnes beati et electi, erunt ac permanebunt, alioqui Deus non esset omnia in omnibus, sed esset solus omnia in nullis sive in nihilo.* Thomas in comm. 1. Cor. 15. sic exponit, *tum demum fore, ut plene cognoscatur, Deum habere omnium rerum perfectiones, quia Scriptura tunc rem esse vel fieri significat, cum plene cognoscitur. Nunc ubi diabolus reluctatur Deo, impii ordinem a Deo institutum pervertunt, scandala multa oculis obversantur* etc. *non liquido apparet, Deum esse omnia in omnibus, sed postquam Christus judicium a Deo mandatum executus Satanam et omnes impios in exitium prostraverit, gloria Dei omnibus erit conspicua.* Baptista Mantuanus lib. 3. de patient. cap. 26: *Tunc erit Deus omnia in omnibus, hoc est quidquid singuli desi-*

derabunt, suppeditabit Deus, quia tanta dulcedine mentibus nostris illabetur, ut perfecte compleatur, quod dicitur a propheta: Satiabor, cum apparuerit imago tua. Lutherus in enarr. 1. Cor. 15: *Quidquid frustulatim ab omnibus creaturis nobis mendicandum est in hoc seculo, ille unus omnium horum nobis instar erit, nulla inopia unquam laboraturus.*

Nil tibi deficiet, Deus omnibus omnia fiet.

Idem huc accommodat locum apostolicum 2. Petr. 1, v. 4. quem tantis extollit laudibus, ut ei similem in utroque Testamento exstare neget: Erimus *θείας κοινωνοὶ φύσεως, hoc est divinae sapientiae, veritatis, justitiae, bonitatis, vitae, laetitiae, immortalitatis et reliquorum summorum in Deo bonorum.*

fa- sa- et tio.

64. 2. Ex beata et beatifica Dei visione, quae est summum beatorum in vita aeterna praemium, orietur in cordibus ipsorum *ineffabilis laetitia et exsultatio.* Cum enim Deus sit summum bonum, summa suavitas, summa dulcedo Psalm. 34, v. 9. ideo ex visione Dei non potest non oriri ineffabile gaudium et inenarrabilis quaedam laetitia, de qua sequentia Scripturae dicta loquuntur. Psalm. 16, v. 11: שֹׂבַע שְׂמָחוֹת, *saturitas laetitiarum, est cum facie tua, jucunditates in dextra tua in seculum;* (saturitas Hebraeis ponitur pro plenitudine ac abundantia, sic senex dicitur *satur dierum* Genes. 25, v. 8. pro quo LXX interpretes reddiderunt *πλήρης ἡμερῶν.* Psalm. 88, v. 4: *Satiata est in malis anima nostra,* h. e. repleta; sensus igitur est, quod gaudium vitae aeternae plenissimum ac abundantissimum fit futurum; ponitur etiam pluralis, *quod laetitiae et jucunditates* sint futurae in vita aeterna, ut innuatur, non unam sed variam ac multiplicem fore laetitiae materiam ac omnia genera gaudiorum ibi abundantissime futura). Psalm. 17, v. 15: *Satiabor, cum expergefactus fuero secundum imaginem tuam* (h. e. laetabor, quia ex satietate oritur laetitia. Actor. 14, v. 17: *Implens cibo et laetitia corda nostra*). Psalm. 22, v. 27: *Edent pauperes et saturabuntur, corda eorum vivent in seculum seculi* (satiabuntur bonis coelestibus, inde cor eorum vivet, h. e. laetabitur et exsultabit in aeternum). Psalm. 36, v. 9: *Inebriabuntur pin-*
97. *guedine domus tuae, et torrente deliciarum tuarum potabis eos;* (ebrietas itidem in Scripturis notat copiam et abundantiam, largam irrigationem et ex ea ortam exsultationem; sensus igitur est, quod beati largiter reficiendi sint bonis coelestibus, tanquam cibis pinguissimis, *ac torrente voluptatis potandi,* h. e. immensis et ineffabilibus gaudiis perfundendi. Fons autem illius torrentis deliciarum est in Deo aeterna ac proinde indeficiens, unde additur v. 10. *apud te est vena vitae*). Psalm. 68, v. 4: *Justi laetabuntur, exsultabunt coram Domino* לִפְנֵי אֱלֹהִים, *ad facies Dei, et gaudebunt in laetitia* (hoc gaudium inchoatur duntaxat in hac vita, quando pii praegustum quendam futurae felicitatis percipiunt, sed in vita aeterna perfecte consummabitur). Psalm. 84, v. 3: *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deo vivo.* Psalm. 126, v. 1: *Cum Dominus convertet captivitatem Sion, erimus sicut somniantes,* v. 2. *tunc repletum est risu os nostrum;* (gaudium Israëlitarum in liberatione ex Babylonica captivitate fuit praeludium summi illius gaudii, quo perfundentur electi, quando ex captivitate hujus seculi liberati in coelestem ac plenam libertatem restituentur, unde psaltes typum ad antitypum transferens v. 5. subjungit: *Qui seminant in lacrymis, venient cum exsultatione* etc.). Esa. 25, v. 8: *Delebit Deus omnem lacrymam ab omni facie* (non quod in electis luctus ac lacrymae sint locum habiturae, sed quod in perpetua laetitia sint victuri; מָחָה significat non solum *abstersit, detersit,* sed etiam *abolevit, prohibuit*). cap. 35, v. 10: *Redemti Domini revertentur et venient in Sion* (non terrenam sed coelestem Hebr. 12, v. 22.) *cum laude, et laetitia sempiterna erit super caput eorum, gaudium et laetitia apprehendent eos, et fugient dolor ac gemitus* (caput pro toto subjecto juxta familiarem Hebraismum accipitur Genes. 49, v. 19. Prov. 15, v. 22. etc. sensus igitur est, quod super beatos futurum sit sempiternum gaudium, cujus praeludium aliquod tenue praecessit in reditu Israëlitarum ex Babylone in Hierosolymam. Quidam tamen existimant, hisce verbis alludi ad consuetudinem nuptiarum apud Israëlitas receptam, qua sponsae ex agris et locis silvestribus, ubi ferae sunt et nihil tutum a periculo, in montem myrrhae et collem thuris advocantur, h. e. in Jerusalem, quae in mystico sensu patriam beatorum significat, ad quam cum hymenaeo, plausu atque laetitia adscendebatur, quia laetitia sempiterna futura esse dicitur *super caput,* qui loquendi modus delicias indicat nuptiales, laetitia enim super caput est corona nuptialis, qua ornatur sponsae caput; sed prior explicatio est simplicior.) cap. 61, v. 3: *Dabit gloriam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu stricto* (hoc in vita praesente incipit, in futura consummatur, ideo additur) v. 7: *Laetitia seculi sive sempiterna erit eis.* cap. 65, v. 14: *Ecce servi mei laetabuntur, et vos confundemini; ecce servi mei jubilabunt prae exsultatione cordis, et vos clamabitis prae dolore cordis.* v. 18. *Gaudebitis et exsultabitis in aeternum in his, quae ego creo, quia ecce ego creo Jerusalem exsultationem et populum ejus gaudium,* v. 19. *et exsultabo in Jerusalem et gaudebo in populo meo, et non audietur in eo ultra vox fletus et vox clamoris* (tantum erit coelestis Hierosolymae gaudium, ut nihil nisi mera exsultatio videatur, sicut vir summe sapiens dicitur ipsa sapientia nomine abstracto posito pro concreto propter *ἐπίτασιν*). cap. 66, v. 14: *Videbitis et gaudebit cor vestrum et ossa vestra quasi herba germinabunt.* Matth. 25, v. 21. et 23: *Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui.* (Gaudium Dei est, quod beati percipiunt ex Dei visione,
in hoc gaudium intrant beati, quia exsultant gaudio, XX. 396.
quod ex beatifica illa Dei visione promanat. Euthymius in comm. per gaudium *μετωνυμικῶς ipsam beatitudinem* intelligi statuit, ut sit sensus, *intra in domum Domini tui plenam omnibus rebus, quae delectationem et gaudium afferre possunt, quia in*

coelesti domo nihil quidquam occurrit, quod moestitiam parere possit, sed quidquid in ea est, summum gaudium ac summam voluptatem parit. Nec simpliciter dicitur, quod fidelis servus coelestis gaudii debeat fieri particeps, sed quod debeat *in illud intrare*, h. e. summo gradu illud participare, quemadmodum intrare in possessionem bonorum dicitur, qui plenariam eorum hereditatem percipit. Nec dicitur, *quod gaudium Domini debeat intrare in servum*, sed quod servus debeat intrare in Domini sui gaudium, tam magnum enim est Domini gaudium, quod a Domino proficiscitur *effective*, et in ipso percipitur *objective*, ut non possit in homine concludi vel ab eo comprehendi, ideo homo intrat in illud incomprehensibile gaudium, non autem intrat illud in hominem velut ab homine comprehensum. Thomas in comm. sic exponit: *Intra in gaudium Domini tui, h. e. gaude de eo, quo gaudet, et de quo gaudet Dominus tuus, scilicet de fruitione sui ipsius. Tunc gaudet homo ut Dominus, cum fruitur ut Dominus*, quo sensu etiam super mensam Domini edere et bibere dicuntur Luc. 22, v. 30. quia beati sunt eo, quo Dominus est beatus. Qui in hoc gaudium Domini intrat, nunquam ex eo iterum exibit Apocal. 3, v. 12.) Joh. 16, v. 22: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* (Erit gaudium verum et sincerum, quia cor ipsum gaudebit; erit etiam gaudium non interruptum sed perpetuum et sempiternum, quia nemo illud tollet a beatis, orietur ex visione Dei et Christi, *Ego videbo vos, et gaudebit cor vestrum.* Hoc gaudium apostolorum inchoatum fuit post Christi resurrectionem, sed postea consummatum in gloria coelesti. Lyranus in comm.: *Vita Christi, quae fuit materia hujus gaudii, non amplius erat per mortem auferenda, ideo ipsum quoque gaudium non poterat auferri.*) 1. Petr. 1, v. 8: *In revelatione Christi, quem, cum non videritis, diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis*, (quanto igitur magis olim, cum manifestatus fuerit, adspectu ejus) *exsultabitis gaudio ineffabili et glorificato.* (In Graeco est ἀγαλλιᾶσθε, quod proprie significat motu et subsultatione corporis testabimini gaudium vestrum, ita ut praesens ponatur pro futuro propter immotam rei certitudinem. Gaudium ipsum dicitur ἀνεκλάλητον, quia ejus magnitudo et abundantia verbis exprimi nequit, sicut ipsa beatitudo in cor hominis non adscendit ac proinde etiam in linguam adscendere nequit 1. Cor. 2, v. 9. dicitur δεδοξασμένον, quia ex corporis et animae glorificatione oritur.) cap. 4, v. 13: *In hoc, quod consortes estis afflictionum Christi, gaudete, ut in revelatione quoque gloriae ejus gaudeatis exsultantes*, ἀγαλλιώμενοι. 1. Joh. 1, v. 4: *Haec scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum;* (haec plenitudo gaudii in piis duntaxat incipit in hac vita, sed in futura consummabitur). Epist. Jud. v. 24: *Deus potens est vos conservare a peccatis et statuere in conspectu gloriae suae incontaminatos* ἐν ἀγαλλιάσει, *cum exsultatione.* Apoc. 19, v. 7: *Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiae Agni.*

65. Ex his colligitur, beatorum gaudium 1. recte referri *ad bona vitae aeternae interna toti composito communia*, neque enim erit superficiarium, ex- XX.
ternum et umbratile, sed verum, internum et, ut sic loquar, cordiale gaudium omnes animae facultates, omnia corporis membra interius et exterius plenissime perfundens. Gaudia hujus vitae sunt *falsa gaudia*, uti recte eadem vocat Maro, sed aeternae vitae gaudia sunt vera gaudia. Gaudia hujus vitae sunt superficiaria et umbratilia, cor ipsum non attingunt nec quietant; sed longe diversa ratio erit gaudii coelestis, quod omne cordis desiderium adimplet ac perfectam laetitiam complectitur Psalm. 84, v. 3. Joh. 16, v. 22. etc. 2. Fore illud gaudium *sincerum*, nulla tristitiae macula contaminatum, nulla moeroris nube perturbatum. Gaudia hujus vitae non sunt sincera, sed γλυκύπικρα Prov. 14, v. 13. si cui enim materia gaudii exhibetur ab uno quodam objecto, tristitiae materiam percipit ex objecto alio, unde poëta canit:

> — — *Usque adeo nulla est sincera voluptas,*
> *Sollicitumque aliquid laetis intervenit* — —;

sed coeleste gaudium erit prorsus purum et incontaminatum, nullo doloris aceto infuso corruptum, sicut et coelestis hereditas ἀμίαντος, *incontaminata*, ab apostolo vocatur 1. Petr. 1, v. 4. 3. Fore illud gaudium *sempiternum, stabile* ac nunquam interruptum vel finiendum, quia causa ejus est perpetua. Est *gaudium Domini aeterni*, utique ergo etiam ipsum est aeternum. Gaudia hujus vitae brevia sunt et fugacia, de quibus recte usurpatur illud Bernhardi: *Rara hora, brevis mora*, ac si vel maxime pii in hac vita praegustum aliquem coelestis gaudii percipiant, tamen felicitas ac voluptas illa non est piis in hac vita perpetua, mox subjiciuntur terroribus et angoribus, adeoque ex coelo sibi videntur detrudi *in infernum* 1. Sam. 2, v. 6. sed gaudium vitae aeternae erit perpetuum et aeternum, *quod non auferetur ab electis* Joh. 16, v. 22. 4. Gaudii hujus fontem *ac principalem causam* fore beatificam Dei visionem Psalm. 36, v. 9. et 10. Cum enim Deus sit summum et infinitum bonum, summa dulcedo, summa suavitas etc. ideo ex Dei visione non potest non oriri ineffabile gaudium et inexplicabilis voluptas. Si tanta vis et efficacia solis creati est, ut suo calore rebus nascentibus vitam non modo impertiat, sed etiam animos hominum, imo omnes creaturas diffusione radiorum lucis suae suavissime recreet et mirifice delectet; quanto in infinitum majori gaudio credendum est completum iri pectora piorum, quando creatorem solis, solem justitiae, causam omnis laetitiae ac salutis non modo oculis suis intuebuntur, sed etiam intima ejusdem communicatione discussis penitus peccatorum tenebris plenissime perfruentur. *Secundariae et minus principales causae* sunt reliqua vitae aeternae bona tam interna quam externa, tam corporis quam animae, tam privativa quam positiva, electis in vita aeterna aliquando conferenda. Gaudebunt electi *supra se* de Dei visione, *intra se* de animae et corporis glo-

rificatione, *circa se* de sanctorum angelorum et omnium beatorum associatione, *infra se* de inferni evasione. Habebunt gaudium *de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum.*

66. De hoc beatorum gaudio sic loquuntur pii veteres: Cyprianus serm. de adscens. cap. 9: *Exsultabunt sancti in gloria, videbunt Deum et gaudebunt, laetabuntur et delectabuntur et fruentur gloria et in felicitate jucundabuntur aeterna.* Hieronymus in comm. Matth. 25: *Quid potest majus dari fideli servo quam esse cum domino et videre gaudium domini sui?* Augustinus tract. 25. in Joh.: *Quale est intus illud, unde non exitur foras? magnum penetrale et dulce secretum. O secretum sine taedio, sine amaritudine malarum cogitationum, interpellatione tentationum et dolorum. Nonne illud secretum est, quo intravit ille, cui dicturus est Dominus servo bene merito: Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui?* in soliloq. cap. 35: *Intra in gaudium sine tristitia, quod continet aeternam laetitiam* etc. *Beata Deitatis visio est gaudium Domini Dei tui. O gaudium super gaudium, vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Deum meum, qui habitat in te?* lib. de tripl. habitac. cap. 4: *Nihil comparandum gaudio, quod nascitur ex invisibilibus et incorporeis, ex societate angelorum et justorum omnium, ex certa scientia et cognitione ipsius divinae naturae et ex Dei ipsius a facie ad faciem visione.* Prosper in epigramm.:

Semper erunt, quod sunt, aeterna gaudia vitae,
Gaudenti quoniam causa erit ipse Deus.

Olympiodorus in c. 3. Ecclesiast.: *Cum palmam consequetur, deinde in futuro seculo laetabitur in deliciis et in multitudine pacis.* Gregorius hom. 9. in evang.: *Tunc fidelis servus super multa constituitur, quando devicta omni corruptionis molestia de aeternis gaudiis in illa coelesti sede gloriatur; tunc ad Domini sui gaudium perfecte intromittitur, quando in aeterna illa patria assumtus atque angelorum coetibus admixtus sic interius gaudet de munere, ut non jam sit, quod doleat exterius de corruptione.* Anshelmus lib. de similit. cap. 56: *In illa futura vita delectatio quaedam ineffabilis bonos inebriabit et inaestimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit. Quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, jecur, pulmo, ossa, medullae, extra etiam ipsa et cuncta singulatim singulaque membra eorum in communi tam mirabili delectationis et dulcedinis sensu replebuntur, ut vere totus homo torrente voluptatis Dei potetur et ab ubertate domus ejus inebrietur.* cap. 71: *Bonus quisque tunc poterit gaudere, quia praedictas omnes beatitudinis partes* (in corpore et anima) *obtinebit perfecte. Quid ergo beatius illo, quo tunc replebitur justus, gaudio? Adhuc tamen ad cumulum beatitudinis suae aliud habebit, unde magis possit gaudere, quia enim quisque sicut se alterum amabit, patet, quia sic de illius felicitate ut de sua gaudebit. O quot igitur et quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot ac tantis beatitudinibus sanctorum jubilabit! Quodsi tantum de aliis, quos ut se diligit, gaudebit, quantum de Deo, quem supra se diligit, exsultabit? Gaudium enim ei erit intus et extra, sursum et deorsum, gaudium circumcirca, ubique gaudium plenum.* Idem in proslog. cap. 24: *Tantum gaudebunt, quantum amabunt; tantum amabunt, quantum agnoscent.* Hugo lib. 4. de anima cap. 15: *Gaudent beati de Deo ineffabiliter, gaudent de tanta sua beatitudine. Et quia unusquisque unumquemque diligit sicut se ipsum, tantum gaudium quisque habet de bono singulorum, quantum de suo, quoniam bonum, quod non habet in se ipso, possidet in altero. Constat igitur, quod singuli tot gaudia habeant, quot socios et singula gaudia tanta sunt singulis, quantum proprium singulorum. Cum autem quisque plus amet Deum quam se ipsum et omnes alios secum, plus gaudet de Dei felicitate quam de sua et omnium aliorum secum. Si ergo cor uniuscujusque vix capit suum gaudium, quomodo capit tot et tanta gaudia? Ideo dicitur, intra in gaudium Domini tui, non intret gaudium Domini tui in te, quia capi non posset.* Bonaventura in diaeta salutis titul. 9. cap. 50. tom. 6. pag. 337: *Sancti gaudebunt propter loci amoenitatem quam possidebunt; propter jucundam societatem, in qua regnabunt; propter corporis glorificationem, quam habebunt; propter mundum, quem contemserunt; propter infernum, quem evaserunt.* Ludolphus Carthusiensis part. 2. de vit. Christi cap. 88: *Gaudebunt sancti supra se de Dei visione, infra se de coeli et creaturarum pulchritudine, intra se de corporis et animae glorificatione, juxta se de angelorum et hominum associatione. In tantum namque gaudebit quisque de bono alterius, quantum de bono proprio.* Scholastici docent, *duplex esse de Deo et in Deo gaudium*, unum, quo gaudemus ipsum Deum possidere infinitum bonum; alterum, quo gaudemus ipsum Deum possidere tanquam bonum nostrum, ad quod posterius genus beatorum in vita aeterna gaudium pertinet.

67. 3. Ex Dei visione et intima cordis ob eandem exsultatione orietur *Dei glorificatio et jubilatio sempiterna*, de qua haec loquuntur dicta: Psalm. 84, v. 5: *Beati habitatores domus tuae* עוֹד, *usque in seculum, in sempiternum, laudabunt te.* Psalm. 126, v. 2: *Tunc replebitur gaudio os nostrum et lingua nostra exsultatione.* v. 5. *Seminantes in lacrymis metent* בְּרִנָּה, *in praeconio* sive cum laude (rad. רָנַן significat *clamavit vehementius, vociferatus est prae laetitia.* Levit. 9, v. 24.: *Vidit totus populus* וַיָּרֹנּוּ, *et exclamaverunt*, Targ. שַׁבַּחוּ, *laudaverunt, cantarunt.* Psalm. 5, v. 12: *Laetabuntur omnes, qui confidunt in te.* לְעוֹלָם יְרַנֵּנוּ, *in seculum praeconia canent*, Targ. יְשַׁבְּחוּן, *laudabunt*). Psalm. 149, v. 5: *Exsultabunt justi in gloria, laudabunt in cubilibus suis; v. 6. exaltationes Dei in gutture eorum.* Esa.

3. Dei glorificatio.

26, v. 19: *Expergiscimini et jubilate.* Esa 35, v. 10: *Redemti Domini revertentur et venient Sion* בְּרִנָּה, *in praeconio.* cap. 51, v. 11. idem repetitur. cap. 65, v. 14: *Servi mei clamabunt, jubilabunt, ovabunt prae laetitia cordis.* Jerem. 31, v. 12: *Venient et laudabunt in monte Sion.* Apoc. 4, v. 8: *Quatuor animalia non habebant requiem die ac nocte dicentia, sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui est et qui venturus est;* (quidam *ad angelos* in quatuor mundi plagis Deo ministrantes, sed Hieronymus in prooem. super Matth., Augustinus lib. 1. de confess. evang. cap. 6. Beda, Primasius etc. *ad quatuor evangelistas* applicant, confer Hoë theologum meritissimum comm. illius loci), v. 9. *et cum darent illa animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in secula seculorum,* v. 10. *procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno et adorabant viventem in secula seculorum et mittebant coronas suas ante thronum dicentes*: v. 11. *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, honorem et virtutem.* (Viginti quatuor seniores quidam symbolum esse volunt duodecim patriarcharum Veteris et duodecim apostolorum Novi Testamenti; quidam per eos intelligunt omnes sanctos. Confer tract. de morte §. 300. Quidquid sit, illud ex hac visione manifestum est, beatorum in coelo assiduam occupationem esse Dei lau-
XX. 402. dationem, ideo enim dicuntur *non habere requiem die ac nocte,* non quod laus Dei illis molesta, sed quia non interrupta.) cap. 5, v. 8. quatuor animalia et vinginti quatuor seniores *habebant singuli citharas aureas et cantabant canticum novum dicentes: Dignus es accipere librum.* v. 11. *Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium et seniorum, et erat numerus eorum millia millium* v. 12. *dicentium voce magna*: *Dignus est Agnus accipere virtutem* etc. cap. 7, v. 9: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis stantes ante thronum* etc. v. 10. *et clamabant voce magna dicentes*: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno.* cap. 11, v. 16: *Viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas et adoraverunt Deum* v. 17. *dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens.* cap. 12, v. 6: *Audivi vocem magnam in coelo dicentem*: *Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri.* cap. 14, v. 2: *Audivi vocem e coelo tanquam vocem aquarum multarum et tanquam vocem tonitrui magni, et vocem audivi tanquam citharoedorum citharizantium in citharis suis,* v. 3. *et cantabant quasi canticum novum ante sedem et ante quatuor animalia et seniores.* cap. 15, v. 2: *Habentes citharas Dei* v. 3. *cantant canticum Moysis servi Dei et canticum Agni dicentes*: *Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens.* cap. 19, v. 1: *Audivi quasi vocem turbarum multarum in coelo dicentium: Alleluja, salus et gloria et honor et virtus Deo nostro.* v. 3. *Et iterum dixerunt, Alleluja;* (haec iteratio significat, perpetuam beatorum occupationem fore laudis divinae in omnem aeternitatem continuationem), v. 4. *et ceciderunt viginti quatuor seniores et quatuor animalia et adoraverunt Deum sedentem super thronum dicentes: Amen, alleluja.* v. 5. *Et vox de throno exivit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus.* v. 6. *Et audivi quasi vocem turbae magnae et sicut vocem aquarum multarum* etc. *dicentium: Alleluja.*

68. Ex his colligitur, 1. *glorificationem Dei* ex beatifica ejusdem visione in electis oriri. Summum enim illud bonum videri nequit, quin etiam statim diligatur, ex amore laus et glorificatio sponte nascitur. Quia beati sunt ante thronum Dei, ideo etiam sedentem in throno glorificant. 2. Eandem recte referri *ad bona vitae aeternae interna toti composito,* h. e. animabus et corporibus beatorum, *communia.* Neque enim laus illa in ore duntaxat nascetur, sicut in hac vita multi *labiis suis Deo appropinquant,* ut interim *cor eorum procul sit ab ipso* Esa 29, v. 13. Matth. 15, v. 8. sed ex intimo cordis fundo proficiscetur. *Sicut cor et caro beatorum exsultant in Deo vivo,* ita quoque cor et caro beatorum in laudes Dei prorumpent. 3. Eandem fore *continuam et non interruptam,* quia visio Dei beatifica, ex qua laus illa oritur, erit continua et sempiterna. In hac vita Deum laudare incipimus, sed in laude illa non sumus assidui; verum in vita aeterna nullis negotiorum distractionibus a laude Dei impediemur, materiam laudis fore aeterna *et infinita vitae aeternae bona* in beatos divinitus collata, proinde etiam ipsa laus erit aeterna et infinita. 4. Per eandem nos conformari angelis Matth. 22, v. 30. Luc. 20, v. 36. Constat ex Scripturis, angelos incessabili voce clamare, *Sanctus, sanctus, sanctus* Esa. 6, v. 3. cum illis beati unum constituent chorum et conjunctis vocibus sine intermissione ac fine Deum laudabunt.

69. De hac Dei laude sic loquuntur veteres: Ire- XX. 40
naeus lib. 5. adv. haeres. cap. 11: *Si nunc habentes* (Spiritum Dei) *pignus clamamus Abba pater; quid fiet, quando resurgentes facie ad faciem videbimus eum* etc. *quando omnia membra affluenter exsultationis hymnum protulerint, glorificantia eum, qui suscitaverit ea ex mortuis?* Lactantius lib. 7. div. institut. cap. 23: *Animae post resurrectionem a Deo corporibus indutae prioris vitae factorumque omnium memores erunt et in bonis coelestibus collocatae ac fruentes jucunditate innumerabilium copiarum praesenti Deo gratias agent, quod malum omne deleverit, quod eos ad regnum vitamque perpetuam suscitaverit.* Hilarius in Psalm. 148: *In futuro beatae illius civitatis seculo* etc. *Deo confessio ejus super coelum et terram reddetur* etc. *Et quia illud sanctorum est regnum, per quod regnante Domino ad beatum regnum Dei Patris adscendent, psalmum ita propheta conclusit: Hymnus omnibus sanctis ejus Sanctorum omnis hic hymnus est, qui Deum non ut ceteri reges aut principes aut judices pro virtutis et confessionis admiratione laudent, sed pro gaudio consummatae in se*

Dicta terum Dei gl ficatio:

beatitudinis et gratulatione cantantium. Nazianzenus in carm.:

Ἁγνότατοι, καθαροῖσιν ὁμόφρονες οὐρανίοισιν,
Γηθόσυνοι μέλπωμεν ἑόρτιον ὕμνον ἄνακτι,
Ἔνθα φάοστε κλέοστε κακῶντ' ἄμπνευσις ἁπάντων,

(*castissimi, puris consentientes coelitibus, hilares cantemus festivum hymnum regi, ibi et lux et gloria et malorum laxamentum omnium.*)

Idem:

Αὐτὴν δ' ἀτρεκίην καθαροῦ νοὸς ὄμματι λεύσσων.
Μέλψω ἐκ στομάτων ἦχον ἑορτάσιμον,

ipsam veritatem purae mentis oculo coram intuens cantabo ore meo sonum festivum. Augustinus lib. 22. de civit. Dei cap. 30: *Quanta erit illa felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agetur, ubi neque ulla desidia cessabitur, neque ulla indigentia laborabitur, nescio. Admoneor etiam sancto cantico, ubi lego vel audio: Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Omnia membra et viscera incorruptibilis corporis, quae nunc videmus per usus necessitatis varios et motus distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, sempiterna felicitas, proficient in laudibus Dei. Omnes quippe illi, de quibus jam sum locutus, qui nunc latent harmoniae corporalis numeri, non latebunt, intrinsecus et extrinsecus per corporis cuncta dispositi, et cum ceteris rebus quae ibi magnae atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationabilis pulchritudinis delectatione succendent,* (quae omnia paucis verbis immutatis repetit Alcuinus lib. 3. de aetern. beatit. sanct. cap. 22.). Idem Augustinus in enarrat. Psalm. 83: *Quid beati in vita aeterna acturi? in secula seculorum laudabunt te. Hoc erit totum negotium nostrum sine defectu Alleluja* etc. *Non nos satiabit nisi laus Dei, nisi amor Dei. Si deficias ab amore, deficies a laude; si autem amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit, noli timere, ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare.* serm. 17. de verb. Dom.: *In patria nullus orandi locus erit, sed tantum laudandi. Quare orandi nullus locus erit? quia nihil deerit, ubi videbitur, quod hic creditur; quod hic speratur, ibi tenebitur.* in medit. cap. 27: *Illi laudant Dominum purissime et*
XX. 404. *incessanter, qui semper inhaerent contemplationi divinae, non per speculum et in aenigmate, sed facie ad faciem.* Anshelmus lib. de similitud. cap. 60: *Ut in laudibus illius aeternaliter jucunderis, semper de quanta miseria sis erutus, ut puto, coram habebis.* Bernhardus de medit. cap. 4: *Una erit omnium lingua, jubilatio indefessa, unus affectus, amor aeternus.* ** Vide quoque Gregorii homiliam 22. in Ezech. tom. 2. f. 1215. **

Perfecta naginis vinae reformatio.

70. 4. Ex beatifica Dei visione etiam consequetur *perfecta imaginis divinae reformatio;* unde cum Johannes dixisset, *similes erimus*, αἰτιολογικῶς subjungit, *videbimus eum sicuti est* 1. Joh. 3, v. 2. Quemadmodum enim puritas et mundities speculi requiritur, ut imago in eo conspiciatur, sic animae et corporis perfecta mundities in beatis erit, ut Deum videre ejusdemque imaginem in semet ipsis perfecte exprimere possint Matth. 5, v. 8. De hac imaginis divinae in beatis reformatione sequentia dicta loquuntur. Psalm. 17, v. 15: *Satiabor, cum evigilavero secundum imaginem tuam.* (LXX interpretes reddiderunt *ἐν τῷ ὀφθῆναι τὴν δόξαν σου*, Theodoretus *ἐν τῷ ὀφθῆναι τὴν δεξιάν σου*, vulgata Latina *cum apparuerit gloria tua*, sed Hebraeum תְּמוּנָתֶךָ proprie significat *imaginem*, *similitudinem*, unde Symmachus rectius vertit *ἐν τῷ ἐξυπνισθῆναι τῆς ὁμοιώσεώς σου.* Sensus igitur est, satiabor bonis coelestibus et aeternis, quando post somnum mortis expergefactus sive resuscitatus fuero *juxta imaginem tuam*, h. e. ad imaginem tuam perfecte renovatus ac reformatus, ut sit ellipsis praefixi ב pro בִּתְמוּנָתֶךָ, qualis etiam in aliis Scripturae dictis occurrit Psalm. 10, v. 4. Psalm. 18, v. 10. Psalm. 44, v. 3. Psalm. 109, v. 4. Hos. 6, v. 9. Mich. 6, v. 10. vel quia praefixum ב in voce proxime praecedente בְהָקִיץ habetur, in vocabulo תְּמוּנָתֶךָ erit repetendum, qualia exempla occurunt Exod. 6, v. 3. Esa. 48, v. 14. Jerem. 27, v. 18. etc. Posset etiam nomen תְּמוּנָתֶךָ referri ad remotius verbum אֶשְׂבְּעָה, *satiabor imagine tua, cum evigilavero* vel expergefactus fuero. Pagninus reddidit *cum expergefacta fuerit imago tua*, scilicet in mê perfecte renovata ac reformata, quod eundem parit sensum.) Rom. 8, v. 29: *Quos praescivit, eos etiam praedestinavit, conformes fieri imaginis Filii Dei* (primo quidem in cruce, deinde vero in gloria Joh. 17, v. 22. ut enim ipse *per passionem intravit in gloriam* Luc. 24, v. 26. ita quoque pios *per passiones oportet ingredi regnum coelorum* Actor. 14, v. 22. in quo ad imaginem Dei perfecte renovabuntur). 1. Cor. 15. v. 49: *Sicut portavimus imaginem terreni, sic portabimus etiam imaginem coelestis* (nimirum in resurrectione ad vitam aeternam, unde additur v. 50. *hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam hereditabit,* ubi τὸ ὅτι commode accipi potest *αἰτιολογικῶς*, ideo dico, nos gestaturos imaginem illius coelestis, quia caro et sanguis non possunt hereditare regnum Dei). 1. Joh. 3, v. 2: *Cum apparuerit, similes ei erimus* (in corporis et animae puritate inque coelesti gloria ac felicitate, proinde etiam imago Dei perfecte in nobis erit reformata). Idem colligitur ex dotibus animae et corporis, quae erunt in beatis, de quibus postea.

71. De hac divinae imaginis in beatis restitutione notandum 1. quod in hac vita inchoetur, in futura
perficiatur, ideoque possunt huc referri dicta Scriptu- XX. 405.
rae, quae de reformatione divinae imaginis, quae piis in hac vita obtingit, loquuntur. 2. Cor. 3, v. 18: *τὴν δόξαν κυρίου κατοπτριζόμενοι, gloriam Domini tanquam speculo recipientes* ac in verbo evangelii velut speculo certam Christi et mysteriorum divinorum cognitionem habentes, *transformamur in eandem*

imaginem, h. e. tam clare Christi imaginem concipimus, ut in eandem quasi transformari videamur, quia per Spiritum sanctum renovamur ad Christi imaginem *in justitia et sanctitate vera* consistentem, *ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν*, ut in cognitione Christi et vitae sanctitate quotidie crescamus, donec ad plenam perfectionem et perfectam imaginis divinae restitutionem in coelesti gloria adspiremus. Eph. 4, v. 24: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Col. 3, v. 10: *Induentes novum hominem, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Quemadmodum enim primitiae testimonium sunt secuturae messis, sic inchoata divinae imaginis reformatio evidens indicium est, plenam et perfectam renovationem secuturam in vita aeterna, quae propterea vocatur tempus *ἀποκαταστάσεως πάντων* Act. 3, v. 21. tunc enim bona per lapsum amissa, inter quae eminet divina imago, ad quam primi homines conditi erant, perfecte restituentur. 2. *Quod sit bonum totius compositi.* Quemadmodum enim in homine ante lapsum divina imago non pertinuit tantum ad animam, sed ad totum compositum, quia Moyses de toto homine dicit, quod Deus *ad imaginem suam eum creaverit* Gen. 1, v. 27. nec post formatum demum corpus humanum creaturus animam dixit, *faciamus hominem ad imaginem nostram*, sed ante creationem tam corporis quam animae suum illud decretum verbis hisce exposuit, unde immortalitas, quae divinae imaginis pars est, toti composito fuit communis; quemadmodum Christus imaginem Patris sui coelestis in animae et corporis sanctitate, puritate, immortalitate, claritate etc. exprimit; denique quemadmodum inchoata imaginis divinae restitutio in hac vita sanctificatione *corporis et spiritus* constat Roman. 12, v. 1. 1. Corinth. 6, v. 19. 2. Corinth. 7, v. 1. 1. Thessal. 5, v. 23. etc. ita quoque plena divinae imaginis restitutio, quae in altera vita sequetur, erit bonum totius compositi, non animae duntaxat, sed etiam corporis, unde notanter dicit apostolus Phil. 3, v. 21. *quod Christus corpora nostra reddituru sit σύμμορφα corpori suo glorioso.* 3. Quod divina imago longe perfectior et expressior sit futura in beatis, quam fuit in primo homine. Primus homo, quia ad imaginem Dei in arbitrii libertate et immortalitate conditus erat, poterat non peccare et non mori; sed beati ad divinam imaginem reformati longe majorem perfectionem obtinebunt, quia non poterunt peccare nec poterunt mori, cum sint in bono et beatitudine confirmati. 4. Quod ob divinam imaginem in beatis perfecte relucentem non injuria dici possint filii Dei, imo quidam dii. Quodsi enim primi homines et angeli ob creationem, credentes ob *υἱοθεσίαν* et adoptionem, magistratus et judices ob divini officii, quod in terris gerunt, officium *filii Dei et Elohim* dicuntur Luc. 3, v. 38. Job. 1, v. 6. et cap. 38, v. 7. Joh. 1, v. 12. Psalm. 82, v. 6. Joh. 10, v. 34. quidni beati ad imaginem Dei perfecte renovati et angelis aequales facti recte dici possent Dei filii et quidam quasi dii? Si in hac vita *divinae naturae consortes* dicuntur 2. Petr. 1, v. 4. quanto magis in futura vita beatum illud consortium habebit locum. XX.

72. Audiamus hac de re disserentes patres. Irenaeus lib. 5. cap. 11. p. 325: *Gratia Spiritus universa, quae hominibus dabitur a Deo* (in vita aeterna), *similes nos ei efficiet, quia secundum imaginem et similitudinem Dei hominem reformabit.* Nazianzenus orat. 4. de theol.: *Erimus ὅλοι θεοειδεῖς, deiformes, Deo similes ac conformes, ὅλου θεοῦ χωρητικοὶ καὶ μόνου, totius ac solius Dei capaces.* Augustinus lib. de spiritu et litera cap. 22: *Cum apparuerit, similes ei erimus. Haec similitudo nunc incipit reformari, quamdiu homo interior renovatur de die in diem secundum imaginem ejus, qui creavit eum. Sed ad illius eminentiae perfectionem, quae tunc futura est, quid hoc aut quantum est?* Eucherius lib. 3. in libros Regum: *In regno coelesti angeli sancti in imagine sui conditoris, ad quam facti sunt, semper manent et electi homines imaginem ejus, quam peccando amiserant, recipiunt. Scimus enim, inquiunt, cum apparuerit, similes ei erimus.* Pantheologia veterum triplicem statuit Dei imaginem, *naturae, gratiae et gloriae*; item *creationis, recreationis et similitudinis.* Lutherus tom. 1. in Genes. pag. 18: *Evangelium hoc agit, ut ad illam, et quidem meliorem imaginem reformemur, quia in vitam aeternam vel potius in spem vitae aeternae renascimur per fidem, ut vivamus in Deo et cum Deo ac in ipso simus unum, sicut Christus dicit. Neque vero ad vitam solum renascimur, sed etiam ad justitiam, quia fides accipit meritum Christi et statuit, nos per Christi mortem liberatos esse, inde alia nostra justitia oritur, nempe illa vitae novitas, qua studemus obtemperare Deo edocti verbo et adjuti per Spiritum sanctum. Sed haec justitia in hac vita incipitur tantum, nec potest in hac carne esse perfecta* etc.

Dicta terum reformatione nae i nis.

73. Exposuimus hactenus bona vitae aeternae *interna toti composito communia*, restat, ut 2. bona *ad partem alterutram, animas* scilicet vel *corpora beatorum peculiariter spectantia* subnectamus. 1. In anima cujusque beati 1. fulgebit *perfecta Dei et divinorum mysteriorum cognitio* ex intuitiva Dei visione orta. Esa. 54. v. 13: *Erunt omnes docti a Deo.* Jer. 31, v. 34: *Non docebit ultra vir proximum suum et fratrem suum dicens, cognosce Dominum, omnes enim cognoscent me a minimo ad maximum.* (Augustinus lib. de spiritu et litera cap. 24. haec vaticinia exponit de praemio fidei, h. e. de perfecta Dei cognitione in vita aeterna, neque enim duntaxat de inchoatione Novi Testamenti, quae fit per ministerium evangelii et Spiritum sanctum, in cordibus efficacem, propheta concionatur, sed de tota et integra instauratione naturae, quae fiet in vita aeterna, cum nova et aeterna lux sapientiae Deum perfecte agnoscentis in mentibus hominum fulgebit. Confer tract. de minist. §. 461.) 1. Cor. 13, v. 9: *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus* (in hac scilicet vita); v. 10.

2. ad tem utram ctant 1. ad mam. 1. Pe Dei c tio.

cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Omnis noster in θεογνωσίᾳ καὶ θεοσοφίᾳ profectus in hac vita, etiam cum ad summum pervenit gradum, est *verbum defectivum*, cujus clausula est *cetera desiderantur*; in futura autem
407. vita Dei et divinorum mysteriorum perfecta cognitio succedet. Tunc plene et perfecte intelligemus ea, ad quorum notitiam intuitivam et claram in hac vita penetrare non potuimus, quomodo scilicet Deus sit in essentia unus, in personis trinus, quomodo Filius Dei ab aeterno a Patre sit genitus, quomodo Spiritus sanctus ab aeterno a Patre et Filio procedat, quare Filius Dei, non Pater nec Spiritus sanctus humanam naturam assumserit, quare mediatorem nostrum Deum et hominem esse oportuerit, quomodo divina et humana natura in Christo personaliter sint unitae, quomodo Deus ex nihilo omnia creaverit, quo die angelos condiderit etc. Tunc plene et perfecte causas divinorum consiliorum et operum intelligemus, creationis scilicet, redemtionis, sanctificationis, resuscitationis et glorificationis, quomodo Deus hominem immensa sapientia creaverit, ineffabili bonitate conservaverit, infinita misericordia redemerit; quomodo aeterna sua omnipotentia ecclesiam adversus hostes defenderit ac pios ex morte ad vitam aeternam suscitaverit. Tunc plene et perfecte naturam novi coeli ac novae terrae, adeoque omnium creaturarum penetralia et intimos recessus cognoscemus; tunc non cogemur amplius conqueri, nos instar ciconiae Aesopicae *vitrum lambere*, *pultem non attingere*, sed interiores rerum formas et proprietates praesenti mentis intuitu conspiciemus. Quodsi enim Adamus per concreatae sapientiae lucem naturas animalium tam exacte potuit pernoscere, ut singulis convenientia nomina imponeret Genes. 2, v. 19. ac Evam antea non visam *ex carne et ossibus suis* aedificatam esse intelligeret v. 23. quanto magis beati divino lumine collustrati coeli terraeque mysteria perfecte intueri poterunt. Neque quemquam turbet, quod apostolus 1. Cor. 13, v. 8. γνῶσιν in vita aeterna *destruendam* asserat, illud enim non absolute ac simpliciter de quavis cognitione accipiendum, alias summae felicitati summa infelicitas, videlicet ignorantia, tribueretur, sed duntaxat de illa cognitionis specie ac modo, qui in hac vita locum obtinet. Nunc enim *per speculum in aenigmate videmus* v. 12. ac quotidie oportet nos discere ac proficere in cognitione Dei adhibitis adminiculis prophetiae seu interpretationis Scripturae ac linguarum, sed hic modus, haec species cognitionis in altero seculo cessabit, quando a facie ad faciem videbimus. Scientia hujus vitae est imperfecta tum *ratione objecti*, tum *ratione modi*, sed scientia vitae alterius utroque modo perfecta erit. Quare ut majus lumen obscurat minus, sic scientia nostra, quae in hac vita est imperfecta, a perfectiore scientia in vita aeterna abolebitur. Syrus eleganter reddidit *modicum ex multo cognoscimus* v. 9. quia maximum eorum, quae de Deo et rebus divinis scimus, est minimum eorum, quae ignoramus, totum quod Dei est, omnia ejus attributa, perfectiones omnes in hac vita non cognoscimus, sumus quasi parvuli, qui ut aetate, ita quoque sapientia quotidie crescunt v. 11. sed beati illa omnia *non partialiter*, *non obscure*, *non eminus*, *sed perfecte*, *clare et cominus* cognoscunt, ideoque sunt in scientia maturae aetatis viri. Gradus coelestis illius ac perfectissimae sapientiae in vita aeterna statuuntur quatuor: 1) αὐτοψία Dei et Christi θεανθρώπου *ac perfecta cognitio essentiae et voluntatis divinae;* 2) *clarissima cognitio consiliorum, mysteriorum ac operum divinorum omnium non modo hominum, sed etiam angelorum captum in hac vita excedentium;* 3) *plena ac perfecta naturae rerum ac novi coeli et terrae perspectio*, Adami ante lapsum perspicacitatem longo intervallo ante- XX. 408.
cedens; 4) *familiarissima societas cum omnibus angelis et beatis hominibus*, quos notissimos et perspectissimos habebimus.

Dicta veterum de Dei cognitione.

74. De hac beatorum cognitione sic loquuntur veteres; Irenaeus lib. 2. cap. 47. p. 148. ex loco apostolico 1. Cor. 13. v. 13. colligit, *etiam in futuro seculo in quibusdam nos melius informandos*, et addit, *ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quae sunt a Deo; semper enim fides, quae est ad magistrum nostrum, permanet firma.* (Sed hoc non de quotidiano cognitionis profectu, verum ejusdem origine ac dependentia accipiendum.) Origenes lib. 2. de princ. cap. 12: *Cum ad coelestia loca pervenerint sancti, tunc jam jam rationem astrorum per singula pervidebunt* etc. *sed et alias rationes operum Dei, quas eis ipse revelabit, intelligent. Jam enim tanquam filiis rerum causas et virtutem suae conditionis ostendet et docebit eos, quare illa stella in illo loco posita est et quare ab alia tanto dirimente spatio separatur.* homil. 5. in Psalm. 36: *Os justorum non cibis et potu, neque deliciis et voluptatibus, non vescendo epulis, sed meditando sapientiam replebitur. Ultra enim non erit aliquis imperitus in regno Dei, non permanebit indocilis, nullus erit a rerum scientia peregrinus, omnes efficiemur, si tamen merebimur* (gratia Dei digni reddemur), *discipuli sapientiae. Si quis hic positus imbuitur et instruitur in his, quae potuit in carne positus attingere, ibi jam illuminabitur perfectioribus disciplinis et ea, quae hic studio ac labore quaesita fuerunt, ad compendium futurae inibi institutionis accedent.* (Non tamen hoc eo sensu accipiendum, quasi profectus aliquis scientiae futurus sit in beatis, sed quod simplici intuitu cognituri sint ea, quae per gradus et partes in hac vita discimus.) Nazianzenus orat. funeb. in patrem: σχόντες ὅλην τῆς ἁγίας τριάδος τὴν ἔλλαμψιν, καθαρῷ νῷ καθαρὰν τὴν ἀλήθειαν ἐποπτεύοντες. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 1: *In altera terra beatitudinis plena mens immortalis non falsa pro veris, sicut in hac vita, sed vivam rerum cernet substantiam, eo quod excussa corporis et sensuum et vocis nebulosa quadam imagine corruptibilem caliginem deponat et revelata facie beatae vitae gratiam lustret obtutu.*

Augustinus lib. de spiritu et lit. cap. 24: *Scientia, quae evacuabitur, est illa parvulorum scientia, in qua hic vivitur, quae ex parte per speculum in aenigmate videtur, propter hanc enim necessaria est prophetia, cum adhuc praeteritis futura succedunt, propter hanc linguae, hoc est multiplicitas significationum, cum ex alio atque alio aliud atque aliud admonetur, qui nondum aeternam lucem perspicuae veritatis mente purgatissima contemplatur. Cum autem venerit, quod perfectum est, et totum hoc, quod ex parte est, fuerit evacuatum, tunc quod assumta carne carni apparuit, ostendet se ipsum dilectoribus suis, tunc erit vita aeterna, ut cognoscamus unum verum Deum, tunc similes ei erimus, quoniam tunc cognoscemus, sicut et cogniti sumus, tunc non docebit unusquisque civem suum aut fratrem suum dicens, cognosce Dominum, omnes enim cognoscent eum a minore usque ad majorem eorum.* lib. 22. de civ. Dei cap. 30: *Ea potentia scientiae, quae magna in beatis erit, non solum sua praeterita, sed etiam damnatorum eos sempiterna miseria non latebit.* de tripl. habitac. cap. 4: *Ibi quidquid nos nunc latet, manifestum erit, ibi ratio manifesta erit, cur hic electus est et iste reprobatus; cur hic in*
XX. 409. *regnum assumtus et ille in servitutem redactus; cur alius in utero moritur, alius in infantia, alius in juventute, alius in senectute; cur alius pauper et alius dives; cur filius adulterae baptizatur et aliquando filius legitimae conjugis ante baptismum moritur; cur qui bene incipit vivere, aliquando male finit. Haec omnia et hujusmodi multa in libro vitae, hoc est aeternae veritatis et summae sapientiae, plana et aperta omnibus erunt. Ibi omnes invicem suas cogitationes cognoscent* etc. cap. 6: *In Dei visione trina scientia nascitur, hoc est homo, qui cernit, et Deus, qui cernitur, et ceteri omnes omnia videbunt et intelligent. Sicut enim per speculum vitreum trina nobis visio administratur, quia nos ipsos et ipsum speculum et quidquid praesens adest, videmus; sic per speculum divinae claritatis et ipsum Deum ut est, videbimus, quantum possibile est creaturae, et nos ipsos et ceteros vera et certa scientia comprehendemus. Tunc abdita creaturarum et ipsius inferni videndo Deum videbimus; tunc justis manifestum erit, quomodo Deus est invisibilis, incomparabilis, sine initio et sine fine ante omnia; quid interest inter nasci, quod ad Filium pertinet, et procedere, quod ad Spiritum sanctum; quomodo Pater non praecessit Filium tempore, sed origine, nec Spiritum sanctum; quomodo omnia Dei unum sunt ex Deo, excepto quod ad relationem pertinet* etc. *quomodo mundus erat in Deo, antequam in se ipso esset non mundus sed Deus, quomodo ubique totus sine loco, magnus sine quantitate, bonus sine qualitate et quomodo omnia penetrat munda et immunda sine sui pollutione.* Prosper lib. 1. de vit. contempl. cap. 4: *Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subjacent facies corporales. Nec latebit jam perfecte beatos aliquid secretorum, qui, quod est longe praestantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum.* lib. 3. de vita contempl. cap. 30: *Ibi erit scientiae ac prudentiae perfectio vera, rerum omnium cognitio tota, quando scientia ad perfectum fuerit partis evacuatione traducta.* Gregorius in Cant.: *Hic nox est, ibi dies erit; hic in visione veritatis caligamus, ibi Deus ipse tota veritas mentibus illucebit.* in comm. Job. lib. 28. ad illa verba Non adaequabitur ei aurum aut vitrum: *Cum uniuscujusque vultus attenditur, simul et conscientia penetratur.* Anshelmus lib. de similit. cap. 59: *Sapientia tanta in futura vita bonis erit, ut eorum, quae scire voluerint, nihil sit, quod ignorent. Bonus enim perfecta, quae Deus est, sapientia replebitur eamque facie ad faciem intuebitur, quam dum ita perspexerit, creaturae totius naturam videbit, quae in Deo melius quam in se ipsa consistit. Tunc enim justi omnia scient, quae Deus fecit scienda, tam ea, quae praeterita, quam quae postmodum sunt futura. Ibi a singulis omnes, ab omnibus singuli cognoscentur, nec quemquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe quis editus fuerit vel quid etiam in vita sua fecerit.* Bernhardus serm. de triplic. genere bonor.: *Si nihil nobis deerit, aliquid autem latuerit, numquid erit gloria consummata? Ideo nihil latebit nos, et ecce sapientia, qua curiositas hominis satietur. O sapientia, qua tunc omnia, quae in coelo et quae in terra sunt, perfectissime cognoscemus, in ipso fonte sapientiae rerum omnium cognitionem bibentes. Non metuam suspiciones, non timebo consilia, quia civitas illa juxta Johannem purissimo vitro similis erit, ut sicut per vitrum lucidissime cernimus, sic aliorum conscientias clarissime videamus.* Baptista Mantuanus libr. 3. de patient. cap. 27: *Videbunt beati coelos ac omnem coelorum harmoniam percipient. Sicut nunc ex motu corporis animam inesse percipimus et vegetare ac regere mem-* XX. 4
bra corporea; sic tunc coelo et elementis et rebus omnibus Deum esse intimum et in qualibet universi parte totum conservare, alere ac gubernare mundi hanc machinam, non dubio cernemus intuitu. Nunc id satis ratio persuadet, et credimus, tamen prae inscitia nostra naturali non perpendimus; tunc autem oculos circumquaque vertentes id perpendemus.

75. 2. Ex Dei visione beatifica et cognitione intuitiva profluet *voluntatis perfecta sanitas et sanctitas, exactissima ὀρθότης et conformitas cum norma divinae legis ac justitiae, perfecta bene agendi libertas ab omni peccati servitute et corruptione prorsus libera*, adeoque ejusdem in bono stabilitio ac confirmatio. 1) Quia enim beati Deum summum bonum *intuitive ac perfecte* cognoscent, ideo etiam summo illi bono perfecte agnito per sanctum voluntatis motum inseparabiliter adhaerebunt, ac proinde ut ex mente omnis caligo ignorantiae, ita ex voluntate omnis ad malum proclivitas erit expulsa. In Deo utpote infinito bono omnia bona eminentissime continentur, adeoque tota latitudo objecti voluntatis, ad quod naturaliter fertur, reperitur, ut nihil melius ab homine cogitari vel appeti possit. Ex quo sequitur,

2. Vo[luntatis per]fecta [sanitas]

beatos per suam voluntatem a Deo non posse se avertere aut aliud quid nisi in ordine ad objectum illud adaequatum appetere, cum in illo contineatur summa hominis perfectio, desiderii omnis complementum ac finis ultimus, quo obtento voluntas acquiescit neque aliud quidquam desiderat. Proinde ex ipsa natura sui status, ex beatifica scilicet Dei visione, non tantum *ex lege Dei extrinseca*, ut quidam Scholasticorum opinantur, beati erunt in bono confirmati. Quemadmodum in Christo nullus fuit inordinatus voluntatis motus, nulla peccati labes, nulla iniquitatis macula, sed exactissima cum norma divinae legis congruentia; sic in beatis voluntas immutabiliter eligit bonum ab intellectu agnitum ac monstratum sine ulla omnino ad peccandum pronitate. Quemadmodum angeli, quia *semper vident faciem Patris, qui in coelis est* Matth. 18, v. 10. sunt in bono confirmati et a peccandi periculo liberati; sic beati, utpote futuri ἰσάγγελοι, perfecte sancti et in bono confirmati erunt per et propter beatificam Dei visionem. 2) Atque istaec beatorum in coelo sanctitas et voluntatis ad bonum libertas longe perfectior erit quam sanctitas et libertas primi hominis, quippe quae in eo constitit, quod primus homo potuit non peccare, quod potuit juxta normam divinae legis recte agere etc. sed beatorum libertas in eo consistit, quod non poterunt peccare, quod non poterunt non juxta divinae legis normam agere. 3) Neque vero immutabilitas illa ac confirmatio in bono detrahit quidquam arbitrii libertati, cum liberior sit voluntas, quae non potest nisi bonum agere, quam quae ad bonum et malum agendum indeterminate se habet, ut Dei, qui est agens liberrimum, et angelorum sanctorum in bono confirmatorum exemplo comprobatur. Absurdum minime censeri debet, quod eadem voluntatis potentia erga quaedam objecta indifferens ac libera, erga quaedam per modum naturae determinata sit, cum et Dei voluntas, quoad externa indifferens et liberrima, circa operationes immanentes sive opera ad intra, uti vocant, sit natura-
111. liter determinata. Misera et miserabilis est libertas *posse peccare*, id est a bono deficere, contra vero felix et exoptanda necessitas (immutabilitatis) est *non posse peccare*, id est summo bono inseparabiliter adhaerere. Libertas *interior* sive a coactione essentialis est arbitrii libertati, sed *exterior* libertas ab immutabilitate nequaquam. Nemo igitur existimet, inde dictum liberum arbitrium, quod aequa inter bonum et malum potestate aut facultate versetur, alioqui nec Deus nec angeli sive boni vel mali liberi arbitrii dicerentur, sed ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo aeque liberam faciat voluntatem, cum nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat aut esse valeat nisi volens.

76. De hac beatorum sanctitate atque arbitrii
rae de libertate sic loquuntur 1. Scripturae sacrae. Psalm.
um 17, v. 15: *Ego in justitia* (integra et perfecta totius
ate. naturae cum archetypo conformitate) *videbo faciem tuam.* Esa. 60, v. 20: *Dominus erit tibi in lucem sempiternam, et finientur dies luctus tui.* v. 21. *Populus tuus omnes ipsi justi*, כֻּלָּם צַדִּיקִים, *in seculum hereditabunt terram.* (Hoc vaticinium Apoc. 21, v. 23. ad coelestem Hierosolymam refertur, cujus cives omnes erunt justi. In ecclesia militante tritico admixta sunt zizania, sanctis et justis admixti sunt non sancti et non justi, sed in ecclesia triumphante omnes erunt justi et sancti.) Joël. 3, v. 17: *Et Jerusalem erit sancta, et non transibunt per eam alieni.* Zach. 3, v. 9: *Auferam peccatum terrae die uno*, (in die extremi judicii, in quo peccatum a credentibus prorsus abolebitur et perfecta justitia restituetur). Rom. 8, v. 21: *Libertas gloriae* sive gloriosa filiis Dei obtinget. Eph. 1, v. 4: *Elegit nos, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus* (in hac vita inchoative, in futura consummative). c. 5, v. 26: *Christus mundavit ecclesiam lavacro aquae in verbo*, v. 27. *ut exhiberet ipsam sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam vel rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* (Hoc demum in vita aeterna perfecte implebitur, ut recte docent Hieronymus in comm. c. 31. Jerem. et Augustinus libr. 3. de doctr. Christ. cap. 34. lib. 2. retract. c. 8. 1) quia in hac vita non tollitur omnis peccati et omnis vetustatis ruga; 2) verbum παριστάναι, *sistere, statuere, praesentare* et sistendo ut sponsam sibi copulare, deducit nos ad diem novissimum, in quo Christus ecclesiam utpote sponsam suam coelesti Patri sistet et ad coelestium nuptiarum solennitatem introducet 1. Cor. 15, v. 24. Apoc. 19, v. 6; 3) ἔνδοξος sive gloriosa erit ecclesia demum in futuro seculo.) Col. 1, v. 22: παραστῆσαι, *exhibere, vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso.* (Ἄμωμοι sunt, in quibus nec ipse Momus, quod carpat, invenire potest, ad talem perfectionem adspirabimus demum in vita aeterna.) 1. Thess. 5, v. 23: *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos ὁλοτελεῖς, totos atque integros, et integer spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* (Ὁλόκληρον est, quod omnibus suis partibus integrum est ac perfectum, cui totum illud, quod forte accepit, inest. Optat igitur apostolus Thessalonicensibus, ut tam integrum spiritum, animam et corpus Christo in die judicii reddant, qualem ab eo in baptismo acceperunt.) 2. Petr. 3, v. 13: *Novos coelos ac novam terram secundum promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat;* (novi coeli ac novae terrae cives
tanta justitia ac sanctitate praediti erunt, ut ipsa XX. 412.
justitia in illo coelo ac in illa terra habitare recte dicatur, abolebitur enim penitus peccatum ac electi perfecta justitia decorabuntur). 1. Joh. 3, v. 2: *Similes ei erimus* (in sanctitate et claritate). Epist. Judae v. 24: *Deus potens est vos σιῆσαι κατενώπιον τῆς δόξης αὐτοῦ ἀμώμους ἐν ἀγαλλιάσει.* Haec beatorum puritas ac sanctitas symbolice denotatur per *stolas albas*, quibus coram throno Dei apparent amicti Apoc. 3, v. 5. cap. 4, v. 4. cap. 6, v. 11. cap. 7, v. 9. et 13. per *byssinum candidum ac splendidum*, quo sponsa Christi introducitur ornata Apoc. 19, v. 8. cap. 21, v. 2.

Dicta patrum de beatorum sanctitate.

77. 2. Patres. Dionysius Areopagita eccles. hierarch. cap. 7: *Sanctae animae, cum in hac vita possint ad deteriora converti, in regeneratione id habiturae sunt, ut ex Dei similitudine ad inconvertibile transeant; at vero casta sanctarum animarum corpora, cum quibus una et vitae mortalis iter egerunt, et simul descripta sunt simulque certarunt, pro sacris sudoribus suis in animarum immutabili secundum divinam vitam firmitate ac sede resurrectionem quoque una recipient propriam. Inserta enim animabus sanctis, quibus in hac vita juncta fuerant, ut Christi effecta membra divinam atque immortalem beatamque recipient requiem.* Cyprianus serm. de adscens. Domin. cap. 9. pag. 526: *Non erit concupiscentia in membris, non ultra illa exsurget rebellio carnis, sed totus hominis status pudicus ac pacificus, sana ex integro natura, sine omni macula et ruga deinceps permanebit.* Augustinus in enchirid. cap. 91: *Tanta erit tunc concordia carnis et spiritus, vivificante spiritu carnem subditam sine sustentaculi alicujus indigentia, ut nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem, ita neque intus nosmet ipsos patiamur inimicos.* Idem lib. 22. de civ. Dei c. 30: *Nec ideo liberum arbitrium* (beati) *non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt; magis quippe erit liberum a delectatione peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem libertatem* (al. indeclinabile liberatum). *Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit et peccare; hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere, non suae possibilitate naturae. Aliud enim est esse Deum, aliud participem Dei. Deus natura peccare non potest, particeps vero Dei ab illo accipit, ut peccare non possit* etc. *Sicut prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non posse mori; ita primum liberum arbitrium posse non peccare, novissimum non posse peccare. Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis et aequitatis, quomodo est felicitatis. Nam utique peccando nec pietatem nec felicitatem tenuimus, voluntatem vero felicitatis nec perdita felicitate perdidimus. Certe Deus ipse numquid, quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Prosper libr. 1. de vit. contempl. cap. 4: *Humanorum pectorum tanta ibi erit ac tam perfecta munditia, ut habeant, unde mundatori suo gratias agant, non unde offensi aliquibus peccatorum sordibus erubescant, quia nec ulla peccata ibi, nec peccatores erunt, et qui ibi fuerint, jam peccare non poterunt.* Hesychius libr. 3. in Levit. cap. 12. applicat huc typum circumcisionis. *Dies,* inquit, *octavus, quoniam septimae diei, quae imago est praesentis vitae, succedit, figuram gerit futuri seculi, in quo*
XX. 413. *carnem praeputii circumcidimus, opera carnis omnia deponentes, tunc quippe non solum non peccaturi, sed nec comesturi* etc. *erimus autem procul dubio, sicut ait Dominus, ex corruptibilibus incorruptibiles, sicut angeli, et mundi modis omnibus ex immundis efficimur.* Remigius in Psalm. 5: *Tota haec vita quasi nox est, quia multis et magnis ignorantiae et vitiorum tenebris involvitur, transacta hac corruptibili vita, cum mortale hoc induet immortalitatem, veniet mane, id est initium diei nunquam deficientis. Tunc enim fulgebunt justi quasi sol in regno Patris eorum claritate virtutum splendidi, nullam maculam corruptionis habentes.* In libro, cui titulus Altercatio ecclesiae et synagogae (circa annum 900. scripto) cap. 4: *Cum mortale nostrum induerit immortalitatem et corruptibile nostrum induerit incorruptionem, cum mors absumta fuerit in victoria et principium suum repetierit perfectae libertatis nova creatura, cum venerit, quod perfectum est, et evacuatum fuerit, quod ex parte est* etc. *cum cessante mentis et corporis mutabilitate liberum arbitrium fuerit liberatum, ut quod volumus, possimus,* et *quod possumus, recte velimus; ubi sicut voluntatem possibilitas, sic possibilitatem praecedit ordinata voluntas, et quibus nunc accidit ex nativa corruptela velle et posse peccare; tunc habuerimus et nusquam vel velle vel posse peccare.* Baptista Mantuanus libr. 3. de patient. cap. 26: *Paradisus noster sua redundantissima voluptate sic omnem voluntatis appetitum inebriat, ut liberum arbitrium in ea positum peccandi facultate privetur, quod tamen non est, libertatem minui, sed augeri. Longe enim praestantior est libertas ea tantum velle posse, quae displicitura sint nunquam, quam ea etiam velle posse, quae aliquando nolle sit necesse.*

78. 3. Ex visione Dei, qui est summum bonum, ex luce sapientiae in mente et ex perfecta sanctitate et libertate in voluntate orietur in cordibus beatorum *affectuum et appetituum plena conformitas cum recta ratione divino lumine collustrata*, itemque *perfecta Dei et proximi dilectio.* Cum enim Deus sit summum bonum, ideo fieri nequit, quin ex beatifica Dei visione et intuitiva ejus cognitione ardentissimus ejus amor excitetur, siquidem haec natura boni est, ut cognitum appetatur et ametur, quare quo perfectior erit summi boni cognitio, eo etiam perfectior erit ejusdem dilectio, unde caritatem etiam in vita aeterna mansuram apostolus asserit 1. Corinth. 13, v. 13. cum reliqua Spiritus sancti charismata, dona scilicet miraculorum, prophetiae, sanationum etiam in hac vita, fides et spes cum hac vita desinant. Adde, quod ex cumulatissima omnium bonorum abundantia divinitus in se collata ex intimo amoris sensu beati evidenter cogniturі sint, se a Deo in summo gradu diligi, ideo ipsum quoque in summo ac perfectissimo gradu amabunt, ex quo amore erga Deum etiam amor erga proximum orietur, quem in Deo et sub Deo diligent. Cumque *intellectus* plenitudine divinae lucis futurus sit collustratus ac *voluntas* immutabiliter in bono confirmata, inde etiam *affectus cordis* erunt purissimi, sincerissimi, ab omni ἀταξίᾳ prorsus liberi atque imperio voluntatis exactissime congruentes. Quemadmodum enim in primo homine ad imaginem Dei condito ante lapsum ratio subdita erat Deo, voluntas rationi, affectus ac reliquae

3. A... um rect... tion... forn...

potentiae voluntati, ut omnium animae virium ac facultatum pulcherrima esset harmonia, nullus erat
14. in corde metus, nullus terror, tristitia nulla; sic multo magis in beatis ad imaginem Dei perfecte renovatis talis conformitas omnium affectuum atque appetituum cum rectae rationis dictamine locum habebit. Dilectio illa, qua beati Deum et proximum complectentur, nulla cum molestia, difficultate, taedio vel satietate erit conjuncta, sed jucundissima, quietissima, pacatissima et sincerissima. Certo scient beati, sese ex statu illius felicitatis, in quam translati sunt, non esse ullo unquam tempore deturbandos, ideo nulla torquebuntur solicitudine, nullo angentur metu, ne quod divina gratia acceperunt, propria culpa aliquando amittant. Nihil adversi, nihil periculi ipsis impendebit, ideo tristitia et terror ab eis penitus exsulabit. Quin imo nec spes solicita et anxia in cordibus eorum locum habebit, neque enim bona futura exspectabunt dilatione eorundem perturbati, sed praesentibus plenissime ac perfectissime fruentur.

re- de m ne. 79. Hac de re sic loquuntur pii veteres. Augustinus in enarr. Psalm. 83: *Possident Hierusalem coelestem sine angustia, sine pressura, sine diversitate et divisione limitum, omnes habent eam et singuli habent totam* etc. *amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit.* Angelomus ad libr. 3. Reg. cap. 6: *In praesenti ecclesia talem nos ingredi ac ducere vitam necesse est, in qua dilectionem Dei et proximi per fidem et operationem, per patientiam et benignitatem servemus; in futura autem vita Deum et proximos in luce aeternae beatitudinis videbimus, eadem utique dilectione genuina absque ullo prorsus labore, imo magna multitudine divinae dulcedinis fruemur.* Anshelmus in comm. 1. Cor. 13: *Fides cessabit, dum futura, quae creduntur, advenerint, et spes finem habebit, dum beatitudinem, quam quisque praestolatur, acceperit; sola vero caritas in aeternum perseverabit et de visione conditoris ac beatitudine sanctorum sine fine gaudebit.* Idem epist. 2. ad Hugonem: *Tanta ibi erit dilectio inter Deum et eos, qui ibi erunt, et inter se ipsos invicem, ut omnes se invicem diligant sicut se ipsos, sed plus ament omnes Deum quam se ipsos. Et propter hoc nullus ibi volet nisi quod Deus, et quod volet unus, hoc volent omnes, et quod unus vel omnes, hoc ipsum Deus volet. Quapropter quidquid unusquisque volet, hoc erit et de se ipso, et de omnibus aliis, et de tota creatura, et de ipso Deo. Et sic singuli erunt perfecti reges, quia quod singuli volent, hoc erit; et omnes simul cum Deo unus rex et quasi unus homo, quia omnes unum volent, et quod omnes volent, erit.* libr. de similitud. cap. 63: *Corpus et anima cujusque sancti, imo concordiae tantae erunt omnes justi, quantae in praesenti sunt oculi nostri. Sicut enim oculus unus verti non potest, quo non vertatur et alius, sed in eandem partem semper volvuntur; sic etiam corpus et anima, vel societas illa justorum nihil poterunt diversum, sed eandem semper voluntatem habebunt. Corpus enim unum erimus, ecclesia una erimus, sponsa Christi erimus, quicunque ibi erimus. Ipsa Dei voluntas non erit a tua diversa, sed sicut tu, quod ille, ita et ille volet in cunctis quod tu, caput namque a suo corpore quonam modo discreparet?* Scholastici disputant, duplicem esse Dei amorem, unum *benevolentiae*, quo amamus Deum, quatenus in se bonus est; alterum *concupiscentiae*, quo amamus Deum, quatenus nobis bonus est.

80. Bona *animae* beatis in vita aeterna exspectanda XX. 415.
vidimus hactenus, restat, ut 2. bona *corporis* eisdem 2. ad corpus.
promissa expendamus. Neque enim existimare debemus, animas beatorum duntaxat glorificandas, sed in consortium illius gloriae etiam corpora recipientur, non tantum per bona toti composito communia, sed etiam per bona corporum propria, 1) quia apostolus expresse asserit, secuturam *τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν* Rom. 8, v. 23. Illa *ἀπολύτρωσις* est liberatio a mortalitate, corruptione et prava concupiscentia, a peccato et omnibus peccati poenis ab omni miseria et dolore, quae in altera demum vita corporibus beatorum obtinget. Quidam referunt ad piorum mortem, in qua animae liberantur ex corporum ergastulo, in quo velut captivae detinebantur miseriis et aerumnis hujus vitae oppressae; sed apostolus non redemtionem a corpore, verum *ipsius corporis redemtionem a servitute scilicet corruptionis* v. 21. id est a corruptione, quae est misera quaedam servitus, exspectare nos jubet eandemque *cum adoptione*, id est revelatione adoptionis 1. Joh. 3, v. 2. ac plenaria in hereditatem coelestem immissione conjungit, ex quo intelligitur, non tam de statu animarum separatarum post mortem, quam de statu beatorum post resurrectionem h. l. ipsum agere. 2) 1. Cor. 15, v. 43. illud ipsum corpus, quod *ἐν ἀτιμίᾳ* seminatur, *ἐν δόξῃ*, *in honore et gloria*, resurrecturum dicitur, ergo non tantum animabus separatis stola glorificationis obtingit Apoc. 6, v. 11. sed etiam corporibus piorum resuscitatis. Ratione substantiae eadem corpora erunt, sed qualitates mutabuntur, ut hac ratione ignobilitati gloria succedat. Chrysostomus homil. 35. in cap. 20. Matth.: *Sicut lana, si in colorem purpureum tingitur, manet quidem pristina lana, sed est pulchrior quam antea; ita corpora nostra quoad substantiam priora corpora erunt, sed clariora sunt futura.* 3) Phil. 3, v. 21. testatur apostolus, Christum *corpus nostrum humilitatis* sive humile *transfiguraturum, ut conforme fiat corpori suo glorioso.* Abolebitur ergo corporis humilitas, sequetur gloria et claritas. Nequaquam vero de essentiali ipsius substantiae mutatione hoc accipiendum, quia Christi glorificatum corpus ratione substantiae idem est cum corpore humili ante passionem et in passione, sed de qualitatum duntaxat mutatione, quam per *μετασχηματισμόν* apostolus exprimit. Photiniani illud *μετασχηματίζεσθαι* censent vertendum esse per *transformari*, ut obtineant, electos in vita aeterna non amplius habituros carnem et sanguinem; sed verbum illud in Scripturis ubique de accidentali duntaxat mutatione accipitur, Rom. 12, v. 2. 1. Cor. 4, v. 6. 2. Cor. 11, v. 13. 14. et 15. 1. Petr. 1, v. 14. sicut et *σχῆμα* proprie significat

speciem, habitum 1. Cor. 7. v. 31. Philip. 2, v. 7. Ac si vel maxime per transformationem verteretur, nondum tamen substantiae corporeae abolitio foret evicta, ut enim duplex est forma, *essentialis et accidentalis*, ita quoque duplex transformatio. Christus coram discipulis μετεμορφώθη, quando *facies ejus instar solis splendebat* Matth. 17, v. 2. Marc. 9, v. 2. non quod substantia corporis fuerit abolita, sed quia *species vultus ejus facta fuit alia* Luc. 9, v. 28. in quo futurae nostrae glorificationis praeludium ac specimen nobis proponi ostendimus superius. 4) Christus docet, beatos fore in coelis ἰσαγγέλους Matth.
XX. 416. 22, v. 30. Marc. 12, v. 25. Luc. 20, v. 36. non angelicae essentiae, sed angelicarum proprietatum respectu, atque hanc ἰσαγγελότητα ibidem non solum ad animas, sed etiam ad corpora beatorum refert, quia post resurrectionem eos tales futuros pronuntiat, cum secundum animas etiam ante resurrectionem tales sint, ac diserte addit, quod non sint operi generationis amplius vacaturi, quod corporis proprium esse quilibet intelligit. Jam vero conformitas corporum cum proprietatibus angelicis absque glorificatione eorum locum habere nequit, inde Tertullianus libr. de resurr. carnis cap. 26. p. 326. carnem beatorum vocat *reformatam et angelificatam.* 5) Corpus fuit organum bonorum operum in hac vita 2. Cor. 5, v. 10. aequum igitur est, ut in communionem praemii et consortium gloriae assumatur. Corpus per passiones et crucem conforme factum imagini Christi crucifixi, Gal. 6, v. 17: *Porto stigmata Christi in corpore;* aequum igitur est, ut conforme fiat imagini Christi glorificati. Confer tract. de resurr. §. 21. 6) Inter corpus et animam est arctissima unio et intima conjunctio etiam in hac vita, ut tristitia, moeror et alii affectus animae ipsum corpus afficiant; utique ergo etiam in vita altera propter arctissimam et indissolubilem animae et corporis unionem gloria ac laetitia animae in corpus beatorum redundabit. Alvernus de retribut. sanctor. c. 1: *Retributio sanctorum dicitur secundum suum principale, imo secundum suum totum gloria animarum, prout sentire videtur Augustinus. Gloriam enim corporum non partem beatitudinis, sed redundantiam ejusdem vocat his verbis, tanti, inquit, fecit Deus animam rationalem, ut ex beatitudine illius non beatitudo, quae fruentis et intelligentis est propria, sed sanitas incorruptionis in inferiorem naturam, id est corpus, redundet. Tota ergo beatitudo, quae sanctis promittitur, animarum est sic fruentis et intelligentis propria. Sola autem anima fruens et intelligens est, ut patet ex ejus verbis. Secunda igitur stola, quae est gloria corporum, nec beatitudo est proprie, nec pars beatitudinis, est tamen pars totius remunerationis, id est totius boni, quod sanctis in fine dabitur.*

Quot futurae sint glorificati corporis qualitates.

81. *Dotes* illae sive qualitates *corporis glorificati,* quae et quot sint futurae, in hac vita exacte scire et definire posse hominem arbitramur neminem, cum de illis quoque recte accipiatur dictum propheticum et apostolicum generale Esai. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9: *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscendit, quid praeparaverit Deus* (non solum in animae sed etiam corporis bonis) *sese diligentibus.* Augustinus libr. 22. de civ. Dei c. 21. circa med.: *Quae sit et quam magna spiritualis corporis gratia, quoniam nondum venit in experimentum, vereor, ne temerarium sit omne, quod de illa profertur eloquium.* libr. ejusd. c. 30: *Qui motus illic talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen et motus et status sicut ipsa species decens erit, quicunque erit, ubi quod non decebit, non erit.* Recensebimus primo varias variorum scriptorum de numero istarum qualitatum sententias. 1. Quidam *denario numero*, qui perfectionis est, dotes glorificatorum corporum complectuntur. Habebunt enim ejusmodi corpora: 1) *perfectam mundiciem ac puritatem* sine omni peccato, erunt omnis peccati expertia, non am- XX. 41
plius audietur querela apostolica Rom. 7, v. 18: *Scio, quod in me, hoc est in carne mea, non habitat bonum;* 2) *pulchritudinem et formositatem* sine omni macula, reddemur enim naturae non injuriae; 3) *claritatem* absque caligine; 4) *honorem et gloriam* sine omni ignominia; 5) *indeficiens robur et fortitudinem* sine infirmitate; 6) *perpetuam satietatem;* 7) *summam agilitatem;* 8) *subtilitatem*, ut dimensiones corporeas penetrare possint; 9) *alacritatem*, quod non dormiant; 10) *impassibilitatem*, propter quam non indigebunt vestibus, quia nec frigore nec calore laedentur. 2. Radulphus domin. 1. post Pascha ad *numerum septenarium*, qui itidem perfectionis est, dotes illas revocat. *In resurrectione*, inquit, *corpus septem donis decorabitur. Primum erit subtilitas, adeo enim tunc subtile erit corpus, quod obstantia corpora possit penetrare, nec vinculis nec claustris queat prohiberi, unde et corpus Christi glorificatum potuit clauso sepulcro exire clausisque januis intrare. Secundum erit velocitas, nam tantae velocitatis erit corpus glorificatum, ut in momento de coelo ad terras, de terris ad coelum, ab oriente in occasum vel e converso ire possit. Hinc est, quod Dominus apparens duobus discipulis in Emmaus mox apparuit Petro in Jerusalem, cum loca sexaginta stadiis distent. Tertium erit incorruptibilitas, tunc enim corpora non poterunt corrumpi nec morte, nec senio, nec morbo, nec gladio, nec fame, nec siti, nec aliquo incommodo. Quartum erit fortitudo, tunc enim tantae fortitudinis erit corpus glorificatum, ut montes etiam possit evertere, quod nunc angelos posse credimus. Quintum erit pulchritudo, tantae enim pulchritudinis tantaeque gloriae tunc erit corpus, ut fulgeat sicut sol. Sextum erit voluptas, tunc enim omnes corporei sensus veris et aeternis voluptatibus delectabuntur. Septimum erit libertas, adeo enim corpus glorificatum erit liberum, ut ea, quae nobis contraria videntur, ipse possit ostendere, ut cum subtile sit in sua natura, se corpulentum et palpabile possit ostendere, et cum voluerit, evanescere; ut cum gloriosum et fulgens sit in sui natura, se subobscurum et visibile possit ostendere, cum nullius cibi aut*

vestis indigeat, possit manducare et esse vestitum, quod et de angelis legimus. Anshelmus l. de similitud. c. 48. itidem septem recenset corporis dotes, sed paululum diversas. *Partes*, inquit, *beatitudinis ad corporis beatitudinem pertinentes sunt pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, longaevitas.* 3. Scholastici communiter ut *tres dotes animae*, videlicet visionem, fruitionem et tentionem; ita *quatuor* gloriosorum corporum *qualitates* recensent 1) *claritatem*, 2) *impassibilitatem*, 3) *agilitatem* et 4) *subtilitatem.* Thomas in comp. theolog. cap. 168: *Erunt hae quatuor conditiones corporum beatorum, subtilitas, claritas, impassibilitas et agilitas.* Jacobus de Vitriaco domin. 4. Quadrages.: *Corpora glorificata erunt splendida, subtilia, agilia et impassibilia; splendida sine obscuritate, subtilia sine corpulentia et grossitudine, agilia sine ponderositate et tarditate, impassibilia sine corruptione et dissolutione.* Hugo de Prato in evangel. Domin. resurrect.: *Corpus non habebit beatitudinem, quae in anima erit, sed suas dotes, quae sunt agilitas, ut subito feratur, quocunque anima velit; impassibilitas, ut a nulla re possit laedi vel pati; subtilitas, ut montes penetret; et claritas delectabilis et perspicua non laedens oculos, ut claritas solis, ita quod in ipsa claritate corporis claritas animae cognoscetur vel gloria, quia anima magis beata clarius corpus ha-*
18. *bebit, ut quod quilibet possit cognoscere gloriam aliorum, et omnia praedicta habebit corpus ex redundantia gloriae animae in corpus.*

82. Hasce qualitates earumque numerum demonstrant 1. *ex dictis Scripturae*, quorum prius exstat Sap. 3, v. 7: *Fulgebunt justi et ut scintillae in stipula vel arundineto discurrent.* Bonaventura 4. sentent. dist. 49. art. 2. q. 1: *In fulgore notatur claritas, in justitia impassibilitas, in scintillae nomine subtilitas, in discursu agilitas.* Posterius 1. Cor. 15, v. 42. 43. et 44: *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surgit in gloria; seminatur in infirmitate, surgit in virtute; seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.* Thomas d. l.: *Per incorruptionem significatur impassibilitas, per gloriam claritas, per virtutem agilitas, per spirituale subtilitas. Primum spectat qualitates passibiles, alterum formam externam, tertium vires, quartum formam internam.* 2. *Ab exemplo corporis Christi.* Corpora sanctorum erunt talia post communem resurrectionem, quale fuit corpus Christi post suam resurrectionem teste apostolo Phil. 3, v. 21. proinde corpus Christi est exemplar aliorum corporum. Jam vero corpus Christi post resurrectionem habuit quatuor illas dotes; *subtilitatem* ostendit, cum penetraret coelos, *claritatem*, cum transfiguraretur in monte, *agilitatem*, cum incederet super mare, *impassibilitatem*, cum manducaretur in coena. Et quamvis aliqua horum facta sint ante resurrectionem, inde tamen efficaciter deduci potest, multo magis post resurrectionem fieri potuisse. Nam easdem dotes, quas ante mortem per intervalla assumsit, post resurrectionem constanter tenuit. Ergo etiam beatorum corpora illas qualitates erunt habitura. Thomas 4. sent. dist. 44. q. 2. Suarez tom. 2. in part. 3. Thom. disp. 48. Becanus in append. disput. de purgat. Calvin. cap. 10. pag. 160. 3. *Ex rationibus.* Thomas de Argentina 4. sentent. dist. 49. profert hanc ratiocinationem: *Ad hoc, ut corpus ab anima beata resumtum non sit ipsi animae onerosum, sicut esse consuevit in hac vita mortali, quatuor requiruntur, duo scilicet ex parte sensus et duo ex parte motus. Nam ex parte sensus primo requiritur, ut corpus animae beatae sit ignobilium passionum, scilicet corruptivarum et laesivarum actionum propulsivum. Ratione primi convenit tali corpori dos claritatis, ratione secundi dos impassibilitatis. Et similiter ex parte motus duo requiruntur in hujusmodi corpore, primo enim congruum est, ut hujusmodi corpus taliter disponatur, quod motor suus ipsum movendo non lassetur; secundo, ne in suo motu propter resistentiam medii retardetur. Quo ad primum disponitur hujusmodi corpus dote agilitatis, quo ad secundum dote subtilitatis.* Bonaventura d. l. producit duas. Prior desumta est *a causa formali hominis*, videlicet anima, quae naturae coelestis est et convenientiam habet cum luce. *Sicut enim in hac vita saepe praedominatur natura elementaris, h. e. corpus; sic in altera vita dominabitur natura coelestis, quae lucida, hoc est anima. Lux autem habet quatuor istas proprietates, sicut patet in radio, scilicet claritatem, quia illuminat; impassibilitatem, quia nihil ipsum corrumpit; agilitatem, quia subito vadit; penetrabilitatem, quia corpora diaphana pertransit. Pari ratione corpus gloriosum, in quo dominabitur natura lucis, quatuor istas dotes habebit.* Posterior petita est *a causa materiali*, nimirum corpore. *Corpus ex quatuor elementis est compositum, et quia elementa sunt im-* XX. 419.
perfecta, quadruplicem habet ab illis defectum. Ab aqua, quae est elementum humidum et passibile, habet passibilitatem et corruptionem, unde humidum aqueum corpus corrumpit; a terra habet obscuritatem, quia est elementum opacum; ab igne animalitatem, quia calor absumit continue, ideo continua indiget alimonia ciborum; ab aëre autem habet infirmitatem, aër enim facillime immutatur et cedit cuilibet impellenti. Quoniam igitur quatuor isti defectus per bona opposita removeri debent, ideo quatuor sunt dotes. Contra corruptionem est impassibilitas, contra obscuritatem claritas, contra animalitatem spiritualitas vel agilitas, contra infirmitatem virtus sive penetrabilitas vel subtilitas. 4. *Ex dicto Augustini* libr. 22. de civ. Dei cap. 6: *Aberit a corporibus nostris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio. Deformitas enim aberit per claritatem, tarditas per agilitatem, infirmitas per penetrabilitatem et corruptio per impassibilitatem.* Confer Meisnerum part. 1. sobr. philos. sect. 3. cap. 2. q. 5. p. 746. Quidam ex recentioribus ad ternarium numerum qualitates illas revocant, videlicet 1) *ad gloriositatem*, 2) *incorruptibilitatem* et 3) *spiritualitatem*, ad quam per subdivisionem refe-

runt 1) *invisibilitatem*, 2) *illocalitatem*, 3) *subtilitatem* et 4) *agilitatem*.

83. Progrediemur hoc ordine, ut primo *nomen*, secundo *numerum ac species* harum corporis glorificati qualitatum explicemus. 1. Dicuntur hae qualitates ac proprietates glorificati corporis ecclesiastica loquendi consuetudine ejusdem *dotes*. Quamvis vero dona et beneficia quaecunque generali appellatione vocentur dotes, ut constat ex illo Nasonis libr. 2. de art. am.:

Ingenii dotes corporis adde bonis.

et ex versiculis Eobani:

Adde, quod et numeros facile est meminisse, nec ullis
Dotibus ingenii gratia major inest;

tamen dos in prima et propria significatione denotat pecuniam nuptiarum causa a parente sponsae datam, quam *profectitiam* vocant et *ab adventitia* distinguunt.

Quae dos matronis pulcherrima? vita pudica,

canit Ausonius, cui consonat illud Horatii libr. 3. carm. od. 24:

Dos est magna parentium
Virtus et metuens alterius viri
Certo foedere castitas.

ac virginis bene moratae apud Plautum in Amphitr.

Non ego illam mihi dotem esse duco, quae dos dicitur,
Sed pudicitiam et pudorem etc.

Haec significatio propria huc quodammodo accommodari potest. In die novissimo venient *nuptiae Agni* Apoc. 19, v. 7. tunc enim coelestis *sponsus veniet et virgines prudentes, quae paratae erunt*, ad nuptias secum introducet Matth. 25, v. 6. et 10. tunc sancta civitas, *nova Hierosolyma, descendens a Deo ex coelo, erit parata, sicut sponsa ornata viro suo* Apoc. 21, v. 2. ac Pater coelestis, qui filio eam adducet, corporis et animae bonis amplissimis eam dotabit, ut sit formosa ac dives, *non habens maculam vel rugam vel aliquid hujusmodi, sed sit sancta et immaculata* Ephes. 5, v. 27. Christo sponso suo maximopere placens. Reinerius in pantheologia veterum quinque rationes reddit hujus appellationis: XX. 420.
1) *Sicut parentes dant dotes filiabus sponsis in proprietatem, sponso in dispensationem, ita quoque has dotes dari ecclesiae et Christo;* 2) *sicut dos datur in solatium, ita et has dotes;* 3) *sicut dos datur ad majorem sponsae commendationem et ornatum, ita et has dotes;* 4) *sicut dos non confertur in desponsatione, sed deductione in domum, ita et has dotes;* 5) *sicut monilia pertinent ad dotes, ita et has spirituales dotes pertinere ad gloriam.* Anshelmus vocat *corporis beatitudines*, Leo *virtutis augmentum*, Ruffinus *praerogativas futuri corporis vel carnis*, Tertullianus *indumentum angelicum*. Confer Cramerum de myst. corp. glorif. ubi c. 9. pluribus de appellatione harum qualitatum et αὐχημάτων disserit. 2. Corporis glorificati dotes Christus uno genere complectitur, quando beatos ἰσαγγέλους futuros esse pronuntiat; Paulus ad ἀφθαρσίαν, δόξαν, δύναμιν ac spiritualitatem omnia revocat. Quibusdam videtur, quod quaternarius Scholasticorum numerus, quo dotes omnes referunt ad *claritatem, impassibilitatem, agilitatem et subtilitatem*, retineri possit. Cramerus d. l. c. 10. hoc ordine progreditur: *Certum est, quod inanimatum distinguatur ab animato non nisi sensu et motu. Ut ergo inanimatum differt ab animato sensu et motu, sic profecto corpus spirituale ab animali differet diversitate motus et sensus. Necesse est enim, modum motionis et sentiendi, qui animalis corporis constitutionem immediate sequitur, alium esse quam hunc, qui consequitur constitutionem corporis spiritualis. Sunt autem motus seu motionis, quae duo hoc loco pro eodem accipimus, species sex, ut Physicus enumerat, generatio, corruptio, alteratio, augmentatio, diminutio, motus localis. Sensus sunt quinque, visus, auditus, tactus, gustus, olfactus. In utriusque, hoc est tam sensus quam motus, perfectione consistit* βελτίωσις et ὑπερύψωσις *corporum nostrorum in vita aeterna.* Docendi causa etiam ad duo generalia capita revocari posse videntur, videlicet ad *spiritualitatem* et *claritatem*. Erunt enim beatorum corpora *spiritualiter clarificata et clarificate* sive gloriose *spiritualia*. Diximus in tract. de resurrect. mort. in cap. de mat. §. 82. qualitates corporum resuscitatorum esse in duplici differentia, quaedam enim *communes* sunt omnibus resuscitatis tam impiis quam piis, tam incredulis quam credentibus, tales sunt ἀφθαρσία καὶ ἀθανασία, quae tamen in damnatis non possunt dici dotes; quaedam vero *propriae* solis piis ad vitam aeternam resuscitatis, tales sunt *claritas et gloria, robur ac potentia, impassibilitas* etc. Proinde ut corporum beatorum dotes plene enumerantur, *claritas spiritualitati* ac *spiritualitas claritati* sive glorificationi conjungenda, ex quibus duobus fontibus reliquae dotes instar diversorum rivulorum promanant. Quaedam dotes exprimuntur verbis affirmativis, utpote quod corpora glorificata futura sint *spiritualia, clara, robusta, formosa, agilia, subtilia;* quaedam vero negativis, utpote quod futura sint *immortalia, impassibilia, illocalia, invisibilia, impalpabilia.* Sed praestat dotes illas ordine et distincte enumerare et ex Scripturis confirmare, quam de exquisitis earum divisionibus ac subdivisionibus scrupulosius agere.

84. Dicimus ergo, corpora beatorum fore 1. πνευματικά, *spiritualia, non animalia*, cibo, potu, somno, vestibus etc. in vita aeterna indigentia. Docet hoc 1) *diserta oppositio apostolica* inter corpus animale ac spirituale. 1. Cor. 15, v. 44: *Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale*; v. 46: *non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.* Corpus *animale* vocat apostolus, cui vitam praestat anima, scilicet ad hanc vitam, quae indiget cibo, potu, vestibus, quam per carnalem generationem homo in sobolem propagat, quae cum brutis ipsi communis est; corpus *spirituale* vocat, quod praeditum est qualitatibus spiritualibus nec indiget amplius cibo, potu ac vestimentis etc. Corpus

1. Spiritualitas. XX. 421.

ψυχικόν est, quod per naturales animae operationes regitur ac sustentatur; corpus πνευματικόν, quod per spiritum citra cibum, potum, somnum ac concoctionem regitur. Lutherus in enarr. 1. Cor. 15: *Non dicitur propterea corpus spirituale, quod corporaliter non sit victurum, nec carnem et sanguinem habiturum, alioquin enim verum corpus dici non possit; sed ideo spirituale dicitur, quod quidem sit victurum, sed non comesturum, non bibiturum, non dormiturum, non concocturum, verum a solo Deo cibandum et sustentandum, in quo et vitam habiturum est. Corpora nostra*, inquit Chemnicius l. de duab. natur. in Christo c. 30. p. 475. *vocantur in hac vita ψυχικά, non quod in animam sint transmutata aut ejusdem cum anima substantiae, quae est spiritualis essentia, sed quia non se ipsis aut propriis tantum suis corporeis conditionibus, proprietatibus et facultatibus ad actiones moventur corpora, sed ab animae potentiis per cibos et alia, quae ad nutritionem, augmentationem, sustentationem ac totam vitae hujus rationem et conditionem ut media pertinent, vegetantur, sustentantur et conservantur. Item, quia ab animae potentiis ad vitales et animales actiones corpora moventur et gubernantur. Animata enim corpora habent talem communionem cum potentiis animae, ut corpora inde conditiones, facultates et actiones animatas habeant, anima enim per organa corporis αἰσθητήρια sentit, per nervos virtutem suam locomotivam exercet, et oculi animae virtute vident, aures audiunt, nervi corpus movent. Ac breviter, corpus subjectum est animae affectionibus, quae membris corporis pro sua voluntate et potentia, sicut vult et potest, utitur, et corpus virtute animae utitur ad motus et actiones suas perficiendas. Eadem ratione in resurrectione erunt corpora πνευματικά seu spiritualia, non quod in spiritum transmutabuntur, aut quod ejusdem substantiae cum Spiritu sancto erunt, habebunt enim et retinebunt naturam seu substantiam corporis, sed erunt spiritualia, quia quod nunc anima est corpori, hoc tunc, excepta hypostatica animae et corporis unione, spiritus et animae erit et corpori. Corpus enim absque mediis a spiritu sustentabitur et conservabitur, et corpus una cum anima perfectissime subjecta erunt ductui ac gubernationi spiritus. In hac enim vita renati in rebus ad Deum pertinentibus aguntur Spiritu Dei, sed ex parte tantum et imperfecte, mente enim secundum interiorem hominem ducitur Paulus Spiritu Dei Rom. 7. atque ita habet κοινωνίαν Spiritus etiam in hac vita 2. Cor. 13. carne autem servit peccato, lex enim peccati in membris in hac vita repugnat legi mentis Rom. 7. In resurrectione vero et corpus et anima absque ulla repugnantia perfecte subjecta erunt ductui et gubernationi spiritus, qui et corpore et anima sanctorum, ad quoscunque motus et operationes voluerit, pro sua omnipotentia utetur. Et corpora atque animae sanctorum in gloria virtute spiritus ad omnes motus et operationes, quas spiritus voluerit, utentur et conditiones, facultates atque operationes, non jam animales, sed spirituales habebunt perfectissimas.* XX. 422
Haec Chemnicii explicatio confirmari potest ex eo, tum quod apostolus considerat primum hominem, non qualis fuit ante lapsum immunis ab omni carnis et spiritus lucta, sed qualis per peccatum factus est post lapsum, quando accepit corpus mortale ac terrenus factus dicitur v. 47. non tantum *ratione originis*, sed etiam ac vel maxime *ratione vitiosarum qualitatum et inclinationum pravarum* contra Dei legem ruentium, adeoque respectu habito ad statum corruptionis adjuncta et effectus lapsus in se complectentem. Quando ergo Adamo tribuitur corpus animale et quando nos ab Adamo dicimur accipere corpus animale, non tantum ad cibi, potus et vestium usum et ad vitam in terris animalem, sed etiam ad corruptionem per peccatum introductam respectus habetur, ac utrique corporis animalis affectioni corporis glorificati spiritualitas opponitur; tum quod spiritualitati corporis v. 50. opponitur *caro et sanguis*, quo nomine hoc loco intelligit non substantiam carnis et sanguinis, sed concupiscentiae corruptionem in vita aeterna penitus abolendam, quando pro animali corpore beati spirituale corpus recipient. Nequaquam tamen statuendum, quod apostolus appellatione *spiritualis corporis* tantum vitiosarum et carnalium qualitatum abolitionem intelligat, sed plura omnino haec appellatio complectitur, ut ex seqq. manifestum erit. Addimus enim 2. *dictum Christi* Matth. 22, v. 30. Luc. 20, v. 36: *Beati erunt* ὡς ἄγγελοι sive ἰσάγγελοι, id est ut angeli sunt πνεύματα, ita beati in coelo habebunt corpora πνευματικά, non quidem erunt angeli ratione οὐσίας, sed erunt *sicut* angeli et *aequales* angelis ratione ποιότητος spiritualis. Ut angeli nec cibo, nec potu, nec somno, nec vestibus indigent, quia sunt spiritus incorporei, sic beati nec cibo, nec potu, nec somno, nec vestibus indigebunt, quia habebunt corpora spiritualia. 3. *Visio apocalyptica* Apoc. 7. v. 15: *Sunt ante thronum Dei et serviunt ei die ac nocte in templo ejus* (ergo non dormiunt nec quietem capiunt, qua Dei servitium in ipsis interrumpatur), v. 16. *non esurient neque sitient amplius* (sicut in hac vita, ergo non indigebunt sustentatione per cibum ac potum). 4. *Typus Moysis et Eliae*. Moyses in monte Deum videns per quadraginta dies et noctes jejunus manens corporali cibo non indigebat; sic visio Dei in vita aeterna absque cibi ac potus corporei adminiculo corpus et animam beatorum satiabit. Eliam itidem sine cibo et potu omnipotenti sua virtute per totidem dies ac noctes Deus sustentabat, quidni idem beneficium beatis coelitibus praestare possit? Nondum quidem hi duo sancti prophetae glorificata acceperant corpora, interim praeludium quoddam glorificationis ac spiritualitatis in ipsis corporibus suis sentiebant et aliis exhibebant. 5. *Exemplo corporis Christi.* Christus *corpus nostrum suo corpori reddet conforme* Philip. 3, v. 21. κατὰ τὸ ποῖον scilicet, ut interim ineffabiliter majori gloria excellat κατὰ τὸ πόσον, ut Theodoretus in comm. recte monet. *Similes ei erimus*, ait Johannes 1. epist. 3, v. 2. Jam vero

corpus Christi post resurrectionem fuit et est spirituale nec alimenti, nec vestimenti indigum. *Manducavit* quidem cum apostolis Luc. 24, v. 43. Joh. 21, v. 15. Act. 1, v. 3. cap. 10, v. 41. sed non ex *ἐνδείᾳ*, *indigentia ac necessitate*, verum ex libera *οἰκονομίᾳ ac dispensatione*, ut resurrectionis veritatem in animis discipulorum confirmaret. Talia
XX. 423. erunt etiam beatorum glorificata corpora. *Regnum Dei non est cibus, potus* Rom. 14, v. 17.

Dicta patrum de corporum glorificatorum spiritualitate.

85. Hac de corporis glorificati proprietate sic loquuntur veteres. Irenaeus lib. 5. adv. haeres. c. 10. pag. 324: *Corpora nostra in hac vita sunt animalia, id est participantia animam, quam cum amiserint, mortificantur. Deinde per Spiritum surgentia fiunt corpora spiritualia, uti per Spiritum semper manentem habeant vitam.* cap. 11. pag. 325: *Nunc partem aliquam Spiritus ejus sumimus ad perfectionem et praeparationem incorruptelae paulatim assuescentes capere et portare Deum, quod et pignus dixit apostolus, hoc est partem ejus honoris, qui a Deo nobis promissus est* etc. *Incorporales spiritus non erunt homines spirituales, sed substantia nostra, id est animae et corporis adunitio assumens Spiritum Dei spiritualem hominem perfecit.* Chrysostomus homil. 41. in 1. Corinth.: *Saepe nunc quidem Spiritus gratia peccantibus nobis assistit, ac ut praesto sit menti quidem nostrae, tamen vita in carne interim est Spiritum ignorante. Istic vero non item, sed constanter Spiritus beatorum carni assistit, eritque penes hunc imperium etiam animae tum praesentem, atque hoc per spirituale Paulus significavit.* Epiphanius l. 2. tom. 1. adv. haer. p. 182. refellit Proclum Platonicum philosophum, qui corpora glorificata propterea putabat dici spiritualia, quod *in aëra vel ventum vel aethera, quae spiritus dicuntur, sint commutanda.* Pamphilus martyr in apolog. pro Origene: *Necesse est, animam in locis corporeis habitantem uti corporibus talibus, quae apta sunt his locis, in quibus degit. Et sicut verbi causa, si in aqua maris nos habitare vel degere posceret, sine dubio pro habitaculi qualitate necessarium videretur habere talem corporis statum et compositionem, qualem habent illa animalia, quae in aquis degunt; ita nunc cum coelorum habitaculum promittatur, secundum locorum gloriam consequens est, aptandas esse etiam corporum qualitates.* Ruffinus in apolog. Pamphili pro Origene: *Salvis praerogativis futuri corporis et carnis resurrectio carnis credenda est integre atque perfecte, ut et natura carnis eadem servetur et incorrupti ac spiritualis corporis status et gloria non infringatur.* Augustinus libr. de fide et symbolo c. 6: *Corpus spirituale est, quod spiritui promtum praestabit obsequium omni fragilitate ac labe terrena in coelestem puritatem et stabilitatem mutata et conversa.* in enchirid. cap. 91: *Sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus non anima est, ita tunc spirituale corpus erit, corpus tamen non spiritus erit.* lib. 13. de civ. Dei cap. 20: *Sicut spiritus carni serviens non incongrue carnalis, ita caro spiritui serviens recte appellatur spiritualis, non quia in spiritum convertetur, sed quia spiritui summa et mirabili obtemperandi facilitate subdetur* etc. *Non solum non erit tale beatorum corpus, quale nunc est in quavis optima valetudine, sed nec tale quidem, quale fuit in primis hominibus ante peccatum, qui licet morituri non essent, nisi peccassent, alimentis tamen ut homines utebantur, nondum spiritualia sed adhuc corporalia gestantes* (quaedam exemplaria rectius legunt *animalia corpora terrena gestantes*), *quae licet senio non veterascerent, ut necessitate perducerentur ad mortem, tamen et alios sumebant cibos praeter unam arborem* etc. lib. ejusd. c. 22: *Corpora justorum, quae in resurrectione futura sunt, neque ullo ligno indigebunt, quo fiat, ut nullo morbo vel senectute inveterata moriantur, neque ullis aliis corporeis* XX. 424
alimentis, quibus esuriendi aut sitiendi qualiscunque molestia devitetur, quoniam certo et omnimodo inviolabili munere immortalitatis induentur, ut non, nisi velint, possibilitate, non necessitate vescantur. Quod angeli quoque visibiliter et tractabiliter apparentes, non quia indigebant, sed quia volebant et poterant, ut hominibus congruerent sui ministerii quadam humanitate fecerunt etc. *Non potestas sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur, unde et spiritualia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu vivificante subsistent.* c. 23. *Sicut ista, quae habent animam viventem, nondum spiritum vivificantem, animalia dicuntur corpora, nec tamen animae sunt, sed corpora, ita illa spiritualia vocantur corpora. Absit tamen, ut spiritus ea credamus futura, sed corpora carnis habitura substantiam, sed nullam tarditatem corruptionemque carnalem spiritu vivificante passura. Tunc jam non terrenus sed coelestis homo erit, non quia corpus, quod de terra factum est, non ipsum erit, sed quia dono coelesti jam tale erit, ut etiam coelo incolendo, non amissa natura, sed mutata qualitate conveniat.* l. 22. de civ. Dei c. 21: *Homo spiritualis sic in hac vita dicitur, ut tamen corpore adhuc carnalis sit et videat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suae. Erit autem etiam corpore spiritualis, cum eadem caro sic resurrexerit, ut fiat, quod scriptum est: Seminatur corpus animale, surgit corpus spirituale.* c. 24: *Spirituale erit habens quidem carnis, sed sine carnali corruptione, substantiam.* Fulgentius de fid. ad Petr. c. 34: *Non indigebimus illic vestimento, quia erimus immortalitate donati.* Junilius in Genes.: *Caro nostra post resurrectionem nulla eget refectione ciborum, quia nulla ei suppetit a fame vel lassitudine vel alia qualibet infirmitate defectio.* Beda in cap. 12. Marci: *Beati sunt sicut angeli in coelis, quia spiritualis ipsis promittitur conversatio, in qua absque ullo terreni actus statu perpetua Dei visione fruentur.* Guilelmus Alvernus primae partis de universo part. 2. cap. 23: *Quod nec alimento indigeant in statu felicitatis illius corpora glorificata, inde manifestum est, quia omne nutrimentum est restauratio ejus, quod fluit de corpore nutribili per motum et*

consumtionem caloris naturalis. Quia igitur hujusmodi dissolutio vel consumtio locum non habet in hujusmodi corporibus, manifestum est, quia neque nutrimentum. Thomas 1. 2. q. 97. art. 2: *In ultimo statu post resurrectionem anima communicabit quodammodo corpori ea, quae sunt sibi propria, in quantum est spiritus; immortalitatem quidem, quantum ad omnes, impassibilitatem vero et gloriam et virtutem, quantum ad bonos, quorum corpora spiritualia dicentur. Unde post resurrectionem homines cibis non indigebunt, sed in statu innocentiae iis indigebant.* Idem 4. sent. dist. 44. q. 2. recenset ac refellit quorundam opinionem, qui putabant, *dotes corporis glorificati spirituales ex immistione quintae essentiae inducendas.* Arbitrabantur enim *in humano corpore, quod ex quatuor elementis constat, etiam in statu hujus mundi harmoniam elementorum inter sese conciliari per naturam quinti corporis, quod dicunt in compositionem humani corporis venire, cujus interventu corpus reddatur debita et habilis materia animae rationalis. In hac autem vita ajunt praedominium esse penes corporis elementaris partem, in altera autem praedominaturum esse corpus quintum, ex cujus praedominio corpus humanum trahatur ad similitudinem corporis coelestis, unde tandem constituatur hoc modo corpus spirituale.*

25. or- et up- s. 86. 2. *Immortalia et incorruptibilia.* Haec glorificatorum corporum immortalitas distincta erit 1) *ab immortalitate Dei,* qui per essentiam et a se ipso per absolutam et omnimodam moriendi impossibilitatem immortalis est, sed beati per gratiam et gloriam, adeoque per beatificam Dei visionem immortales erunt futuri. Hoc sensu accipiendum, quod apostolus 1. Tim. 6, v. 16. asserit, *solum Deum habere immortalitatem.* Hieronymus l. 2. contra Pelag. Damascenus l. 2. orth. fid. cap. 3: *Angeli et homines non sua natura, sed per Dei gratiam habent immortalitatem.* Augustinus libr. 3. contra Maximin. Arian. c. 12. vocabulum *immortalitatis* judicat esse positum pro *immutabilitate essentiali, quae solius Dei propria.* Chrysostomus in comm. h. l. existimat, *dictum hoc esse in comparatione regum terrenorum, praecedit enim, solus potens rex regum* etc. Quemadmodum enim electi in vita aeterna erunt beati non a se, sed summi boni participatione, sic etiam immortales erunt non a se, sed illius, qui est ipsa vita et immortalitas, fruitione. 2) *Ab immortalitate primi hominis.* Primus homo immortalis erat per potentiam non moriendi, id est poterat a morte immunis manere, si in concreata integritate et sancta erga Deum obedientia persisteret; interim poterat etiam mori, si a Deo creatore per inobedientiam sese averteret. Proinde immortalitas primi hominis non erat *absoluta moriendi impotentia,* sed, ut diximus, *in potentia non moriendi* consistebat; verum beatorum immortalitas in statu glorificationis erit absoluta moriendi impotentia. Ut enim in bono erunt confirmati, ita quoque ab omni mortis periculo et possibilitate liberati. Alia est immortalitas carnis, quam in Adamo accepimus, alia quam in resurrectione per Christum speramus. Ille factus est homo immortalis, ut posset non mori, si non peccaret, moreretur autem, si peccaret; filii autem resurrectionis non poterunt ultra peccare nec mori. Sicut aliud est posse non peccare et non posse peccare; sic aliud est posse non mori et non posse mori. Prior immortalitas moriendi actum tollit, potestatem omnem saltem remotam non excludit, posterior vero utrumque abolet. 3) *Ab immortalitate angelorum et animarum.* Angeli et animae immortales sunt per gratiam creationis et propter essentialem a materia segregationem, sed corpora beatorum glorificata erunt immortalia per singularem Dei ordinationem ac perfectam divinae imaginis renovationem. 4) *Ab immortalitate damnatorum.* Damnati erunt immortales, quia *quaerent mortem, sed mors fugiet ab eis* Apoc. 9, v. 6. at haec misera erit immortalitas, quia non in felicitate et laetitia, sed in poenis et miseria erunt immortales, unde respectu beatae vitae, a qua sunt exclusi, dicuntur *aeternum mori;* sed beatorum immortalitas non tantum erit durans animae et corporis unio, sed etiam beatae vitae aeterna continuatio. Immortalitas corporum beatorum cum aliis glorificationis dotibus erit conjuncta, sed damnatorum immortalitas ab illis penitus erit separata.

87. Probatur haec corporum glorificatorum immortalitas 1. *ex diserta apostoli assertione* 1. Cor. 15, v. 42: *Seminatur ἐν φθορᾷ, resurget in ἀφθαρσίᾳ.* v. 50. *ἡ φθορὰ οὐ δύναται τὴν ἀφθαρσίαν κληρονομεῖν, beatam illam immortalitatem et incorruptibilitatem,* quam in in coelo exspectamus. v. 53. XX. 426. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem,* v. 54. *cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem et mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo* etc. ubi magna emphasis est in pronomine relativo δεικτικῷ τοῦτο quatuor vicibus repetito, quam suo loco expendimus, ostendit enim ipsa illa corpora, quae in hac vita sunt mortalia et corruptibilia, tunc fore immortalia et incorruptibilia. 2. Cor. 5, v. 4: *Quod mortale est, a vita absorbebitur.* 1. Joh. 2, v. 17: *Qui facit Dei voluntatem, manet in aeternum.* Apoc. 2, v. 11: *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda.* 2. *Ex infallibili Dei promissione.* Esai 25, v. 8: *Absorbebit mortem in sempiternum.* Os. 13, v. 14: *Ero pestis tua, o mors.* 1. Cor. 15, v. 26: *Novissimus hostis destruetur mors.* v. 54. *Absorpta est mors in victoriam,* id est victoriose, ut in sempiternum devicta ac prostrata jaceat nec amplius in beatos dominetur. Apoc. 20, v. 14: *Mors et infernus missi sunt in stagnum ignis,* id est penitus deleta et exstincta, ut nullam amplius in beatos habitura sint potestatem. Apoc. 21, v. 4: *Mors ultra non erit.* 1. Petr. 1, v. 4: *Vocati sumus ad hereditatem ἄφθαρτον καὶ ἀμάραντον.* 3. *Ex primi hominis constitutione.* Si Adamus in statu innocentiae fuit immortalis, multo magis beati in vita aeterna immortales erunt, quia tunc succedet ἀποκατάστασις πάντων Act. 3, v. 21. Interim discrimen quoddam erit inter immortalitatem primi hominis *in paradiso terrestri* et

beatorum *in paradiso coelesti*, de quo paulo ante egimus. 4. *Ex causae remotione.* Mors est effectum peccati. At in vita aeterna nullum amplius in beatis erit peccatum. Erunt in bono confirmati, ut non possint peccare. Ergo etiam erunt in vita confirmati, ut non possint mori. 5. *Ex beatorum cum Christo conformatione.* Christus corpus nostrum *reddet conforme suo corpori* Phil. 3, v. 21. atque illud post resurrectionem est immortale Rom. 6, v. 9. 2. Cor. 13, v. 4. Apoc. 1, v. 18. Ergo et beatorum corpora talia erunt. 6. *Ex angelorum conditione.* Beati erunt ἰσάγγελοι. Atqui angeli ab omni mortis necessitate et periculo sunt liberi. Ergo. Hujus argumenti fontem monstrat nobis Christus Luc. 20, v. 36: *Non poterunt ultra mori, aequales enim sunt angelis Dei.* 7. *Ex perfecta imaginis divinae restitutione.* Imago Dei, ad quam primus homo fuit conditus, complectebatur immortalitatem Sap. 2, v. 23. Jam vero divina imago in beatis perfecte reformabitur, ut superius ostendimus. Ergo etiam immortalitas beatis conferetur. 8. *Ex habitaculi duratione.* 2. Cor. 5, v. 1: *Habemus aedificationem ex Deo, domum non manu factam sed aeternam in coelis.* Hebr. 13, v. 14: *Non habemus hic civitatem manentem,* μένουσαν, *sed futuram inquirimus.* Si habitaculum est aeternum, ergo etiam cives et incolae vivent in eo in aeternum, neque enim metus est, ne ex eo expellantur, quod angelis malis obtigit. 9. *Ex vitae aeternae appellatione.* Beatitudo coelestis, quae electis post hanc vitam obtingit, ideo appellatur vita aeterna, quia mortem et mortalitatem penitus excludit.

Dicta patrum de immortalitate beatorum.

88. De hac corporis glorificati immortalitate sic loquuntur veteres. Tertullianus libr. de resurr. carn. cap. 36. p. 332: *Resuscitati similes erunt angelis, qua non nupturi, quia nec morituri, sed qua transituri in statum illum angelicum per indumentum*
XX. 427. *illud incorruptibilitatis.* Cyrillus lib. 12. in Joh. cap. 58: *Quid est in virtute atque gloria resurgere aliud, quam quod omni infirmitate omnique corruptionis dedecore procul depulso ad sinceram incorruptibilitatem genus humanum rediturum sit?* Chrysostomus hom. 41. in 1. Corinth.: *Quodsi mihi parum credis, coelestia corpora splendida illa hactenus durantia, aeterna tranquillitate consistentia vide, credesque deinceps, etiam illa nostra corruptibilia, incorruptibilia ut sint, efficere Deum posse, imo his, quae oculis cernuntur, praestantiora.* Augustinus libr. 6. de Genesi ad liter. cap. 25: *Aliud est non posse mori, aliud autem posse non mori, secundum quem modum primus homo creatus est immortalis* etc. *Neque enim immortale, quod mori omnino non possit, erit nisi spirituale, quod nobis futurum in resurrectione promittitur.* libr. 22. de civ. Dei c. 30: *Prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non posse mori.* Isidorus Pelusiota l. 1. epist. 116: *Per juventutem resurrectionem a mortuis intelligit, cum nimirum corruptio immutabitur et natura ad statum ab omni corruptione et interitu alienum juvenescet.* Theodoretus in comm. Col. 2: *In futura vita a corruptione et interitu alienum ac immortale corpus effectum non potest amplius peccati sordes suscipere.* Junilius in Gen.: *Adam ita immortalis factus est, ut posset non mori, si non peccaret; si autem peccaret, moreretur: ita vero immortales erunt filii resurrectionis, cum erunt aequales angelis Dei, ut nec mori ultra, nec peccare possint.* Rupertus l. 2. in Apoc. c. 2: *Qui digne percipit hoc sacramentum, sic resurget in novissimo, ut corpore novo candorem habeat solidum, candorem sempiternum, sitque corpus ejus quasi calculus, hoc est splendida immutatione solidatum.*

89. 3. *Impassibilia,* nullis omnino passionibus internis vel externis obnoxia. Duplici enim respectu 3. bil
corpora beatorum erunt impassibilia, 1) *respectu passionum internarum,* quia in corporibus illis non habitabit amplius fomes concupiscentiae vitiosas passiones producens, nulla in illis erit peccati macula, nulla inordinata πάθη inerunt, sed modis omnibus erunt pura, sancta, incontaminata; 2) *respectu passionum externarum,* quia nihil quidquam erit, quod passionem ac dolorem illis inferre possit, erit in eis divina quaedam qualitas, quae ab omni corruptiva alteratione eadem defendat, non laedentur ab aestu vel frigore, non a fera bestia ipsis imminebit periculum, nec igne, nec gladio poterunt penetrari etc. Prior impassibilitas probatur *ex totali abolitione peccati ex anima et carne renatorum,* quam superius demonstravimus §. 55. quo referri etiam potest dictum apostolicum 1. Corinth. 15, v. 50: *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt,* hoc est caro vitiis et concupiscentiis adhuc subjecta. Confer tract. de resurrect. §. 75. Posterior impassibilitas probatur 1. *ex diserto Spiritus sancti oraculo* Apoc. 7, v. 16: *Non esurient nec sitient amplius, nec cadet super illos sol, nec ullus aestus.* c. 21, v. 4: *Mors non erit, nec luctus, nec clamor, nec dolor erit ultra.* In Graeco est πόνος, quod proprie laborem et fatigationem significat. 2. *Ex immortalitatis dono.* Impassibilitas ex perfecta immortalitate et incorruptibilitate originem ducit, quia passio est partialis quaedam corruptio et ad mortem quasi praeparatio. Jam vero beati erunt perfecte immortales et incorruptibiles, ergo etiam impassibiles
1. Cor. 15, v. 42. surget in ἀφθαρσίᾳ. v. 50: *Corruptio non poterit hereditare* τὴν ἀφθαρσίαν. v. 53: X:
Oportet corruptibile hoc induere ἀφθαρσίαν. Apostolus absolute ac simpliciter glorificatis beatorum corporibus tribuit ἀφθαρσίαν, proinde ab omni omnino corruptione tum *totali*, quae est mors, tum *partiali*, quae est passibilitas, eadem liberat. 3. *Ex primi hominis statu.* In corpore primi hominis quidam statuunt non modo *immortalitatem*, sed etiam *impassibilitatem*, per quam semper extra interitum et corruptionem in integra et naturali sua dispositione permansisset, quam ex protoplastorum ante lapsum nuditate sine ullo dolore, molestia aut extrinseco eorum incommodo probant. Quamvis vero dubium alicui videri poterat, an ab omni plane passione

partiali primus homo immunis fuerit, cum calor nativus egerit in humidum radicale, cum arbor vitae in προφυλακτικόν senii ac mortis fuerit ipsi tradita, cum cibo ac potu ad naturae conservationem indiguerit; illud tamen certum est, a passione dolorosa ac molesta quaeque tandem mortem per causas internas vel externas adducere potuisset, primum hominem ante lapsum penitus fuisse liberum. Beatorum igitur corpora multo magis ac in gradu longe perfectiori erunt impassibilia, quia nulli penitus passioni vel alterationi erunt obnoxia, postquam exoptata illa ἀποκατάστασις πάντων fuerit secuta, Act. 3, v. 21. Ut primi homines in statu integritatis erant eo sensu ac respectu *immortales*, quod poterant non mori; sic eo sensu et respectu erant *impassibiles*, quod poterant non pati, id est omnes passiones et passionum causas prudentia sua avertere. Sed beatorum immortalitas et impassibilitas consistet in eo, quod *non poterunt mori vel pati*, quod corpora eorum nullo plane modo ullius passionis et corruptivae alterationis erunt δεκτικά ac capacia. Biel 2. sent. dist. 19. q. un. art. 1: *Immortale et impassibile accipitur proprie vel improprie. Proprie, ut contradictorie opponitur huic, quod est mortale, ut videlicet negatio inclusa negat potentiam moriendi, et sic valet immortale, id est non potens mori; improprie, ut non opponitur contradictorie, sed quasi subcontrarie, ut videlicet negatio inclusa non negat potentiam, sed actum valens tantum immortale, id est potens non mori. Priori modo homo non habuit corpus immortale* (et impassibile) *in statu innocentiae, sed secundo*; *in vita aeterna vero corpus eo modo ac sensu immortale* (et impassibile) *accipiet.* 4. *Ex conformitate cum angelis.* Beati erunt ἰσάγγελοι. Jam vero angeli sunt impassibiles, ergo et beati. 5. *Ex remotione causarum passionis.* In novo coelo ac nova terra nullus erit aestus, nullum frigus, quod beatis nocere possit. Beati erunt reges et victores, erunt domini omnium creaturarum; ergo nemo injuriam illis inferre audebit. Nulla erit contrariarum qualitatum in corpore glorificato pugna, quae interitum subjecto moliatur. Nativus calor non absumet humidum, ut restauratione opus sit per cibum; ergo multo minus metuendum erit, ne progressu temporis illud penitus depascat. Potentia materiae in corporibus glorificatis ita erit exsatiata ab eorum forma, ut aliam nec appetat, nec admittat. Non erunt ibi gladii dissecantes ac interficientes, ac si vel maxime essent, attamen tam non possent laedere corpus glorificatum quam aërem, quam coelum, quam spiritum. Nulla ibi opus erit pulmonum eventilatione, nulla ad vitam conservan-
XX. 429. dam exspiratione et respiratione, sed omnia erunt spiritualia et impassibilia. 6. *Ex pleno animae in corpus dominio.* Hanc rationem profert Thomas in additam. q. 82. art. 1: *Omnis passio fit per victoriam agentis super patiens. Impossibile est autem, quod aliquid dominetur super patiens, nisi in quantum debilitatur dominium formae propriae super materiam patientis. Corpus autem humanum et quidquid in eo est, erit perfecte subjectum animae rationali, sicut anima perfecte subjecta erit Deo, et ideo in corpore glorioso non poterit esse alia mutatio contra dispositionem illam, qua perficitur ab anima, et hac ratione corpora erunt impassibilia.* Proficiscitur autem hoc plenarium animae in corpus imperium a qualitate supernaturali divinitus infusa, quae perfectissimam corpori sanitatem conciliabit. Si enim in hac vita per medicamenta corporis sanitas aliquanto tempore conservari potest, quidni Deus in vita aeterna per qualitatem aliquam supernaturalem ac per beatificam sui visionem corporis sanitatem perpetuo conservare possit?

90. De hac impassibilitatis dote sic loquuntur veteres. Tertullianus libr. de resurr. carnis cap. 57: *Manebit quidem caro etiam post resurrectionem eatenus passibilis, qua ipsa, qua eadem, et tamen impassibilis, qua in hoc ipsum manu missa a Domino, ne ultra pati possit.* Augustinus in epist. ad Dioscor: *Sanitas perfecta corporis illa extrema totius hominis immortalitas erit. Tam potenti enim natura fecit Deus animam, ut ex ejus plenissima beatitudine redundet etiam in corpus plenitudo sanitatis, i. e. incorruptionis vigor.* Junilius in Genes.: *Nulla suppetet carni a fame vel lassitudine vel alia qualibet infirmitate defectio.* Anshelmus libr. de similitud. cap. 54: *Incunctanter, ut mea quidem fert opinio, adstruere licet, sanitatem futurae vitae ita vigere et immutabilem ac inviolabilem fore, ut ineffabili quadam dulcedine suavitatis totum hominem repleat et omne, quod alicujus in se vicissitudinis, mutabilitatis aut laesionis suspicionem praetendere queat, procul arceat atque repellat.* Damascenus lib. 3. orth. fid. cap. 28: *Christus primitiae et resurrectionis et incorruptibilitatis et impassibilitatis nobis factus.* Rupertus l. 2. in Apoc. c. 2: *Mortui resurgent, inquit apostolus, et nos immutabimur. Immutari namque sanctorum est tantum, idemque est, ac si diceret, ultra non moriemur, impassibiles erimus.* Scholastici notant, affectiones et passiones in corporibus esse duplicis generis. Quaedam sunt *maleficae, quae corpus laedunt, atterunt ac conficiunt*, ut fames, sitis, morbus, dolor etc. illae non habebunt locum in beatis corporibus; quaedam vero *naturam potius juvant et perficiunt quam laedunt*, ut sensuum notitiae. Non laeditur oculus, cum afficitur pulchris coloribus, nec auditus, cum percipit suavem harmoniam; hujus posterioris generis passiones sive affectiones concedunt sanctis, quippe quae non κακίωσιν sed potius βελτίωσιν continent.

91. 4. *Clara, splendida, lucida, fulgentia, non* 4. Claritas.
obscura, tenebrosa etc. Probatur haec claritas 1) *ex perspicua Scripturae assertione.* Dan. 12, v. 3: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudierunt multos, sicut stellae in seculum et in aeternum.* Matth. 13, v. 43: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris mei.* Rom. 8, v. 18: *Passiones hujus temporis non sunt dignae ad futuram δόξαν.* v. 21. *in libertatem gloriae filiorum Dei.* 1. Cor. 15, v. 41: *Alia cla-*

ritas solis, alia claritas lunae, alia claritas
XX. 430. *stellarum; stella enim differt a stella in claritate; sic et resurrectio mortuorum.* v. 44. *surgit ἐν δόξῃ.* Col. 3, v. 4: *Apparebitis cum Christo ἐν δόξῃ.* 1. Petr. 5, v. 1: *τῆς μελλούσης ἀποκαλύπτεσθαι δόξης κοινωνός.* Fulgentius in libr. adv. decem objectiones Arianorum refert huc locum ex Ps. 110, v. 3: *Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum. Splendor*, inquit, *sanctorum in resurrectionis claritate consistit, hic splendor tunc sanctis a Domino tribuetur, quando reformabit corpus nostrum humile, ut conforme illud reddat corpori suo glorioso.* Sed Hebraea aliter habent ac de statu piorum in hac vita loquuntur, consequenter tamen hoc dictum propheticum de *pulchritudinibus seu decoribus sanctitatis* huc accommodari potest, quia decor ille consummabitur demum in futura vita. Scholastici huc referunt locum Sap. 3, v. 7: *Fulgebunt justi et tanquam scintillae in arundineto discurrent.* Ne quis vero suspicetur, modicum fore beatorum splendorem, propterea quod cum scintillis conferantur, ideo notant, non aequalitatem splendoris significari, qui longe major erit in beatis, sed duntaxat similitudinem, quae rem non prorsus adaequat. Neander in theol. p. 725. huc accommodat dictum Jud. 5, v. 31: *Qui diligunt Dominum, sicut sol in ortu suo splendent atque ita rutilant.* 2) *Ex symbolica novi coeli ac novae terrae descriptione.* Esa. 30, v. 26: *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.* Apoc. 21, v. 18: *Ipsa civitas aurum mundum simile vitro mundo* (quod est diaphanum ac pellucidum). Jam vero qualis civitas, tales etiam erunt incolae, fulgentes ac lucentes divino collustrati lumine. 3) *Ex Christi transfiguratione. Christus corpus nostrum humile transfigurabit, ut conforme fiat corpori suo glorioso* Phil. 3, v. 21. Jam vero glorificatio corporis Christi sic describitur Matth. 17, v. 2: *Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt candida sicut nix.* Marc. 9, v. 3: *Vestimenta ejus facta sunt splendentia, στίλβοντα, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.* Luc. 9, v. 29: *Facta est species vultus ejus altera et vestitus ejus albus et refulgens, ἐξαστράπτων, fulgura quasi emittens.* Ergo etiam beatorum corpora talia erunt, unde Moyses et Elias ibidem apparent *ἐν δόξῃ* Luc. 9, v. 31. ac *nubes lucida obumbrat discipulos* Matth. 17, v. 5. ut significetur, etiam sanctos claritatis illius in coelis aliquando consortes futuros. 4) *Ex angelorum conditione.* Beati erunt *ἰσάγγελοι.* Jam vero quoties angeli, qui propter claritatem comparantur *flammis ignis* Psalm. 104, v. 4. in assumtis corporibus apparuerunt, lucem ac splendorem emiserunt. Dan. 10, v. 6: *Corpus ejus sicut tarsis et facies ejus velut adspectus fulguris et oculi ejus ut lampades ignis et brachia et pedes ejus sicut color aeris politi.* Matth. 28, v. 3: *Erat adspectus ejus sicut fulgur et vestimentum ejus sicut nix.* Marc. 16, v. 5: *Viderunt juvenem coopertum stola candida.* Luc. 24, v. 4: *Duo viri in veste fulgenti.* Joh. 20, v. 12: *Vidit duos angelos in albis.* Act. 1, v. 10: *Duo viri adstiterunt in vestibus albis* etc. Ergo etiam tales erunt beati, unde et ipsi describuntur vestibus candidis ac fulgentibus induti. Apoc. 3, v. 4. cap. 4, v. 4. cap. 7, v. 9. 13. etc. 5) *Ex beatifica Dei visione.* Deus, qui est ipsa *lux* 1. Joh. 1, v. 5. beatifica sui visione beatos perfecte illuminabit ac collustrabit, ut ex eo toti reddantur fulgentes ac lucidi. Esai. 60, v. 19. Apoc. 21, v. 23: *Claritas Dei illuminabit coelestem Hierosolymam et omnes ejus cives*, unde v. 24. additur, *gentes, quae salvantur, ambulabunt in lumine illius.* 6) *Ex typica prae-* XX. 431.
figuratione. Exod. 34, v. 29. cum Moyses descenderet de monte Sinai, in quo Deum viderat et cum ipso locutus fuerat, *splendebat cutis faciei ejus ex consortio sermonis Domini.* Vulgata versio habet, *Moysen cornuta fuisse facie*, quia קָרַן, quod significat *radios emittere, fulgere* etc. derivatur a Thoar קֶרֶן, *cornu.* Ut enim cornua ex fronte animalis exsurgunt, sic radii e lumine emergere et dilatari paulatim videntur, unde Moysen *cornutum* pingunt. Sed cornua proprie sic dicta Moysis faciem potius reddidissent deformem. Intelligitur igitur fulgur ac splendor radios lucis emittens, unde etiam Moyses, cum Israëlitis collocuturus, faciei suae velum imponere fuit coactus, quia non poterant in ejus fulgorem ἀτενίσαι. Quodsi igitur Moysis facies splendorem et vim emittendi lucem ex conversatione quadraginta dierum et noctium cum Deo aeterna et essentiali luce contraxit, quid futurum censemus, quando beati *a facie ad faciem* in omnem aeternitatem Deum videbunt? 2. Cor. 3, v. 11. 7) *Ex animarum constitutione.* Animae beatorum fulgebunt luce divinae sapientiae, expulsa omnis peccati caligine, ex hac luce animarum resplendescentia quaedam in ipsa quoque corpora transfundetur, ut beati sint toti fulgentes ac lucidi. Si in gemmis vis ac proprietas earum interna lucida reddit gemmarum corpora, quanto magis in beatis lux animarum fulgebit per ipsa corpora? Si radii solis per vitrum, crystallum et alia diaphana penetrant, quidni splendor animarum corpora glorificata subtilia penetraret?

92. De hac corporum glorificatorum claritate sic loquuntur veteres. Irenaeus libr. 4. c. 37. p. 267: *Quemadmodum videntes lumen intra lumen sunt et claritatem ejus recipiunt; sic et qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem.* Ephraemus in orat. de judicio: *Justorum corpora septuplo solis radios superabunt.* Augustinus libr. 2. de civ. Dei c. 29: *Incomparabiliter superna civitas est clarior, ubi victoria, veritas; ubi dignitas, sanctitas; ubi pax, felicitas; ubi vita, aeternitas.* libr. 22. de civ. Dei c. 30: *Omnes harmoniae corporalis numeri non latebunt intrinsecus et extrinsecus per corporis cuncta dispositi et cum ceteris rebus, quae ibi magnae atque mirabiles videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationabilis pulchritudinis delectatione succendent.* serm. 143. de temp. adducens verba apostoli, *alia claritas solis, alia*

Dicta p[...] trum d[...] claritat[...] corporu[...] glorific[...] torum.

claritas lunae, alia claritas stellarum etc. subjungit: *Videtis, quia promissa est sanctorum corporibus claritas et claritatis diversa species.* Theodoretus in 1. Cor. 15: *Ex justis alii resplendent sicut sol, alii vero sicut luna, alii clarissimarum stellarum splendorem imitabuntur. Dominus quidem inquit, fulgebunt justi sicut sol, apostolus autem de stellis loquitur, ut ostendat, varium fore in beatis fulgorem.* Gregorius in comm. Job. 28. ad illa verba: *Non adaequabitur ei aurum aut vitrum, Patebit*, inquit, *corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque unusquisque erit tunc conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi* etc. Et postea: *Quia sancti omnes summa in hac civitate beatitudinis claritate fulgebunt, ideo instructa auro dicitur, et quoniam ipsa eorum claritas vicissim sibi in alternis cordibus patet, et cum uniuscujusque vultus attenditur, simul et conscientia penetratur,*
432. *hoc aurum vitro mundo simile memoratur. Ibi quippe uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus.* Euthymius in c. 13. Matth.: *Tunc justi fulgebunt sicut sol. Verum cum tunc futurum sit, ut Dei splendor illos circumdet, utique ipsi conformes erunt ac divini reddentur, et consequens est, ut sole splendidiores efficiantur. Quomodo ergo dicit, sicut sol? quia noto apud illos exemplo utendum erat, nec quidquam illis notum erat, quod esset sole splendidius.* Rabanus de modo poenit c. 13: *Incorruptorum gloria corporum non hoc tantum splendoris emittet, quantum ex ista corruptibili luce procedit, nec talem lucem, qualem nunc mortales oculi capere possunt, sed tantus erit futurae lucis splendor, quantum corporeus ferre non possit adspectus.* Anshelmus in elucidario: *Erunt corpora sanctorum septies quam sol splendidiora.* Bernhardus in medit. c. 16: *Qualis erit splendor animarum, cum solis splendorem habebit lux corporum?* Thomas in additam. q. 85. art. 1. ad. 2. disputat, *beatorum corpora non tantum fore extrinsecus splendida, sed etiam intrinsecus diaphana ac transparentia, ut oculis intuentium apparent venae, humores, viscera, nervi ac tota omnium partium harmonia. Densitas*, inquit, *corporis gloriosi pervietatem non tollit ab eo, sicut nec densitas vitri a vitro.* Aegidius Romanus l. 2. hexaëm. cap. 23: *In ipso coelo empyreo quasi in quadam flamma non ab ardore, sed a splendore corpora beatorum erunt longe lucidiora isto coelo et erunt quasi quidam soles et quasi quaedam stellae illius coeli se mutuo videntia in ipso coelo, quia propter diaphaneitatem et propter splendorem propriorum corporum unum non celabitur alteri, sed simul gaudebunt et laetabuntur in mutua visione.*

si- 93. 5. *Firma, sana et robusta.* Corpora glori-
ma- ficata erunt in summo gradu εὔκρατα, nullis morbis, imo nec morborum periculis, nulli senio, nulli virium decremento obnoxia, sed in stabili sanitate ac robore confirmata. Probatur hoc 1) *ex disertis verbis apostoli.* 1. Corinth. 15, v. 43: *Seminatur in infirmitate, resurget in virtute.* 2) *Ex conformitate cum angelis.* Angeli sunt *spiritus potentes virtute* Psalm. 103, v. 20. possunt una nocte copiosissimum exercitum prosternere et interimere 2. Reg. 19, v. 35. Jam vero beati erunt ἰσάγγελοι. 3) *Ex qualitate corporis Christi. Christus crucifixus est ex infirmitate, sed vivet ex virtute Dei, et nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum eo ex virtute Dei* 2. Cor. 13, v. 4. 4) *Ex impassibilitate.* Corpora glorificata erunt impassibilia, ergo etiam sana, firma, robusta. 5) *Ex amplissima Dei promissione.* Esai. 60, v. 22: *Minimus erit in mille et parvulus in gentem fortissimam.* Apoc. 2, v. 26: *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes*, v. 27. *et reget eas in virga ferrea et tanquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo.* Apoc. 3, v. 12: *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* v. 21. *Dabo ei sedere mecum in throno meo.* Haec dignitas, hoc robur, haec potestas non tantum ratione animarum, sed etiam ratione corporum beatis obtinget. 6) *Ex primaeva hominis ante lapsum conditione.* Primi homines erant corporibus sanis ac firmis ante lapsum praediti, per fructum arboris vitae ab omni infirmitate et senio poterant praeservari, obtinebant dominium in omnes visibiles creaturas etc. quanto magis in tempore *restitutionis*
omnium illa felicitas electis obtinget, cum et ipsi XX. 433.
manducaturi sint *de ligno vitae, quod est in paradiso Dei* Apoc. 2, v. 7. *quod per menses singulos reddit fructum suum et cujus folia sunt ad sanitatem gentium* cap. 22, v. 2. 7) *Ex causarum infirmitatis remotione.* Nihil quidquam vel interius vel exterius sanitatem, robur et firmitatem corporum glorificatorum labefactare poterit, erunt adversus omnes agentium causarum insultus munita. De hac dote sic loquuntur veteres. Hieronymus in commentar. 1. Corinth. 15. super verba *Oportet mortale hoc induere immortalitatem* etc.: *Illud vestimentum non dicit corpus abolere, quod ornat in gloria, sed quod ante inglorium fuit, efficere gloriosum, ut mortalitatis et infirmitatis viliore veste deposita immortalitatis auro et, ut ita dicam, firmitatis atque virtutis beatitudine induamur, volentes non spoliari carne, sed supervestiri in gloria, et domicilium nostrum, quod de coelo est, superindui desiderantes, ut devoretur mortale a vita.* Anshelmus in libro de similitud. cap. 52: *In futuro seculo sic justus fortis erit, ut etiam, si velit, terram commovere possit, et sic e converso injustus imbecillis, ut nec etiam vermes amovere queat ab oculis suis.* Idem in elucidario: *Sanctorum talis erit valentia, ut si montes et omnem molem terrae pede vertere vellent, valenter possent. Nemo enim dubitat, angelos hoc posse, quibus aequales dicuntur esse.* Lutherus in enarrat. 1. Cor. 15. tom. 6. Jenens. German. fol. 280: *Quanto imbecillius jam fuerit corpus omnibus viribus et robore destitutum, ut morbo prostratum nec unius quidem pediculi aut pulicis injuriam a se propulsare possit; tanto fortius et firmius postea erit futurum adveniente tempore, adeo ut unico digito hanc sacram*

aedem nullo negotio portaverit ac unico pede maximas quasque turres loco moverit, tum quod cum vastissimis montibus perinde ut pueri cum pila lusurum sit atque in momento et ictu oculi ad nubes usque saltarit aut plus quam sexcenta stadia cursu raptim conficiet. Tunc enim mera erit potentia, ubi nunc tantum est infirmitas, nec quidquam ipsi erit factu impossibile, quod animo faciendum conceperit, ut si cum universo mundo manus velit conserere, facile vincet etc. Confer ea, quae de impassibilitate diximus superius §. 89.

6. Formositas. 94. 6. *Formosissima ac pulcherrima, omnis deformitatis expertia,* quod probatur 1) *ex dicto apostoli* 1. Cor. 15, v. 43: *Seminatur in ignobilitate, surgit in gloria.* Quando corpora instar seminum terrae mandantur, sunt deformia, cadaverosa, obscura, ignobilia, sed resurgent formosissima, nobilissima, *splendoribus aemula solis.* 2) *Ex conformitate cum corpore Christi.* Christus *corpus nostrum humile conforme reddet corpori suo glorioso* Philip. 3, v. 21. atqui Christus est *pulcherrimus inter filios hominum* Psalm. 45, v. 3. 3) *Ex conformitate cum angelis.* Beati erunt *ἰσάγγελοι.* Atqui angeli sunt *spiritus pulcherrimi,* unde vocantur *astra matutina* Job. 38, v. 7. et apparent in forma florentissimorum *juvenum* Marc. 16, v. 5. 4) *Ex fulgore et claritate.* Corpora beatorum erunt clara, splendida ac fulgentia, ut demonstravimus. Atqui ubi fulgor et claritas, ibi etiam pulchritudo ac formositas. 5) *Ex pulchritudinis definitione.* Aristoteles lib. 3. Topic.: *τὸ κάλλος τῶν μελῶν τις συμμετρία δοκεῖ εἶναι,* ubi tamen *παχυλῶς* loquitur notante Scaligero libr. 4. poëtices, puta *causaliter,* quia *pulchritudo non est ipsa symmetria, sed qualitas ex illa symmetria orta in categoria relationis.* Cicero libr. 3. Tuscul. definit corporis pulchri-
XX. 434. tudinem *aptam membrorum figuram sive conformationem cum coloris quadam suavitate,* quam definitionem repetit Augustinus libr. 22. de civit. Dei cap. 19: *Pulchritudo corporis est partium congruentia cum quadam coloris suavitate.* Piccolominus grad. 8. ex sententia Philosophi in 1. metaph. definit pulchritudinem, *quod sit perfectio compositi ex congruente ordine, mensura et ratione partium consurgens, vel qualitas ex modo quantitatis, temperatura qualitatum et partium situ conveniente conflata ac propterea delectans.* Scaliger d. l.: *Pulchritudo est sua cujusque partis primum, deinde partium commissarum temperamento oriens qualitas, quae comprehenditur sub relativa bonitate, quae est naturae quaedam congruentia,* ut notat idem exerc. 307. At hae et similes descriptiones omnes in beatorum corporibus locum inveniunt. 6) *Ex omnis deformitatis remotione.* Summa coram Deo deformitas est peccatum, quae est animae labes ac macula; remota hac animae deformitate corpus non potest non esse pulcherrimum. Corporis deformitas oritur vel *ex membri alicujus mutilatione,* ut in monoculis, mancis etc. vel *ex quantitatis improportione,* ex defectu debitae quantitatis; vel *appositione alicujus disconvenientis,* quando membrum aliquod est justo majus vel minus; vel *ex coloris distemperatione* etc. At hae et similes causae deformitatis omnes a beatis aberunt. Morbi et senectus depopulantur pulchritudinem, at in vita aeterna nec morbi, nec senium habebunt locum. 7) *Ex primi hominis conditione.* Primus homo ante lapsum erat anima et corpore pulcherrimus, *vidit enim Deus cuncta, quae fecerat, et ecce erant bona valde* Gen. 1, v. 31. Chaldaeus Hebraeum טוֹב reddidit per vocem תקין, quod significat *rectum, aptum, conveniens, pulchrum, elegans ac commodum.* Jam vero in vita aeterna fiet *ἀποκατάστασις πάντων* Act. 3, v. 21. Ergo etiam pulchritudo illa restituetur.

95. Hac de re sic loquuntur veteres. Augustinus Di
in ench. c. 91: *Resurgent corpora sanctorum sine* tra pa
ullo vitio, sine ulla deformitate. lib. 22. de civ. Dei di po
c. 19: *Nulla erit* (in corporibus resuscitatis ad glo- gl
riam) *deformitas, quam facit incongruentia partium,* to:
ubi et quae prava sunt, corrigentur, et quod minus est quam decet, unde creator novit, inde supplebitur, et quod plus est quam decet, materiae servata integritate detrahetur. Coloris porro suavitas quanta erit, ubi justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui! Prudentius in hymno exsequiali:

Haec, quae modo pallida tabe
Color albidus inficit, ossa
Tunc flore venustior omni
Sanguis cute tinget amoena.
Nam nulla deinde senectus
Frontis decus invida carpet,
Macies neque sicca lacertos
Succo tenuabit adeso.
Morbus quoque pestifer artus,
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans,
Luet inter vincula mille.
Hunc eminus aëre ab alto
Victrix caro jamque perennis
Cernet sine fine gementem,
Quos moverat ipse dolores.

Anshelmus in proslogio cap. 25: *Si te delectat pulchritudo, justi fulgebunt sicut sol* etc. libr. de similitudinib. cap. 50: *In illa vita pulchritudo justorum solis pulchritudini, qui septempliciter, quam modo sit, splendidior erit, adaequabitur, unde* XI.
scriptum est: Fulgebunt justi sicut sol in conspectu Dei. Si vero injustus fuerit, coeno et omni cadavere foetidior erit omnique fuligine turpior. Laurentius Justinianus de casto connub. Verbi et animae cap. 5: *Singuli in illa terra viventium duplicibus vestientur. Corporibus quippe inerit jucundus splendor et immortalitatis decor. Nulla deformitas, nulla membrorum erit inaequalitas. Singula singulis decorabuntur ornamentis.*

96. 7. *Agilia,* id est instructa facultate seu qua- 7.
litate quadam supernaturali ad motum expedite exercendum, quia glorificata corpora per hanc dotem velocissime moveri poterunt motu non solum pro-

gressivo, sed etiam eo, qui volatui similis erit, quin imo necessitas tarde ac localiter sese movendi a beatorum corporibus prorsus aberit, quo respectu immobilia a quibusdam vocantur. Probatur haec agilitas 1) *ex dictis Scripturae.* 1. Thess. 4, v. 17: *Nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Domino in aëra*, postquam scilicet ἐν ἀτόμῳ, in momento, resuscitati atque sepulcris in occursum Domini progressi felici quadam immutatione corruptionem ac mortalitatem deposuerimus 1. Cor. 15, v. 51. Sap. 3, v. 7: *Fulgebunt justi et tanquam scintillae in arundineto discurrent.* Quidam veterum huc accommodant dictum propheticum Esai. 40, v. 31: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* 2) *Ex spiritualitate.* Corpora beatorum non erunt animalia, sed spiritualia, ut superius demonstravimus. Jam vero spiritualia dicuntur etiam propterea, quod instar spirituum erunt agilia. 3) *Ex claritate.* Corpora beatorum erunt fulgentia ac luminosa. Jam vero lumen in momento ab ortu in occasum transit. 4) *Ex robore et virtute.* 1. Cor. 15, v. 43: *Seminatur ἐν ἀσθενείᾳ, surget ἐν δυνάμει*, id est *cum potentia* et robore magno ad motum. Quod corpora tarde moventur ac defatigantur, id pertinet ad δυσχερείας et infirmitates hujus vitae. Jam vero illae omnes cessabunt in futura vita. 5) *Ex conformitate cum corpore Christi.* Christus ambulabat super aquas Matth. 14, v. 25. post resurrectionem modo erat circa sepulcrum, modo Hierosolymis in medio discipulorum, modo associabat se euntibus Emmaunta, nec tarde progrediebatur, sed subito, adeoque in momento in aliis atque aliis erat locis. Si motu locali ac successivo Christus in coelum usque empyreum adscendisset, aliquot annorum spatio altitudinem ejus penetrare non potuisset. Jam vero corpora glorificata erunt corpori Christi conformia. 6) *Ex conformitate cum angelis.* Beati erunt ἰσάγγελοι. Jam vero angeli in momento possunt esse, ubi velint, ac propter velocitatem conferuntur ventis Psalm. 104, v. 4. 7) *Ex consequente absurditate.* Si beati non possent esse in momento, ubicunque vellent, plurimum ipsorum desiderio ac proinde etiam felicitati decederet. Si enim successive ac localiter moveri deberent, qui in una coeli parte constituti, vix per aliquot annos ad consortes suae beatitudinis in altera coeli parte constitutos pervenirent. 8) *Ex causae remotione.* Aberit a glorificatis corporibus causa tardi et successivi motus, quae est tum gravitas moti, tum resistentia medii.

496. 97. De hac dote sic loquuntur veteres. Martialis in epist. ad Burdegal. cap. 8: *Non evacuabitur veritas corporis, sed non erit pondus et fragilitas corruptionis.* Cyprianus de resurr. Christi: *Corpus non aggravet animam, sed sit caro sine mole et pondere agilis et mobilis et nullis clausa obstaculis, visu et auditu penetrans omnia, quocunque voluerit, sine impedimento discurrens.* Chrysostomus hom. 41. in 1. Cor. *corpus nostrum agilius tenuiusque et quod aura vehi possit, futurum* asserit. Gregorius Nyssenus orat. de dormient. p. 136: *Nunc quidem quidquid crassum et durum est, natura deorsum fertur; tunc vero ad hoc, ut in sublime feratur, transmutatio corporis fit, sic dicente Scriptura, postquam mutata fuerit natura in omnibus, qui revixerint per resurrectionem, rapiemur in nubibus obviam Domino in aërem* etc. *Sic igitur in immutatis pondus corpori non durat, sed una cum incorporea natura in sublime feruntur, qui ad diviniorem conditionem et statum fuerint traducti, quoniam reliquae quoque corporis proprietates ad aliquid divinius una transmutantur.* Hieronymus in epist. ad Pammach.: *Quae prius gravi pondere premebantur in terram, acceptis spiritus pennis et immutationis non abolitionis nova gloria volabunt in coelum.* Augustinus in enchir. c. 9: *Resurgent corpora sanctorum sine ulla corruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit.* libr. 13. de civ. Dei c. 18: *Occultus aliquis modus operationis Dei potest molibus praestare terrenis, ut nullo in ima pondere deprimantur, ipsisque animis perfectissime beatis, ut, quamvis terrena, tamen incorruptibilia jam corpora, ubi volunt, ponant, et quo volunt, agant situ motuque facillimo. An vero si hoc angeli faciant, ut quaelibet animalia terrestria rapiant, unde libet, constituantque, ubi libet, aut eos sine labore non posse aut onera sentire credendum est? Cur ergo sanctorum perfectos atque beatos divino munere spiritus sine ulla difficultate posse ferre*[1]*, quo voluerint, et sistere, ubi voluerint, sua corpora non credamus?* etc. *Num Deo summo concedere dubitabimus, ut de carne hominis, cui donat immortalitatem, corruptionem auferat, naturam relinquat, congruentiam figurae membrorumque detineat, detrahat ponderis tarditatem?* libr. 22. de civit. Dei c. 11: *Forte Qui per plumarum et pennarum levitatem donavit avium terrenis corporibus, ut portentur in aëre, immortalibus factis corporibus hominum non poterit donare virtutem, qua etiam in summo coelo valeant habitare?* etc. *Cum valeat nunc natura corporum terrenorum deprimere animas deorsum, aliquando et animae levare sursum terrena corpora non valebunt?* etc. *Si deus minor vel angelus vel daemon potuit pondus humidi elementi* (in cribro virginis Vestalis) *sic suspendere, ut aquarum videatur mutata fuisse natura, itane Deus omnipotens, qui ipsa creavit elementa, terreno corpori grave pondus auferre non poterit, ut in eodem elemento habitet vivificatum corpus, in quo voluerit vivificans spiritus?* libr. ejusd. cap. 30: *Qui motus illic talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen et motus et status sicut ipsa species decens erit, quicunque erit, ubi quod non decebit, non erit. Certe ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere nec corpus.* serm. 147. de tempor.: *Credere debemus, talia corpora nos habituros, ut ubi velimus, quando voluerimus, simus.*

Auctor libri de cognitione verae vitae cap. 45. (qui XX. 487. habetur inter opera Augustini tom. 9.): *Erunt illa corpora ut animus agilia. Quam cito enim nunc animus ab oriente in occidentem cogitatione pervenit, tam cito tunc illud corpus illuc pervenire poterit.* Prosper libr. 1. de vit. contempl. cap. 11: *Corporibus immortalitate donatis auferenda est tarditas, non integritas; necessitas, non voluntas; ut ibi sine temporis mora aut impedimento ponderis sint, ubi esse voluerint, atque eo sequatur sine ulla difficultate spirituale jam corpus, quocunque ire voluerit spiritus angelicae beatitudinis aequalitate perfectus.* Anshelmus in libr. de similitudinib. cap. 51: *Velocitas tanta nos comitabitur, ut ipsis angelis Dei aeque celeres simus, qui e coelo ad terras et e converso dicto citius dilabuntur.* Idem in elucidario: *Sancti ita veloces sunt, ut quam cito oriens sol in occidentem venire possit, et quam cito oculus se elevans visum ad coelum dirigit, tam cito ad terram de coelo et de coelo ad terram relabi poterunt.* Bernhardus serm. 4. omnium sanctorum: *Tanta futura credenda est corporum levitas et agilitas beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficulate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem.* Laurentius Justinianus libr. de discipl. spirit. cap. 23: *Tanta agilitate praedita erit caro, ut in momento in omnibus obtemperet imperio spiritus praevidentis. Absque retardatione et sine ulla gravedine eo se divertet, quo impetus spiritus se diriget.* Lutherus in enarrat. 1. Cor. 15. tom. 6. Germ. fol. 261: *Corpus nostrum ita leve et agile Deus efficiet, ut instar scintillae sublime feramur, vel uti sol sub coelo constabimus, ita ut uno momento vel hic in terris infra, vel in coelis supra simus* etc. Idem Lutherus in post. domest. fest. adscens.: *Nunc quidem corpora nostra sunt gravia, inhabilia, tarda, sed quando a mortuis resurrexerimus et nova corpora impetraverimus, illa ipsa erunt quidem vera corpora, carne, ossibus et omnibus membris constantia, verum non amplius erunt tam gravia et inepta, sed prout tunc cogitationibus mox illic sumus, ita tunc idem corporibus nostris praestare poterimus.* Zuinglium vis veritatis impulit, ut scriberet part. 1. resp. ad confess. Luth. pag. 465. *clarificatorum corporum conditionem agilitatemque aëre longe agiliorem et expeditiorem esse, et quanta illorum sit claritas et puritas, neminem mortalium novisse vel certa ratione assequi posse.*

8. Subtilitas. 98. 8. *Subtilia ac penetrabilia.* Definitur enim subtilitas, quod sit *aptitudo penetrandi alia corpora.* Sic acus subtilis, visus subtilis, intellectus subtilis, judicium subtile dicitur, quod objecta penetrat. Pari ergo ratione corpus subtile est, quod penetrat et a quo ablata est repugnantia exsistendi eodem loco cum alio corpore. Probatur haec corporis glorificati qualitas 1) *a spiritualitate.* Corpora beatorum erunt spiritualia, ergo etiam subtilia; ut spiritus potest penetrare corpora, sic etiam poterit id ipsum corpus glorificatum utpote spirituale; si corporibus gloriosis denegaretur vis penetrandi, in praecipua quadam virtute et qualitate a spiritu differrent. 2) *Ab angelorum conformitate.* Beati erunt *ἰσάγγελοι.* Jam vero angeli sunt essentiae subtilissimae penetrandi facultate praeditae. Actor. 12, v. 12. angelus Petrum ex carcere educens nullis potuit valvis aut claustris cohiberi, quo minus Petro in carcere adstaret. Ergo etiam beatorum corpora erunt subtilia. 3) *A corporis Christi proprietate.* Christus *corpus nostrum humile conforme reddet corpori suo glorioso.* Jam vero Christus in resurrectione clausum sepul- XI crum penetravit, post resurrectionem clausis foribus ad discipulos ingressus est, in adscensione *penetravit coelos*, ut in harmon. de resurr. multis fuit demonstratum. Ergo etiam corpora beatorum hac proprietate erunt praedita. Quidam addunt, quod Christus natus fuerit illaeso virginitatis claustro adeoque uterum Mariae clausum penetrarit, qua de re suo loco. 4) *A claritate.* Corpora beatorum erunt fulgentia, splendida, radiis solaribus fulgidiora, ut superius demonstravimus. Jam vero radii solares penetrant non solum aërem, aquas, sed etiam corpora solida, ut crystallum, vitrum etc. Ergo etiam beatorum corporibus vis penetrandi non erit deneganda. 5) *Ab agilitate.* Corpus gloriosum in suo motu non potest retardari propter summam agilitatem. Ergo nec impediri. Proinde nihil ei resistet, quare alia omnia penetrare valet. 6) *A consequente absurditate.* Si corpus glorificatum corpora materiata penetrare non valeret, cum possibile sit includi, possibile esset, illud incarcerari atque ita de statu beatitudinis in statum miseriae detrudi. Bonaventura 4. sent. dist. 49. q. 1. art. 4.

99. De hac dote sic loquuntur veteres. Epiphanius ancor. p. 507: *Εἰσῆλθε θυρῶν κεκλεισμένων* (ὁ κύριος), *ἵνα δείξῃ τὸ παχυμερὲς λεπτομερές* etc. Auctor libri de cogn. verae vitae c. 45: *Corpus sanctorum resurget spirituale, quia velocitate, levitate, perspicuitate spiritibus erit aequale et omne solidum ei penetrabile, sicut et corpus Domini lapide clauso surrexit et januis clausis intravit.* Anshelmus lib. de similit. c. 53: *Sicut angelis nihil obsistit nec aliquid eos impedire potest vel constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrime; ita non erit aliquod obstaculum, quod nos retardet, nulla clausula, quae nobis ullatenus obstet. In illa enim vita, si bonus fuerit, nihil patietur, quod nolit, sed agere permittetur, quaecunque voluerit.* Idem in elucidario: *Dominicum corpus clauso sepulcro a mortuis surrexit, ad discipulos obseratis januis introivit nobisque in hoc futurae libertatis documentum praebuit.* Damascenus lib. 4. orth. fid. c. 28: *Σῶμα πνευματικὸν, ἄτρεπτον, ἀπαθὲς, λεπτόν, corpus spirituale, immutabile, impassibile, subtile.* Thomas in additam. q. 83. art. 2. ad 3: *Corpus gloriosum transibit sphaeras coelorum sine eorum divisione, non ex vi subtilitatis sed ex divina virtute, quae eis ad nutum in omnibus subveniet.* Bonaventura d. l.: *Quod duo corpora non sint simul, hoc est propter corpulentiam ipsorum, quia unum non est alteri pervium. Si ergo ita sit, quod alterum habeat subtilem*

corporeitatem et penetrativam virtutem respectu alterius, tunc quidem poterunt esse simul; et quoniam in dote penetrabilitatis, id est subtilitatis, datur corpori subtilitas et virtus activa ad penetrandum non glorificatum, ideo penetrat illo non cedente. Bruleferus 4. sent. dist. 49. pulchre distinguit inter *subtilitatem spiritualem et corporalem*, quae est vel *raritatis*, vel *virtutis*. *Subtilitas raritatis est quaedam qualitas exsistens subjective in corpore raro ipsum disponens ad faciliter patiendum, vel ad hoc, ut faciliter penetretur, ut aër et cetera corpora mollia, quae dicuntur rara, quia mollia et de facili sunt penetrabilia. Subtilitas vero virtutis seu activitatis est quaedam qualitas exsistens in corpore disponens*
I. 439. *ipsum ad faciliter agendum seu faciliter penetrandum. Hoc modo posteriore corpora gloriosa habebunt dotem penetrabilitatis et possunt penetrare omne corpus non gloriosum.* Laurentius Justinianus de disc. spirit. cap. 23: *Caro ita efficietur spiritualis, ut omne solidum ei sit pervium, non claustris teneri poterit inclusa, non vinculis religata, sed liberam ingrediendi et egrediendi ubique recipiet facultatem.* Baptista Mantuanus lib. 3. de patientia cap. 27: *Beatis nihil erit invium, nihil clausum, nihil inaccessum, sed mira subtilitate ac agilitate corporis illuc etiam sine pedum ministerio ferentur, quo desiderabit ardor voluntatis; sic erit animae imperio corpus obediens et subditum, ut adscensui nulla moles, nulla continuo motui lassitudo, nullus denique labor obsistat.*

Illocalia. 100. 9. *Illocalia*, i. e. loco physico corporeo minime circumscripta. Sane corpora glorificata non erunt infinita, sed finita, nec erunt ubique, sed in certo quodam *πού*; interim non circumscribentur loco physico corporeo, sed definitive in illo *πού* erunt. Probatur haec glorificatorum corporum qualitas 1) *ex spiritualitate.* Corpora beatorum erunt spiritualia, i. e. proprietatibus spirituum praedita. Jam vero spiritus non circumscribuntur loco. Sicut spiritus nunc nullo corporali loco sustentatur; ita quoque non est necesse, ut tunc spirituale corpus aliquo loco fulciatur. 2) *Ex agilitate et subtilitate.* Si corpora glorificata loco circumscriberentur, non essent summe agilia et subtilia. 3) *Ex conformitate cum angelis.* Beati erunt *similes angelis.* Jam vero angeli non sunt in loco per circumscriptionem, sed in *ποί* per definitionem. 4) *Ex corporis Christi proprietate.* Corpora beatorum erunt conformia glorificato Christi corpori. Jam vero corpus Christi, quatenus est glorificatum, non circumscribitur loco physico corporeo, ut alibi plenius demonstratur. 5) *Ex loci conditione.* Locus est affectio corporis animalis ac physici. Jam vero beatorum corpora non erunt *ψυχικά*, sed *πνευματικά*. Tempus et locus sunt accidentia, quae ad hunc mundum pertinent, quia antequam mundus exstaret, nec tempus, nec locus erat. Ergo etiam una cum mundo tempus et locus cessabunt. 6) *Ex loci definitione.* Locus Aristoteli est τοῦ *περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον.* At corpora beatorum nulla superficie circumscribuntur. 7) *Ex coeli constitutione.* Coelum beatorum non est locus aliquis physicus corporeus, ut superius vidimus. Ergo nec beatorum corpora loco aliquo physico corporeo circumscribentur. Philosophus disputat, coelum supremum non esse in loco, cum non circumscribatur superficie corporis continentis; quanto igitur minus coelum beatorum loco aliquo corporeo circumscribi judicandum? 8) *Ex causarum locationis remotione.* Corpora egent loco, tum *ob sui conservationem*, tum *ob universi contiguitatem.* Neutra causa in beatorum corporibus locum invenit, sustentantur enim immediata Dei virtute, nec in novo coelo erit talis contiguitas, qualis in hoc visibili universo.

101. 10. *Invisibilia*, id est oculis nondum glori- 10. Invisibilitas.
ficatis non necessario actu ipso subjecta. Possunt sane corpora glorificata ab oculis etiam nondum glorificatis videri, si accesserit peculiaris *οἰκονομία* ac dispensatio divina, ut exemplum Christi et alio-
rum cum ipso resuscitatorum ostendit; sed non ne- XX. 440.
cessarium est, ea actu semper videri, praesertim ab oculis nondum glorificatis. Invisibilia ergo sunt non ratione *δυνάμεως*, sed ratione *ἐνεργείας* et actus; non absolute et *ἁπλῶς*, sed *κατά τι* et limitate respectu nostri in hac vita, quia scilicet oculi nostri nondum sunt clarificati. Probatur haec proprietas glorificatorum corporum 1) *ex spiritualitate.* Corpora glorificata sunt spiritualia. Jam vero spiritus ab oculis corporeis videri nequit. *Ψυχικοῦ καὶ χοϊκοῦ σώματος* proprium est videri, non autem *πνευματικοῦ καὶ ἐπουρανίου.* 2) *Ex conformitate cum angelis.* Beati erunt *ἰσάγγελοι* etiam corporum ratione, ut superius demonstravimus. Jam vero angeli non nisi in assumtis corporibus videntur, et quidem libera sui manifestatione, non autem necessaria quadam apparitione. Excipiunt, *angelos, quoties in corporibus assumtis apparent, semper videri.* Respondemus: non videntur ab omnibus necessario, quibus in assumtis corporibus praesto sunt, sed ab illis duntaxat, quorum oculos Deus aperit, ut aërea illa corpora (talia enim a plerisque theologis censentur) videri possint, id quod evidenter apparet ex 2. Reg. 6, v. 17: *Ad preces Elisaei aperuit Dominus oculos pueri, et vidit, et ecce mons plenus equis et curribus igneis in circuitu Elisaei.* Jam ante aderat angelicus ille exercitus, sed a servo Elisaei non videbatur, quia oculos nondum habebat apertos. Adde quod *ἀορασία* maneat proprietas *ἀγγελότητος*, angelicae naturae, unde angeli referuntur inter *τὰ ἀόρατα* Col. 1, v. 16. Ergo etiam erit proprietas *ἰσαγγελότητος.* Jam vero beati futuri erunt *ἰσάγγελοι.* 3) *Ex qualitate corporis Christi.* Christus in medio exinanitionis statu *per medios Nazarethenos* transire poterat, ut eum nec viderent, nec comprehenderent Luc. 4, v. 30. poterat a furore Judaeorum in templo *se abscondere ac per medium eorum e templo exire* Joh. 8, v. 59. ac postquam per resurrectionem ingressus erat in gloriam suam, factus est *ἄφαντος* coram discipulis in Emmaus Luc. 24, v. 31. Jam vero Christus corpus nostrum humile conforme reddet corpori suo glorioso Phil. 3, v. 21. Post resurrectionem

Christus dicitur *discipulis apparuisse seseque manifestasse.* Atqui si necessario et ex immutabili naturae conditione ac proprietate physica corpus Christi obviis quibuscunque fuisset conspicuum, quorsum opus fuisset, ut Christus se manifestaret modo hac, modo alia μορφῇ? Marc. 16, v. 12. Joh. 20, v. 15. cap. 21, v. 1. Actor. 10, v. 40. Christus in via Damascena *apparuit Paulo* Act. 9, v. 17. 1. Cor. 15, v. 8. interim comites Pauli neminem viderunt Act. 9, v. 7. Stephanus *videt Jesum stantem a dextris Dei* Act. 7, v. 55. quem concilii patres non vident. Excipiunt, 1) *Christum non fuisse factum invisibilem, sed tantum disparuisse, corpore suo non amplius fuisse praesentem, sed repentine subductum* etc. Respondemus: imo vero emphasis phraseos ἄφαντος ἐγένετο manifeste ostendit, quod miraculoso quodam modo per proprietatem ac vim glorificati corporis subito desierit ab ipsis videri vel ipso adhuc praesente, vel invisibiliter discedente per dotem agilitatis. Si Christus per discessum localem et successivum videri desiisset, quid quaeso miraculosi in eo fuisset? Jam vero evangelista tanquam singulare ac miraculosum hoc commemorat, quod Christus coram his discipulis factus fuerit ἄφαντος. Confer harm. de resurrect. cap. 7. p. 227. 2) *Christum factum fuisse ἄφαντον*, sed non ἀόρατον. Respon-
XX. 441. demus: si per ἀορασίαν absoluta impossibilitas videndi intelligatur, quae non solum actum et ἐνέργειαν, sed etiam δύναμιν omnem excludat, facile concedimus, eo modo ac sensu Christi corpus non esse ἀόρατον factum, sed ἄφαντον, quia actus primus sive δύναμις videndi in corpore mansit, actus autem secundus cessavit; interim nobis hoc sufficit, quod Christi corpus in momento disparuisse nec a discipulis visum fuisse dicitur, etiamsi re vera praesens esset. 4) *Ex proprietate eorum, qui cum Christo resurrexerant.* De illis dicitur Matth. 27, v. 53: *Venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis.* Non visi sunt ab omnibus, sed a multis, quorum scilicet oculos Deus aperuerat et illuminaverat, ut spiritualia resuscitatorum corpora intueri possent. Utique ergo glorificata corpora inter alias dotes et novas qualitates, quas post resurrectionem sortiuntur, etiam hanc habent, quod oculis carnalibus et mortalibus non sint conspicua, nisi divina virtute illi aperiantur. Excipiunt, *nuspiam exstare scriptum, quod resuscitati cum Christo in urbe Hierosolyma deambulaverint atque interim non ab omnibus, sed ab aliquibus tantum visi fuerint.* Respondemus: textus expresse asserit, quod in urbem Hierosolymam ingressi *multis apparuerint*, ἐνεφανίσθησαν, quod manifeste conspecti fuerint multis. Quodsi ergo multis duntaxat apparuerunt, ergo non cuivis in urbe obvium sibi facto. Si apparuerunt, ergo non ex naturali quadam corporis proprietate visi sunt, sed ex divina dispensatione, per quam oculi illi multorum sunt aperti. Quod ita comparatum est, ut appareat non quibusvis, sed certis duntaxat hominibus, et quidem ex singulari Dei beneficio, de eo dici nequit, quod necessario semper ab omnibus actu videatur. Jam vero corpora glorificata resuscitatorum ad vitam aeternam ita comparata sunt, ut ex dictis apparet. Ergo. Confero huc exemplum Christi, de quo Petrus eadem fere phrasi pronuntiat Act. 10, v. 40. et 41. ἔδωκεν ὁ θεὸς αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι, *dedit, eum conspicuum fieri, non omni populo, sed apostolis praeordinatis testibus.* Si Deus dedit, eum fieri conspicuum, utique non ex essentiali et naturali quadam corporis glorificati proprietate visus est ab oculis mortalium, sed ex divino beneficio, ab oculis scilicet per divinam dispensationem apertis. Si Christus non est omni populo conspicuus factus, sed *praeordinatis duntaxat testibus*, utique ergo alia est proprietas corporis glorificati, quam illius, quod nondum est glorificatum, illud enim omnibus, quorum oculis objicitur, est conspicuum, hoc vero minime. Quemadmodum ergo Christus non est continue cum discipulis post resurrectionem suam conversatus, sed in momento in medio ipsorum stetit, ita ut non viderent eum motu locali ac succesivo visibiliter ingredientem et in medium procedentem Joh. 20, v. 19. in momento etiam ab ipsis discessit et ἄφαντος factus est Luc. 24, v. 31. sic et resuscitati cum Christo non fuere assidue cum illis, quibus apparuerunt, conversati, non manducarunt et biberunt cum ipsis, non fuere somno sub eodem tecto cum illis usi, sed in momento quandoque apparuerunt ac rursus disparuerunt, donec exacto 40 dierum decursu cum Christo in coelum adscenderent. Confer harm. de pass. cap. 18. p. 854. 5) *Ex claritate, agilitate et subtilitate.* Corpora glorificata sunt splendida, fulgentia, clara, item agilia ac subtilia. Ergo oculis carnalibus videri nequeunt, nisi illi divinitus aperiantur. Quodsi enim claritas ipsorum sole fulgentior, quomodo non per- XI
stringeret oculos carnales et corruptibiles? Solis lux a nobis videri nequit, sed visus aciem fulgore suo obtundit; quanto ergo minus glorificata corpora fulgidissima ac solis radiis clariora videri poterunt? Aër visui nostro propter subtilitatem non est obvius, ignis, quo carnes in verubus assantur, ob tenuitatem a nobis non videtur; quanto ergo minus corpora glorificata dote subtilitatis praedita videre poterimus? Si per dotem agilitatis ac subtilitatis in momento esse possunt, ubicunque velint, quomodo necessarium erit, ut in loco intermedio, per quem tam subito moventur, ab omnibus videantur? 6) *A negata proportione objecti et instrumenti.* Inter sensibile et sensorium requiritur certa συμμετρία ac proportio docente philosopho 2. de anim. cap. 9. Jam vero inter corpus glorificatum et oculos nondum glorificatos nulla proportio, illud enim πνευματικόν, hi vero ψυχικοί; illud subtile et ἰσάγγελον, hi crassi et ἀνθρώπινοι; illud clarum ac lucidum, hi obscuri; illud agile, hi vero tardi; illud immortale et incorruptibile, hi vero θνητοί; illud coeleste, hi vero terreni. Ergo nulla hic locum habere poterit visio, nisi accesserit divina dispensatio. 7) *Ex status coelestis conditione.* Ea est coelestis gloriae conditio, ut *eam nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec ea in cor hominis adscenderit* Esa. 64, v. 4. 1. Cor.

2, v. 9. ergo nec corporum glorificatorum δόξα terrenis et mortalibus oculis est obvia. Ne radiorum quidem solarium claritatem oculi nostri sustinere possunt, quomodo ergo glorificatorum corporum jubar admittere possent? Cum lux coelestis in apparitione Christi Saulum circumfulgeret, protinus in terram cadebat Actor. 9, v. 4. cum angelus e coelo descendens, cujus adspectus erat sicut fulgur, lapidem a sepulcro revolveret, custodes timore exterriti facti sunt velut mortui Matth. 28, v. 4. 8) *A penetratione.* Corpora glorificata penetrare possunt quaevis obvia, ut superius ostendimus. Atqui illa penetratio non fit ὁρατῶς καὶ αἰσθητῶς, sed ἀοράτως καὶ ἀναισθήτως. Ergo etiam corpora glorificata sunt invisibilia. Si aër ob subtilitatem ac tenuitatem conspectum effugit, quanto minus corpus spirituale, quod clausum lapide sepulcrum penetravit, qua aëri nullus patet transitus, oculis nostris caecutientibus necessario apparebit? Augustinus ad Orosium: *Clarificata carne Dominus resurrexit, sed noluit in ea clarificatione discipulis apparere, eo quod non possent oculis suis talem clarificationem adspicere.* libr. 22. de civ. Dei cap. 19: *Claritas in Christi corpore, cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse quam defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus adspectus, quando ille a suis ita deberet attendi, ut posset agnosci.* Lyranus in cap. 7. Act.: *A corpore Christi in coelo existentis fuit immutatus oculus Stephani ad visionem humanitatis Christi, in cujus potestate est; sicut fortasse et in cujusvis alterius corporis glorificati, quoniam totaliter est animae subjectum, ut pro voluntate videatur prope et longe in propria atque aliena effigie.* Thomas part. 3. q. 54. art. 1. resp. ad 2: *Haec est dispositio corporis gloriosi, ut sit spirituale, id est subjectum spiritui. Ad hoc autem, quod sit omnino corpus subjectum spiritui, requiritur, quod omnis actio corporis subdatur spiritus voluntati. Quod autem aliquid videatur, fit per actionem visibilis in visum, et ideo quicunque*
E. 443. *habet corpus glorificatum, in potestate sua habet videri, quando vult, et quando non vult, non videri. Hoc tamen habuit Christus non solum ex conditione corporis gloriosi, sed etiam ex virtute Deitatis, per quam fieri potest, ut corpora etiam non gloriosa miraculose non videantur.* Confer Gesnerum lib. de person. Christ. p. 292. Meisnerum part. 1. phil. sobr. cap. 3. sect. 3. q. 6.

Impalpabilitas.

102. 11. *Impalpabilia,* id est quod non necessario actu tangantur ab illis, quorum tactus nondum est glorificatus, nam et hic distinguendum inter δύναμιν et actum, itemque inter tangens glorificatum et non glorificatum. Probatur haec glorificatorum corporum qualitas 1) *ex spiritualitate.* Beatorum corpora erunt spiritualia. Jam vero palpari est proprium corporis ψυχικοῦ καὶ χοϊκοῦ non πνευματικοῦ καὶ ἐπουρανίου. 2) *Ex conformitate cum angelis.* Beati non solum ratione animarum, sed etiam ratione corporum erunt ἰσάγγελοι. Jam vero angeli non semper actu tanguntur, etiam in assumtis corporibus. 3) *Ex proprietate corporis Christi.* Christus post resurrectionem discipulis suis sese palpandum et contrectandum praebuit non ex naturae necessitate, sed ex libera voluntate, non ex essentiali quadam corporis glorificati dispositione, sed ex divina dispensatione, οὐ νόμῳ φύσεως, ἀλλ' οἰκονομίας τρόπῳ Damascenus lib. 4. orth. fid. cap. 1. ad comprobandam scilicet resurrectionis veritatem, sicut etiam eodem fine cum discipulis *manducavit ac bibit* Act. 10, v. 41. non ex naturae necessitate, sed ex libera οἰκονομίᾳ per quandam συγκατάβασιν Theophylactus in c. 24. Luc. Beda in c. 20. Joh. ac vulnerum cicatrices in glorificato suo corpore illis ostendit, interim potuit vero suo corpore praesens adesse, licet nec videretur, nec palparetur, ut apparet ex eo, quod discipulis in Emmaus assidens subito sit ἄφαντος. 4) *Ex subtilitate.* Sicut aërem ob subtilitatem palpare non possumus, ita quoque corpora glorificata utpote maxime subtilia contrectare minime datur. 5) *Ex invisibilitate.* Sicut non est necessarium, glorificatum corpus actu secundo semper videri, ita quoque necessarium non est idem semper palpari, cum visus atque tactus hac in re sit par ratio 6) *Ex penetrandi virtute et agilitate.* Corpora glorificata per dotem agilitatis in momento esse possunt, ubicunque velint, et obvia quaevis corpora penetrant. Ergo necessarium non est, ut in spatio, quod transeunt intermedio, semper actu secundo tangantur et palpentur. 7) *Ex illocalitate.* Si corpus glorificatum potest esse in eodem loco cum corpore non glorificato, utique etiam poterit se facere impalpabile. Chrysostomus in homil. de Mar. Magdal.: *Volebat haec mulier adhuc cum Christo conversari, sicut et ante passionem, et prae gaudio nihil ingratum cogitabat, quamvis caro Christi multo melior facta fuerat resurgendo; ideo Dominus dixit: Nondum adscendi ad Patrem meum, quo dicit, non aestimes, me jam terrenam vitam agere* etc. *Dominus istud verbum, noli me tangere, inani ipsius conatui opponit, quo dicit non poteris me attactu comprehendere, et addita ratione animo solicitudinem eximit, nondum adscendi ad Patrem meum, quo dicit etsi tangi nequeo, tamen tangendum me vobis ante adscensionem exhibebo.* Gregorius homil. 20. in evang.: *Quod Christi corpus est incorruptibile et simul palpabile, haec sunt duo contraria juxta humanam rationem,* XX. 444.
sed Salvator noster in resurrectione sua utrumque servavit, ut monstrando incorruptibile invitaret ad praemium et praebendo palpabile formaret ad fidem. Ibidem: *Corrumpi necesse est, quod palpatur, et palpari non potest, quod non corrumpitur.* Thomas in additam. q. 83. art. 6: *Tangi potest, si velit, beatus, cum qualitates habeat, quae tactu percipiuntur.* Javellus tract. 3. de felic. Christ. cap. 3: *Corpus humanum ex sui natura ante et post resurrectionem est vere tangibile et palpabile, ex privilegio autem gloriae potest anima gloriosa facere ipsum intangibile et impalpabile* etc. *Non inerit corpori in quantum humanum, sed in quantum corpus humanum glorificatum.* Item: *Corpus gloriosum*

immortale et impassibile ex sui natura tangibile est, quoniam constat ex vera carne et osse et nervo, in quibus exsistunt qualitates elementares, quod est vere palpabile. Quoniam caro et ossa solida sunt et non de facili cedunt, imo resistunt tangenti, ne subintret ad differentiam simplicis aut compositi rari. Dico insuper, quod ex eo, quod omnino subjicitur animae gloriosae, potest agere anima, ne per qualitates tangibiles immutet sensum tactus, et hoc habet ex divina virtute et non ex natura. Sicut enim divina virtus facit, quod ignis, licet sit calidus, non calefaciat nec comburat, ut patet de pueris exsistentibus in fornace, et sic potest corpus gloriosum non tangi, potest etiam non palpari, quando anima gloriosa voluerit. Potest enim facere, quod corpus gloriosum sit simul in eodem loco cum non glorioso, ut patet de corpore Christi exeunte de sepulcro non fracto lapide; ex consequenti non resistet corpori solido transeunti, et ut sic non palpabitur, quando etiam voluerit, anima corpus palpabile facit. Et utrumque habemus de facto in Christo. Nam quando ingressus est januis clausis, se impalpabilem fecit, quod fuit in eodem loco cum janua sive ostio; quando autem ostendit manus et latus Thomae, se palpabilem reddidit. Est ergo in potestate animae gloriosae facere corpus suum invisibile et visibile, intangibile et tangibile, impalpabile et palpabile, et hoc ex divina virtute sibi impressa.

2. Bona vitae aeternae externa.

103. Exposuimus hactenus *bona vitae aeternae interna*, quae in semet ipsis beati sentient, restat ut 2. *externa* eorundem *bona* expendamus. Ea vero revocari possunt ad duo principalia capita, ad *consociationem scilicet suavissimam et habitationem pulcherrimam.* 1. Societatem habebunt 1. *cum Deo et Christo*, 2. *cum sanctis angelis*, 3. *cum omnibus beatis.*

1. Suavissima consociatio
1. cum Deo et Christo

1. De societate cum Deo et Christo haec loquuntur dicta Luc. 23, v. 43: *Hodie mecum eris in paradiso.* Joh. 12, v. 26: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Joh. 14, v. 3: *Accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis.* v. 16. *Alium consolatorem dabo vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.* v. 21. *Qui diligit me, manifestabo ei me ipsum.* v. 23. *Ego et Pater meus mansionem apud eum faciemus.* Joh. 17, v. 24: *Volo ut, ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam.* 2. Cor. 5, v. 8: *Desideramus peregrinari a corpore et praesentes esse apud Dominum.* Philip. 1, v. 23: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* 1. Thessal. 4, v. 17: *Rapiemur in nubibus obviam Domino, et sic semper cum Domino erimus.* 2. Tim. 2, v. 11: *Si commortui sumus, etiam una cum ipso vivemus.* Hebr. 12, v. 23: *Accessistis ad judicem omnium Deum* v. 24.
XX. 445. *et ad novi testamenti Mediatorem Christum.* 1. Joh. 1. v. 6: *Societatem cum eo habemus.* Apoc. 7, v. 9: *Stant ante thronum et in conspectu Agni.* v. 15. *Sunt ante thronum Dei et serviunt illi.* v. 17. *Agnus, qui in medio throni est, reget illos.* cap. 14, v. 4: *Sequuntur Agnum, quocunque ierit.* cap. 21, v. 3: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus erit eorum Deus.* Ex quibus intelligitur, societatem illam non fore duntaxat *inchoatam*, ut in hac vita, sed *consummatam ac perfectam*, nec fore duntaxat *externam*, sed etiam ac maxime *internam*, quia Deus erit *omnia in omnibus* 1. Cor. 15, v. 28. habitabit non solum cum eis, sed etiam in eis ac beatifica sui visione omnes animae vires et facultates plenissime saturabit et exhilarabit. 2. De societate *cum angelis* 2. cum angelis
haec loquuntur dicta. Matth. 22, v. 30. Marc. 12, v. 25. Luc. 20, v. 36: *Erunt sicut angeli* et *ἰσάγγελοι*, erunt angelorum choris intermisti atque uno concentu Deum in secula laudabunt. Hebr. 12, v. 22: *Accessistis ad μυριάδας ἀγγέλων.* Apoc. 4, v. 9: *Cum darent animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum;* v. 10. *procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno et adorabant viventem in secula seculorum.* cap. 14, v. 3: *Cantabant quasi canticum novum ante sedem et ante quatuor animalia et seniores, et nemo poterat discere illud canticum nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui exemti sunt de terra.* Per haec *quatuor animalia* quidam intelligunt symbolice praefigurari *angelos*, qui in quatuor mundi plagis Deo ministrant, sic enim describuntur v. 8. quod *habuerint alas senas in circuitu*, quibus celeritas eorum in exsequendis Dei mandatis denotatur, quodque *intus* fuerint *plena oculis*, quibus vigilantia eorum insinuatur, ac *requiem non habuerint die ac nocte dicentia, Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus.* Confer Esa. 6, v. 2. et 3. ubi Seraphim totidem alas habent et idem canunt canticum. Ezech. 1, v. 5. cap. 10, v. 5. Apocal. 5, v. 8. cap. 8, v. 3. Quidam tamen, ut Hieronymus in prooem. super Matth. Augustinus lib. 1. de consens. evangelist. cap. 6. malunt ad evangelistas applicare, cum in seq. cap. 7, v. 11. angeli ab illis animalibus distinguantur. 3. De societate *cum omnibus beatis et electis* testantur haec dicta. Matth. 8, v. 11: *Multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo in regno coelorum.* Luc. 13, v. 28: *Cum videritis Abraham et Isaac et Jacob et omnes prophetas in regno Dei.* v. 29. *Venient ab oriente et occidente et aquilone et austro et accumbent in regno Dei.* Hebr. 12, v. 22: *Accessistis ad montem Sion et civitatem Dei viventis Jerusalem coelestem* (ad consortium ecclesiae novi testamenti, per montem Sion ac terrenam Hierosolymam praefiguratae, quae in hac vita militat, in futura triumphat atque ambitu suo omnes electos complectitur), v. 23. *ad panegyrin et ecclesiam primogenitorum in coelis conscriptorum* (quidam haec verba accipiunt de *angelis*, qui Job. 1, v. 6. cap. 38, v. 7. nominantur *filii Dei*, qua ratione per appositionem subjungerentur praecedentibus, *accessistis ad myriasin angelorum*, qui sunt *primogeniti*, hoc est filii Dei carissimi, et *conscripti in coelis*, id est electi a Deo ad vitam aeternam; sed commodius accipiuntur de catholica et universali sanctorum ecclesia, ut sic per *primogenitos* intelligatur dilectus Dei populus Exod. 4, v. 22. qui

3. cum omnibus beatis.

446. dicuntur *conscripti in coelis*, per aeternam scilicet electionem Luc. 10, v. 20. Phil. 4, v. 3. quam hominibus vere et perseveranter in Christum credentibus non autem angelis Scriptura proprie tribuit) *et ad spiritus justorum perfectorum* (per quos intelliguntur animae a corporibus separatae et in coelum receptae, quae plene sunt sanctificatae ac glorificatae). Refer huc visiones apocalypticas, in quibus ecclesia triumphans praefiguratur Apocal. 4, v. 4. cap. 5, v. 8. cap. 7, v. 9. cap. 11, v. 16. cap. 14, v. 1. cap. 15, v. 2. cap. 19, v. 1. etc.

so- 104. Ex hac suavissima et sanctissima beatorum
1. societate orietur ac vigebit inter eos 1. *mutuus amor*,
s ἔρως καὶ ἀντέρως. Cum enim caritas in vita aeterna futura sit perfecta 1. Cor. 13, v. 8. ideo non tantum Deum super omnia diligent, sed etiam semet ipsos invicem purissimo et perfectissimo amore complectentur. Quantum quisque se ipsum, tantum diliget etiam alterum. Anshelmus in prosl. cap. 25: *Justi diligent Deum plus quam se ipsos et invicem tanquam se ipsos, et Deus illos plus quam illi se ipsos, quia illi illum et se et invicem per illum et ille se et illos per se ipsum.* Vita quae in caritate ducitur, est optima, jucundissima et quietissima, sicut e converso vita, quae in odiis, dissidiis ac litigiis ducitur, est miserrima ac turbulentissima. Quare cum beatorum vita in perfecta caritate perpetuo sit ducenda, ideo etiam non poterit non esse jucundissima. Sicut cortinae in tabernaculo Mosaico per ansulas erant sibi arctissime connexae, sic beati in vita aeterna per caritatem unitissime erunt invicem devincti.
ras 2. *Mutuus honor.* Maxima erit omnium beatorum dignitas, erunt *omnes reges et sacerdotes coram Deo* Apoc. 1, v. 6. ideo etiam honore sese mutuo afficient. Sicut Deus honoravit sanctos coelestium bonorum communicatione, sic beati Deum in se et omnibus reliquis beatitudinis consortibus honorabunt gratiae divinae agnitione et glorificatione, honorabunt etiam sese invicem donorum in quemlibet beatum collatorum praedicatione. Joh. 12, v. 26: *Si quis mihi ministrat, honorabit eum Pater meus.* At quem Pater coelestis honorat, eum etiam tota coelestis curia honorat, quia voluntas beatorum divinae volun-
i- tati est perfectissime conformis. 3. *Maximum gau-*
iu- *dium.* Ubi sincera et vera viget caritas, ibi quisque alterius bonum intuetur ut suum ac de eo laetatur ut suo. Quantum igitur erit beatorum gaudium ortum ex eo, quod perfectissimam omnium bonorum plenitudinem tum in se, tum in aliis coelestis Hierosolymae concivibus summe a se dilectis intuebuntur. Quanta erit delectatio intueri distinctos sanctorum angelorum ordines, puta *angelos*, *archangelos*, *principatus*, *virtutes*, *potestates*, *dominationes*, *thronos*, *Cherubim*, *Seraphim* etc.! Quanta laetitiae materia erit videre θεοπλάστας primos generis humani parentes, θεοσόφους patriarchas, θεολήπτας Enochum et Eliam, θεόπτην Moysen, θεοπνεύστους prophetas, θεοδιδάκτους apostolos! Quanta erit voluptas associari cognatis, parentibus, liberis, conjugibus! Cumprimis vero quantum bonum ac gaudium erit videre *Christum* regem omnibus angelis et beatis praesidentem, *in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius et in die laetitiae cordis ejus!* Cant. 3, v. 11. Confer quae de exsultatione sanctorum diximus superius. 4. *Sua-* XX. 447.
vissimum colloquium. Neque enim beati erunt χωφὰ 4. suavissimum col-
πρόσωπα, muti spectatores, sed suavissimos invicem loquium.
sermones conferent de admirandis divinae sapientiae decretis, de stupendis divinae potentiae operibus, de infinitis divinae gratiae ac bonitatis argumentis. Quemadmodum enim Moyses et Elias in transfiguratione cum Christo *colloquuntur* de instante passione Matth. 17, v. 3. Luc. 9, v. 31. sic in vita aeterna vigebunt inter sanctos perpetua et jucundissima colloquia de passionis Dominicae fructu, aeterna scilicet beatorum glorificatione ac de aliis fidei nostrae mysteriis, ad quorum perfectam agnitionem in hac vita adspirare nondum potuerunt. Quam augusta erit ista synodus, in qua convenient omnes sancti veteris et novi testamenti, cujus ἔξαρχος erit Christus, in qua non erit necessarium solicite veritatem inquirere, sed omnia omnibus erunt nota ac manifesta.

105. De hac beatorum societate sic loquuntur Dicta ve-
veteres. Cyprianus lib. 4. epist. 6: *Quae erit gloria* terum de
et quanta laetitia admitti, ut Deum videas, hono- beatorum
rari, ut cum Christo Domino Deo tuo salutis ac societate.
lucis aeternae gaudium capias! Abraham et Isaac et Jacob et patriarchas omnes et prophetas et apostolos et martyras omnes salutare, cum justis et Deo amicis in regno coelorum datae immortalitatis voluptate gaudere etc. Basilius in exhort. ad baptism. tom. 1. p. 450: *Ibi angelorum millia, primorum parentum conventus, apostolorum sedes, tribunalia prophetarum, patriarcharum sceptra, martyrum coronae, justorum laudes cumulatissime spectabuntur.* homil. in Psalm. 45: *Definiunt quidam civitatem congregationem constabilitam et legibus administratam. Haec enim tradita civitatis definitio illi, quae sursum est Hierasulem, coelesti civitati maxime convenit. Nam et ibi primogenitorum ac descriptorum in coelis congregatio et ob immutabilem sanctorum vitam et secundum legem coelestem gubernatam stabilis quidem ac perpetua est. Ordinem vero illius et omnem ornatum perdidicisse naturae non est humanae. Ibi namque sunt, quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt, quae Deus praeparavit diligentibus se, praeterquam quia et myriades sunt ibi angelorum et sanctorum et conventus festivi et primogenitorum ecclesia descriptorum in coelis.* Theophilus Alexandrinus libr. 3. paschali: *Ibi angelorum reperiemus choros et cum eis festa celebrantes habebimus eos socios mysteriorum Dei et exsultatione ineffabili gestiemus, sapientiae cum illis sacramenta discentes, ubi nulla fraudis deceptio est.* Chrysostomus epist. 5. ad Theodorum: *Dic obsecro, si quis te in theatrum induceret, ubi magna multitudo hominum sederet amicta stolis aureis et in medio omnium ostenderet alium quendam ad-*

ornatum eximie gemmis, regio vestitu insignem, coronam habentem in capite; deinde polliceatur, te assumturum in eorum numerum, num omnia faceres, quae ipse jusserit? Evola nunc in coelos animo, in illud intende theatrum, quod non coiit ex hujusmodi viris. Conventus est illic eorum, qui exsuperant omne pretium auri, lapidum pretiosorum, radiorum solis et omnis visibilis formae, non hominum solum sed eorum, qui hominibus antecellunt, angelorum, archangelorum, thronorum, dominationum, principatuum, potestatum. De rege ipso nihil satis
XX. 448. *idoneum dici potest, adeo sermonem et mentem omnem excedit ejus pulchritudo, formositas, splendor, gloria, majestas, magnificentia.* Augustinus libr. 22. de civ. Dei cap. 29: *Ad angelos jam coepimus pertinere, cum quibus sancta nobis erit atque dulcissima in ipsa civitate Dei communio.* Gregorius in homilia super dictum Joh. 10. Per me si quis introierit, salvabitur etc.: *Ibi hymnidici angelorum chori, ibi societas supernorum civium, ibi dulcis solennitas a peregrinationis hujus tristi labore redeuntium, ibi providus prophetarum coetus, ibi judex apostolorum numerus, ibi innumerabilium martyrum victor exercitus tanto illic laetior, quanto hic durius afflictus; ibi confessorum constantia praemii sui perceptione solidata; ibi fideles viri, quos a virilitatis suae robore voluptas seculi emollire non potuit; ibi sanctae mulieres, quae cum seculo et sexum vicerunt; ibi pueri, qui hic annos suos moribus transscenderunt; ibi senes, quos hic et aetas debiles reddidit et virtus operis non reliquit.* Bernhardus serm. 2. de nativ. col. 38: *Plane non dedignabuntur angeli, ut simus eorum socii, quorum facti jam ministri.* Baptista Mantuanus lib. 8. sylvarum:

Quotquot erunt animae et quot nos ante fuerunt,
Accipient laeto magna theatra sinu.
Fas erit hic nostrae vultus agnoscere gentis
Atque dare alternis mutua verba sonis.
Hic cum fratre soror, nati cum patribus ibunt,
Vespera nec festos finiet ulla dies.
Quos modo miramur, regione videbimus illa
Et veteres inter suscipiemur avos.

I. Pulcherrima habitatio.

106. 2. *Habitaculi*, in quod beati olim recipientur, *pulchritudo* colligitur 1. *ex ipsa appellatione.* Vocatur enim *novum coelum, nova terra, paradisus, domus Patris coelestis, aeternum tabernaculum, mons Domini, templum Dei, sanctuarium, Hierosolyma coelestis, civitas Dei viventis* etc. ut vidimus superius §. 11. At hae ac similes appellationes de pulchritudine illius domicilii nos admonent. 2. *Ex causarum enumeratione. Causa efficiens* adeoque architectus coelestis habitaculi est ipse Deus 2. Cor. 5, v. 1. Hebr. 11, v. 10. Apoc. 21, v. 2. Jam vero Deus est τὸ κάλλιστον, summa pulchritudo, ab eo non potest quidquam nisi pulchrum proficisci. Quidquid pulchritudinis in operibus hominum manu factis occurrit, ne umbrae quidem loco haberi potest, si ad pulchritudinem coelestis Hierosolymae conferatur. *Materia* coelestis habitaculi typice describitur Apoc. 21. quod exstructum sit *ex auro, margaritis, gemmis,* quibus in his terris nihil pulchrius occurrit. *Forma* ibidem symbolice ac mystice exprimitur, quod sit quadrata, amplissima, muris altis ac latis munita, plateis spatiosis et portis speciosis ornata etc. Joh. 14. v. 2. dicuntur in ea esse *mansiones multae.* At talis civitas non potest non esse pulcherrima. Scholastici disputant, *coelum beatorum tam amplum ac spatiosum esse, ut si cuilibet sanctorum unus locus et certa portio deputaretur, illud spatium plus contineret, quam occupat universa terra. Finis,* propter quem coeleste habitaculum divinitus exstructum, is est, ut contineat omnium bonorum et gaudiorum plenitudinem, qua electi in omnem aeternitatem perfruantur. Utique ergo ipsum quoque erit pulcherri-
mum. 3. *Ex typorum praefiguratione. Paradisus* XX. 449.
terrestris debuit esse typus paradisi coelestis. Atqui terrestris paradisus fuit *omnis voluptatis promptuarium,* quanto magis coelestis? *Hierosolyma terrena,* cumprimis *templum sanctuarium* debuit esse typus Hierosolymae coelestis. Atqui de terrena illa Hierosolyma asserit Plinius lib. 5. natur. histor. cap. 14. quod fuerit *urbium orientis longe clarissima.* Templi structuram ac pulchritudinem mirantur ipsimet discipuli Christi Matth. 24, v. 1. Marc. 13, v. 1. Luc. 21, v. 5. 4. *Ex inhabitantium conditione.* Erit habitaculum *Dei, angelorum et hominum.* Deus est ipsa lux, angeli et beati fulgebunt divina luce et claritate, utique ergo etiam habitaculum erit lucidissimum, fulgentissimum, splendidissimum.

Dicta patrum de habitaculi coelestis pulchritudine.

107. De hac novi coeli ac novae terrae pulchritudine sic disserunt ecclesiastici scriptores. Cyprianus serm. de laude martyrii p. 490: *Nunquam excidit locus, ubi jacet gratia, ubi virentibus campis terra luxurians alumno se induit gramine et redolente pascitur flore, ubi altum nemora tolluntur in verticem et ubi arbor densiore coma vestit, quidquid curvantibus ramis scena dejacens inumbrarit. Omnia illic non frigoris, nec ardoris, nec ut in auctumno arva requiescant, aut ut iterum vere novo tellus secunda parturiat; unius cuncta sunt temporis, unius poma feruntur aestatis, quippe cum nec mensibus suis tunc luna deserviat, nec per horarum sol momenta decurrat, aut in noctem lux fugata concedat. Habet populos quies laeta, sedes tenet placida, ubi fons scaturiens medio sinu alvei prorumpentis emergit et pauco per intervalla circuitu sinuosis flexibus labitur, ut in ora nascentium sibi fluminum dividatur.* Chrysostomus epistol. 5. ad Theodorum lapsum: *Contemplare coelum, animadverte, permutatum fore habitum totius creaturae. Nihil enim hujusmodi, ut nunc est, manebit, sed multo pulchrius erit ac praeclarius, et quantum plumbo aurum vibrans aëra, tantum hac rerum praesentium specie futurus ille decor illustrior erit* etc. Augustinus vel quicunque alius auctor in lib. de tripl. habitacul. cap. 4: *Quidquid de urbe illa regia dixerit homo, quasi stilla de mari est vel quasi scintilla de foco.* Idem in lib. meditat. cap. 26:

Ibi vivis margaritis surgunt aedificia,
Auro celsa micant tecta, radiant triclinia.
Solis gemmis pretiosis haec structura nectitur,
Auro mundo tanquam vitro urbis via sternitur.
Hiems horrens, aestas torrens illic nunquam saeviunt;
Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum,
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum.
Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt,
Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum,
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.
Non alternat luna vices, sol vel cursus siderum.
Agnus est felicis urbis lumen inocciduum.
Nox et tempus desunt ei, diem fert continuum etc.

Bernhardus de meditat. cap. 4: *Civitatis illius cives* [C. 450.] *sunt angeli, Deus pater templum, Filius ejus splendor, Spiritus sanctus caritas. O civitas coelestis, mansio secura, patria fertilis et ampla, totum continens quod delectat, populus sine murmure, incolae quieti, homines nullam indigentiam habentes.* Laurentius Justinianus de casto connubio verbi et animae cap. 5: *Civitas haec magna, adspectu grata, ab hostibus secura, a doloribus aliena, a perturbatione extranea, a morte liberrima. Nil immundum in ea est, nil sordidum, nil corruptioni obnoxium. Totum in illa placet, totum lucet, totum arridet. Plateae ejus auro mundo sternuntur, portae ex sapphiro et smaragdo aedificantur, ex lapide pretioso omnis circuitus muri ejus, super turres, super muros custodes constituti sunt, qui die noctuque nomen Domini laudare non cessant, sed et per plateas vicosque mirabili exsultatione ab universis Alleluja cantatur. Non indiget solis aut lunae lumine, ut illustretur, quoniam claritas Dei illuminabit eam et lucerna ejus est Agnus. Fulget enim claritate, amoenitate floret, aeternitate viget et mirabili dilatatur immensitate. Sine consummatione magna est, sine comparatione pulchra, sine defectu conspicua, sine oppositione praeclara. Universi de uno potantur voluptatis fonte, de uno irradiantur veritatis lumine et in uno copulantur vinculo caritatis.*

[. vitae ... ernae ... it universalia.] 108. Ceterum bona illa ac gaudia vitae aeternae erunt non tantum *varia ac numero multiplicia*, sed etiam *universalia*, id est in omnibus animae potentiis et in omnibus corporis membris locum habebunt. Erit enim Deus plenitudo luminis intellectui, multitudo pacis voluntati, continuatio aeternitatis memoriae; erit speculum visui, mel gustui, cithara auditui, balsamum olfactui, flos tactui. Anshelmus lib. de similitud. cap. 56: *Delectatio quaedam ineffabilis bonos inebriabit et inaestimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit. Quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, jecur, pulmo, ossa, medullae, exta etiam ipsa et cuncta singulatim singulaque membra eorum in communi tam mirabili delectationis et dulcedinis sensu replebuntur, ut vere totus homo torrente voluptatis Dei potetur et ab ubertate domus ejus inebrietur.* Laurentius Justinianus de disc. spirit. cap. 23: *Caro per omnes sensus multimodis exuberabit deliciis. Delectabitur oculus in amabili Redemtoris adspectu et cum coelum solis, lunae et stellarum splendore rutilans intuebitur, auditum harmonia coelorum melodica, cantica civium supernorum non mediocriter demulcebunt. Fragrans suavitas coelestium odoramentorum mira liquefactione resperget odoratum; indicibilis dulcedo omnium delectabilium mellifiua quadam et jucunda satietate oris saginabit palatum, nam exsultationes Dei in gutture eorum erunt; ipse demum tactus sibi congruis abundabit deliciis* etc. In hac vita, anima angore pressa, corpus quandoque sanum est et vice versa corpore sano exsistente anima dolet et angitur; sensus corporis unus voluptate afficitur, altero interim vel egente, vel etiam patiente, sed in vita aeterna et omnes animae potentiae et omnia corporis membra torrente divinae voluptatis inundabuntur. Tunc *sanabit* Christus totum *hominem* Joh. 7, v. 23. ut anima et corpore perfecte sanus divinam dulcedinem in omnibus animae facultatibus et corporis sensibus percipiat. Baptista Mantuan. lib. 3. de patient. cap. 27: *Videbunt beati coelos ac omnem coelorum harmoniam percipient, videbunt et ipsum Christum et Matrem et omnia omnium beatorum* [XX. 451.] *corpora gloriosa, quae jam incorruptibilia et mirabili decore conspicua fient intuentium oculis tam dulce spectaculum, ut quod desiderari melius possit, nesciturі sint. Id quoque visu erit jucundissimum, quod sicut nunc ex motu corporis animam inesse percipimus et vegetare ac regere membra corporea, sic tunc coelo et elementis et rebus omnibus Deum esse intimum et in qualibet universi parte totum conservare, alere ac gubernare mundi hanc machinam non dubio cernemus intuitu* etc. *Tanta erit vis in oculis, tam acuta videndi acrimonia, ut et corporum nostrorum ac elementorum et coeli quantitates, numeros, proportiones, harmonias, symmetriam ac naturam omnem beati visu penetrantes inebriandi sint ab ubertate domus Dei*, quod posterius desumtum ex Augustino, qui libr. 22. de civ. Dei cap. 30. statuit, *omnes harmonias corporalis numeri per corporis cuncta dispositi oculis beatorum fore manifestas.* Thomas 4. sentent. dist. 44. q. 1. art. 2. disputat, *suavissimum odorem exhalaturum ex corporibus glorificatis, qui summam delectationem olfactui afferat.* Idem in additam. q. 82. art. 4. de gustu sic scribit: *Secundum alios dicendum, quod gustus non erit ibi, ita quod immutetur ab aliquo cibo vel potu sumto, nisi forte dicatur, quod erit ibi gustus in actu per immutationem linguae ab aliqua adjuncta humiditate.* Sed haec et similia rectius futurae experientiae reservantur, quam scrupulose disputantur ac temere definiuntur.

109. Exposuimus hactenus *quantitatem discretam*, [De continua bonorum vitae aeternae quantitate.] hoc est numerum ac multiplicem bonorum vitae aeternae varietatem, quantum quidem in hujus vitae caligine ex verbi lumine de illis cognoscere ac velut e longinquo intueri licuit; restat, ut *continuam quantitatem* sive tempus eorundem explicemus. *Tempus*

docendi gratia duplex statui potest, *praeparationis et communicationis*. De tempore *praeparationis* egimus superius in cap. de causa efficiente §. 39. *Tempus communicationis* subdividi potest in *tempus inchoationis ac durationis*. Tempus inchoationis diversum est *ratione subjecti* in *angelis* bonis et *hominibus* electis. *Angeli boni* postquam in sancta erga Deum obedientia persistentes in bono fuere confirmati, vitae aeternae bonorum ac gaudiorum plene, immutabiliter ac invariabiliter participes fuere facti, quorum tamen jam inde a prima sui creatione certo modo ac variabiliter fuere consortes. Quodsi ergo quaeras, an angeli a principio suae creationis fuerint beati, distincte respondendum erit. Ut enim notat Bonaventura 2. sentent. dist. 4. *beatitudo* sumitur dupliciter 1. *positive* pro plenitudine omnis boni, quae includit claram Dei visionem, perfectam fruitionem et firmam tentionem; 2. *privative* pro privatione omnis mali culpae et poenae. Priori modo angeli non fuere a principio creationis beati, quia securitas et certitudo est de ratione beatitudinis eo modo accepta; sed tantum posteriore, quia omnes fuere innocentes et sancti creati sine malo culpae ac proinde etiam sine malo poenae, qua de re in doctrina de angelis plenius agitur. *Homines electi* in hac vita πρόγευσιν quandam coelestium bonorum ac gaudiorum percipiunt, ac animae eorum statim post mortem in eorum possessionem immittuntur, interim plena et perfecta aeternorum istorum bonorum
XX. 452. communicatio in novissimo demum die ipsis obtinget, quando corporibus e terra resuscitatis animae iterum unientur atque a Christo dulcissimam illam vocem beati audient: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod paratum vobis a constitutione mundi* Matth. 25, v. 34. Tunc enim, in die scilicet novissimo, triplici ratione beatorum gloria erit perfectior: 1) *ex redunitione animae cum corpore*, quod ipsum ad fruitionem coelestium bonorum adsciscetur; 2) *ex electorum complemento*, quia tunc omnes electi ad coelestes nuptias congregabuntur; 3) *ex intuitu vidinctae divinae* a diabolo et omnibus ecclesiae hostibus sumendae. Chrysostomus homil. 82. in epist. ad Hebraeos: *Gloriam quidem habent jam sancti defuncti, coronam gloriae non habent*, quod deducit ex 2. Tim. 4, v. 8. Sed hac de re in tractat. de morte §. 308. latius fuit dictum.

110. *Communicatio bonorum* vitae aeternae complectitur eorum tum *continuitatem*, tum *perpetuitatem sive aeternitatem*. Continuitatis nomine intelligimus, quod bona ac gaudia vitae aeternae nullum habitura sint intervallum, nullam interruptionem, nullam variationem. In hac vita pii praegustum quendam coelestium bonorum percipiunt, sed de eo recte dicitur: *rara hora, brevis mora;* suavitati enim, quam ex guttula illa divinae dulcedinis percipimus, statim succedit acerbitas doloris, tristitiae, tentationis etc. sed in vita aeterna cessabit illa laetitiae ac tristitiae vicissitudo, cui succedent gaudia continua nulloque
1. Continuitas momento interrupta. Probatur haec coelestium bonorum et gaudiorum continuitas 1. *ex diserta Spiritus sancti testificatione*. 1. Thess. 4, v. 17. πάντοτε, *semper, cum Domino erimus*. Apoc. 4, v. 8: *Non habent requiem die ac nocte*, a divinis scilicet laudibus, ergo nec cessabunt a beatifica Dei visione, ex qua illa glorificatio oritur. 2. *Ex oppositione*. Poenae infernales erunt continuae, ut in tractat. de inferno §. 55. ostendimus. Ergo etiam gaudia coelestia erunt continua. Neque enim Deus severior est in damnatis puniendis quam benignior in beatis praemio afficiendis. 3. *Ex perpetua causae actione*. Visio Dei beatifica est fons omnium bonorum ac gaudiorum coelestium. Jam vero Deus amicam et paternam suam faciem nunquam subtrahet beatis. 4. *Ex symbolica vitae aeternae descriptione*. Psalm. 36, v. 10: *Apud te est fons vitae*. Sicut fons perennis fundit aquas, sic ex fonte divinae bonitatis perpetua et nunquam interrupta scaturient bona. 1. Petr. 1, v. 4: *Est hereditas* ἀμίαντος, *quia non contaminatur tristitia vel dolore*, καὶ ἀμάραντος, *quia non marcescit vel flaccescit* instar florum fugacium, sed est in perpetuo vigore. Apoc. 21, v. 25: *Portae ejus non claudentur per diem, nox enim non erit illis*. Sicut urbs, cujus portae semper patent, ab hostium incursione est secura; sic coelestis Hierosolyma perpetua pace absque ullo belli metu vel periculo fruetur. Apoc. 22, v. 2: *Lignum vitae affert fructus duodecim per singulos menses reddens fructum suum*. Mensibus duodecim integer annus absolvitur, significatur igitur, quod lignum vitae perpetuo futurum sit frugiferum.

gaudiorum coelestium probatur.

111. *Aeternitas* bonorum et gaudiorum vitae aeternae describitur in sacris literis 1) καταφατικῶς, *affirmative*. Vocatur enim *vita aeterna* Dan. 12, v. 2. Matth. 25, v. 46. Joh. 3, v. 16. etc. *domus aeterna in coelis* 2. Cor. 5, v. 1. *civitas manens* Hebr. 13, v. 14. *habens* μονάς, *mansiones, multas* Joh. 14, v. 2. *aeternum tabernaculum* Luc. 16, v. 9. *regnum aeternum* 2. Petr. 1, v. 11. *hereditas aeterna* Hebr. 9, v. 15. *salus aeterna* Hebr. 5, v. 9. *aeterna gloria* 1. Petr. 5, v. 10. *aeternum pondus gloriae* 2. Cor. 4, v. 17. etc. quibus appellationibus a praesenti vita momentanea et transitoria distinguitur ac in omnem aeternitatem duratura praedicitur. Psalm. 84, v. 5: *In seculum, in sempiternum laudabunt te*. Esa. 35, v. 10: *Laetitia sempiterna erit super caput eorum*. cap. 61, v. 7: *Laetitia sempiterna erit eis*. Haec praesens vita nostra non manet, sed perpetuo labitur ac fluit, est enim velut *ventus transiens, umbra fugiens, fumus deficiens, aqua dilabens, flos egrediens et statim exarescens, vapor et nubes cito evanescens*, est velut horologium arenae continue decurrentis et candela ardens, quae sua luce paulatim consumitur; sed coelestis vita vere dicitur aeterna mansio, quia sine fine ac termino semper durat ac est velut unum τὸ νῦν, semper stans ac manens. In hac vita nec honores nec divitiae, nec voluptates manent, sed omnia transeunt; sed aeternae vitae bona sunt bona permanentia ac sempiterna. 2. ἀποφατικῶς, *negative*. Joh. 8, v. 51: *Qui sermonem meum servaverit, non morietur in aeternum*. Joh. 11, v. 26: *Qui vivit et credit in me, non moritur*

2. Eorundem aeternitas probatur XX. 453. 1. ex Scriptura.

in aeternum. Joh. 16, v. 22: *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* 1. Cor. 15, v. 26: *Novissimus hostis destruetur mors.* Apocal. 2, v. 11: *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda.* Apocal. 21, v. 4: *Mors ultra non erit.* Si electi non poterunt amplius mori, utique bonis et gaudiis coelestibus perfruentur in aeternum. Rom. 8, v. 38: *Nec mors, nec vita, nec angelus, nec principatus, nec virtutes, neque instantia, neque futura,* v. 39. *neque altitudo, neque profunditas, nec ulla alia creatura poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo.* Si electos nihil quidquam separare potest a caritate Dei, quae est in Christo, ergo nec a bonis coelestibus, quae ex Dei caritate ad ipsos promanant. 3. *συμβολικῶς, parabolice.* Psalm. 1, v. 3: *Folium ejus non defluet.* Psalm. 36, v. 10: *Apud te est fons vitae semper scaturiens.* 1. Petr. 1, v. 4: *Ad hereditatem ἄφθαρτον, ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον.* Rationem appellationis exposuimus superius §. 12. Apoc. 2, v. 7: *Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei.* Apoc. 3, v. 12: *Faciam eum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius.* Apoc. 20, v. 14: *Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis,* ut non possint electis ulterius terrorem incutere. Apoc. 22, v. 2: *Lignum vitae per singulos menses reddit fructum suum.*

112. Eadem gaudiorum coelestium aeternitas probari potest *rationibus ex Scriptura deductis.* 1. *Ex electorum in bono confirmatione.* Electi, utpote in bono confirmati, non poterunt ulterius peccare et a Deo sese avertere. Ergo nec poterunt bonis coelestibus privari. 2. *Ex immortalitatis participatione.* Electi ad imaginem divinam, cujus pars est immortalitas, erunt perfecte renovati, ac corpora ipsorum erunt immortalia, incorruptibilia, impassibilia. Ergo non erunt ulterius morti obnoxii vel periculo coelestia bona amittendi subjecti. 3. *Ex misericordiae divinae duratione.* Psalm. 117, v. 2: *Confirmata est super nos misericordia ejus et veritas Domini manet in aeternum.* Jerem. 31, v. 3: *In caritate perpetua dilexi te.* Joh. 13, v. 1: *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, dilexit eos in finem.* Si misericordia Dei super electos in aeternum confirmata est, utique etiam bona et gaudia coelestia erunt ipsis perpetua, quippe quae ex fonte divinae gratiae profluunt. 4. *Ex oppositione.* Si poenae infernales sunt aeternae, utique etiam praemia coelestia erunt aeterna. 5. *Ex januae occlusione.* Matth. 25, v. 10. *clausa erit janua,* ut nec electi e beatitudinis statu exire, nec damnati ad gaudia coelestia introire possint. 6. *Ex chasmatis confirmatione.* Luc. 16, v. 26: *Inter beatos ac damnatos magnum chasma firmatum,* ut qui ex beatis sedibus ad infernales transire velint, non possint. Ergo electi non poterunt excidere beatitudinis statu. 7. *Ex beatitudinis perfectione.* Nisi electi scirent, bonis coelestibus sese in aeternum perfruituros, beatitudo ipsorum non esset perfecta. Hanc rationem urget Thomas 1. 2. q. 5. art. 4. ex Augustino lib. 12. de civit. Dei c. 20: *Vera beatitudo debet quietum reddere appetitum et excludere omne malum. Sed beatus maxime appetit perpetuitatem suae beatitudinis, et nisi de hac esset certus, affligeretur timore amittendi et sic non esset perfecte beatus.* 8. *Ex futuri seculi conditione.* In futuro seculo nulla erit temporum successio, nulla dierum ac noctium vicissitudo, sed perpetuum *νῦν* fixum et mera aeternitas.

113. De hoc bonorum et gaudiorum coelestium tum *continuitate,* tum *aeternitate* sic disserunt veteres. Cyprianus serm. de adscens. Christi: *Exsultabunt sancti in gloria, videbunt Deum et gaudebunt, laetabuntur et delectabuntur et fruentur gloria et in felicitate jucundabuntur aeterna. Non senescent, non tabescent, non putrescent amplius. Perpetua sanitas, felix aeternitas beatitudinis illius sufficientiam confirmabunt etc. impleta ordinataque omnino civitate Dei nec innovabitur, nec mutabitur ultra fixae et consummatae beatitudinis status.* Hilarius in Psalm. 60: *In tabernaculo Dei habituri sumus in secula sine ullo scilicet aetatis modo in aeternum fluentibus seculis temporibusque mansuri* etc. *Haec hereditas sancti est vita et incorruptio et regnum et coaeterna cum Deo habitatio. Ceterum ipse in conspectu Dei, ipse manebit aeternus, jam omnibus, quos redemit, in reges coelorum et coheredes aeternitatis assumtis tradens eos regnum Deo Patri.* Idem in Psalm. 148: *In illo beatae civitatis illius seculo, ubi cornu populi sui Dominus excitabit et incorruptionem, quae significatur in cornu, per honorem immortalitatis impertiet. Tum enim coelum novum et terra nova erit, cum his praesentibus dissolutis, nova illa et aeterna succedent.* Chrysostomus in epist. 5. ad Theodorum lapsum: *Omnia occupabit ubique incorruptibili gloria et, quod omnium longe est maximum, continua fruentur conversatione cum Christo una cum angelis, cum archangelis, cum superioribus potestatibus.* Et postea: *Anima non solum laeta erit bonis praesentibus, sed secura ac tuta, quod tanta gaudiorum semina nunquam desitura sint.* Sophronius Hierosolymitanus in epistola ad Sergium patriarch. Constant.: *Vitam illam, quae post praesentem vitam futura est, credimus permansuram, et quidem indesinenter exhilarantem laudabilium operum patratores.* Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 8: *Ut homo beate vivat, oportet ut vivat. Quem porro morientem vita ipsa deserit, beata vita cum illo manere quomodo potest? cum autem deserit, aut nolentem deserit, aut volentem, aut neutrum. Si nolentem,* IX. 455. *quomodo beata vita est, quae ita est in voluntate, ut non sit in potestate* etc.? *Non potest vita beata esse et volentem deserere, quia beatus nolens nemo fit, ac per hoc quanto magis nolentem deserendo miserum facit, quae, si nolenti praesto esset, miserum faceret? Si autem volentem deserit, etiam sic quomodo beata erat, quam perire voluit, qui habebat? Restat, ut dicant, neutrum esse in animo beati, id est eum deseri a beata vita, cum per mortem deserit tota vita, nec nolle nec velle, ad utrumque enim parato et aequo animo consistere. Sed nec ista beata est vita, quia talis est, ut quem beatum facit, amore*

Dicta patrum de aeternitate bonorum coelestium.

ejus sit indigna. Quomodo enim est beata vita, quam non amat beatus? aut quomodo amatur, quod utrum vigeat, an pereat, indifferenter accipitur? etc. Idem tractat. 31. in Joh.: *Dies est ibi unus sed sempiternus, qui nec praeceditur hesterno, nec excluditur crastino.* Cassiodorus lib. de anim. cap. 19: *Bonorum dona quis dubitet esse perpetua? cum se cognoscunt laetitiam percipere et ulterius tristitiam non timere; mereri gaudium, quod norunt esse continuum. Illic animus sua prosperitate non pavescit, sed exsultationem propriam semper retinet in aeternum cogitata prosperitas.* Beda in cap. 17. Lucae: *In illa beatitudinis gloria, de qua propheta suspirans ajebat, quia melior est dies una in atriis tuis super millia, tenebrarum interruptio nulla est, nulla saltem memoria miseriae vel doloris, quia prima abierunt.* Damascenus lib. 2. de orthod. fid. cap. 1: *μετὰ τὴν ἀνάστασιν οὐχ ἡμέραις καὶ νυξὶν ὁ χρόνος ἀριθμηθήσεται, ἔστι δὲ μᾶλλον μία ἡμέρα ἀνέσπερος τοῦ ἡλίου τῆς δικαιοσύνης τοῖς δικαίοις φαιδρῶς ἐπιλάμποντος.* Hildebertus Cenomanensis epistol. 31: *In hoc fructu est regnum sine termino, satietas sine taedio, sublimitas sine discessu, glorificatio sine defectu.* Guilelmus Alvernus de retribut. sanctorum cap. 1: *Dicitur vita aeterna, quia multum contraria est temporali. Sicut enim temporalis tota fluit et evanescit et nihil habet stans; sic illa recta tota stat in soliditate perpetuitatis suae et nihil habet fluens. Et sicut illa totum habet cum morte commune et vitam quasi in puncto solo contingit; ita illa tota seorsim est a morte, ex se tota vitam primam contingens, in nullo morti approximat.*

Quaestio, an beatitudo intrinsece vel extrinsece sit aeterna.

114. Quaerunt Scholastici, *quomodo beatitudo sit aeterna, an intrinsece et ex natura sua, quia scilicet corrumpi non potest; an tantum extrinsece, quia licet ex se corrumpi possit, Deus tamen eam conservat, ne corrumpat.* Prius asserit Thomas 1. 2. q. 5. art. 4. usus hac ratiocinatione: *Perpetuitas sequitur immutabilitatem, immutabilitatis autem causa formalis est perfectio consummata; effectiva virtus divina; materialis homo elevatus in participationem aeternitatis.* Adde quod beatitudo in clara et *intuitiva Dei visione* consistat. Jam vero clara Dei visio intrinsece et ex natura sua est incorruptibilis. Ergo etiam beatitudo. Assumtum probatur. *Ut aliqua actio ex natura sua incorruptibilis sit, duo sunt necessaria: unum ut principium activum, a quo elicitur, sit incorruptibile; alterum, ut illud principium ab agendo cessare non possit. At haec duo reperiuntur in visione beatifica. Nam principium illius activum est intellectus humanus lumine gloriae illustratus. Intellectus autem incorruptibilis est, quia est naturalis potentia animae rationalis, quae est intrinsece immortalis. Similiter lumen gloriae est incorruptibile, quia est qualitas spiri-*
XX. 456. *tualis, quae nullum habet contrarium, a quo corrumpatur. Iam vero intellectus lumine gloriae illustratus non potest cessare a visione Dei, quia Deus, qui est objectum illius visionis, necessario semper praesens est. Sicut ergo oculus corporeus sufficienti lumine adjutus et corroboratus non potest non videre res sensibiles, quae oculo objiciuntur; sic etiam de intellectu servata proportione dicendum.* Cajetanus in comm. Thom. d. l. Contra vero Scotus 4. sent. dist. 49. q. 6. disputat, *causam perpetuitatis hujus non esse formam beatitudinis, quasi per ipsam beatitudo formaliter sit necessaria, nec naturam illarum potentiarum quasi circa objectum necessario perpetuo operetur; nec habitum in potentiis quasi necessario determinantem potentias ad perpetuo operandum, sed esse ex sola voluntate divina, quae sicut perficit naturam intensive, ita conservat eam perpetuo in tali perfectione.* Priori sententiae assurgimus, si beatitudo ex hypothesi et cum reduplicatione, quatenus est electorum aeterna in coelis beatitudo, consideretur; posteriori, si absolute et simpliciter spectetur.

2. D... litat... noru... tae ... nae.

115. Exposuimus hactenus *quantitatem* bonorum et gaudiorum coelestium tum *discretam*, tum *continuam;* restat, ut earum etiam *qualitatem* utcunque declaremus. Quemadmodum discreta quantitas bonorum coelestium *varietatem*, continua eorundem *continuitatem* ac *aeternitatem*, sic qualitas istorum bonorum *intensivam suavitatem et satietatem* complectitur, quod beati non tantum gustaturi sint dulcedinem divinae bonitatis, sed coelestibus bonis plene satiandi; quod non primitias duntaxat quasdam coelestium bonorum percepturi sint, sed iisdem penitus implendi; quod non aliquo duntaxat, sed summo prorsus gradu aeternis ac coelestibus gaudiis sint perfundendi. Aeternae enim vitae bona ac gaudia non tantum erunt *varia ac diversa*, nec tantum *universalia* in omnibus animae potentiis et corporis membris, nec solum *continua*, non interrupta et aeterna, sed etiam suavissima, sincerissima et ad summum voluptatis gradum elevata, erunt non solum *extensive* ratione aeternitatis, sed etiam *intensive* ratione graduum summa. Probatur haec bonorum et gaudiorum coelestium suavitas 1. *ex eorum in sacris literis descriptione.* Psalm. 17, v. 15: *Satiabor, cum excitatus fuero secundum imaginem tuam.* Psalm. 36, v. 9: *Inebriabuntur a pinguedine domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.* Ergo super electos non guttatim destillabit fons divinae dulcedinis, sed torrens voluptatis eos inebriabit. Esa. 65, v. 13: *Servi mei comedent, bibent, laetabuntur, jubilabunt prae exsultatione cordis.* cap. 66, v. 12: *Declinabo super Jerusalem quasi fluvium pacis et quasi torrentem inundantem gloriam gentium.* Apoc. 7, v. 17: *Agnus deducet eos ad vivos fontes aquarum.* Apoc. 22, v. 1: *Fluvius splendidus aquae vivae procedit ex throno Dei et Agni in medio plateae coelestis Hierosolymae.* Ex his fontibus, ex hoc fluvio affatim bibere poterunt, unde etiam vitae aeternae gaudia conferuntur *convivio ac nuptiis*, in quibus est omnium rerum abundantia. 2. *Ex animarum et corporum glorificatorum conditione.* Corpora beatorum erunt ipsius Dei manu formata ac una cum animabus ad Dei imaginem perfecte reno-

vata, ideo etiam suavitatis, exsultationis ac voluptatis in summo gradu capacia. 3. *Ex bonorum et gaudiorum continuatione.* Erunt vitae aeternae gaudia
57. non tantum continua et nunquam interrupta, sed etiam perpetua ac sempiterna. Ergo non possunt non esse summa et suavissima. 4. *Ex bonorum accumulatione.* Quo plura bona alicui communicantur, eo uberior laetitiae ipsi offertur materia. Jam vero bona vitae aeternae electis communicanda sunt varia ac diversa, multiplicia, universalia, in omnibus animae potentiis et corporis membris vigentia, quin imo infinita, quia aeterna. Ergo non possunt non esse summa. 5. *Ex προγεύσεως suavitate.* Quando pii in hac vita quandam πρόγευσιν coelestium bonorum ac gaudiorum percipiunt, corda ipsorum vix possunt capere divinam illam dulcedinem, quid ergo futurum censemus, quando non primitias tantum sed plenitudinem bonorum ac gaudiorum coelestium percipient? Si promulsis tam suavis est ac mellea, quid ex pleno dolio sperandum fuerit?

116. Quaeritur hoc loco 1. *in genere* de sanctorum in vita aeterna beatitudine, 1. *an beatitudo sit habitus vel actus?* Respondemus: ostendimus superius §. 34. beatitudinem dividi in *objectivam* et *formalem.* De objectiva beatitudine hoc loco non quaeritur, sed de formali, quae consistit in fruitione ac possessione summi boni. Eam esse actum patet 1) *ex dictis Scripturae*, quae beatitudinem in operatione, videlicet in Dei visione et intuitiva cognitione, statuunt. 1. Cor. 13, v. 12. 1. Joh. 3, v. 2. etc. 2) *Ex natura beatitudinis.* Beatitudo est summi boni fruitio, quo obtento appetitus quiescit ac satiatur. Notat ergo perfectionem, ea vero in actu est posita. 3) *Ex continua beatitudinis duratione.* Beatorum felicitas et gaudium erit continuum, non interruptum, in actu ergo, non in habitu consistit. Neque tamen est merus ac purus actus, id enim soli Deo convenit, neque otiosus quidam habitus, sed habitus in actu continuo. Intellectus lumine gloriae collustratus non tantum facultate perfecte Deum cognoscendi instructus erit, sed ipso etiam actu continuo ac perpetuo Deum cognoscet, ac hoc proprio suo objecto nunquam divulsus aut separatus. Voluntas non solum habitualiter divinae voluntati erit conformata, sed etiam actualiter Deo utpote summo bono perpetuo adhaerebit. Idem de reliquis animae potentiis esto judicium. *At*, inquis, *hac ratione beatitudo formalis in diversis collocabitur categoriis, in qualitate scilicet et actione.* Respondemus hoc absurdum non debere censeri, beatitudo enim est *status omnium bonorum aggregatione perfectus*, ut Boëtius eam definit lib. 3. de consol. philos. 2. ergo et habitualia et actualia bona complectitur. Perfectus actus praerequirit perfectionem habitus, nisi causa, a qua procedit actus, sit merus et purus actus, quod soli Deo competit.

117. 2. *Qua ratione Deus sit ipsa hominis beatitudo?* Respondemus: non *formalis* sed *objectiva*, quo sensu ipse solus et est esse potest hominis beatitudo, quod probatur tum *ex natura Dei*, tum *ex proprietate beatitudinis.* 1) Beatitudo est summum illud bonum, quo obtento appetitus satiatur et quiescit. Jam vero solus Deus est summum illud bonum, quod non ordinatur ad aliud, sed omnia ad ipsum. 2) Beatitudo perfecte beatos efficit ac omnem miseriam et defectum boni excludit. Jam vero solus XX. 458.
Deus, utpote summum et infinitum bonum, perfecte beatos efficit ac omnem miseriam et defectum boni excludit. Omne enim bonum, quod est infra summum bonum, non potest perfecte beatum efficere et omnem miseriam ac defectum excludere, quia quod est infra summum bonum, habet in se alicujus boni defectum. 3) Beatitudo et ultimus finis secundum rem unum sunt. Jam vero solus Deus est ultimus finis, ad quem et propter quem creati sumus. 4) Sola Dei visio beatifica perfecte satiat desiderium. Psalm. 17, v. 15: *Satiabor, cum evigilavero secundum imaginem tuam.* Augustinus lib. 1. confess. cap. 1: *Fecisti nos, Domine, ad te, et irrequietum est cor nostrum, nisi quiescat in te.* lib. 22. de civ. Dei cap. 30: *Ille est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine defatigatione laudabitur.* 5) Beatitudo perfecta excludit omne taedium ac fastidium. Nullum creatum bonum excludit omne taedium ac fastidium, sed unicum illud summum, infinitum et increatum bonum, quod est Deus. 6) Illud, cujus participatione ac fruitione in omnem aeternitatem beati erimus, oportet esse bonum aeternum et infinitum. Jam vero solus Deus est bonum aeternum et infinitum. 7) Beatitudo utpote plena et ultima hominis perfectio omnes animae potentias perficit, omnia corporis membra suavissima delectatione perfundit. Jam vero solus Deus, ut bonum universale, totum hominem in omnibus animae potentiis et corporis membris perficere potest. *At*, inquis, *appetitus hominis est finitus, ergo etiam bonum ejus erit finitum.* Respondemus: de beatitudine *formali* hoc concedimus, de *objectiva* vero minime. Quamvis enim intellectualis hominis appetitus sit finitus *ratione* sui, infinitus tamen est *ratione objecti.* Scholastici dicunt, *finitus est intrinsece quoad suam entitatem, infinitus extrinsece quoad suum objectum.* Ut enim intellectus percipit bonum infinitum, ita quoque voluntas illud ab intellectu monstratum appetit. Intrinsece igitur ac formaliter appetitus satiatur ac beatus redditur bono finito, extrinsece vero non satiatur nec beatus redditur nisi bono infinito. Scaliger exerc. 307. sect. 26: *Beatitudo est fruitio summi boni. Sed quid est fruitio? participatio. Quomodo participatur ei, qui fruitur? non abscedit ab illo ulla pars, ut huic communicetur, sed hoc cum illo unum, quo potest modo, fit. Quo potest modo? potestne finitum unum fieri cum infinito? non hoc, quo illud infinitum est, sed quo bonum, hoc finitum fit cum illo unum per similitudinem. Hoc de ea beatitudine, quae in subjecto est et qua subjectum fit beatum. Fit ergo, quia una fit beatitudo cum illa beatitudine, quae neque subjecto illo est, neque ipsa subjectum ullum.*

3. An beatitudo sit hominis accidens. 118. 3. *An beatitudo sit hominis accidens?* Solus Deus *essentialiter* beatus et sua ipsius beatitudo, quia beatus est a se ipso, in se ipso, per se ipsum. Electorum igitur beatitudo *formalis* non erit ipsorum essentia sed accidens. Erit non ipsum εἶναι sed εὖ εἶναι. Patet hoc insuper ex eo, quod potissimum in actione consistat, in visione scilicet et fruitione summi boni, illa vero accidens est, non ipsa rei essentia. Neque vero quidquam perfectioni beatitudinis hac assertione detrahitur, quia non essentialis, sed accidentalis ea
XX. 459. est hominis perfectio; neque beatitudo propterea mutabilis ac variabilis statuitur, quia non est variabile et mutabile accidens, sed respectu ad actualem vitae aeternae possessionem habito inseparabile, invariabile et immutabile; beati enim sunt in bono confirmati ac proinde ab omni ex illo beatitudinis statu excidendi periculo liberati. Deus, qui ipsorum est beatitudo *objectiva*, non mutabiliter ac separabiliter sed invariabiliter ac inseparabiliter sese illis communicat. *At*, inquis, *omne accidens est ignobilius illo, cujus est accidens, ac per se et sua natura mutabile.* Respondemus: accidentia sunt duorum generum, quaedam ex internis subjecti principiis emanant, illa sunt ignobiliora ipso subjecto; quaedam vero a principio externo proficiscuntur et subjecto communicantur, ea possunt esse digniora ipso subjecto. Beatitudo non ad priorem sed ad posteriorem accidentium classem pertinet. Ex quo etiam intelligitur, quid de mutabilitate beatitudinis statuendum. Non quidem per se et sua natura immutabilis ea est, sed ex Dei ordinatione, per quam in bono erunt confirmati ac proinde etiam in statum immutabilitatis translati.

4. An beatitudo potius ad intellectum quam ad voluntatem pertinebit. 119. 4. *An beatitudo potius ad intellectum quam ad voluntatem pertinebit?* Certum est, ad utramque animae potentiam eam pertinere, quia est omnium potentiarum perfectio, ac Deus *erit omnia in omnibus* 1. Cor. 15, v. 28. proinde etiam *plenitudo lucis intellectui, multitudo pacis voluntati.* Sed quaeritur, cujus facultatis potiores futurae sint partes? Thomas de Aquino 1. 2. q. 3. art. 4. in *operatione intellectus*, Scotus et Thomas de Argentina 4. sentent. dist. 49. in *operatione voluntatis* eam potissimum sitam fore existimant. Prior sententia nititur hisce rationibus: 1) Scriptura beatitudinem definit per *visionem et cognitionem Dei*, quae pertinet ad intellectum Joh. 17, v. 3. 1. Cor. 13, v. 12. 1. Joh. 3, v. 2. 2) Philippus apostolus *Patrem sibi ostendi* petit sibique ad beatitudinem illud *sufficere* asserit Joh. 14, v. 8. 3) Patres per *visionem Dei* totum formale beatitudinis describunt, ut ostendimus superius. 4) Operatio voluntatis non propter se sed propter operationem intellectus quaeritur, sicut appetitus naturalis ac sensitivus non est propter se sed propter aliquam perfectionem appetentis. Ergo etiam operatio intellectus est praestantior. 5) Beatitudo est adeptio finis ultimi ac possessio summi boni, at finis ultimus non obtinetur per actum voluntatis sed intellectus, quod sic probatur: voluntatis actus circa finem ultimum potest esse duplex, vel *desiderium absentis* vel *acquiescentia et delectatio in eo jam praesente.* Jam vero neutro actu finem ultimum adipiscimur, non per *desiderium*, quia desideramus quandoque ea, quae non adipiscimur; nec per *acquiescentiam et delectationem*, quia illa praerequirit rei praesentiam, non autem eam efficit praesentem. 6) Actus voluntatis et cordis affectus non trahit objectum ad se, ut illud obtineat et possideat, sed potius tendit ad objectum. 7) Actus intellectus est nobilissimus, et vera beatitudo consistit in eo, ut aliquis norit sua bona. Ergo ultimus apex summi boni erit contemplatio Dei, ut semper Patris in Christo ac cognitio illorum bonorum, quae habebimus. Posterior sententia hisce nititur argumentis: 1) Scriptura beatitudinem describit per XX. 460.
actum voluntatis et affectum cordis, videlicet per amorem et gaudium. Psalm. 36, v. 9. Matth. 25 v. 23. Joh. 16, v. 22. etc. 2) Patres itidem per actum voluntatis eam definiunt. Augustinus lib. 1. de doctr. Christ. cap. 32: *Summa merces haec est, ut Deo perfruamur.* lib. 10. confess. cap. 21: *Beata vita est gaudium de veritate.* lib. 8. de civ. Dei cap. 9: *Nemo beatus, qui eo, quod amat, non fruitur* etc. 3) Nuda Dei notitia amore et affectu destituta non efficit beatum, sed ea duntaxat, quae cum amore conjuncta. Per actum voluntatis intimius et perfectius conjungimur Deo, qui est beatitudo increata. 4) Visio Dei ordinatur ad Dei amorem tanquam ad suum finem. Ergo in amore potius quam in visione summum beatorum bonum consistit. *Intellectio*, inquit Scaliger exerc. 307. sect. 26. *est inchoatio beatitudinis vel inchoata beatitudo, velle autem eam est illius perfectio. Cum Deum intelligo, jam datur accessus ad unionem ex cognitione, quia species cogniti est talis forma cognoscentis. Quare unum fit aliquo modo. Ubi vero ex hac intellectione video quiddam alterius bonum, volo me similiorem Deo, quoad liceat, efficere. Itaque ab ea promoveo me ad aliquid faciendum, quo unionem adipiscar. Atque ilico nascitur amor, qua in actione sistitur voluntas.* 5) Actus voluntatis nobilior est actu intellectus, quia ille libertate praeditus, huic vero ab objecto necessitas imponitur. 6) Beatitudo consistit in participatione et fruitione summi boni. Jam vero bonum, qua tale, est objectum voluntatis, non intellectus. Totus homo dicitur simpliciter bonus bonitate solius voluntatis, etiamsi hebeti et obtuso intellectu sit praeditus. 7) Malum, quod opponitur dilectioni Dei, videlicet odium Dei, pejus est quam illud malum, quod opponitur Dei cognitioni, videlicet ignoratio. Ergo etiam dilectio Dei est praestantius bonum quam Dei cognitio, id quod etiam expressis verbis videtur apostolus asserere Ephes. 3, v. 19: *Caritas Christi supereminet scientiae.* Atque haec pro utraque quaestionis parte stabilienda afferuntur. Nobis Bonaventurae 4. sent. dist. 49. q. 5. art. 1. et Richardi ibid. q. 6. art. 1. sententia videtur amplectenda, quod utriusque potentiae, intellectus scilicet ac voluntatis, respectu beatitudo *aeque principaliter et immediate* electis competat, quia utriusque ratione Deum possidebunt, per *claram* scilicet *visionem*, quae est

intellectus, et per *firmam adhaesionem ac fruitionem*, quae est voluntatis. Videbunt Deum a facie ad faciem, ex qua visione nascetur perfecta dilectio, qua non minus quam ipsa visione Deum possidebunt, inde Scriptura in beatitudinis definitione utrumque conjungit. Psalm. 36, v. 10: *Apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen.* Psalm. 34, v. 9: *Gustate et videte, quam suavis sit Dominus.* Esa. 66, v. 14: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum* etc. Esse beatitudinis consistit in perfecta unione animae cum Deo. Haec autem unio includit animae unionem cum Deo secundum omnem sui potentiam, secundum quam unibilis est cum eo immediate. Potentia autem animae rationalis non tantum est intellectus, sed etiam voluntas, et per quamlibet illarum unibilis est cum Deo immediate. Chytraeus lib. de vita et morte p. 127: *Optimae et supremae facultatis in homine rationalis optima et suprema actio versans circa supremum et nobilissimum objectum, videlicet Deus finis ejus et vita hominis aeterna est, videlicet agnitio Dei et Redemtoris nostri Jesu*
161. *Christi nobis placati et propitii et sua luce, sapientia, justitia, vita et laetitia aeterna nos implentis, quam dilectio Dei ardens et laetitia in Deo acquiescens eumque grata mente et voce celebrans perpetuo comitatur.* Quoties vero vel Scriptura sacra vel ecclesiastici scriptores in Dei visione ac cognitione beatitudinem statuunt, non notatur nudus actus intellectus, sed connotatur quoque actus voluntatis, adeoque plena illius summi boni possessio et adeptio, quae per cognitionem et amorem in vita aeterna obtingit. Sicut usitatissime *verba notitiae apud Hebraeos affectus et effectus sequentes connotant*, qua de re sic disserit Bonaventura d. l.: *Tres actus gloriosi seu beatifici, perfecta Dei visio, perfecta dilectio et perfecta fruitio sunt inter se conjuncti et connexi, ideo per et propter hanc connexionem tribuitur uni, quod est omnium, magis autem visioni tribuitur propterea quod in visione distinguitur status patriae a statu viae, non sic in dilectione, quia utrobique est dilectio.*

fa- nt glo- vita L. 120. 5. *An futuri sint gradus praemiorum ac gloriae in beatitudine aeterna?* Ecclesia Christi communi et constanti suffragio hactenus affirmavit, sed Petrus Martyr in loc. commun. class. 3. c. 17. §. 8. primus superiori seculo ab hoc consensu discessit, timide tamen ac titubanter. Postquam enim demonstrare conatus erat, ex 1. Cor. 15, v. 41. non posse praemiorum diversitatem in vita aeterna colligi, subjungit pag. 734: *Haec a me non dicuntur, quod probare velim, ibi esse prorsus aequalitatem, sed assero, neutrum ex sacris literis confirmari posse. Probabilis est utraque sententia, neque ad salutem necessarium esse duco scire, utrum istorum verum sit. Probabile forsan est, ut in sanctis aliquid discriminis, sed hoc ex Scripturis non existimo posse demonstrari.* pag. 735. respondere conatur ad omnia Scripturae dicta et argumenta, quae pro diversitate praemiorum adducuntur, et tandem concludit p. 736: *Haec a me non dicuntur, quo prorsus negem hujusmodi praemiorum differentias, sed id tantum docere volui, quod ex Scripturis sanctis concludi non possint.* Martyris vestigiis insistit Tilenus part. 2. disputat. theol. disput. 68. th. 33. sic scribens: *Quaestionem de gradibus beatitudinis et inaequali ejus participatione in medio relinquimus, et inaequalitatem hanc ut non negamus, sic fundamentum, quod Pontificii ei substernunt, puta inaequalitatem meritorum, alibi evertimus.* thes. 34: *In Scriptura tamen nullum satis idoneum hujus diversitatis testimonium reperimus.* Eadem est sententia Vorstii in tesseradecade antipistoriana. Audacior est Schoenfeldius, qui in disputat. de vita aeterna Casellis ann. 1604. instituta, illam sanctorum inaequalitatem prorsus negat thes. 78: *Disparitas beatitudinis in nulla ejus parte e Scripturis ostendi potest nec in unione cum Deo, nec in visione Dei, nec in dilectione, justitia et laetitia, nec in clarificatione corporum, nec in domicilio, nec sanctorum consortio, neque gloria, nulla igitur erit inaequalitas.* Antequam vero nostram sententiam novatorum opinioni oppositam probemus, notamus sequentia membra: 1) Distinguendum est inter *beatitudinem objectivam et formalem.* Hoc loco non quaeritur de beatitudine *objectiva*, quae Deus est, summum illud bonum omnibus beatis commune, sed de beatitudine *formali.* 2) Formalis illa beatitudo complectitur tum *essentiale praemium*, quod est Dei visio ac fruitio, tum *accessoria praemia*, quae beatitudinis essentiam consequuntur. Ratione prioris tribuitur electis *beatitudo essentialis*, XX. 412
ratione posterioris *beatitudo accidentalis*, quae in variis animae et corporis ornamentis ultra essentialem beatitudinem electis in vita aeterna conferendis consistit; non in illa, sed in hac duntaxat inaequalitas statuitur. 3) Quodsi vel maxime non possemus exacte et praecise determinare, in quibus bonis ac praemiis diversitas beatorum sit futura, tamen ipsam diversitatem non debemus negare ob evidentia Scripturae dicta, quae eam asserunt. 4) Distinguendum enim *inter rem ac rei modum;* res ipsa, videlicet gloriae diversitas et praemiorum inaequalitas, ex Scripturis certa est, quamvis modum rei exacte definire non possimus, quia *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quid praeparaverit Deus se diligentibus* Esa. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9. 5) Certum est, beatorum omnium felicitatem et gloriam unam fore *objective*, quia beatitudinis objectum omnibus beatis commune est Deus; unam *subjective*, quia omnes animae potentiae et omnia corporis membra in omnibus omnino beatis coelesti gloria ornabuntur; unam *ratione continuae et aeternae durationis*, quia omnium beatorum felicitas erit continua, nunquam interrumpenda et sempiterna, nunquam finienda; unam *ratione securitatis*, quia omnes beati aequaliter erunt certi, nullum amittendi hanc felicitatem et gloriam sibi imminere periculum; unam *ratione satietatis*, quia omnes beati plenissime et perfectissime satiabuntur illa gloria, quae unicuique ex fonte divinae benignitatis obtinget; unam *ratione immuni-*

tatis ab omnibus adversis, quia omnes beati ab omnibus omnino malis erunt liberati; unam *ratione dilectionis et communicationis* inter omnes vigentis, quia ob sincerissimam caritatem cujuslibet beati gaudium erit omnibus beatis commune. Certum et hoc est, fore quandam beatorum inaequalitatem et gloriae diversitatem, ut ex manifestis Scripturae dictis paulo post demonstrabimus, de eo autem dubitari potest, an *in accidentali duntaxat gloria animae vel corporis* diversitas illa statuenda, an vero etiam *in essentiali*, ita ut in quibusdam beatis majus lumen gloriae futurum sit, in aliis minus, propter quod unus beatus alio perfectius et clarius divinam essentiam videat, ardentius Deum amet ac suavius eo fruatur, id quod a Scholasticis quidem magno consensu docetur; ** Salmeronius tom. 9. tract. 48. p. 392: *Erit gloriae disparitas in ipsa etiam divinae essentiae visione, quae essentiam beatitudinis constituit, quam alius magis alio possidebit pro ratione caritatis seu meritorum suorum*; ** (unico Durando excepto, qui in 4. sentent. distinct. 49. disputat, *omnes beatos aequaliter videre divinam essentiam et omnes in praemio essentiali esse aequales*); sed nostri rectius statuunt, quod in *accidentalibus duntaxat praemiis* statuenda sit differentia:

Omnibus una salus sanctis, sed gloria dispar.

6) Causa illius inaequalitatis non est statuenda *in meritis humanis*, nostra enim opera nec praemii essentialis ipsius vitae et beatitudinis aeternae, nec praemiorum accidentalium in vita aeterna esse meritoria suo loco demonstratum, sed *in dispensatione divinae benignitatis*, quae piorum labores et passiones hac gloriae diversitate remunerari decrevit. 7) Diversitas illa et inaequalitas gloriae nullam in beatis invidiam, nullam indignationem vel murmurationem excitat, *sic sanctorum alius habet donum alio minus, ut hoc quoque habeat, ne velit amplius.* Causa
XX. 463. hujus rei a quibusdam Scholasticis refertur *ad divinam providentiam*, quae sicut ab aeterno praedestinavit beatos ad diversos gradus gloriae, ita etiam ab aeterno constituit illis dare et praescribere appetitum, qui iisdem gradibus perfecte expleretur. Quidam dicunt, ideo inferiores beatos non appetere majorem beatitudinem, *quia Deus non vult cum illis concurrere ad eam appetendam, sed vult, contentos esse ea beatitudine, ad quam quisque praedestinatus est. Plerique hanc afferunt causam, quod unusquisque beatus vi suae beatitudinis habeat appetitum intellectus et voluntatis, tum naturalem, tum elicitum perfecte satiatum et expletum, ut nihil quidquam praeter id, quod habet, amplius desideret.* In Deo enim clare viso continetur eminenter tota latitudo veri et boni, ad quam intellectus et voluntas naturaliter fertur. Ergo etiam clara et beatifica Dei visione expletur uterque appetitus naturalis tum intellectus, tum voluntatis. Praeterea beati per purissimam caritatem plus diligunt Deum quam se ipsos et sua commoda. Ergo magis desiderant, impleri voluntatem Dei quam suam. Jam vero norunt, hanc esse Dei voluntatem, ut praemia in vita aeterna sint inaequalia. Ergo non desiderant plus habere, quam acceperunt. Qui minimam in coelesti regno habebit gloriam et coronam, plus quam sufficientissime eadem erit contentus, quia nulla ibi erit invidia. *Non erit invidia aliqua disparis claritatis, quando in omnibus regnabit unitas caritatis.* Denique beati ex eadem dilectionis sinceritate et perfectione proximum diligunt sicut se ipsum, ergo proximi gloriam adspiciunt ut suam, laetantur et exsultant de ea ut de sua gloria, ac consequenter nulla vel tristitia, vel invidia ob eam corripiuntur.

121. Hisce de vero quaestionis statu praemissis sententiam nostram confirmamus 1. *ex Scripturae dictis.* 1. Daniel. 12, v. 3: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.* De *intelligentibus* sive doctis in genere dicitur, quod *fulsuri sint sicut splendor firmamenti*, de *erudientibus alios ad justitiam* sive ecclesiae doctoribus dicitur, quod *fulsuri sint instar stellarum*, unde sic concludimus: Ubicunque statuitur tale discrimen splendoris ac fulgoris, quale est inter firmamentum et inter stellas, ibi inaequalitas gloriae ac diversitas praemiorum stabilitur. Jam vero in hoc dicto prophetico inter auditores et doctores tale discrimen splendoris statuitur, quale est inter firmamentum et inter stellas. Ergo. Excipiunt 1. *esse hic exegesin et unius ejusdemque sententiae repetitionem, cum subjecta sint eadem, qui enim alios docent et qui alios ad justitiam erudiunt, prorsus iidem sunt et eodem gradu continentur, proinde etiam diversa praemia ipsis non reddentur.* Respondemus: 1) Si vel maxime concederemus, participium הַמַּשְׂכִּילִים *activam ac transitivam* hoc loco habere significationem, ut exponatur per *τὸ intelligere facientes*, quo modo etiam noster Lutherus reddidit, die Lehrer, cum sit positum in hiphil; nihil tamen decederet nostro argumento. Dicendum enim foret, prophetam primum quidem in genere de omnibus piis affirmare, quod *evigilaturi* sive resuscitandi sint לְחַיֵּי עוֹלָם, *ad vitam* et gloriam *sempiternam*, quod enim vitae conjungenda sit gloria, patet ex antithesi, qua impii *ad opprobrium et contemtum* dicuntur evigilaturi, ac postea in specie ex- XX. 46
ponere ecclesiae doctorum peculiarem gloriam, quod fulsuri sint sicut splendor firmamenti et sicut stellae in omnem aeternitatem, quae interpretatio confirmari posset ex eo, quod Piscator in scholiis splendorem firmamenti per splendorem stellarum in coelo explicat, adeoque unum et eundem firmamenti et stellarum splendorem statuit. Quodsi vel maxime *splendor firmamenti* distinguendus esset *a splendore stellarum*, id quod fieri omnino debere contra Piscatorem statuimus, tamen ad discrimen officii, laborum, passionum etc. quod ipsis ecclesiae ministris intercedit, recurri posset, ut hac ratione inter ipsos quoque ecclesiae ministros gloriae diversitas statueretur. Certe Paulus 1. Cor. 15, v. 10. 2. Cor. 11, v. 23. *plus reliquis apostolis sese laborasse* asserit, utique ergo etiam majori prae reliquis gloria ornabitur.

Affirm. probat 1. ex di[ctis] Scriptu[rae] 1. Dan v. 3. docti fuerint

2) Sed non concedimus adversario, participium הַמַּשְׂכִּילִים hoc loco habere *transitivam significationem*, verum dicimus, poni *neutraliter et intransitive*, ut significet doctos, intelligentes, informatos in vera religione et pietate, qui viam Dei recte didicerunt, ac proinde negamus, *subjectum* in utroque dicti prophetici membro esse idem. Probamus autem hanc nostram interpretationem primo *ex usu loquendi prophetico.* Aliquoties hoc participio utitur Daniel, utpote cap. 1, v. 4. cap. 11, v. 33. et 35. cap. 12, v. 10. nuspiam vero in *activa ac transitiva*, sed perpetuo in *neutrali et intransitiva* significatione, eccur igitur hoc in loco ab illa velimus discedere? Secundo *ex versione LXX interpretum*, qui verterunt οἱ συνιέντες, et Latina, quae reddidit *qui autem docti fuerint.* Tertio *ex diversitate praedicati.* Ubi est mutatio praedicati, non tantum quoad verba, sed etiam quoad rem ipsam, ibi quoque intelligitur facta mutatio subjecti. Jam vero in altero membro fit mutatio praedicati, quia pro *splendore firmamenti* ponitur *splendor stellarum*, qui inter se gradibus distinguuntur. Ergo etiam non potest esse utrobique identitas subjecti. Quarto *ex linguae sacrae proprietate.* Praesto sunt exempla, licet rariora, in quibus verba et participia in hiphil ponuntur intransitive. Quinto *ex absurdo.* Si per הַמַּשְׂכִּילִים intelligamus *doctores* sive docentes, erit in verbis propheticis *ταυτολογία.* Nam in primo membro de illis pronuntiat Daniel, quod *fulsuri sint splendore firmamenti*, quod Piscator exponit *de splendore stellarum in firmamento.* Atqui idem plane in altero membro repetitur; qualis otiosa repetitio et ἐπεξήγησις in hoc propheta perquam nervoso alibi vix occurret. Sexto *ab inconvenienti.* Si enim de doctoribus in utroque membro propheta agit, concedendum erit, ipsum de statu piorum post resurrectionem agentem doctoribus duntaxat sive docentibus splendorem et gloriam in futura vita assignare, discentibus sive auditoribus in via Domini recte institutis nihil splendoris relinquere. Regerit Martyr, *Danielem propterea potius voluisse docentium mentionem facere, quod isti magis confirmandi essent, quoniam plus quam ceteri persecutionibus essent expositi, ideoque etiam peculiari consolatione opus habuerint.* Nos haud inviti concedimus, ob causam expositam docentium specialem fuisse mentionem factam, sed pie eruditos et informatos penitus esse praetermissos non admittimus, cum utrique persecutionibus Antichristi, quibus propheta hanc consolationem opponit, sint expositi, praesertim cum *praedicati diversitas* etiam *subjecti diversitatem* statuendam requirat. Quod
465. enim Piscator eundem non solum *specie*, sed etiam *gradibus* splendorem coelo ac stellis tribuit, in eo principiis sincerioris astronomiae et ipsi oculorum sensui contradicit. Quanto rectius Hieronymus exponens hunc locum Danielis ad quaestionem, *Num sanctus idiota et sanctus eruditus eandem in vita aeterna gloriam habituri sint?* responderi posse asserit, juxta Theodotionis versionem, *unum fore ut firmamentum, alterum ut stellas.* Invertimus etiam ἔνστασιν Martyris. Si doctores ecclesiae magis confirmandi fuere quam ceteri, ergo non communi sed peculiari argumento et praemio fuere confirmandi. Si quis obvertat, *in secundo dicti prophetici membro apud LXX interpretes sic legi ἀπὸ τῶν δικαίων τῶν πολλῶν, ex quo subjecti identitas colligi posset;* respondemus, fontes Hebraicae veritatis esse authenticos, illi vero sic habent מַצְדִּיקֵי הָרַבִּים, *justificantes multos;* adde, quod quaedam exemplaria Graeca legant τῶν δικαιούντων, quod congruit cum Hebraeo, quaedam οἱ πολλοὶ τῶν δικαίων, quod nostram manifeste confirmat sententiam.

122. 2. Exceptio: *Una eademque gloria iisdem promissa explicatur duplici similitudine splendoris firmamenti et stellarum, nec enim inaequalitas gloriae aequalibus competit ex eorum, qui affirmantem quaestionis partem amplectuntur hypothesi.* Respondemus: 1) Nec subjectum, nec praedicatum sunt eadem in utroque dicti prophetici membro. Alii enim sunt *intelligentia praediti*, id est pii auditores, alii vero *intelligere facientes et ad justitiam erudientes*, id est pii doctores. Alius est *splendor firmamenti*, alius *splendor stellarum.* Ergo non promittitur iisdem una eademque gloria. 2) Conveniant prius inter se, an per splendorem firmamenti et stellarum una eademque, an vero inaequalis gloria intelligatur. Quidam enim ex Calvinianis prius, quidam vero posterius statuunt. 3) Invertimus argumentum. Quia duplici similitudine a distincto firmamenti ac stellarum splendore petita beatorum gloria explicatur, ideo non potest una eademque gloria iisdem promissa intelligi.

123. 3. Exceptio: *Haec gloria communiter omnibus beatis tribuitur a Christo.* Matth. 13, v. 43: *Justi fulgebunt ut sol in regno Patris sui.* Respondemus: 1) Quaedam dicta de beatorum gloria loquuntur ἁπλῶς, *absolute*, quaedam vero συγκριτικῶς, *comparate.* Absolute ac simpliciter loquendo omnium beatorum gloria solis radiis erit splendidior, comparate autem loquendo quidam beati fulgebunt *instar firmamenti*, quidam *instar stellarum.* 2) Sic Esaias pronuntiat cap. 30, v. 26. *lucem lunae in die novissimo futuram, sicut est lux solis, ac lucem solis septuplo fulgentiorem futuram*, nihilo tamen minus Paulus 1. Cor. 15, v. 41. asserit, *sicut alia est claritas solis, alia lunae, et sicut stella differt a stella in claritate, ita quoque futurum in resurrectione mortuorum.* Illud accipiendum *absolute*, hoc vero *comparate.* Phil. 2, v. 15. pii etiam in hac vita dicuntur *lucere ut luminaria in mundo*, quod tamen non fit aequaliter ab omnibus. 3) Quidam addunt, *in ipsius solis splendore animadverti aliquod discrimen, cum in meridie sit clarior respectu nostri quam mane vel vesperi, aestivo tempore efficacior quam hiberno.* 4) Quidam respondent, *Christum loqui non de praemio accidentali sed essentiali*, non illius sed hujus duntaxat respectu justos instar solis dici fulsuros. 5) Quidam monent, *propositionem Christi esse indefinitam sine signo universali positam.*
6) Quidam addunt, *particulam sicut multis in locis* XX. 466.

non ἰσότητα, sed ὁμοιότητα, id est convenientiam non in quantitate sed in qualitate denotare. 7) Quidam *id, quod assumitur, non esse lucem majorem ea, quam habet sol*, intelligendum monent de *luce corporum in hac corruptibili vita, cum de luce et claritate futurae vitae dictum sit, Oculus non vidit* etc. Sed prima responsio est simplicior reliquis. 4. Exceptio: *Gloria haec corporum est, non animae, ergo hic locus nihil facit ad scopum.* Respondemus: Repetantur ea, quae in observatione 3. 4. et 5. diximus. Claritas corporum erit veluti quaedam resplendescentia ex claritate animae orta. Ergo etiam major claritas corporum praesupponere videtur majorem claritatem animae. Coronidis loco annectimus, quod in eodem capite Dan. 12, v. 13. dicit angelus ad prophetam Danielem: *Stabis in sorte tua in fine dierum.* Unusquisque ergo stabit in sua sorte in fine dierum, patriarchae et prophetae in sua sorte, apostoli in sua sorte, evangelistae in sua sorte, martyres in sua sorte, pastores et doctores in sua sorte; denique fidelium quisque in sua sorte. Eadem omnibus electis continget beatitudo, eadem summi boni fruitio, eadem vita aeterna, distincta tamen erit sors gloriae.

2. 1. Cor. 15, v. 41. Stella differt a stella claritate. 124. 2. 1. Cor. 15, v. 41: *Alia est claritas solis et alia claritas lunae et alia claritas stellarum, stella enim a stella differt in claritate;* v. 42. *sic etiam erit resurrectio mortuorum.* Quo sic inferimus. Quale est discrimen inter claritatem solis, lunae et stellarum, tale quoque discrimen erit in claritate corporum resuscitatorum. Sed inter illa est tale discrimen, ut unius claritas major sit claritate alterius. Ergo etiam inter corpora ad vitam et gloriam resuscitata tale discrimen erit, ut claritas unius major sit claritate alterius. Excipiunt 1) *diversitatem illam ab apostolo statui tantummodo inter corpus, quod in morte deponimus, et quod in resurrectione instaurabitur, non autem concludi aliquid de discrimine corporum beatorum inter sese, statim enim additur, seminatur in corruptione, resurget in incorruptione.* Respondemus: Utrumque docet apostolus, videlicet quod quemadmodum corpora coelestia non solum a terrestribus decore differunt, sed etiam ipsa inter sese decoris ac claritatis gradibus; ita quoque corpora sanctorum ad vitam aeternam resuscitatorum non solum a se ipsis plurimum differant, qualia fuerunt ante resurrectionem, sed etiam ipsa inter sese secundum diversos gradus claritatis, id quod patet, tum ex προτάσει, tum ex ἀποδόσει apostolicae similitudinis. Subordinata igitur non sunt opponenda. In vers. 42. 43. 44. 45. et 50. proprie et principaliter agit apostolus de discrimine inter corpora piorum *in sepultura et in resurrectione*, sed in vers. 41. de resuscitatorum corporum claritate *inter sese* unice tractat, quod hoc argumento evincere possumus: De illorum corporum discrimine apostolus in vers. 41. agit, quibus competit quaedam claritas, vel solis, vel lunae, vel stellarum claritati respondens. Jam vero corporibus, quae in morte deponuntur, nulla ejusmodi claritas competit, sed uti vers. 43. diserte addit apostolus, *seminatur in ignobilitate, resurget tamen in claritate.* Ergo in vers. 41. non agit de corporibus, quae in morte deponimus. 2) *Paulus Philip. 3, v. 21. omnia et singula corpora piorum ex mortuis resuscitata corpori Christi glorificato conformia fore docet. Ergo non potest ex hoc loco colligi, quod alia aliis futura sint clariora.* Respondemus: *σύμμορφα, conformia,* XX. 467
erunt ratione claritatis et aliarum dotium, non autem in gradibus claritatis vel corpori Christi vel etiam inter sese aequalia, unde Theodoretus ad hunc locum annotat, fore ea conformia Christi corpora *οὐ κατὰ πόσον, ἀλλὰ κατὰ ποῖον.* Sicut Christi corpus post resurrectionem non erat amplius animale sed spirituale, glorificatum, impassibile, immortale etc. sic et beatorum corpora post resurrectionem talia erunt, ex eo vero inferri nequit, quod non sint futuri gradus claritatis et gloriae. 3. *Inaequalitas beatitudinis ponitur non in corporum glorificatione, sed in Dei visione, de qua Paulus hoc loco nihil.* Respondemus: Repetantur ea, quae in observatione 3. 4. et 5. sunt dicta. Qui statuunt, non omnes beatos aeque perfecte Deum visuros, sed unum alio perfectius, illi causam hujus inaequalitatis non *in ipso objecto*, quod omnibus commune est, divina scilicet essentia, sed in organo sive *medio*, videlicet *in lumine gloriae* quaerunt. Thomas part. 1. q. 12. artic. 6. Dominicus a Soto 4. sentent. distinct. 49. q. 3. artic. 2. Quidam partim *in lumine gloriae*, partim *in dispositione intellectus*, hoc est ejusdem majori vel minori perfectione statuunt, ut Scotus, Richardus, Cajetanus p. 1. q. 12. artic. 6. quam controversiam nostram non facimus, sed in generali illa thesi, quod futura sit quaedam diversitas gloriae in beatis, acquiescimus.

125. Atque haec sunt dicta *principalia*, quibus conjungimus alia, ex quibus *secundario ac minus principaliter* nostram probamus sententiam. 3. Joh. 14, v. 2. ait Christus: *In domo Patris mei mansiones multae.* Ubi distinctae mansiones, ibi quoque dantur gloriae gradus. Excipiunt, *multas dici mansiones, non tamen diversas, possunt enim esse multas et tamen aequales.* Respondemus: 1) Omnes veteres ex hoc loco inaequalitatem gloriae in beatis colligunt. 2) Quia mansiones *multae*, ideo etiam distinctae, non quidem ratione *vel loci, vel claritatis* in sese, sed *respectu graduum* in claritate. *Dominus humano more de coelestibus loquens, per multitudinem mansionum significavit et amplam coeli capacitatem et gloriae differentiam*, scribit Cyrillus Alexandrinus in commentar. hujus loci. 3) Interpretationem nostram probant dicta hactenus exposita et ab insultibus adversariorum vendicata, illis prius solide respondeant. 4) Est haec domus, in qua multae statuuntur mansiones, non solum domus *hominum beatorum*, sed etiam *angelorum*, imo *ipsius Patris coelestis*, in qua ipse etiam habitat. At num aequalem omnino omnium beatorum et angelorum et ipsius Dei gloriam statuemus?

3. Joh. v. 2. In domo Patris mei mansiones multae

126. 4. Matth. 19, v. 28. Luc. 22, v. 30. dicit Christus ad apostolos: *Amen dico vobis, vos qui* 4. Matt. v. 28.

per *secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius*
so- *hominis in throno gloriae suae, sedebitis et vos super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israël.* Haec sessio non est accipienda in sensu *literali* de sede quadam corporea, sed *mystico* de eximia quadam gloria, quam prae reliquis sanctis in judicio apostoli habebunt, ut latius ostendimus in tractatu de extremo judicio §. 41. Atqui si apostolis eximia et peculiaris quaedam gloria competit, utique non erit omnimoda aequalitas. Excipiunt 1)
88. *comparationem esse non inter ipsos beatos, sed inter Israëlitas infideles, ad quos etiam Judas pertinebat, et apostolos, qui illos fidei et doctrinae suae exemplo damnabunt.* Respondemus: Imo vero, quia peculiari quadam ratione relictis omnibus rebus Christum erant secuti ac majoribus periculis et adversis propter ipsum erant expositi, ideo etiam peculiarem quendam honorem et gloriam Christus ipsis promittit, ut patet ex antegressa quaestione. 2) *Illud ipsum tribui omnibus fidelibus* 1. Cor. 6, v. 3. Apocal. 3, v. 21. Respondemus: Non tamen exclusa honoris praerogativa, quae competit apostolis. Apostoli judicabunt non tantum *exemplo et approbatione sententiae*, ut reliqui sancti, sed etiam *sua doctrina*, quam viva voce et scriptis propagarunt eamque ad sanguinem usque propugnarunt. 3) *Paulum non posse ab hac sessione et dignitate excludi, cum plus ceteris laboraverit* 1. Cor. 15, v. 10. Respondemus: Paulus ut apostoloci muneris ac laboris, ita quoque peculiaris praemii apostolis promissi erit particeps; ac proinde ut per numerum duodenarium non excluditur a collegio apostolorum, ita nec a communione apostolicorum praemiorum. Confer tractatum de extremo judicio §. 15. 4) *Hoc ipsum quidquid erit, non futurum de essentia visionis seu cognitione Dei, de qua sola hic quaeratur.* Respondemus: Imo vero non tantum inaequalitatem respectu visionis beatificae, sed etiam respectu accidentalium praemiorum adversarii negant, ut ex argumentis ipsorum postea apparebit. Nostra quae sit sententia, ex observationibus circa quaestionis statum liquido conspicuum.

th. 127. 5. Matth. 25, v. 21. et 23. *diversitas lucri*
sl- *ex* talento concredito *diversis* compensatur *praemiis.*
in- Excipiunt, *hoc intelligi posse de statu praesentis seculi, in quo, qui fidelis est in paucis et donis Dei recte utitur, ei gratiae augebuntur et plura dona spiritualia conferentur* v. 29. Respondemus: 1) Ex subordinatis non sunt facienda opposita. Qui donis Dei bene utitur, dignus efficitur, ut super plura constituatur, et donorum spiritualium magis capax quotidie redditur etiam in hoc seculo, sed ex eo inferri nequit, quod non sint illi exspectanda praemia in seculo futuro. 2) Quin potius *pietas habet praemia non tantum praesentis sed etiam futurae vitae*, id est praemiorum non solum in hac sed etiam in futura vita 1. Timoth. 4, v. 8. 3) Ac Paulus diserte scribit, *qui parce seminat, eum quoque parce messurum* 2. Cor. 9, v. 6. Jam vero seculum praesens est *tempus sementis*, seculum futurum est *tempus messis* Matth. 13, v. 39. Gal. 6, v. 9. Ergo etiam in futuro seculo quidam parcam, quidam vero largam habebunt messem. Certe qui in erogandis eleemosynis liberales sunt, non tantum in hac vita, sed etiam in futura bonis spiritualibus et coelestibus abundabunt, teste tota Scriptura. 4) Id ipsum colligitur ex ipsa Christi parabola. Dicuntur enim servi, qui talentis sibi concreditis lucrati fuerant, praemia sua recepturi, quando post longi temporis decursum redibit ipsorum dominus et *rationem cum ipsis conferet* v. 19. Jam vero constat, in novissimo die reditum Christi ad judicium exspectandum. Jubentur fideles servi *intrare in gaudium Domini sui* v. 21. et 23. Jam vero per actualem et plenam vitae aeternae possessionem in gaudium Domini demum introducimur. Quinimo *scopus* ut et *antecedentia et consequentia* evidenter testantur, Christum de retributione in die novissimo demum exspectanda prima- XX. 469.
rio ac praecipue hic agere.

128. 2. *Ex rationibus.* 1. *Ex promissa operum* 2 Ex rationibus.
retributione. Christus dicitur in extremo judicio unicuique *redditurus secundum opera* Matth. 16, v. 27. Rom. 2, v. 6. 2. Corinth. 5, v. 10. Apoc. 22, v. 12. Jam vero operum et laborum, ut et passionum gradus sunt diversi, diversa igitur etiam praemia. Excipiunt, *dicta haec generaliter accipi posse de gloria justorum et damnatione injustorum. Qui enim bona fecerunt, hereditabunt vitam, qui vero mala, damnationem aeternam*, Matth. 25, v. 35. et 42. Rom. 2, v. 9. Respondemus: Vera est haec explicatio, sed non plena. Christus enim non solum ex operum testimonio de cujusque fide vel infidelitate judicium feret, sed etiam cujusque pii opera et labores ex gratuita misericordia juxta suam promissionem abundantissime compensabit, ea quidem ratione, ut qui *parce seminavit, parce etiam metat*, et qui *largiter seminavit, largiter etiam metat*, id quod evidenter colligitur ex loco apostolico 1. Corinth. 3, v. 8: *Unusquisque propriam suam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Certe si quilibet in futuro seculo mercedem accipiet *secundum suum laborem*, consequens est, cum labor sit diversus, etiam diversam fore mercedem sive gloriam. Nec potest obverti *de praemio essentiali, de ipsa scilicet vita aeterna piis bene operantibus promissa, sermonem esse, non autem de praemiorum accidentalium diversitate.* Nam Paulus hic non confert pios et impios, ut illis quidem vitam, his vero mortem aeternam pro diversitate operum tribuat, sed ipsos pios doctores inter se confert. *Ego*, inquit, *plantavi, Apollo rigavit* v. 6. *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* v. 8. *Dei enim sumus adjutores* v. 9. De tali igitur praemio loquitur, quod juxta cujusque peculiarem laborem peculiariter et singulariter cuique pio tribuetur, prout scilicet cujusque major vel minor fuerit in ecclesia labor, majores vel minores passiones. 2) *Ex oppositione.* Erunt gradus poenarum infernalium. Ergo etiam praemiorum coelestium. Antecedens confirmavimus in tractat. de inferno §. 75. Excipiunt,

argumenta a contrariis probabilem duntaxat, non necessariam habere consequentiam. Non enim sequitur: homo potest se ipsum occidere, ergo etiam vivificare. Addunt, *esse disparem rationem, quia malis operibus meremur poenam, sed bonis operibus non possumus promereri vitam aeternam.* Respondemus: Haec recte opponuntur Pontificiis, qui ex operum meritis diversitatem gloriae probant, nequaquam vero nostrae adversantur sententiae, qui ex gratuita Dei promissione operum retributionem deducimus. Disparitas ergo in eo est, quod pii non possint vitam aeternam bonis suis operibus promereri, sicut impii damnationem malis suis operibus fuere promeriti, interim convenientia manet in eo, quod quemadmodum in una et eadem damnatione sint diversi gradus poenarum, ita in una eademque beatitudine sint diversi gradus praemiorum. 3) *Ex Dei promissione.* Deus misericors, verax et justus promisit, quod majora redditurus sit praemia illis, qui in hac vita plus laborarunt ac plura propter ipsum sustinuerunt. Ergo hoc infallibiliter sequetur. Excipiunt, *negare hoc Christum in parabola* Matth. 20, v. 10. *ubi singuli operarii eundem accipiunt denariun; negare hoc apostolum* Roman. 8, v. 18.
XX. 470. *ubi passiones hujus vitae asserit non esse dignas futura gloria,* et 2. Tim. 4, v. 8. *ubi non peculiarem aliquam justitiae coronam sibi tribuit, quamvis plus ceteris laboraverit* 1. Corinth. 15, v. 10. *sed omnibus Christi adventum diligentibus secum communem.* Respondemus: Haec omnia recte probant, praemium *essentiale* sive ipsam vitam aeternam beatis omnibus fore communem; probant etiam, diversitatis illius in praemio *accidentali* fundamentum non esse quaerendum in meritoria operum nostrorum dignitate, relinquitur interim, quod Deus ex gratia diversa piorum opera diversis praemiis sit remuneraturus. 4) *Ex nostra cum angelis conformatione.* Beati in vita aeterna erunt *ἰσάγγελοι.* Jam vero inter angelos sunt certi ordines et gradus. Excipiunt, *similitudinem illam non esse extendendam ultra scopum, qui duntaxat in eo consistit, quod usus conjugii in vita aeterna non sit amplius habiturus locum.* Respondemus: Christus *in genere* pronuntiat, beatos fore *ἰσαγγέλους,* quod non tantum respectu conjugii ac generationis desiturae, sed in genere de proprietatibus corporum spiritualium accipiendum, ut apparet ex 1. Corinth. 15, v. 44. Quare cum ipsa Scriptura diversitatem gloriae in beatis statuat, ut ostendimus, ideo non progredimur extra Christi scopum, si hac quoque in parte beatis *ἰσαγγελότητα* tribuamus. Petrus Martyr excipit, *hoc quidem tempore esse inter angelos gradus et ordines, quoniam Deus eorum ministerio ad orbem et ecclesiam regendam utitur, sed in fine mundi principatus et potestates esse abolendas* 1. Cor. 15, v. 24. Respondemus: Per illos *principatus, potestates et virtutes* non boni sed mali angeli, adeoque omnes regni Christi hostes intelliguntur, ut apparet ex contextu, *αἰτιολογικῶς* enim subjungitur, *oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis.* Sensus igitur est, *cum aboleverit omnem potestatem*, id est cum subjecerit sibi omnes hostes, abolita eorum potentia, videlicet Satanae, mundi, peccati et mortis. Potest etiam accipi *de imperiis humanis*, quae in die novissimo abolenda esse constat ex Dan. 2, v. 44. Ministeria angelorum cessabunt quidem in futura vita, non autem diversitas donorum habitualium ac distinctio graduum, alias quidam angeli redderentur deterioris conditionis, quam fuere durante hujus seculi statu. Est et haec Martyris exceptio: *Qui ponunt diversos ordines in angelis, eos volunt inter sese specie ac fortassis proximo genere differre, quod non potest de hominibus beatis, vel de spiritibus nostris affirmari. Quare similitudo inter nos et angelos quoad omnia minime quadrat, nam tunc sumendi essent angeli omnes ejusdem speciei vel ejusdem ordinis, et statuendum, num omnes parem et aequabilem felicitatem habeant; verum haec ex testimonio sacrarum literarum nullus definire potest.* Respondemus: Quamvis in hac vita exacte definiri non possit, qui et quales sint angelorum ordines, illud tamen ex Scripturis certum est, quod sint certi angelorum ordines et gradus, atque hoc ad confirmationem nostrae sententiae nobis sufficit. Angelos inter sese *specie* differre, cum omnes sint *λειτουργικὰ πνεύματα* Hebr. 1, v. 14. est *μέγα λίαν αἴτημα.* 5) *Ex seria ad studium pietatis et patientiam exhortatione,* quae ex hypothesi de praemiorum amplitudine ac diversitate peti potest. Excipiunt, *verum calcar ad pietatis studium esse Dei mandatum et promissionem ineffabilis beatitudinis, quibus qui non movetur, nae ille parum incitabitur illa praemiorum differentia.* Respondemus: Subordinata non pugnant. Sicut *pietas promissionem habet* non modo *praesentis* sed etiam
futurae vitae, ita quoque promissionem habet non XX. 47
tantum *beatitudinis essentialis*, sed etiam *accidentalium praemiorum* in vita aeterna.

129. 3. *Ex patrum dictis.* Illorum consensum nobis 3. Ex d
largitur Petrus Martyr, sic enim scribit dicto loco: *De* patrum
patribus fatemur ingenue, quod praemiorum discrimina statuerint. Ostendit hoc res ipsa. Chrysostomus homil. 41. in 1. Corinth. *τί τοίνυν ἐντεῦθεν καταμανθάνομεν; ὅτι καὶ ἐν βασιλείᾳ πάντες, οὐ πάντες τῶν αὐτῶν ἀπολαύσονται. Quid ergo hinc discimus?* (quando apostolus dicit, *alia claritas solis, alia lunae* etc.) *Quod etsi omnes sint in regno, non omnes tamen eadem consequentur et iisdem fruentur.* Ambrosius in commentar. Luc. 6: *Sicut incrementa virtutum, ita etiam incrementa sunt praemiorum.* Augustinus in enchirid. cap. 111: *In beatitudine electi alius alio praestabilius, in miseria vero damnati alius alio tolerabilius permanebit.* lib. ejusd. cap. 113: *Manebit communiter omnium vita aeterna sanctorum, quamlibet bonorum distantia concorditer fulgeant.* libr. de s. virginitat. cap. 26: *Ipsa vita aeterna erit pariter omnibus sanctis, aequalis denarius omnibus attributus est. Quia vero in ipsa vita aeterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multae sunt mansiones apud Patrem, ac per hoc in denario quidem non impari non vivet alius alio prolixius.* libr. 22. de

civitat. Dei cap. 30: *Qui futuri sint pro meritis praemiorum etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? quod tamen futuri sint, non est ambigendum. Atque id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus invidebit, sicut nunc non invident archangelis angeli ceteri; sic enim habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.* in enarratione Psalm. 150: *Habebunt etiam tunc sancti differentias suas consonantes non dissonantes, id est consentientes non dissentientes, sicut concentus suavissimus fit ex diversis quidem, sed non inter se adversis sonis. Stella enim differt a stella claritate, sic et resurrectio mortuorum.* serm. 143. de temp.: *Sanctorum corporibus promissa est claritas et diversa species claritatis. Nempe unusquisque stabit in sorte sua, patriarchae et prophetae in sorte sua, apostoli in sua sorte, evangelistae in sua sorte, pastores et doctores in sua sorte, alii denique fideles in sua sorte.* serm. 191. de temp.: *Unam credimus esse sanctorum vitam omnium, sed praemia pro labore diversa et e contrario pro modo delictorum peccatorum quoque esse supplicia.* Eucherius Lugdun. homil. in natali unius confess.: *Qui plus laboraverit, plus mercedis accipiet. Stella enim, ut apostolus ait, differt a stella in claritate. Quamvis igitur omnes beati erunt, non tamen omnes aequales erunt, quod quidem in eo significatur, quod alii supra decem, alii supra quinque civitates constituti dicuntur.* Prosper libr. 1. de vita contemplat. cap. 4: *Quicunque ibi erunt, etsi differentibus meritis ab invicem distabunt, omnes tamen una perfectione beati erunt, quia singulis praemia sua sufficientia erunt et capere amplius praemiis suis jam perfecti non poterunt. Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos aequaliter habet, quamvis singuli cibum non aequaliter, sed pro possibilitate perceperint; ita omnes sancti, etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt, quia et una perfectione beati futuri sunt. Ceterum in illa tantae beatitudinis regione nec majoris meriti aliquid sibi quisque arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit, nec su-*
72. *periori inferior invidebit, quia ibi invidus nullus esse poterit, et ideo etsi ibi erit distantia mansionum, summa in illis erit unius perfectionis aequalitas, quibus erit regni coelestis una felicitas.* Fulgentius de fide ad Petrum cap. 28. pag. 479: *Diversa erit sanctorum gloria, sed una erit omnium vita aeterna.* Gregorius libr. 4. moralium cap. 31. (in quibusdam exemplaribus est cap. 42.): *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul dubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transscendat. Unde in evangelio veritas dicit: In domo Patris mei mansiones multae sunt. Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diversitas concors, quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, ut quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exsultet. Unde et non aeque laborantes in vinea aeque cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multae sunt, et tamen eundem denarium dispares laboratores accipiunt, quia una cunctis erit beatitudo laetitiae, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitae.* homil. 16. in Ezech.: *In retributione ultima, quamvis eadem dignitas omnibus non sit una, erit tamen omnibus vita beatitudinis, unde per semet ipsum Dominus dicit: In domo Patris mei mansiones multae sunt. Sed tamen qui in eam ducti sunt, quamvis diversis horis venerint, unum denarium perceperint. Qua itaque ratione conveniant mansiones multae cum uno denario, nisi quia diversae quidem beatorum civium dignitates erunt, sed tamen una requies aeternae retributionis? Nam etsi dispar erit meritum singulorum, non erit diversitas gaudiorum, quia etsi alter minus atque alius amplius exsultat, omnes tamen unum gaudium de conditoris sui visione laetificat.* Rabanus lib. 3. in Exodum cap. 11: *Corona aurea mensae Domini pura et non interrasilis esset, si claritas futurae retributionis justorum aequalis omnibus panderetur, instar videlicet hujus mundi solis, cujus splendorem Deus indifferenter super bonos et malos facit oriri. At quia sicut stella differt a stella in claritate; ita erit et resurrectio mortuorum, corona mensae Domini variis distincta scripturis, sed competenter ordinatis apposita est. Una etenim vita futura omnibus est promissa justis, sed multiformis in illa pro diversitate meritorum gloria est singulorum.* (Quo sensu in his et aliis ejusmodi dictis meriti voce ecclesiastici scriptores utantur, late exposuimus in tractat. de bonis operib. §. 124.) Patrum dictis conjungi potest veterum *rabbinorum traditio*, quam commemorat Galatinus lib. 12. de arcanis cap. 6. p. 603. ex midras thillim super illud Psalm. 11. Recti videbunt faciem ejus, ubi sic dicitur: *Sermo alius, videbunt faciem ejus. Hi sunt justi, de quibus dictum est Dan. 12: Et intelligentes splendebunt sicut splendor coeli. Futurum siquidem est, ut facies justorum fulgeant tanquam sol, tanquam luna, tanquam coelum, tanquam stellae, tanquam fulgura, tanquam lilia, tanquam lampades. Tanquam sol, sicut dictum est Judic. 5: Sicut egressus solis in fortitudine sua; tanquam luna, sicut dictum est Psalm. 85: Sicut luna praeparata in aeternum; tanquam coeli, sicut dictum est Dan. 12: Velut splendor coeli; tanquam stellae, sicut dictum est Dan. 12: Et justi splendescent ut stellae; tanquam fulgura, sicut dictum est Nahum. 2: Ut fulgura discurrent; tanquam lilia, sicut dictum est in Psalm. 45: Victori super liliis; tanquam lampades, sicut dictum est Nahum. 2: Visio eorum tanquam lampadum. Prima diversitas est eorum, qui ante faciem regis habitant et intuentur regem et faciem ejus, sicut dictum est: Habitabunt recti coram facie tua, et dictum quoque* IX. 473.
est: Recti videbunt faciem ejus; secunda diversitas est eorum, de quibus dicunt: Beati, qui habitant in domo tua; tertia eorum, de quibus ajunt: Quis adscendet in montem Dei? Quarta, de quibus dicitur:

Beatus quem elegisti et appropinquasti; quinta, de quibus dicitur: Deus, quis hospitabitur in tabernaculo tuo? sexta, de quibus dicitur: Quis habitabit in monte sancto tuo? septima, de quibus dicitur: Et quis surget in loco sancto ejus? Quaelibet autem harum diversitatum habet mansionem per se in paradiso deliciarum, et e contra septem quoque habentur mansiones in gehenna pro impiis etc. Confer Lutherum tom. 3. Jen. germ. p. 318. tom. 6. p. 255. tom. 8. p. 193.

4. ex adversariorum suffragiis.

130. 4. *Ex adversariorum suffragiis.* Calvinus lib. 3. institut. cap. 25. §. 10: *Quod Scripturae docent, ab omni controversia exemptum apud nos esse debet, nempe sicut varie Deus sua dona sanctis in hoc mundo distribuens eos inaequaliter irradiat, ita non fore aequalem gloriae modum in coelis, ubi dona sua coronabit Deus.* §. 11. adductis ad hoc probandum Scripturae testimoniis subjungit: *Quemadmodum autem hoc uno consensu recipient omnes pii, quia verbo Dei satis testatum est; sic rursus spinosis quaestionibus, quas sibi obstaculo esse cognoscent, valere jussis, metas sibi propositas non transsilient.* Ipse Petrus Martyr, qui primus nostro tempore a communi consensu recessit, non solum dubius est, sed etiam ex parte nostram confirmat sententiam, quando d. l. pag. 736. sic scribit: *Non inficiamur, posse facile fieri, ut cum cogitaverint sancti, Deum per se plura edidisse facinora, eademque praeclara, plus oblectationis et gaudii fortassis inde concipiant quam alii, qui tot ac tanta per se gesta esse non possunt secum repetere.* Bucanus in instit. loc. 39. pag. 448: *Gloria vitae aeternae non erit aquali mensura omnibus electis communis, sed sicut Deus sua dona electis in hac vita inaequaliter communicat; sic inaequali gloriae modo in coelis illa dona sua in electis coronabit.* Polanus in syntagm. lib. 6. cap. 75. p. 519: *Gloriae, honoris, splendoris et claritatis in vita aeterna erunt gradus.* Thom. Mortonus apol. cathol. part. 1. cap. 36. pag. 134: *Ex inaequalitate sanctificationis necessario inaequalis sanctorum dignitas coelestis efficitur, non quidem ex merito operantis, sed ex benignitate miserentis, qui coronat munera sua et gratiam pro gratia, h. e. gratiam beatitudinis juxta analogiam gratiae sanctificationis, misericorditer remunerabit.* Piscator in notis ad 1. Cor. 15, v. 42. ac doctrina 10. istius cap.: *Claritas sanctorum habebit distinctos gradus.* Idem vol. 1. loco 21. th. 48: *Gloriae coelestis, qua beati ornabuntur, gradus quosdam fore statuimus, sicut etiam fuerunt gradus donorum in hac vita, et erunt gradus cruciatuum in damnatis.* Alstedius in theol. didact. sect. 4. cap. 41. p. 851: *Quaeritur de gradibus gloriae et gaudii, an non illi futuri sint in ista beatitudine? affirmandum hoc est* ex Dan. 12, v. 3. Joh. 14, v. 2. et 1. Cor. 15, v. 41. et 42. *eadem tamen erit omnium beatitudo, eaedem amoenitates Dei* Psalm. 16, v. 11. Scharpius professor Diensis in cursu theologico loco 22. col. 1180: *Quaeritur, an omnium glorificandorum par et aequalis sit futura gloria? Respondetur, non, idque* 1) *quia Deus coronabit sua dona in suis, prout in singulis sunt, at sunt in singulis inaequaliter* Matth. 5, v. 19. cap. 13, v. 8. cap. 25, v. 4. 2) *Scriptura docet, eos, qui alios instruunt, gloria aliis praeituros* Dan. 12, v. 3. 3) XX. 41 *Apostoli dicuntur habituri singularem gloriae gradum* Matth. 19, v. 28. 4) *In inferno erunt diversi gradus poenarum* Matth. 11, v. 22. 5) *In gloria futura erimus instar angelorum* Matth. 22, v. 30. *at angelorum sunt gradus.* 6) *Paulus peculiarem coronam sibi repositam esse testatur* 1. Thess. 2, v. 19. 7) *Haec et ejusmodi loca idem docent* Matth. 20, v. 27. 1. Cor. 15, v. 41. 2. Cor. 9, v. 6. Postea respondet argumentis in contrarium adductis. Similia apud Bezam part. 1. quaest. p. 675. Danaeum isagog. part. 4. lib. 6. cap. 8. Sohnium tom. 1. oper. p. 268. et alios occurrunt.

Argu[menta] Ma[rtyris] pro [negan]te qu[aestio]nis ne[gante]. 1. Mat[th. 20,] v. 13. [murmu]rantib[us in] vinea datur [dena]rius.

131. Argumenta Petri Martyris pro negante quaestionis parte adducta haec sunt: 1. Matth. 20, v. 13. *his, qui laborarunt in vinea vario ac dispari labore, datur aequabiliter denarius, et murmurantibus paterfamilias obstat et juste se facere ostendit, neque se excusat distinctione praemii substantialis et accidentalis.* Respondemus: verum hujus parabolae scopum et sensum late exposuimus in tract. de bonis operibus §. 114. ex quo unicum illud hoc loco repetimus, per *denarium* speculariter ac directe non posse intelligi vel essentiale vel accidentale praemium vitae aeternae, alias enim consequens foret, etiam murmurantibus contra Deum vitam aeternam obtingere; pios per integrum diem laborantes majus aliquod praemium suorum operum postulare, quam est vita aeterna; vitam aeternam dari iis, qui non sunt electi, iidem enim in hac parabola sunt *primi*, qui *non electi*, ut ex epiphonemate subjecto colligitur. In genere igitur praemia laborantibus in vinea Domini promissa hic intelliguntur, sive ea sint temporalia, sive aeterna, eademque omnia ex gratia dari, non autem meritis operum reddi docetur, in quo parabolae scopo unice subsistendum. Augustinus in lib. de virg. cap. 26. sic respondet: *Ipsa vita aeterna pariter erit omnibus sanctis. Aequalis enim denarius omnibus est attributus, ac per hoc in denario quidem non impare non vivet alius alio prolixius. Quia vero in ipsa vita aeterna distincte fulgebunt lumina meritorum, mansiones multae sunt apud Patrem, in quibus honoratur alius alio clarius.*

2. 1. C[or. 15,] v. 28. erit o[mnia] in om[ni]bus.

2. 1. Cor. 15, v. 28: *Deus erit omnia in omnibus. Ergo ut objectiva, ita quoque formalis, ut essentialis, ita accidentalis beatitudo sanctorum erit eadem.* Respondemus: *objectivam* et *essentialem* beatitudinem eandem fore concedimus, *de accidentali* ex dicto apostolico idem probari nequit. Sicut enim in hac vita Deus *operatur omnia in omnibus* 1. Corinth. 12, v. 11. Ephes. 1, v. 11. non tamen aequali gradu, cum in quibusdam et per quosdam plura et majora, in quibusdam et per quosdam pauciora et minora operetur; sic in vita aeterna Deus *erit omnia in omnibus*, ut tamen quibusdam majorem, quibusdam vero minorem claritatem impertiatur. Sicut Deus in vita aeterna ita erit omnia in omnibus,

ut tamen sua capiti Christo eminentia maneat salva, sic etiam inter membra corporis Christi mystici sive ecclesiae triumphantis gloriae diversitas nihilo minus permanebit, id quod in illo ipso capite disertis verbis docet apostolus. 3. Matth. 13, v. 43. *omnes justi dicuntur fulsuri sicut sol in conspectu Dei. At nulla est major lux ea, qua sol praeditus est, et nemo, nisi justus fuerit, regnum coelorum ingredietur; habebunt itaque omnes splendorem solis, id est aeque summam gloriam.* Responsio petatur ex §. 123. proximo. 4. Matth. 22, v. 30. *Omnes beati erunt ut angeli. Ergo aequali gloria praediti, alias Christus ulterius progressus fuisset et varia discrimina beatorum constituisset.* Respondemus: invertimus argumentum, ut videre est ex §. 128. antecedente. Christo hic non erat propositum de gradibus gloriae *in specie*, sed de qualitatibus corporum ad vitam aeternam resuscitatorum *in genere* agere. 5. *Ex causae remotione. Quod in hac vita inter sanctos variae sint differentiae, propter carnem accidit, quam circumferunt, cui prout aliqui magis minusve sunt addicti, magis aut minus in regeneratione proficiunt; sed in patria cum omnis labes carnis exclusa fuerit, perfecti erimus, neque causa erit, cur unus magis quam alius a praesentis boni participatione impediatur.* Respondemus: repetantur ea, quae dicta sunt in observ. 5. Bona ἀφαιρετικά omnibus beatis aequaliter erunt communia, omnes enim ex aequo erunt a labe carnis et omnibus peccati consequentibus perfecte liberi; sed bona θετικά accessoria dispares in beatis obtinebunt gradus, ea enim non ex abolitione malorum, sed ex gratuita Dei remuneratione immediate et proxime oriuntur. 6. *Ex communis praemii promissione. Christus promisit apostolis* Matth. 19, v. 28. *quod sessuri super sedes duodecim et judicaturi tribus Israël. Ab hoc praemio non est excludendus Paulus, qui plus ceteris laboravit* 1. Cor. 15, v. 10. *quin imo omnes sancti dicuntur mundum judicaturi* 1. Cor. 6, v. 3. Responsio patet ex §. 126. 7. *Ex operum et passionum nostrarum conditione. Passiones hujus temporis non sunt dignae ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* Rom. 8, v. 18. *Quodsi Deus in attribuenda vita aeterna dignitatem nostrorum operum non respicit, undenam eliciemus istos praemiorum gradus? Ex mera Dei liberalitate felicitatem adipiscemur, ideo ab ejus misericordia petendum esset praemiorum discrimen, non a nostris operibus.* Respondemus: nec essentialis, nec accidentalis beatitudo *ex merito operum* obtingit, ut ex loco apostolico manifeste constat, interim ex eo inferri nequit, eandem per omnia essentialis et accidentalis beatitudinis esse rationem, illa enim est gratuitum Dei donum in Christo et fide credentibus obtingit, haec pro ratione laborum ac passionum gradibus variat, non ex merito sed ex liberali Dei promisso, in mercede enim hic spectatur *non dignitas operis*, quod compensatur, *sed sequela.*

132. Hisce argumentis Petri Martyris addit Schoenfeldius duo alia, quorum prius ductum *ex sufficiente enumeratione. Disparitas beatitudinis in nulla ejus parte e Scripturis ostendi potest; 1. nec in unione cum Deo, 2. nec in visione Dei, 3. nec in dilectione, justitia et laetitia, 4. nec in clarificatione corporum, 5. nec in domicilio, 6. nec in sanctorum consortio, 7. neque in gloria. Ergo nulla erit inaequalitas, sed omnes pariter erimus beati.* Respondemus: si vel maxime exacte non possemus definire, qua in re diversitas illa sit statuenda, tamen res ipsa propterea non esset neganda, cum perspicuis Scripturae dictis fuerit demonstrata. Repetantur ea, quae de vero quaestionis statu adduximus superius §. 120. Posterius *ex causae conditione. Beatitudo aeterna secundum omnes suas partes dependet ex Christi passione et merito nobis imputato, et nulla ejus particula ex operum mortuorum merito dependet. Atqui passio Christi aequaliter pro omnibus electis facta. Nec enim plus pro Petro quam pro latrone passus est, et sanguis ejus aeque pro latrone ac Petro est effusus, meritumque ejus aequaliter omnibus credentibus imputatur, et aequaliter justificantur, quotquot justificantur. Ergo aequalis erit omnium electorum beatitudo.* Respondemus: 1. concedimus, imo contra Pontificios magno conatu adstruimus, beatitudinem dependere ex Christi passione et merito nobis imputato et nullam ejus particulam ex operum nostrorum merito dependere, sed ex eo nondum inferri potest, aequalem fore omnium beatorum gloriam. 2. Distinguendum enim inter ipsam vitam aeternam, quam vocant *beatitudinem essentialem*, et inter praemia in vita aeterna beatis distribuenda, quae *beatitudinis accidentalis* nomine veniunt. Illa omnibus sanctis erit communis, haec vero pro ratione laborum ac passionum erunt gradibus distincta. 3. In articulo *justificationis ac regenerationis* proprie sic dictae omnes pii sunt aequales, sed in articulo *renovationis* magnum inter ipsos est discrimen, in quibusdam enim renovatio major, in quibusdam minor. Scholastici distinguunt inter *gratiam gratum facientem et gratias gratis datas*, quae distinctio quomodo commode explicari et applicari possit, in articulo de justificatione fuit monstratum. 4. Quamvis in distributione praemiorum accidentalium Deus respectum habeat ad antegressos labores et passiones ac pro eorum diversitate etiam diversa (*non specie, sed gradibus*) distribuat praemia; tamen illa ipsa non propter operum nostrorum merita, sed ex liberali benignitate vi gratuitae suae promissionis distribuit. Aliud enim est reddere unicuique *secundum opera*, aliud vero *propter opera* tanquam merita. 5. Quod *pro omnibus electis* Christus dicitur mortuus, id juxta Scripturae doctrinam ac stylum sic corrigendum, quod *pro omnibus hominibus* sit mortuus, quamvis fructus mortis ad solos electos redeat, reliquis propria culpa exclusis.

[Marginalia: 1. ex sufficiente enumeratione. — XX. 476. 2. ex causae conditione.]

133. 2. *In specie* de bonis vitae aeternae 1. *internis*, et quidem 1. *totius compositi*, inter quae primo loco occurrit *beatifica Dei visio*, de qua quaeritur, 1. *An beati clare et intuitive ipsam Dei essentiam sint visuri?* Negant hoc 1) *Armeni* et quidam re-

[Marginalia: Quaestiones speciales. I. de Dei visione. Quaestio I. An beati clare et intuitive Dei]

essentiam sint visuri.

centiores *Graeci* apud Armachanum lib. 14. quaestionum contra Armenos, qui asserunt, *beatos in coelo non videre divinam essentiam immediate, sed fulgorem quendam ab ea emanantem.* 2) *Quidam ex patribus.* Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius ac Theophylactus, itemque Alcuinus lib. 2. de Trinit. cap. 16. videntur negare, *divinam essentiam ab angelis aut beatis hominibus videri posse*, quorum tamen dicta recentiores conantur variis modis excusare, quod scilicet loquantur vel *de visione comprehensiva*, vel *de visione corporali*, vel *de visione in hac vita mortali*, vel *de visione naturali per solas naturae vires facta.* 3) *Quidam ex Calvinianis.* Herm. Hamelmannus ann. 1585. libellum edidit, in quo demonstrat, *quomodo Sacramentarii gaudia*
XX. 477. *vitae aeternae extenuent, obscurent vel plane in nihilum redigant*, in quo p. 1. sic scribit: *Est congestus et Bremae, sicut ex multis argumentis colligo, conscriptus trinus tractatus Latine sub ficto nomine Petri Warenburgii de Altenkirchen et editus Neapoli ab impuro et diffamatore typographo Matthia Harnisch, in cujus secundo tractatu audet dicere et scribere iste Warenburgius, quod sancti in vita aeterna Deum non in se et sicuti est sint visuri re vera et re ipsa.* Budowizius, baro Bohemus, horologio pag. 1: *Etiam in futura in coelis vita neque homines, neque angelos capaces fore puto ad perfecte cognoscendum, qualis Deus sit in sua essentia.* Budowizii patrocinium suscepit Julianus Poniatovius, nobilis Polonus, in dissertatione theol. de hac quaestione edita, sed utrumque erudite et sufficienter repulit nobilissimus theolog. Hoë, fautor et amicus noster singularis, in epist. ad Budowit. et in dissert. Antiponiatoviana. 4) *Photiniani.* Schmaltzius in exam. 157. errorum err. 129. p. 35: *In coelo essentiam Dei videri posse, nondum constat inter theologos.*

134. Antequam vero affirmantem probemus, notandum est, 1. varias esse divinae visionis *species sive modos*, quos aliqui ad quatuor potissimum capita revocari posse censent. Prima visio est *naturalis*, eaque vel ἔμφυτος, *implantata*, ex notitiis naturalibus, vel ἐπίκτητος, *acquisita*, ex creaturarum inspectione hausta; altera est *specularis*, quae fit per externas apparitiones, quales olim contigerunt prophetis; tertia est *fidelis*, quae oritur ex revelatione verbi; et quarta *coelestis*, quae continget in vita altera. Bonaventura 2. sent. dist. 23. art. 2. q. 3. et post eum clarius Biel lib. et distinct. iisd. q. un. art. 3. dub 2: *Modus cognoscendi Deum est quadruplex, scilicet per fidem, per contemplationem, per apparitionem et per apertam visionem. Primus est gratiae communis, secundus gratiae excellentis, tertius gratiae specialis, quartus gloriae consummantis. Distinguuntur autem illi modi secundum diversum modum divinae praesentiae, secundum quod praesens est in ratione objecti, videlicet praesens intellectui ad videndum. Nam in primo praesens est Deus aliis, quibus se revelavit, quorum auctoritati credimus. Quod enim credo, Deum esse trinum et unum, hoc credo Dei Filio, qui hoc enarravit et praedicavit, et Spiritui sancto, qui hoc patribus inspiravit, quod enim credimus, hoc auctoritati debemus. In secundo modo est praesens in effectu proprio, qui modus tanto est eminentior, quanto effectum divinae gratiae magis sentit in se homo, vel etiam quanto melius scit considerare Deum in exterioribus creaturis. In tertio est praesens in signo proprio, sicut apparuit Abrahae in subjecta creatura, quae ipsum Deum figurabat, et sicut Spiritus sanctus apparuit in columba et in linguis igneis dispertitis. In quarto est praesens in se ipso, quo videtur in lumine proprio, quia facie ad faciem in vultu suo, quae visio est merces omnium beatorum.* Potest etiam visio Dei sic distingui, quod quaedam fiat *in lumine naturae*, quaedam *in lumine gratiae*, quaedam *in lumine gloriae.* Apostolus 1. Cor. 13, v. 12. per duas species ἀντιδιῃρημένως sibi invicem oppositas visionem Dei sic distinguit, quod una sit *hujus vitae propria*, quam vocat *specularem*, qua nunc per speculum in aenigmate videmus; alteram *intuitivam*, qua tunc a facie ad faciem videbimus. Speculum illud statui potest triplex: 1) *ipsa natura seu res creatae*, in quibus quidam quasi fulgor divinitatis relucet Rom. 1, v. 20. quo sensu veteres
accipiunt dictum Job. 36, v. 25: *Omnes homines vi-* XI. 4
dent eum, unusquisque intuetur procul Deum; procul intueri, inquiunt, *est eum intueri in suo opere, quod procul abest a Dei perfectione;* 2) *symbola, figurae et imagines externae*, in quibus divina majestas sanctis se quandoque patefecit, Gen. 32, v. 30. Exod. 33, v. 23. 1. Reg. 22, v. 19. Esa. 6, v. 3. etc. 3) *verbum revelatum*, per quod Spiritus sanctus mentes hominum salutari Dei cognitione illustrat, ad quod etiam pertinent *sacramenta*, quae sunt verbum ὁρατόν sive visibile. Per hanc specularem Dei cognitionem tantum ἐκ μέρους, *ex parte, cognoscimus*, sed in vita aeterna succedet perfecta et intuitiva Dei cognitio, qua Deum *sicut in se est*, h. e. ipsam divinam essentiam, immediate et sine involucro quodam externo cognoscemus. Si quaeras, quo pertineat *visio humanitatis Christi*, an ad *specularem* hujus vitae, an vero *ad intuitivam* vitae alterius, respondemus, ad utramque, sed diverso respectu. Quatenus enim Christum in diebus carnis suae in terris obversantem oculis nondum glorificatis homines viderunt et quatenus eundem visibiliter ad judicium venientem in nubibus coeli etiam impii videbunt, eatenus Christi visio non pertinet ad visionem beatificam; quatenus vero beati in vita aeterna oculis glorificatis summa cum delectatione ipsum intuebuntur, eatenus ad posteriorem visionis divinae speciem pertinet. Quando ergo hoc loco quaeritur, *an beati in vita aeterna divinam essentiam sint visuri*, sensus quaestionis est, an praeter visionem specularem, qua Deus in suis operibus creatis, in formis externis ad tempus assumtis et in revelato verbo videtur, ac praeter visionem humanitatis Christi, qua Deum in carne revelatum oculis corporeis videre contingit, detur alius visionis modus, quo ipsam divinam

essentiam *clare, intuitive et immediate* in vita aeterna simus visuri. 2. Non quaeritur de visione *comprehensiva*, an infinita illa et absoluta perfectione Deum simus visuri, qua Deus se ipsum novit (ea enim nec angelis, nec hominibus, sed soli Deo competit), sed de visione *intuitiva et quidditativa*, qua Deus cognoscitur, qualis est. *Anomaei*, quorum antesignani fuerunt *Aëtius et Eunomius*, insigni desipientia fascinati dicebant, *posse Deum a creatura comprehendi, imo se etiam ita perfecte Deum cognovisse, ut Deus se ipsum*, contra quos disputat Chrysostomus dialog. 5. contra Anom. urgens dicta Scripturae Jerem. 32, v. 19. Roman. 11, v. 33. 1. Tim. 6, v. 16. etc. Notandum tamen, *quod comprehensio* duobus modis accipiatur: primo *pro consecutione alicujus rei, quam quis desiderat*, quo sensu accipitur 1. Cor. 9, v. 24. Philip. 3, v. 12; secundo *pro adaequata rei alicujus cognitione*. Priori significatione beati in vita aeterna Deum comprehendent, unde etiam *comprehensores* a Scholasticis vocantur et *a viatoribus* hujus vitae distinguuntur. Posteriori significatione acceptam comprehensionem Thomas part. 1. q. 12. art. 7. sic definit, *quod per eam cognoscatur res, quantum est cognoscibilis*. Augustinus lib. 12. de civ. Dei cap. 18: *Quidquid scientia comprehenditur, scientis cognitione finitur, quia scilicet cognoscitur secundum totam sui cognoscibilitatem et sic respectu ejus se habet, ac si esset finitum*, ut exponit Biel 3. sent. dist. 14. q. un. art. 3. dub. 2. Hoc sensu beati Deum in vita aeterna non comprehendunt, quia Deus cum sit infinitus, est etiam infinite cognoscibilis. Reliqui Scholastici de compre-
179. hensione sic disputant: Bonaventura 3. sent. dist. 14. q. 2: *Comprehendere dicitur tripliciter: Uno modo idem est quod caritate adhaerere, alio modo idem est quod clare videre et perfecte amare, tertio modo idem est quod terminos rei claudere. Primo modo pii Deum comprehendunt in hac vita, secundo modo in patria, tertio modo solus Deus se ipsum comprehendit*. Occamus q. 12. art. 4. *quintupliciter τὸ comprehendere accipi* docet: *primo modo est videre aliquid visibile, ut nihil ejus lateat, et sic comprehendere est distincte videre; secundo modo est videre aliquid totum et discernere inter ejus partes; tertio modo est videre aliquid visibile perfectissima visione, qua videri potest; quarto modo est cognoscere aliquid sub omnibus praedicatis sibi convenientibus; quinto modo est cognoscere intellectione habente talem proportionem ad alias intellectiones, qualem habet objectum ad alia objecta. Primo modo quidquid videt essentiam, comprehendit eam, quia videt eam distincte, quia non habet partes, quarum aliqua potest latere, aliqua apparere. Secundo modo essentia a nullo comprehenditur, quia non habet partes, inter quas discerni potest. Tertio modo non potest comprehendi nisi ab intellectu suo, quia omni cognitione creata perfectior est visio increata, neque aliqua creatura isto modo comprehendi potest nisi a solo Deo. Quarto modo similiter non potest comprehendi nisi a se ipso, quia ipse solus novit omnia praedicata sibi convenientia. Sic et quinto modo solus comprehendit se ipsum, quia sicut cognitio increata infinite excedit omnem cognitionem creatam, ita objectum increatum infinite excedit omne objectum creatum, et tanta est intellectivitas in intellectu divino, quanta intelligibilitas in divina essentia*. Idem vero Augustinus epist. 112. cap. 8. comprehensionem paulo aliter definit. *Id comprehenditur*, inquit, *quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem*. Juxta hanc comprehensionis definitionem distincte respondendum. Cum enim in Deo tria considerari possint, videlicet primo *essentia, attributa et personae*, secundo *libera decreta et consilia*, tertio *creaturae, quae eminenter sunt in ipso;* de primo consentiunt Scholastici, a beatis illa videri, de secundo itidem, a beatis illa non videri, de tertio vero plurimum variant, ut suo loco ostendimus. Si quaeras, *quomodo beati videntes divinam essentiam et attributa essentialia, non videant libera Dei decreta et consilia, cum tamen ea secundum rem non distinguantur a Dei essentia*, respondent Scholastici, libera Dei decreta et consilia *quoad entitatem* realem esse plane idem cum divina essentia et attributis, interim tamen praeter illam realem entitatem includere aliquid aliud, videlicet tum *liberam terminationem ad hanc vel illam creaturam in particulari* producendam vel gubernandam, tum *respectum rationis ad eandem creaturam*, qui resultat ex eo, quod essentia divina libere ad hanc vel illam creaturam per modum volitionis terminatur; beatos igitur, qui Deum vident, simul videre decreta Dei, quoad realem entitatem, quia sic nihil aliud sunt quam essentia Dei, non tamen videre liberam terminationem et respectum ad creaturas in particulari. Sed arbitramur, hoc homini viatori esse incomprehensibile, quomodo beati videant Dei essentiam et tamen non videant consilia et decreta Dei, quae sunt realiter unum cum divina essentia, cum nihil sit in Deo, quod non sit ipse Deus. 3. Non quaeritur de *visione corporali*, an beati oculis corporeis glorificatis Deum sint visuri, de ea enim quaestione distincte paulo post agemus. 4. Non quaeritur *de visione in*
hac vita mortali. Certum enim est, in hac vita *im-* XX. 480.
mediate, intuitive et beatifice divinam essentiam a nobis non cognosci. Exod. 33, v. 20: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet*. v. 23. *Posteriora sive tergum meum videbis, faciem autem meam videre non poteris*. Esa. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9: *Oculus non vidit, quod Deus praeparavit se diligentibus*. Joh. 1, v. 18: *Deum nemo vidit unquam*. 1. Tim. 6, v. 16: *Quem nullus hominum vidit nec videre potest*. Quidam sane ex veteribus, ut Augustinus lib. 12. de Genes. ad liter. cap. 27. Hugo Victorinus in 2. Cor. q. 34. Abulensis in c. 5. Matth. q. 46. Lyranus in c. 33. Exod. Thomas part. 1. q. 10. art. 10. etc. in eam videntur concedere sententiam, quod Moyses ac Paulus divinam essentiam etiam in hac vita viderint, quia Moysi promiserat Dominus Exod. 33, v. 19: *Ego ostendam tibi omne bonum*, i. e. me ipsum, in quo continetur

omne bonum, ac Paulus de se ipso commemorat 2. Cor. 12, v. 2. *quod raptus fuerit in paradisum et audiverit arcana verba, quae non liceat homini loqui,* ubi et paradisi et ἀῤῥήτων verborum nomine visio divinae essentiae videtur intelligi. Posset etiam addi exemplum Jacobi patriarchae, qui itidem *a facie ad faciem sese Dominum vidisse* asserit Gen. 32, v. 30. et Gideonis, qui angelum Domini, i. e. Filium Dei, in forma humana sibi apparentem *a facie ad faciem vidisse* dicitur Jud. 6, v. 22. Sed dicta in contrarium adducta, quae visionem divinae essentiae hominibus in hac vita denegant, nec possunt aliter quam *de intuitiva divinae cognitione* intelligi, (cum *specularis* per creaturas, per figuras et per verbum multis in hac vita contigerit,) illa inquam dicta cogunt nos, ut hominibus in hac vita claram et intuitivam Dei visionem denegemus ac proinde peculiare aliquod privilegium in Jacobo, Moyse et Paulo non agnoscamus. (Ut silentio interim involvamus argumenta plurima, quae contra illam hypothesin produci possunt, utpote *quod inter divinam essentiam et oculos nondum glorificatos nulla sit proportio; quod divinae essentiae denegentur, quae ad visionem corpoream requiruntur; quod nec angelicos spiritus, nec corpora glorificata in hac vita intueri possimus; quod Israëlitae non potuerint in radiantem Moysis faciem intendere* 2. Cor. 3, v. 7. Exod. 34, v. 34. *quod apostoli non potuerint fulgorem ex Christi transfigurati facie emicantem perferre* Matth. 17, v. 6. *quod Paulus coelestis gloriae fulgore perculsus per triduum videre non potuerit* Act. 9, v. 3. cap. 22, v. 6. etc.) Quod ergo Moysi promittitur, *ostensum ipsi a Deo iri omne bonum,* id diversimode ab interpretibus explicatur. Quidam respondent, *hanc promissionem non in hac, sed in futura demum vita fuisse implendam;* quidam *de manifestatione promissi Messiae in forma humana constituto tempore personaliter assumenda exponunt,* quia in Messia dedit nobis Deus omne suum bonum; quidam *de revelatione divinae voluntatis* accipiunt. *Ostendam tibi omne bonum,* h. e. revelabo tibi bonam et clementem meam voluntatem et quae tibi de me cognitu sunt necessaria, atque ita me tibi conspiciendum praebebo, ut amplissimum meae erga te clementiae exstet argumentum. In Hebraeo est *transire faciam omnem bonitatem meam ante faciem tuam,* cujus complementum sequitur v. 21. et 22: *Ecce est locus apud me, et stabis supra petram, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae et pro-*
XX. 481. *tegam te dextra mea, donec transeam,* ex quo intelligitur, verba haec de manifestatione Messiae, qui est Dei gloria et omne bonum, commodissime intelligi; Pauli raptus et verborum ἀῤῥήτων auditus contigit non *per beatificam divinae essentiae visionem,* sed *per peculiarem revelationem,* ut ipsemet testatur 2. Corinth. 12, v. 7. De phrasi *videre Deum a facie ad faciem* postea dicetur. 5. Non quaeritur *de visione Dei naturali* seu per solas vires naturae facta. Certum enim est, in hac vita post tristissimum protoplastorum lapsum absque verbi revelatione Deum non posse a nobis salutariter recognosci, qualis sit et quomodo erga nos affectus sit 1. Cor. 2, v. 14. ac proinde salutarem et salvificam Dei cognitionem non pendere ex naturalibus hominis viribus, sed unice ex verbo esse petendam, et esse Spiritus sancti donum. Certum et hoc est, visionem beatificam in futura vita non esse vel virium humanarum affectum vel operum nostrorum meritum, sed gratuitum Dei in Christo Salvatore nostro donum. 6. Denique non quaeritur, an absoluta et simplici necessitate Deus ab angelis et hominibus in vita aeterna beatifice videatur. Quemadmodum enim Deus ex mera gratia et libera voluntate angelos et homines creavit ac insuper homines in peccatum prolapsos redemit, per verbum ad ecclesiae consortium vocavit, verbum recipientes ipsique credentes libera bonitate justificavit et sanctificavit; ita quoque libera misericordia et benignitate eosdem beatifica sui visione glorificavit. Sane *in sensu composito* necessarium est, beatos Deum videre, quia si Deum non viderent, beati non essent; sed *in sensu absoluto* necessarium non est, beatos Deum videre, nullam enim involveret contradictionem, beatos nec esse, nec Deum videre.

135. Hisce de vero quaestionis statu praemissis affirmantem quaestionis partem probamus 1. *ex dictis Scripturae,* quae Dei visionem beatis in vita aeterna tribuunt. Job. 19, v. 26: *In carne mea videbo Deum.* Psalm. 16, v. 11: *Saturitas laetitiarum cum vultu tuo.* Psalm. 17, v. 15: *Ego in justitia videbo faciem tuam.* Psalm. 36, v. 10: *In lumine tuo videbimus lumen.* Psalm. 42, v. 3: *Quando erit, ut videam faciem Dei?* Esa. 66, v. 18: *Venient et videbunt gloriam meam.* Matth. 5, v. 8: *Beati mundo corde, quia Deum videbunt.* Joh. 14, v. 21: *Manifestabo ei me ipsum.* Joh. 17, v. 24: *Ut videant claritatem, quam dedisti mihi.* 1. Cor. 13, v. 12: *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* 2. Cor. 5, v. 7: *Per fidem ambulamus et non per speciem.* Hebr. 12, v. 14: *Sine sanctimonia nemo videbit eum.* 1. Joh. 3, v. 2: *Videbimus eum, sicuti est.* Apoc. 22, v. 4: *Servi ejus videbunt faciem ejus.* Quorum dictorum emphasin paucis expendimus §. 60. Excipiunt, *per visionem faciei intelligi duntaxat pleniorem et perfectiorem quandam Dei cognitionem, quam est illa, quae in hac vita nobis obtingit, a qua non specie sed gradibus duntaxat differat, ac proinde non posse per eam intelligi ipsius divinae essentiae visionem.* Probant ex eo, *quod de quibusdam in hac vita dicatur, quod a facie ad faciem Deum viderint, quos tamen divinam essentiam immediate et intuitive non vidisse concessum est.* Respondemus: emphasis dictorum ostendit, ipsius essentiae divinae visionem beatis tribui. 1. Cor. 13, v. 12. visio *specularis* et *intuitiva* non gradibus duntaxat sed etiam specie invicem distinguuntur. Nam visio imaginis hominis in speculo relucentis et visio ipsius hominis a facie ad faciem non differunt tantum gradibus, sed etiam specie, cum illa sit *reflexa,* haec vero

Affirm. probat 1. ex Scrip

XX. 1. C. v. 12 bimi facie facie

directa. Jam vero cognitio Dei in hac vita respondet visioni imaginis hominis in speculo relucentis, visio Dei in altera vita respondet visioni ipsius hominis a facie ad faciem. Ergo cognitio Dei in hac vita et visio Dei in futura vita non tantum gradibus perfectionis, sed etiam specie differunt, quo etiam respicit apostolus, quando 2. Corinth. 5, v. 7. *per fidem et non per speciem nos ambulare* asserit. In speculo non ipsas res corporeas, quales in sua natura exsistunt, sed earum duntaxat εἴδωλα et imagines intuemur, ideoque res illas imperfecte adspicimus; sic rerum coelestium quasi quasdam imagines *in speculo et aenigmate* sive involucro quodam videmus, res autem ipsas coram nondum intuemur. Quando imaginem in speculo intueor, tunc res illa, cujus imago in speculo mihi offertur, non est faciei directe objecta, sed a tergo posita; ita quoque in hac vita *per speculum verbi et creaturarum* Deum videntes non faciem sed *tergum ac posteriora Dei* videmus Exod. 33, v. 23. sed in vita aeterna coram ipsum *a facie ad faciem* intuebimur. (Quidam δι' ἐσόπτρου vertunt *per inspectorium*, ἔσοπτρον enim est id, quod inspicimus, quasi medium alicujus rei videndae, qualia sunt *perspicilla*, *speculum oculare* sive vitrum viride, quod scripturae superponitur; tale speculum facit, rem videri non immediate, sed per medium obscurum. Quidam δι' ἐσόπτρου vertunt *per cancellos*, *per transennam*, sicut mercatores per cancellos vimineos merces transeuntibus ostendunt.) Praeterea apostolus diserte asserit v. 10. *cum venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, καταργηθήσεται, evacuabitur, destruetur, abolebitur.* Jam vero cognitio perfecta gradibus duntaxat differens ab imperfectiore cognitione eandem proprie loquendo non abolet, non evacuat, sed potius perficit, sicut majus lumen minus non interimit, sed auget ac perficit. Ergo cognitio Dei in vita aeterna non tantum *gradibus*, sed etiam *specie* differt a cognitione Dei in hac vita. Ne quis enim statuat, per abolitionem illius, quod est ex parte, duntaxat intelligendam abolitionem mediorum, per quae in hac vita ad Dei cognitionem perducimur, ac donorum ad aedificationem ecclesiae in hac vita necessariorum, non autem ipsius cognitionis, quam in hac vita habemus, ideo notanter dicit apostolus v. 8: *Evacuabuntur non solum prophetiae, cessabunt non solum linguae, sed etiam ipsa γνῶσις καταργηθήσεται,* sicut visio imaginis in speculo aboletur, quando rem ipsam coram intuemur. Adde, quod v. 11. pios in hac vita conferat *parvulis*, in futura autem vita *viris adultis ac prudentibus*, qui puerilia exercitia et pueriles cogitationes penitus deponunt. Sicut pueri de summorum regnorum gubernatione et aliis rebus sublimibus habent pueriles cogitationes ac sermones, et quamvis parentum verba balbutiendo utcunque exprimant et conceptus aliquos in mente de rebus sibi expositis in mente forment, tamen omnia sunt tenuia ac puerilia; sic in hac vita de Deo et rebus divinis cogitamus, sapimus ac loqui-
183. mur ut parvuli, sed quemadmodum pueri in adulta aetate puerilia illa φαντάσματα καὶ πλάσματα deponunt; sic in vita aeterna illud omne, quod puerile est, καταργηθήσεται, evacuabitur, *abolebitur*, et notitia *abstractiva* in *intuitivam* mutabitur. Denique v. 12. apostolus diserte asserit, *nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Quidam Calviniani exponunt hoc sensu, *tunc re ipsa experiar, quod sim ex numero electorum et dilectorum Dei filiorum, tunc possidebo vitam aeternam, ad quam praecognitus sum* Rom. 8, v. 29. sed in hac interpretatione πρόγνωσις cum ἐπιγνώσει et cum electione confunditur, de quibus tamen distincte Scriptura loquitur. Simplicissime igitur sic exponitur, cognoscam Deum non amplius ex parte et imperfecte, sed perfecte, qualis est in sua natura et essentia (ita Anshelmus, Ambrosius ac Theophylactus), ex qua cognitione ardentissima Dei dilectio in me orietur, sicut ab ipso quoque in mea natura et essentia perfectissime sum cognitus et ab ipso intime dilectus; unde Piscator particulam copulativam καὶ non absurde exponit *causaliter* propter antegressam antithesin: *Cognoscam ipsum non amplius ex parte, sed perfecte et intuitive a facie ad faciem, sic enim cognitus sum ab eo.* Quodsi ergo Deum ex parte et in speculo tantum cognoscere est non cognoscere Deum, qualis est in sua essentia, utique a contrario sensu Deum perfecte et non amplius ex parte cognoscere est Deum, qualis est in sua essentia, vel, quod idem est, ipsam Dei essentiam cognoscere.

136. Non minor emphasis est in dicto 1. Joh. 3, v. 2: *Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicut est.* Ex eo notamus sequentia membra. 1. Dilecti filii non possunt ab intuitiva et clara faciei paternae visione excludi. Certe cum Absolon prohiberetur faciem patris Davidis intueri, judicabat hoc malum ipsa morte acerbius 2. Sam. 14, v. 32. contra vero *angeli*, quia sunt dilecti Dei filii Job. 1, v. 6. et cap. 38, v. 7. ideo *semper vident faciem Patris, qui in coelo est* Matth. 18, v. 10. Jam vero electi in vita aeterna υἱοθεσίας beneficiis plene perfruentur. Jamdum quidem in hac vita *per fidem sunt filii Dei* Joh. 1, v. 12. Galat. 3, v. 26. sed *nondum apparuit, quid sint futuri,* h. e. nondum plene et perfecte ad omnia υἱοθεσίας beneficia et plenariam coelestis hereditatis possessionem sunt admissi, sed in vita aeterna demum sequetur illud beneficium υἱοθεσίας, quod ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος et perfectam immissionem in bona coelestia complectitur Rom. 8, v. 23. Ergo in vita aeterna clare et intuitive faciem Patris sui coelestis, ac proinde etiam ipsam Dei essentiam videbunt. 2. Beati in vita aeterna erunt θεῷ ὅμοιοι ac θείας φύσεως κοινωνοί 2. Petr. 1, v. 4. haec ὁμοιότης et κοινωνία complectitur perfectam imaginis divinae restitutionem, plenam mentis illuminationem, justitiam et sanctitatem perfectam, spirituales corporis dotes ejusdemque cum glorificato Christi corpore conformationem Phil. 3, v. 21. Ab

1. Joh. 3, v. 2. Videbimus eum sicuti est.

hac ὁμοιότητι non potest visio divinae essentiae excludi. Apostolus enim (quod probe notari velim) ex eo probat, *nos Deo similes futuros*, quia *videbimus eum, sicut est*. Ergo illa similitudo cum Deo ex clara et intuitiva divinae essentiae visione dependet.

XX. 484. Φύσις et οὐσία in Deo sunt unum et idem. Quodsi ergo θείας φύσεως beati futuri sunt κοινωνοί, utique ergo etiam οὐσίας. At divinae οὐσίας non sunt participes, κοινωνοί, *per subjectivam inhaesionem*, ergo *per objectivam visionem*. 3. Beati videbunt Deum καθώς ἐστιν, *sicut est*. Ergo etiam Deum in sua essentia videbunt, ἀπὸ τοῦ εἶναι enim dicitur οὐσία, *ab esse* essentia, proinde ἀντιφατικόν foret statuere, beatos Deum videre *sicut est*, et tamen non videre Deum in sua essentia. Graecum καθώς respondens Hebraeorum כ hoc loco non est particula *similitudinis* sed *veritatis*, quomodo simplex ὡς usurpatur Joh. 1, v. 14. Regerunt quidem, 1) *particulam* ὡς *non denotare aequalitatem sed tantum similitudinem*. Sed facili negotio responderi potest, nec omnimodam aequalitatem, nec similitudinariam quandam conformitatem, sed certam et perfectam veritatem hic denotari. *Si omnimodam aequalitatem* notaret, comprehensivam Dei cognitionem, h. e. tam perfectam et absolutam, qua Deus sese ipsemet novit, introduceret; sin *similitudinariam* duntaxat qualemcunque conformitatem, a speculari et aenigmatica visione non differret. Neutram igitur denotat, sed eam, quae inter comprehensivam et specularem quasi media intercedit, quam *intuitivam et quidditativam* vocamus, quae est perfecta et clara ipsius divinae essentiae visio. *Videbimus enim* et cognoscemus Deum, καθώς, *sicut, et nos ab ipso cogniti sumus*. Jam vero Deus nos et nostram essentiam cognoscit non aenigmatice, non imperfecte, non ex parte, sed intuitive, perfecte et certitudinaliter, ergo et nos adipiscemur cognitionem Dei *intuitivam, perfectam, immediatam ac certissimam*. 2) *Non de visione Dei, qualis est in sua essentia seu de visione divinae essentiae. sed de visione Christi θεανθρώπου in gloria Patris existentis sermonem esse*. Respondemus: ἐὰν φανερωθῇ referri potest vel *ad totam orationem praecedentem*, vel *ad Christum*, cujus reditus ad judicium vocatur φανέρωσις Coloss. 3, v. 4. 1. Petr. 5, v. 4. 1. Joh. 2, v. 28. ubi itidem indefinite apostolus loquitur ὅταν φανερωθῇ scilicet ὁ Χριστός. Si priorem expositionem amplectimur, in propatulo est, *ipsius Dei, sicut est*, ac proinde ipsius divinae essentiae visionem nobis promitti. Sic enim habet integer contextus: *Videte, qualem caritatem dederit nobis Pater, ut filii nominemur* (*et simus*. Hebraeis enim vocari est esse). *Carissimi, filii Dei sumus, et* (idiotismo Hebraico positum est pro ἀλλά, *sed*) *nondum apparuit, quid erimus* (in vita aeterna). *Scimus autem* (ex verbo infallibilis promissionis), *quoniam cum apparuerit* (cum patefactum fuerit id, quod erimus), *similes ei erimus, quia videbimus eum, sicut est*. Si posteriorem expositionem amplecti malumus, nihil decedit nostrae sententiae vel robori nostri argumenti. Beati enim non tantum videbunt Christum ut hominem, sed etiam ut Deum, quia *beatifice* eum videbunt. Omnes homines Christum in die novissimo videbunt, etiam impii, sed haec visio non erit beatifica, quia non erit cum clara et intuitiva divinae essentiae visione conjuncta. Visio proinde Christi θεανθρώπου beatifica non potest nec debet a visione divinae essentiae sejungi, beati enim ita videbunt Christum, *ut videant gloriam ejus* Joh. 17, v. 24. ea vero est divina majestas et gloria, ex cujus visione ad ipsos quoque beatos gloria et claritas redundat.

137. Restat, ut explicemus, quomodo quidam in hac vita *Deum a facie ad faciem* dicantur *vidisse*, qui tamen *claram et intuitivam divinae essentiae visionem* non fuere adepti. Dicimus ergo, phrasin *a facie ad faciem* duplicem in Scripturis obtinere significationem. Primo significat visionem Filii Dei in forma naturae humanae suo tempore vel assumendae, vel etiam jamdum assumtae, quae visio etiam in hac vita homini obtingere potest et quibusdam re vera obtigit. Sic Jacobus patriarcha dicit, se Dominum *a facie ad faciem vidisse* Genes. 32, v. 30. quia Filius Dei, qui in specie viri cum ipso luctatus est v. 24. in ea naturae humanae forma, quam in plenitudine temporis ex virgine Maria assumturus erat, se illi conspiciendum praebuit; sic cum Moyse dicitur Dominus locutus *facie ad faciem* Exod. 33, v. 11. quia Deus cum ipso tam familiariter locutus est, *sicut solet homo loqui ad amicum suum* v. eod. *quia Deus fecit ante ipsum transire omnem bonitatem et gloriam suam* v. 19. et 22. hoc est ostendit ipsi Messiam in forma naturae humanae videndum, sicque ultra communem reliquorum prophetarum sortem Deus sese illi manifestavit. Num. 12, v. 6: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*. v. 7. *At non talis servus meus Moyses, qui in omni mea domo fidelissimus est*, v. 8. *ore enim ad os loquor ei, adspectu et non per aenigmata et figuras Dominum videt*. Reliquis illius temporis prophetis loquebatur Deus *per visiones et somnia*, h. e. per imagines in phantasia vel vigilantibus vel dormientibus impressas; Moysi autem palam in effigie humanae naturae, quam Filius Dei in plenitudine temporis assumturus erat, apparuit ac plane familiariter tanquam amicus cum amico in illa forma humana cum ipso locutus faciem suam ipsi ostendit. Sic apostoli Filium Dei in carne manifestatum *facie ad faciem* viderunt Joh. 1, v. 14. 1. Joh. 1, v. 1. sic Stephanus *vidit eum stantem a dextris Dei* Actor. 7, v. 55. sic Paulus eum vidit Act. 9, v. 17. 1. Cor. 9, v. 1. cap. 15, v. 8. sed haec visio faciei Christi pertinet ad hanc vitam. Deinde vero videre a facie ad faciem significat claram et intuitivam divinae essentiae visionem, a visione hujus vitae non *gradibus* solum, sed etiam *specie* distinctam ac alterius vitae particularem et propriam. Hanc diversitatem in phrasi videre facie ad faciem demonstramus 1) *ex circumstantiis textus*, in quibus quidam dicuntur in hac vita Deum facie ad faciem vidisse. In illis

XX. Quos quid. hac v. Deus facie facie dicuntur.

enim locis omnibus additur aliquid, ex quo intelligi possit, quod Filium Dei in forma naturae humanae constituto tempore assumendae viderint. Sic Jacobus vidit Dominum *a facie ad faciem*, quia Filius Dei in forma viri ipsi sese conspiciendum praebuit; Moyses vidit Dominum a facie ad faciem, quia *posteriora* sive tergum Filii Dei coram ipso transeuntis vidit. Proinde immediata et adaequata ratio, propter quam dicuntur Deum a *facie ad faciem vidisse*, non est clara et intuitiva divinae essentiae visio, sed formae humanae, quam Filius Dei ad tempus assumserat, apparitio. 2. *Ex petitione Moysis* Exod. 33, v. 18: *Fac me videre gloriam tuam*, cui Dominus respondet v. 28: *Non poteris videre faciem meam, non enim me videbit homo et vivet.* v. 23. *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* Et v. 11. dicitur, *quod locutus fuerit*
86. *Dominus ad Moysen a facie ad faciem*, et tamen v. 18. petit *Moyses*, gloriam *sive faciem Domini sibi ostendi*, cui Dominus respondet ac bis repetit, *faciem meam videre non poteris*, ex quo intelligitur, phrasin *videre faciem Domini* aliter accipi, quando de beatifica divinae essentiae visione in futuro seculo speranda usurpatur, quam in illis dictis, quando quidam in hac vita Dominum a facie ad faciem vidisse dicuntur. In vulgata versione v. 13. Moysis petitio his verbis informatur, *ostende mihi faciem tuam, ut sciam te*, sed in Hebraeo est דְּרָכֶךָ, *viam tuam*, interim ex responso Dei colligitur, Moysen aliquid petiisse, quod non potest in hominem in hac vita cadere, h. e. claram et intuitivam divinae essentiae visionem, intimam divinae majestatis cognitionem, qualis sanctis angelis et beatis in coelo revelatur, ut in eum locum Rungius recte commentatur. 3. *Ex oppositione apostolica.* 1. Cor. 13, v. 12. Paulus illud omne, quod de cognitione et visione Dei in hac vita homini obtingit, vocat *visionem per speculum et in aenigmate* eidemque opponit *τὸ videre a facie ad faciem.* Ergo per visionem faciei ad faciem intelligit aliquid, quod futurae vitae duntaxat proprium est et in hac vita non cadit in ullum hominem, alias oppositio non esset immediata.

lo- 138. 2. *Ex rationibus.* 1. *A beatorum cum angelis conformitate.* Angeli in coelo *διὰ παντὸς vident faciem Patris in coelo* Matth. 18, v. 10. Jam vero beati futuri sunt *ἰσάγγελοι* Luc. 20, v. 36. Ergo ipsi quoque faciem Patris, qui in coelo est, *διὰ παντὸς* videbunt. Excipiunt, *διὰ παντὸς non esse perfecte, sed semper et omni tempore faciem Dei videre, quemadmodum et nos mortales coelum, terram, homines et alias res oculis intuemur, quas tamen, quales sint in se, perfecte cognoscere non possumus.* Respondemus: 1) si visio illa angelica est continua, incessabilis ac perpetua, utique etiam perfecta, quo enim rem aliquam pressius intuemur, eo penitius eam introspicimus ac cognoscimus. 2) Beatifica Dei visio, qua angeli sancti jamdum fruuntur, quaeque beatis hominibus in vita aeterna obtingit, non est externa et extrinseca, sed maxime intrinseca, ut superius demonstravimus. 3) Proinde non potest conferri cum imperfecta et externa illa visione, qua in hac vita creaturas intuemur. Nos externa tantum rerum accidentia in hac vita intuemur, ad interiores formas non pertingimus, sed in futura vita ad ipsam rerum essentiam videndam et cognoscendam penetrare poterimus. 4) Visio, quae est duntaxat extrinseca, nullum videnti communicat bonum, sed angeli et beati ex Dei visione maximum bonum et ineffabile gaudium percipient. 5) Emphatice Christus pronuntiat, angelos *in coelo* videre faciem Patris, *qui in coelis est*, ubi coelorum nomine non intelligitur locus aliquis creatus et corporeus, quo velut domicilio Deus concludatur et circumscribatur, sed infinita majestas ac gloria, quam apostolus vocat *lucem inaccessam*, in qua Deus habitat 1. Tim. 6, v. 16. Quodsi ergo angeli vident Deum in majestate et gloria sua, utique a divinae essentiae visione immediata, intuitiva et beatifica non erunt exclusi. 2. *A promissa vitae aeternae felicitate.* Promisit Deus credentibus in Christum vitam et felicitatem aeternam. Ea vero in clara et intuitiva Dei visione consistit, ut superius est demonstratum. Ergo etiam claram et intuitivam sui visionem promisit. Jam XX. 487.
vero quod promisit, praestare etiam poterit. Thomas part. 1. q. 12. art. 1: *Potest homo consequi beatitudinem suam, ad quam a Deo ordinatus est, ea autem consistit in clara Dei visione.* 3. *A piorum desiderio et cupiditate.* Pii per virtutem Spiritus sancti *πρόγευσιν* quandam vitae aeternae in corde suo sentientes cupidissime desiderant Deum videre, ut apparet ex Moysis et Davidis exemplo Exod. 33, v. 18. Psalm. 42, v. 3. Hoc piorum desiderium utpote a Spiritu sancto excitatum necesse est aliquando impleri. Ex cognitione bonitatis in creaturis provehimur in cognitionem, admirationem et desiderium summae et increatae bonitatis, quae in Deo est, vel potius quae est ipse Deus; ad illius intuitivam visionem tandem oportebit nos adspirare. 4. *Ex consequente absurditate.* Maxima pars gaudii coelestis et praecipuum fundamentum omnis solidae consolationis in eo consistit, quod Deum in vita aeterna *a facie ad faciem* simus visuri, ut apparet ex Jobi exemplo, qui cap. 19, v. 26. hac consolatione sese unice erigit. Qui ergo negant, intuitivam divinae essentiae visionem in vita aeterna beatis esse promissam, illud gaudium et illam consolationem labefactant.

139. 3. *Ex patribus.* Augustinus epist. 111. ad 3. ex p... tibus.
Fortunatianum circa fin.: *Quia scriptum est, videbimus eum sicut est, quantum possumus, cor mundum ad illam visionem ipso adjuvante praeparemus* etc. *Restat, ut interim de visione Dei secundum interiorem hominem certissimi simus. Si autem etiam corpus mira commutatione hoc valuerit, aliud accedet, non illud abscedet. Melius ergo illud affirmamus, unde minime dubitamus, quod homo interior videbit Deum, qui modo solus potest videre caritatem, quae cum laudaretur, dictum est, Deus caritas est, solus potest videre pacem et sanctificationem, sine qua nemo videbit Deum.* Epist 112. ad Paulinam

c. 8: *Desiderium veraciter piorum, quo videre Deum cupiunt et inhianter ardescunt, non opinor in eam speciem contuendam flagrat, qua, ut vult, apparet, quod ipse non est, sed in eam substantiam, qua ipse est, quod est. Hujus enim desiderii sui flammam sanctus Moyses, fidelis famulus ejus, ostendit, ubi ait Deo, cum quo ut amicus facie ad faciem loquebatur: Si inveni gratiam ante te, ostende mihi te ipsum. Quid ergo? Ille non erat ipse? si non esset ipse, non ei diceret: Ostende mihi temet ipsum, sed ostende mihi Deum, et tamen si ejus naturam substantiamque conspiceret, multo minus diceret: Ostende mihi temet ipsum. Ipse ergo erat in ea specie, qua apparere voluerat, non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat. Ea quippe promittitur sanctis in alia vita. Unde quod responsum est Moysi, verum est, quia nemo potest faciem Dei videre et vivere, hoc est nemo potest eum in hac vita videre vivens, sicuti est. Nam multi viderunt, sed quod voluntas elegit, non quod natura formavit* etc. *Videbimus eum, sicuti est, non sicut eum homines viderunt, quando voluit in specie, qua voluit, non in natura, qua in semet ipso etiam cum videretur, latuit, sed sicut est, quod ab eo petebatur, cum ei diceretur, ostende mihi temet ipsum, ab eo, qui cum illo facie ad faciem loquebatur.* cap. 9: *Eo modo, quo videtur, sicuti est, nunc fortasse videtur a quibusdam angelis, a nobis autem tunc ita videbitur, cum eis facti fuerimus aequales.* cap. 13: *Accepit Moyses in praesentia congruum responsum, quod faciem Dei videre non posset, quam nemo*
XX. 488. *videret et viveret, hoc modo significante Deo, alterius potioris vitae esse illam visionem.* cap. 15: *Si quaeris, utrum etiam Deus, sicuti est, aliquando videri possit? respondeo, filiis hoc esse promissum, de quibus dictum est: Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Si quaeris, unde eum videbimus, respondeo, unde angeli vident, quibus tunc erimus aequales.* lib. 22. de civ. Dei cap. 29. non longe a princ.: *Sicut angeli vident faciem Patris, ita et nos visuri sumus, sed nondum ita videmus. Propter quod ait apostolus, videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem a facie ad faciem. Praemium itaque fidei nobis visio ista servatur, de qua et Johannes apostolus loquens, cum apparuerit, inquit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. Facies autem Dei manifestatio ejus intelligenda est, non aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore atque isto nomine nuncupamus.* Et postea: *Ipsis videri Deum, cum videbitur, Christianus ambigit nemo, qui fideliter accipit, quod ait Deus ille magister: Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Confer quae ex soliloq. et meditat. ejusdem adduximus superius. Prosper a praeceptore suo hac in parte non discedit, sic enim scribit libr. 1. de vit. contemplat. cap. 2: *Quod beati hic crediderant, ibi videbunt, sui creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes aeterna exsultatione gaudebunt* etc. *Nec latebit jam perfecte beatos aliquid secretorum, qui, quod est longe praestantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum.* Gregorius hom. 37. in evang.: *Quae lingua dicere vel quis intellectus capere sufficit, illa supernae civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriae conditoris assistere, praesertim Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre* etc. Beda in cap. 11. Marci: *O quanta felicitas Deitatis visioni inter angelorum choros adesse perpetuo, si tanta transfigurata Christi humanitas duorumque societas sanctorum ad punctum visa delectat!* Conjunge ea, quae ex aliis patribus adduximus superius §. 61. et quae de hac quaestione disserit Lutherus tom. 6. Jen. Germ. f. 203.

140. 4. *Ex ipsis adversariis.* Petrus Martyr 4. ex adversariis.
class. 1. locor. comm. cap. 4. §. 12: *In vita aeterna Dei essentia non quidem sensibus, verum animo seu mente cognoscetur a beatis, quandoquidem Johannes ait: Cum apparuerit, videbimus eum, sicuti est* 1. Joh. 3, v. 2. *Paulus idem testatur: Nunc per speculum et in aenigmate cognoscimus, tunc a facie ad faciem* 1. Corinth. 13, v. 12. *Idem ex verbis Christi colligitur: Angeli eorum semper vident faciem Patris* Matth. 18, v. 10. *Nam alibi docuit, in beata resurrectione justos instar angelorum fore* Matth. 22, v. 30. *Unde conficitur, nos haud secus atque angelos Deum visuros, quare si faciem ejus illi vident, nos eandem utique contemplabimur. Aliud testimonium Pauli habetur* 1. Corinth. 13, v. 12: *Tunc cognoscam, quemadmodum et cognitus sum. Nos autem a Deo nude et essentialiter cognosci nemo ambigit.* Polanus libr. 1. syntagm. cap. 6: *Prima et praecipua beatitudinis pars est visio Dei, quae in angelis est semper clara, per quam vident Dei essentiam* etc. *In homine est vel obscura, quae est hujus vitae, dum anima adhuc exsistens in corpore mortali cognoscit Deum per fidem tanquam per aenigma et speculum; vel clara, quae est alterius vitae, cum anima tum separata a corpore, tum post resurrectionem universalem rursus ei unita Deum* XX.
cognoscit a facie ad faciem, sicuti est. (Quod Polanus addit, *nec angelos, nec homines videre totam Dei essentiam*, illud si de comprehensiva visione intelligat, concedimus; simpliciter autem ac nude assertum admittere non possumus, quia divina essentia est ἀμέριστος ac partem extra partem non habet.) Schoenfeldius in disp. de vita aet. th. 24: *In vita aeterna abstractiva et imperfecta Dei notitia in intuitivam et perfectivam mutabitur, ita ut Deum a facie ad faciem et sicuti est, h. e. secundum essentiam ejus seu quidditative, visuri simus.* th. 26: *Non immerito igitur a patribus eorum damnata fuit opinio, qui Deum per essentiam videri posse aut unquam visum iri ab intellectu creato negaverunt.* Poniatovius fulgore veritatis constrictus in dissert. theol. 217. in haec erumpit verba: *An negatur, Deum a nobis in vita coelesti, qualis est in sua essentia, visum iri? Absit.*

mon- rtis itis. lictis urae.

141. In contrarium urgentur 1. *quaedam Scripturae dicta*, 2. *quaedam argumenta*. Quae ex Scripturis producunt, primo statim intuitu a vero quaestionis statu deprehenduntur aliena. Propius ad eum accedere videntur sequentia: 1. Exod. 33, v. 20: *Non videbit me homo.* Respondemus: loquitur de visione divinae essentiae et majestatis in hac vita, quam infirmitas naturae nostrae non posset ferre. Neque enim absolute et simpliciter dicit Jehovah, *non videbit me homo*, sed addit conditionem *et vivet*, h. e. in statu hujus vitae nec mens, nec oculi humani meam gloriam et majestatem videre possunt. Non videbit me homo et vivet, quia visio praesens est finita, Deus autem infinitus. 2. Deut. 4, v. 24. Hebr. 12. v. 29: *Deus est ignis consumens.* Respondemus: Impiis et incredulis, sed piis est *ipsa caritas* 1. Joh. 4, v. 8. est *lumen delectabile* Psalm. 36, v. 10. est *lux suavissima* 1. Joh. 1, v. 5. est *quasi ros et abies virens* Os. 14, v. 6. et 9. est *ipsa suavitas* Psalm. 34, v. 9. Sicut ignis non solum gratam lucem, sed etiam fervidum ardorem exhibet; sic Deus piis est lux splendens ac lucens, impiis vero ignis consumens. Ut ignis est elementum subtilissimum, sic Deus spiritus purissimus; sicut ignis est lucidissimus, sic Deus est lux ineffabilis, beatos illuminans, affectum delectans; sicut ignis est calidissimus, sic Deus suo calore omnia vivificat, purgat, animat, imo et cum homines ita promerentur, irascitur, punit, adurit ac zelo irae suae omnia devastat; sicut ignis est levissimus, sic Deus habitat in excelsis; sicut ignis est simplicissimus, sic Deus nulli rei creatae immistus. Confer Dionysium Areopagitam de coelest. hierarch. c. 15. In hisce comparationis membris subsistendum neque praeter et contra Scripturam ex ea colligendum, quod beati in vita aeterna divinam essentiam non possint videre, cum ipsa experientia testetur, nos in hac vita ignem consumentem oculis corporeis intueri. 3. Esa. 6, v. 2: *Seraphim tegunt facies suas.* Respondemus: Ob humilitatem, modestiam ac reverentiam, sicut etiam viginti quatuor seniores ob eandem causam *coronas suas projiciunt ante thronum* Apoc. 4, v. 10. non quod divinam essentiam ac majestatem videre vel nolint, vel non possint. Si propterea velarent oculos, quod splendorem divinae majestatis ferre non possent, cur etiam obvelarent pedes? Quid? quod non suam sed Dei in forma humana apparentis faciem seraphini illi spiritus texisse dicuntur ab Hieronymo epist. 142. ad Da-
490. masum ac Cyrillo in comm. illius loci, cum verba Hebraea פָּנָיו ac רַגְלָיו non minus ad Deum quam ad Seraphim accommodari possint. Sed non discedimus a communi interpretatione. 4. Matth. 11, v. 27: *Nemo novit Filium nisi Pater, et nemo novit Patrem nisi Filius.* Respondemus: Immediate additur *et cui voluerit Filius revelare.* Sensus igitur est, quod absque revelatione per Filium in verbo evangelii exterius et per Spiritus sancti illuminationem interius factam nec essentiae nec voluntatis divinae salutaris et salvifica cognitio cuiquam hominum in hac vita obtingere possit. Confer harm. evang. cap. 57. 5. Joh. 1, v. 18. et 1. Joh. 4, v. 12: *Deum nemo vidit unquam.* Joh. 6, v. 46: *Non quod Patrem viderit quisquam.* Respondemus: Uterque locus suam secum portat expositionem. In priore enim additur, *Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis;* in posteriore, *nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Idem ergo sensus cum dicto priore, utrobique de cognitione hujus vitae ex naturalibus viribus petita agitur. 6. 1. Cor. 2, v. 11: *Quae Dei sunt, nemo novit nisi Spiritus Dei.* Respondemus: Immediate praecedit v. 10. *nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*, ac v. 12. sequitur, *nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis.* Quae vero συνέχεια vel συνέπεια a negata Dei cognitione salvifica, ex solis naturae viribus citra revelationem Spiritus sancti nemini exspectanda, ad negationem visionis beatificae in vita aeterna progredi? 7. Eph. 3, v. 10: *Ut innotescat nunc principatibus ac potestatibus in coelestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei.* 1. Petr. 1, v. 12: *In quae desiderant etiam angeli prospicere.* Respondet Gregorius lib. 18. moral. cap. 28. *angelos videre Deum sine fastidio, ideo dicuntur perpetuum videndi desiderium habere, quia nunquam fatigantur videndo.* Simplicius respondetur per distinctionem *inter essentiam ac decreta divina*, ut in formando quaestionis statu monuimus. Quamvis enim angeli divinam essentiam videant, tamen liberorum consiliorum ac decretorum divinorum per illam visionem non redduntur statim conscii, nisi divina revelatio accedat. 8. 1. Timoth. 6, v. 16: *Habitat Deus lucem inaccessam, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Respondemus: Quidam intelligunt de visione divinae essentiae *in hac vita*, quidam *de comprehensiva notitia*, quidam *de naturali* citra verbi revelationem *cognitione*, quidam *de visione corporea.* Quidquid sit, non potest hoc opponi clarissimis dictis, quae testantur, beatos in vita aeterna Dei essentiam visuros.

142. *Rationes* potiores hae sunt: 1. *ab infiniti conditione. Inter potentiam et objectum debet esse proportio. Sed inter intellectum creatum, utpote finitum, et Deum increatum, utpote infinitum, nulla est proportio. Ergo intellectus creatus non potest videre Deum increatum, alias finitum caperet infinitum.* Respondemus: Capacitas docendi gratia statui potest triplex, 1) *unionis*, qua unum cum altero quovis modo conjungitur vel conjungi potest; 2) *cognitionis*, qua potentia cognoscens aliud cognoscit vel cognoscendo recipit, eaque est vel *adaequata et comprehensiva*, vel *non adaequata et quidditativa;* 3) *comprehensionis physicae seu quantitativae*, qua quantum a quanto comprehenditur, sicut dolium a vino, pecunia a marsupio. Finitum non est capax infiniti capacitate *cognitionis comprehensivae et adaequatae*, nec capacitate *comprehensionis physicae vel quantitativae*, interim tamen finitum est capax infiniti capacitate *cognitionis quidditativae*, ut et capacitate *unionis*, cum assumta natura humana *Λόγῳ* infinito

2. Ex rationibus.

XX. 491.

sit personaliter unita. Eodem recidit, quod Scholastici distinguunt inter *proportionem quantitatis*, quae in eo consistit, quod unum mensuret, alterum secundum proportionem dupli, tripli, quadrupli etc. et inter *proportionem habitudinis*, quae in eo consistit, quod unum dicat habitudinem seu essentialem ordinem ad alterum, quo pacto se habent materia et forma, causa et effectus, potentia et objectum. Ad cognitionem intuitivam non requiritur prior proportio, sed sufficit posterior. 2. *A comparatione. Sicut essentia angeli excedit oculum corporeum, sic essentia Dei longe magis excedit intellectum hominis creatum. At oculus corporeus non potest elevari ad videndam angeli essentiam. Ergo nec intellectus creatus potest elevari ad videndam divinam essentiam.* Respondemus: De minore judicium fieri poterit ex quaestione sequente. Ad majorem respondent Scholastici per distinctionem inter *excessum perfectionis et proportionem potentiae ad objectum*, quoad excessum perfectionis essentiam divinam magis excedere intellectum hominis creatum, quam angeli essentia excedit oculum corporeum, interim tamen essentiae divinae intercedere proportionem cum intellectu creato, qualis est inter objectum cognoscendum et potentiam cognoscentem.

Quaestio 2. an beati divinam essentiam oculis corporeis sint visuri?

143. Quaeritur 2. *an beati divinam essentiam oculis corporeis sint visuri?* Negant 1. *quidam ex patribus.* Ambrosius l. 1. in Luc. c. 1. p. 12: *Nec in loco Deus videtur, sed mundo corde, nec corporalibus oculis Deus quaeritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu, et cum absens putatur, videtur, et cum praesens est, non videtur.* Confer Irenaeum lib. 4. c. 37. Origenem cont. Celsum l. 7. Athanasium orat. cont. idola, Theophylactum in 1. Cor. 13. cumprimis Augustinum epist. 112. ad Paulinam. 2. *Scholastici et Pontificii omnes.* Thomas part. 1. q. 12. art. 3: *Implicat contradictionem, Deum videri oculo corporeo.* Becanus part. 1. theol. schol. c. 9. q. 6: *Communis est sententia, quod impossibile sit, Deum clare et intuitive videri oculis corporis.* 3. *Calviniani.* Martyr class. 1. locor. comm. cap. 4. §. 2: *Errant, qui Dei essentiam beatorum oculis videri existimant.* Zanchius lib. 3. de natura Dei c. 2. q. 16. p. 293: *Nemo hominum deum videre potest, non solum oculis corporeis, qua de re nemo quidem dubitat, sed nec oculis mentis videre unquam, h. e. comprehendere, quisquam potest.* Argumentis id probatur ejusmodi: 1. *ex Scripturis.* 1) Talis visio in vita aeterna beatis promittitur, *quae succedit fidei* 1. Cor. 13, v. 12. 2. Cor. 5, v. 7. quae communis est beatis angelis et hominibus Matth. 18, v. 10. quam pii ex hac vita decedentes statim consequuntur et quam modo habent animae beatae in coelo exsistentes. Jam vero visio, quae fidei succedit, est *intellectualis*, quia perfectior est fide et facit nos vere beatos secundum animam; visio angelorum et animarum separatarum itidem est *intellectualis;* ergo etiam visio beatis in futura vita speranda erit *tantum intellectualis.* 2) Deus simpliciter vocatur ἀόρατος Col. 1, v. 15. 1. Tim. 1, v. 17. cap. 6, v. 16. Hebr. 11, v. 27. quae ἀορασία inter essentiales et immutabiles Dei proprietates refertur. 3) Quoties Scriptura collationem XI.
instituit inter visionem hujus et futurae vitae, non id fit respectu *organi visionis*, sed respectu *quantitatis.* Nam imperfectioni confert perfectionem, quae erit in altera vita perfectissima, quanta quidem in creaturam cadere potest, eodem semper manente visionis organo, quo Deum in hac vita conspeximus 2. Cor. 13, v. 12. 1. Joh. 3, v. 2. 2. *Ex rationibus.* 1) Nullus spiritus cadit sub sensum corporis, Deus est spiritus Joh. 4, v. 24. Ergo. 2) Infinitum non potest sensu finito comprehendi. Atqui Deus est infinitus, corporeus sensus finitus. Ergo. 3) Nulla potentia ferri potest extra suum objectum. Sed objectum visus corporalis est visibile corporeum, non spiritus invisibilis incorporeus. 4) Visionis objectum est color, *qui est extremitas perspicui in corpore terminato* vel *qualitas ex lucido et opaco congregatis exsurgens.* At Deo non convenit color, quia est incorporeus. Affirmantem quaestionis partem amplectuntur quidam ex nostris. Chytraeus in lib. de vita et morte p. 157: *In vita aeterna revelatam faciem et gloriam sanctae Trinitatis seu nudam et omnium beatorum mentibus et oculis clare conspiciendum se exhibentem essentiam Dei perspiciemus.* Schilterus in disp. de vita aeterna th. 65: *Etsi Scholastici de instrumento futurae visionis Dei multas intricatas quaestiones movent, nos tamen certo statuimus, claritatem oculorum nostrorum in altera vita sublata priore suffusione cujusvis lyncis et aquilae perspicacitatem longissime a tergo relicturam.* Cramerus in tract. de sublimi corporis glorificati mysterio c. 16. p. 137: *Objectum oculorum nostrorum in vita aeterna futurum est longe excellentissimum, videlicet ipse Deus, sacrosancta Trinitas, Pater, Filius et Spiritus sanctus, et qui in Deo sunt angeli et confratres nostri, omnis chorus beatorum. Tam igitur excellentibus objectis in vita aeterna apprehensis, bone Deus, quam necesse erit, oculos nostros esse illustres et acutos, qui nunc ut noctuae ad lumen creatum caecutiunt, ut ibi etiam increatum sustinere possint!* Idem ex Calvinianis statuit Alstedius in theol. didactico scholast. sect. 4. c. 41. reg. 5. p. 840: *Videbimus Deum spiritu, videbimus et oculis, sed spiritualiter. Corpora enim nostra atque adeo oculi erunt spiritualia, non substantiae sed qualitatis et actionis ratione.* Argumentis uti possunt hujusmodi: 1) Jobus 19, v. 26. inquit: *In carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei adspecturi sunt.* 2) Psalm. 16, v. 11. Psalm. 17, v. 15. Psalm. 42, v. 3. Apoc. 22, v. 4. *faciem Dei* dicuntur beati *visuri.* 1. Cor. 13, v. 12. *facie ad faciem.* 3) 1. Cor. 15, v. 28: *Deus erit omnia in omnibus*, ergo etiam oculis glorificatis erit summa lux, summum gaudium. 4) Deus incorporeus videt oculis spiritualibus corporea, ergo etiam divina sua potentia efficere potest, ut oculi beatorum corporei videant objectum spirituale et incorporeum. 5) Per divinam virtutem fieri potest, ut ignis infer-

nalis corporeus agat in rem spiritualem, in animas scilicet impiorum et angelos malos; ergo etiam divina virtute fieri potest, ut visus corporeus possit videre objectum spirituale. 6) Sicut intellectus creatus ac finitus potest supernaturali lumine gloriae ita evehi, ut increatam et infinitam Dei essentiam videat; ita quoque oculus corporeus glorificatus per lumen gloriae ita evehi potest, ut Deum incorporeum videat. 7) Vitae aeternae beatitudo consistit in visione Dei, ergo ab ejus visionis participatione non videntur ex-
493. cludendi oculi glorificati. 8) Deus omnem caliginem tam ab oculis quam a mentibus beatorum absterget ac sensus non minus quam animas ineffabili et incomprehensibili quadam luce perfundet.

144. Nos mediae quodammodo viae hic insistendum arbitramur, quam sequentibus theorematibus monstramus. 1. Certum est, *oculum corporeum nondum glorificatum divinam essentiam non videre*. Probatio petenda ex §. 101. proximo. 2. Non est statuendum cum Vorstio, *Deum propterea oculis corporeis glorificatis in vita aeterna visum iri, quia Deo vere possit corpus attribui* in tract. de Deo pag. 201. et 237. *et quia non solum ratione qualitatis, sed etiam ratione quantitatis dicatur magnus* p. 239. Nam Deus ut in sua natura est spiritus incorporeus, ita quoque in omnem aeternitatem talis manet. 3. Naturali virtute fieri nequit, ut oculus corporeus Deum videat, quod evidenter probant rationes paulo superius adductae. 4. Certo et apodictice in hujus vitae infirmitate decidi nequit, an tantum oculis mentis, an vero etiam oculis corporeis glorificatis Deum in vita aeterna simus visuri, *neque enim auris audivit, nec oculus vidit, nec in cor hominis adscendit, quid Deus praeparaverit se diligentibus* 1. Cor. 2, v. 9. Deum a beatis in vita aeterna summo cum gaudio conspectum iri, in Scripturis sacris revelatum exstat, sed quis futurus sit visionis illius beatificae modus, an *mentalis tantum et interior*, an simul *ocularis et exterior*, vix invenietur definitum. Quod enim Job redemtorem suum *oculis suis se conspecturum* asserit, id de Filio Dei incarnato, cui *Goëlis* nomen in Scripturis peculiariter appropriatur Genes. 48, v. 10. Exod. 3, v. 8. cap. 23, v. 20. Psalm. 19, v. ult. Psalm. 72, v. 14. Esa. 63, v. 9. accipi potest. Dicta, *quae de visione faciei divinae* loquuntur, de mentali et intellectuali visione agunt, cum Deo non competat facies corporea. Ipsi etiam angeli dicuntur *faciem Patris* coelestis *semper videre* Matth. 18, v. 10. quod tamen oculis corporeis fieri nemo dixerit. 5. Non potest nec debet pertinaciter negari, per potentiam Dei infinitam beatorum oculos ita glorificari ac per lumen supernaturale ita evehi posse, ut ad ipsam divinae essentiae visionem pertingant, 1) quia ob rationes physicas ex communi et ordinario naturae cursu petitas immensa et infinita Dei potentia limitari, coarctari et constringi neutiquam debet. Scaliger exer. 368. sect. 9. 2) Quin imo ipsi Scholastici disputant, *si consideretur visus, ut est quaedam creatura Deo subjecta, per potentiam obedientialem posse cum a Deo assumi tanquam instrumentum ad producendum quemcunque effectum, qui non indiget principio vitali in sui productione*. Suarez tom. 2. disp. 30. art. 11. num. 2. Becanus d. l. 3) Si Deus alias spiritus proprietates potest corpori glorificato conferre, quidni et hanc, ut oculis suis spiritum possit videre? 4) Certe Deus non minus distat infinite ab intellectu creato quam a visu corporeo. Jam vero constat, per lumen supernaturale intellectum creatum elevari ad Deum intuitive cognoscendum, quidni etiam visus corporeus elevari possit ad Deum videndum? Excipiunt quidem Scholastici, *in proportione objecti et potentiae plus distare Deum a visu corporeo quam ab intellectu creato, quia Deus est extra totam latitudinem objecti visus, non autem extra objectum adaequatum*
intellectus creati. At in definiendis quaestionibus XX. 494.
de potentia divina, quid Deus possit vel non possit, cauti et circumspecti esse debemus, quia *Deus potest plus praestare quam petimus aut intelligimus* Eph. 3, v. 20. Quodsi ergo salva divinae essentiae infinitate intellectus finitus ad intuitivam Dei cognitionem elevari potest, probabile videtur, etiam glorificatum oculum, salva divinae essentiae spiritualitate, ad claram Dei visionem elevari posse. Rectius igitur hujus quaestionis decisio futurae experientiae reservatur, quam odiose ac morose de ea contenditur. Hanc modestiam video placere Augustino epist. 111. ad Fortunatianum: *Si quis Deum incommutabilem et incorporalem spiritum ubique totum esse credens, tantam hujus corporis mutationem futuram putat, cum ex animali fuerit spirituale, ut etiam substantiam incorporalem non locorum intervallis vel spatiis divisibilem, vel etiam membrorum lineamentis ac finibus terminatam, sed ubique totam per tale corpus videre possimus, volo et me doceat, si verum sapit, si autem in hoc falsum sentit, longe tolerabilius est corpori aliquid arrogare quam Deo derogare*. l. 22. de civ. Dei c. 29: *Visuri sunt beati Deum in ipso corpore, sed utrum per ipsum, sicut per corpus nunc videmus solem, lunam, stellas* etc. *non parva quaestio est. Durum est dicere, quod sancti talia corpora tunc habebunt, ut non possint oculos claudere atque aperire, cum velint; durius autem, quod ibi Deum, quisquis oculos clauserit, non videbit* etc. *Absit ergo, ut dicamus, illos sanctos in illa vita Deum clausis oculis non visuros, quem spiritu semper videbunt. Sed utrum videbunt et per oculos corporis, cum eos apertos habebunt, inde quaestio est. Si enim tantum poterunt in corpore spirituali eo modo utique etiam ipsi oculi spirituales, quantum possunt isti, quales nunc videmus, procul dubio per eos Deus videri non poterit. Longe itaque alterius erunt potentiae, si per eos Deus videbitur incorporea illa natura, quae non continetur loco sed ubique tota est* etc. *Ipsis videri Deum, cum videbitur, Christianus ambigit nemo* etc.: *sed utrum etiam corporalibus oculis ibi videatur, hoc in ista quaestione versamus* etc. *Quia spirituale corpus nescimus quantos habeat accessus, de re quippe inexperta loquimur, ubi aliqua, quae aliter intelligi*

nequeant, divinarum Scripturarum non occurrit, sed succurrit auctoritas; necesse est, ut contingat in nobis, quod legitur in libro Sapientiae: Cogitationes mortalium timidae et incertae providentiae nostrae. Ratiocinatio quippe illa philosophorum, qua disputant, ita mentis adspectu intelligibilia videri et sensu corporis sensibilia, id est corporalia, ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per se ipsa mens valeat intueri, si posset nobis esse certissima, profecto certum esset, per oculos corporis etiam spiritualis nullo modo posse videri Deum. Sed istam ratiocinationem et vera ratio et prophetica irridet auctoritas. Quis enim ita sit aversus a vero, ut dicere audeat, Deum corporalia ista nescire? Numquid ergo corpus habet, per cujus oculos ea possit addiscere? etc. *Sicut ergo constat, corpora videri spiritu, quid si tanta erit potentia spiritualis corporis, ut corpore videatur et spiritus? Spiritus enim est Deus* etc. *Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeat in tanta excellentia menti simile, quo et incorporea natura cernatur, quod ullis exemplis sive Scripturarum testimoniis divinarum vel difficile vel impossibile est ostendere; aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus nobis erit notus atque conspicuus, ut videatur spiritu a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in se ipso, videatur in coelo*
XX. 495. *novo et in terra nova, atque in omni, quae tunc fuerit, creatura, videatur et per corpora in omni corpore, quocunque fuerint spiritualis corporis oculi acie pervenientе directi.* Augustini verba repetit Eucherius Gallus libr. 4. comm. in libr. Regum.

Quaestio 3. an beati per speciem intelligibilem videant divinam essentiam.

145. Quaeritur 3. *an beati per speciem intelligibilem videant divinam essentiam?* Negant Scholastici hac ratiocinatione usi: *Quando objectum intelligibile est immateriale et per se praesens intellectui cognoscenti, non opus est specie intelligibili, quia necessitas speciei intelligibilis oritur ex duplici causa, vel quia objectum cognoscendum est materiale, ac proinde non nisi per speciem immaterialem ad intellectionem, quae immaterialis est, concurrere potest; vel quia non sufficienter intellectui praesens est, ac proinde per speciem sui vicariam intellectui impressam ipsi approximat. Jam vero divina essentia, beatificae visionis objectum, est immaterialis et intime praesens intellectui creato. Ergo ad ejus visionem non opus est specie intelligibili.* Scriptura emphatice pronuntiat, *Deum fore omnia in omnibus* 1. Cor. 15, v. 28. *beatos Deum facie ad faciem visuros* 1. Cor. 13, v. 12. nulla igitur speciei intelligibilis erit necessitas.

Quaestio 4. an beati ad Deum videndum indigeant aliquo lumine gloriae?

Quaeritur 4. *an beati ad videndum Deum indigeant aliquo lumine gloriae?* Durandus negat, sed reliqui Scholastici affirmant usi hac ratiocinatione: *Visio beatifica non minus supernaturalis est quam assensus fidei, cui tanquam imperfectiori succedit clara visio tanquam aliquid perfectius. Jam vero ad assensum fidei requiritur auxilium aliquod supernaturale, quod vocant lumen gratiae. Ergo etiam ad claram Dei visionem itidem requiritur aliquod auxilium supernaturale, quod vocari potest lumen gloriae.* Ex Scripturis huc referri posset, quod Psalm. 36, v. 10. regius psaltes dicit: *In lumine tuo videbimus lumen*, quodque Apoc. 21, v. 23. *claritas Domini coelestem Hierosolymam* dicitur *illuminatura.*

Q. 5. hac ... alicui ... nae e... tiae ... conti... Q. 6. visio ... tifica ... esse ... prehe... Q. 7. Deum ... dente ... omni... Deo ... deant

Quaeritur 5. *an in hac vita alicui clara et intuitiva divinae essentiae visio contigerit.* Quaeritur 6. *an visio beatifica possit esse comprehensiva?* Ad has quaestiones responsio peti potest ex illis, quae circa primam quaestionem informatione status fuere dicta §. 133. Quaeritur 7. *an beati Deum videntes omnia in Deo videant?* De hac quaestione egimus in tract. de morte §. 326. Reliquae a Scholasticis de visione Dei beatifica motae quaestiones curiosae potius sunt quam fructuosae ac temere potius quam vere ab ipsis definiuntur.

2. De glorifi... tione Quae... an be... etiam ... terna ... Deum ... glorifi... tari?

146. 2. *De Dei glorificatione* quaeritur, 1. *an beati etiam externa voce Deum sint glorificaturi?* Thomas 2. sent. dist. 2. q. 2. art. 2. ad 5. refert, *aliquos dixisse, non fore in coelo vocalem Dei laudem, sed tantum mentalem, quia non erit ibi respiratio, cum in coelo non sit aër, jam vero in respirantibus tantum est vox.* Illis alii responderunt, *beatis non esse necessariam respirationem per aëris externi attractum, cum corpora eorum futura sint impassibilia, interim tamen ad efformandas voces et vocalem Dei laudem aërem quendam internum et aeternum pulmonibus, arteriae et gutturi ipsorum fore insitum.* Augustinus l. 22. de civ. Dei cap. 30. *omnia membra et viscera incorruptibilis corporis in laudibus Dei profectura* asserit, cujus laudis et praeconii quae futura sit ratio, quis in hac carnis infirmitate vel cogitando vel fando assequi potest? Scriptura XX. 4
non solum *vocali laude* Apoc. 7, v. 12. sed etiam *citharis aureis* a beatis Deum glorificandum asserit Apoc. 5, v. 8. cap. 14, v. 2. cap. 15, v. 2. sed quilibet videt, hoc posterius more hujus seculi dictum μεταφορικῶς esse accipiendum, unde vocantur κιθάραι τοῦ θεοῦ, *Dei* vel divinae *citharae.*

Quae... qua li... sint I... glorifi... tari?

Quaeritur 2. *qua lingua beati Deum sint glorificaturi et invicem collocuturi? Unam* omnium beatorum fore *linguam*, probabiliter creditur, 1) quia futuri sumus omnes unus populus, una civitas in coelesti patria. 2) Diversitas linguarum fuit poenae loco mundo immissa, at ab ecclesia triumphante aberit omnis poena. 3) Ecclesia triumphans non erit deteriore loco quam fuit militans. At ea semel usa fuit una communi lingua. Quae vero erit illa beatorum lingua? Galatinus libr. 12. de arcanis cap. 4. statuit, *beatos lingua Hebraica in Dei laudibus et mutuis colloquiis usuros*, quod probat 1. *ex dicto prophetico* Soph. 3, v. 8: *Exspectate me, ait Dominus, in die resurrectionis meae in futurum, quia judicium meum ut congregem gentes, ut colligam regna ad effundendam super eos indignationem meam, omnem iram nasi mei, quoniam in igne zeli mei devorabitur universa terra,* v. 9. *quia tunc convertam ad populos labium electum, ut invocent omnes in nomine Dei et colant eum humero uno*, id est parte una. Hunc locum de extremo judicio agere probat ex targum Jonathan, in quo talis exstat paraphrasis:

Propter hoc exspectate verbum meum, id est Messiam, in die ostensionis meae ad judicandum, et infra: *quia in igne vindictae meae consumentur omnes impii terrae.* Tunc ergo ad omnes beatos convertetur *labium electum*, id est una lingua, scilicet Hebraica, Deum laudabunt, quae propterea dicitur *labium electum*, quia Deus eam prae ceteris elegit, qua et patribus loqueretur, et legem suam promulgaret. 2. *Ex primorum parentum exemplo.* Primi parentes lingua Hebraea in paradiso loquebantur, eademque electi omnes in statu innocentiae locuti fuissent, si primi parentes in gratia perstitissent. 3. *Ex usu antiquo.* Quemadmodum ante linguarum divisionem in turri Babel factam *universa terra erat labii unius;* ita in resurrectione omnes homines una loquentur lingua, scilicet Hebraea. 4) Hisce argumentis addunt Cajetanus in comm. 1. Cor. 13. et Viguerius in institut. c. 9. quod apostolus 1. Cor. 13, v. 8. dicit, *linguas cessaturas*, non autem linguam cessaturam, ut innuat, quod in vita aeterna cessatura sit varietas linguarum, non tamen omnis lingua, quia beati non tantum mente sed etiam lingua Deum laudabunt, ac proinde una remanebit lingua, videlicet Hebraea. 5) Sancti angeli eadem Deo accinunt, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth* Esa. 6, v. 3. Omnes patriarchae et prophetae hac lingua usi; Christus ipse in diebus carnis Syriaca, quae Hebraeae dialectus est, fuit usus ac post suam in coelos adscensionem ἑβραΐδι διαλέκτῳ ad Paulum locutus est Actor. 26, v. 14. Erimus ἰσάγγελοι, ergo etiam lingua angelorum loquemur 1. Cor. 13, v. 1. 6) In Apocalypsi sancti dicuntur in coelo cantaturi *Amen, Alleluja*, quae sunt Hebraicae voces, cap. 19. v. 4. Quidam contra statuunt, *omnes linguas, quibus in hac vita utimur, cessaturas, cum apostolus generaliter loquatur* 1. Cor. 13, v. 8. *ac aliam quandam sensibilem linguam hac nostra longe nobiliorem et coelestem beatis infundendam, quae deceat os et corpus gloriosum, qua Deum etiam vocaliter lau-*
497. *dent.* Quidam existimant, *locuturos beatos, quacunque lingua libuerit, quia omnes omnibus erunt notae, proinde quibuscunque velint pro libitu uti poterunt.* Sed haec futurae beatae experientiae rectius reservantur, quam scrupulose disputantur.

·stio ·onis ae. beati invi- int iri.

147. 2. De bonis *internis* alterutri parti, et quidem 1. *animae propriis*, quaeritur 1. *an beati in vita aeterna sese invicem sint agnituri?* Noster Lutherus in coena, quam cum amicis ac familiaribus in his terris celebravit ultimam, variis de rebus pia cum ipsis miscens colloquia hoc etiam inter alia rogabat, *num in sempiterna illa vita simus alter alterum recognituri?* cumque illi averent ex ipso scire, *Quid*, inquit, *accidit Adamo? nunquam ille viderat Evam, sed cum eam formaret Deus, ipse altissima quiete interim sopitus dormiebat. Expergefactus autem cum illam videret, non rogat, quae sit, aut unde veniat, sed carnem esse de sua carne dicit et os de suis ossibus. Qui vero sciebat istud? nimirum Spiritu sancto plenus et vera Dei cognitione praeditus ita pronuntiabat. Ad eundem modum nos etiam in altera vita renovabimur per Christum et parentes, uxores, liberos et quidquid est, multo perfectius agnoscemus, quam tunc Evam Adamus cognoscebat.* Referunt Phil. Melanthon in orat. funebr. Matthesius in conc. de vita Luther. Sleidanus lib. 16. comment. anno 1546. pag. 488. Haec Lutheri responsio probari potest ex hisce fundamentis, 1) *a plenitudine cognitionis in beatis.* Fulgebit in beatis clarissima quaedam lux cognitionis, qua non solum Deum clare et intuitive cognoscent, sed etiam quidquid ad felicitatem et gaudium ipsorum pertinet. Esa. 60, v. 19: *Dominus erit lux tua sempiterna.* 2) *A reformatione divinae imaginis.* In vita aeterna imago divina in beatis perfecte reformabitur, ut superius ostendimus. Jam vero Adamus ex luce divinae imaginis agnoscebat Evam nunquam prius visam. 3) *Ab exemplo agnitionis.* Matth. 17, v. 3. Marc. 9, v. 4. Luc. 9, v. 32. in Christi transfiguratione Petrus, Jacobus et Johannes vident et agnoscunt *Moysen et Eliam* antea nunquam visos. 4) *A perfectione dilectionis.* Si dilectio et gaudiorum communio in vita aeterna erit perfecta, utique etiam sancti sese mutuo agnoscent. Sed verum prius 1. Cor. 13, v. 13. Connexio patet, quia dilectio praesupponit notitiam objecti, in quod fertur. 5) *A typo restitutionis.* Quemadmodum Christus *filium viduae in Nain* a se resuscitatum restituit matri suae Luc. 7, v. 15. ac Petrus *Tabitham* ex mortuis revocatam παρέστησεν amicis et familiaribus Actor. 9, v. 41. sic *in die restitutionis omnium* Actor. 3, v. 21. pii liberi et cognati beatis parentibus, cognatis et amicis, quorum aliquos non viderunt in hac vita, ac vice versa parentes liberis restituentur ad suavissimam et jucundissimam conversationem in ejusdem felicitatis et gaudii κοινωνίᾳ. Gen. 15, v. 15: *Ibis ad patres tuos.* Deut. 32, v. 50: *Jungeris populis tuis.* 2. Sam. 12, v. 23: *Ego vadam ad eum.* Hebr. 12, v. 22: *Accessistis ad civitatem Dei viventis* v. 23. *et ad spiritus justorum perfectorum.* 6) *A gradibus glorificationis.* Si gradus gloriae erunt inter beatos, utique etiam beati omnibus erunt noscibiles. Nam sine aliorum agnitione et celebratione nulla potest esse gloria nec ulla animadverti differentia. Ergo lumina illa generis humani, quae alios ad justitiam erudierunt, conspici et ab aliis beatis internosci oportebit.
7) *A necessitate illationis.* Si dives epulo in flammis XX. 498.
infernalibus constitutus Lazarum in sinu Abrahae agnovit Luc. 16, v. 23. quanto magis beati socios et consortes suae beatitudinis agnoscent! Si Johannes in utero materno adhuc latitans Christum praesentem agnovit Luc. 1, v. 41. quanto magis beati in plenam coelestis felicitatis possessionem introducti Christum, patriarchas, prophetas, apostolos et omnes beatitudinis suae consortes agnoscent! Si in hac vita liberi agnoscunt suos parentes et parentes agnoscunt suos liberos, utique etiam in vita futura Abraham, prophetae et apostoli parentes spirituales agnoscent filios suos spirituales, puta omnes electos, et vice versa. Absurdum enim foret, majorem cognitionem in hac quam in futura vita statuere.

8) *A societate mutuae conjunctionis.* Ut ecclesia in terris militans est unum corpus mysticum fidei et caritatis vinculo per Spiritum sanctum conjunctum; sic ecclesia in coelis triumphans itidem est unum corpus mysticum ex angelis et beatis hominibus plenitudine Spiritus invicem connexum, quae sanctorum communio in hac vita inchoata, in futura plenissime consummata mutuam cognitionem ad gaudii incrementum exigit. In plena illa divinae claritatis luce omnes ignorantiae tenebras dispellente membra unius corporis sese invicem utique agnoscent. Idem docent pii veteres. Hugo Eterianus in libr. de regressu animarum: *Omnes mortui se vicissim cognoscunt et cognoscuntur. Hoc te docet Abraham, hoc suggerit Lazarus, hoc affirmat dives.* Vide omnino Damascenum in serm. de defunctis, ubi ex Chrysostomo probat, *eos, quos in hac vita nunquam vidimus, tunc fore nobis notos*, ac Chrysostomum ipsum in epist. ad Cyriac. monach. Theophylactum in cap. 16. Luc. Confer ex nostris Chytraeum in libr. de vita et morte pag. 52. et seqq. Wilhelm. Bidenbachium decad. 6. consil. 2. Urbanum Rhegium decad. ejusd. consil. 3. Joh. Pfeffingerum decad. ejusd. consil. 4. a Felic. Bidenbachio edit. Mehlfuererum decad. 6. vindic. evangel. dom. 16. post Trinit. th. 26. et seqq.

2. An beati damnatos agnituri.

148. 2. *An beati in vita aeterna agnatos suos inter damnatos sint visuri et agnituri?* Sicut Abraham vidit *divitem epulonem* in flammis inferni constitutum, quem ratione carnalis propaginis *filium suum* vocat Luc. 16, v. 25. sic beati etiam suos notos et cognatos, quos in hac vita caros habuere, inter damnatos videbunt, quotiescunque voluerint, sed absque ullo commiserationis affectu et absque gaudii sui perturbatione, quia voluntas ipsorum divinae voluntati perfecte erit conformis. Quare quos a Dei facie in aeternum abjectos noverunt, illis etiam aliquod auxilium vel solatium ex inordinato amoris affectu minime optabunt, ut in eadem parabola divitis exemplum docet, quia ne guttulam quidem aquae ab Abrahamo impetrare potest. Psalm. 58, v. 11: *Laetabitur justus, cum viderit vindictam.* Perturbatio ergo gaudii non est metuenda ex illa visione, quia abolitus erit omnis carnalis affectus, quo beati in hac vita cognatos suos fuere prosecuti. Deus multo ardentius dilexit genus humanum, quam in hac vita ullus parens diligere potest suum filium, quia *unigenitum suum Filium mundo dedit* et ad redimendum humanum genus in mortem tradidit, non tamen ex intuitu damnatorum ipsius felicitas
A. X. 499. et gaudium ulla ratione turbari poterit, Prov. 1, v. 26: *Ridebo in interitu vestro.* Major affectus exstinguet minorem, spiritualis et coelestis carnalem. Gregorius libr. 4. dialog. cap. 44: *Si nunc quoque viventes justi mortuis et damnatis injustis minime compatiuntur, quando adhuc aliquid judicabile de sua carne se perpeti etiam ipsi noverunt; quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni vitio corruptionis exuti ipsi jam justitiae vicinius atque arctius inhaerebunt! Sic quippe eorum mentes per hoc, quod justissimo judici inhaerent, vis districtionis absorbet, ut omnino eis non libeat, quidquid ab illius aeternae regulae subtilitate discordat.* Beda in comm. Luc. 16: *Justi in tormentis semper intuentur injustos, ut hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt, quod misericorditer evaserunt, tantoque majores redemtori suo gratias referunt, quanto evidentius vident in aliis, quid ipsi perpeti, si essent neglecti, potuerunt.* Ambrosius Ansbertus l. 6. comm. in c. 14. Apoc.: *Quia coelestis patriae cives perfectum gaudium ex visione conditoris sui habebunt, procul dubio ex miserorum cruciatu nullum moerorem contrahent, et quia eos minime ad veniam redire posse considerant, profecto ad eos nulla misericordia se inclinant.* Anshelmus in elucidario: *Justi videbunt malos in poena, ut magis gaudeant, quod hanc evaserunt poenam. Licet pater videat filium aut filius patrem in poena, non solum non dolent, sed etiam ita est eis delectabile, sicut nobis, cum videmus pisces in gurgite ludere.* Isidorus lib. 2. de summ. bono c. 33: *Non faciet cor justorum miserum ex compassione damnatorum condolendi affectio, ubi tantum erit sanctorum de Dei contemplatione gaudium, ut tristitiae nullus tribuatur introitus.* Honorius Augustodunensis dialog. de lib. arbitr. et praedest.: *In coelo nulla est miseria, ideo nullus dolor in inferno positorum tangit praecordia electorum, sed ut noster visus pascitur, si diversa animalia a nobis in gurgite ludere cernantur, ita ipsi in universa Dei dispositione laetantur.*

3. [An vir]tut[es ha]bit[u]al[es] be[atis] a[dimen]tur.

149. 3. *An virtutum habitus in animabus beatorum sint mansuri?* Distinguunt Scholastici inter *virtutes theologicas*, quae sunt *fides*, *spes*, *caritas*; et *intellectuales* ac *morales*, quarum quatuor constituunt cardinales, quae sunt *justitia*, *prudentia*, *fortitudo et temperantia.* Quod attinet virtutes theologicas, ex illis *fidem et spem* desituram, *caritatem* vero permansuram statuunt. Argumentum assertionis suae primarium petunt ex 1. Cor. 13, v. 8: *Caritas nunquam excidit.* v. 10. *Cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* v. 13. *Nunc manent fides, spes, caritas, tria haec, major autem his caritas.* Thomas 1. 2. q. 67. art. 3: *Quandoque imperfectio est de ratione rei, tali imperfectione sublata tollitur species rei; quandoque vero accidit individuo secundum aliquid aliud, tali imperfectione sublata nihilominus manet substantia rei. Imperfectio cognitionis est de ratione fidei, ut scilicet credens non videat id, quod credat. Ergo fides in patria abolebitur, cui succedet praesens et intuitiva visio.* art. 4: *Pari ratione spes de sui ratione importat imperfectionem, scilicet motum quendam in id, quod non habetur. Ergo etiam spes in patria abolebitur, cui succedat praesens fruitio sive tentio.* art. 6: *De caritatis ratione non est imperfectio, nihil ergo prohibet, eam sine imperfectione manere in patria.* Idem repetit 2. 2. q. 18. art. 2. Biel 3. sent. dist. 31. q. unic. hac de re sic disserit: *Cum* IX
visione non potest stare actus fidei ejusdem objecti, nec cum actu spei actus tentionis ejusdem objecti,

quia non potest idem cognosci evidenter et obscure, nec idem teneri ut praesens et desiderari ut absens; interim tamen habitus non opponuntur actibus oppositi habitus. Nota ergo, circa rationem apostoli fidem desituram, quia est ex parte, quod aliter fides et spes, aliter caritas imperfecta. Fides et spes in suis actibus includunt imperfectionem essentialiter, scilicet inevidentiam et objecti absentiam, ita quod si notitia fieret evidens, jam non sit actus fidei. Similiter amor si fuerit respectu praesentis, jam non est actus spei, non sic de caritate, quia non determinat necessario quandam imperfectionem nec in habitu, significat enim in genere habitum inclinantem ad Deum diligendum in se etc. Eodem sensu dictum apostolicum exponunt Chrysostomus, Theodoretus et Anshelmus in commentar. quod *caritas ideo dicatur major fide et spe*, quia hae virtutes transeunt, illa vero manet in vita aeterna. Sed Tertullianus libr. de patientia cap. 12. et ante illum Irenaeus lib. 2. cap. 47. pag. 148. plane contrario modo textum accipiunt, ac quia apostolus dicit *νυνὶ δὲ μένει τὰ τρία ταῦτα*, existimant, *non solum caritatem, sed etiam fidem ac spem in vita aeterna esse mansura.* Dicimus ergo 1) apostolum in his verbis loqui de duratione in hac vita, ut patet ex vers. 8. quia enim haec tria Spiritus sancti dona, *fidem, spem et caritatem manere* dicit, eo ipso innuit, reliqua charismata, utpote dona miraculorum, prophetiae, linguarum, sanationum etiam in hac vita in ecclesia desitura. 2) Irenaeum et Tertullianum per *fidem* in genere intelligere firmam cognitionem, qualis etiam est *visio Dei*, ac per *spem* firmam adhaesionem in Deo amato, quae est *fruitio Dei.* 3) Distinguendum esse inter fidei et spei *actum* eorundemque *habitum.* Actus eorum, quia imperfectionem quandam essentialiter includit, desiturus est; habitum vero tanquam spiritualem animae ornatum permansurum. 4) In fide non solum est *notitia et assensus*, sed etiam *fiducia.* Quodsi vel maxime fides in vita aeterna non erit talis notitia et assensus, qualis in hac vita, ubi per *speculum et in aenigmate cognoscimus*, tamen erit notitia longe perfectior, videlicet *intuitiva*, et assensus longe firmior, videlicet rei perfectissime cognitae, ac *fiducia* longe confirmatior, quia bono suo se nunquam privandos esse beati plenissime scient. Quod attinet *virtutes intellectuales ac morales*, circa illas distinguunt inter *materiale et formale.* Thomas 1. 2. q. 67 art. 1: *Est in virtutibus moralibus aliquid quasi formale et aliquid quasi materiale. Materiale in illis est inclinatio partis appetitivae ad passiones vel operationes secundum modum aliquem, sed quia iste modus determinatur a ratione, ideo formale in omnibus virtutibus est ipse ordo rationis. Quantum ad materiale, non manebunt virtutes morales, quia non erit ibi concupiscentia refrenanda; quantum ad formale, manebunt, in quantum ratio uniuscujusque rectissima erit circa ea, quae ad ipsum pertinent secundum statum illum, et vis appetitiva omnino movebitur secundum ordinem rationis.* art. 2: *Quantum ad materiale, i. e. phantasmata, ad quae respiciendo homo in hac vita intelligit, non manebunt virtutes intellectuales, bene autem quantum ad formale, i. e. quantum ad species intelligibiles, quae sunt in intellectu possibili.* Bonaventura 3. sent. dist. 33: *Virtutes cardinales manent in patria, quia non includunt essentialiter imperfectionem, sicut fides et spes; habent etiam actus in patria, sed tamen alios quam in via. Justitia ibi excludit obliquitatem,* XX. 501.
prudentia errorem, fortitudo molestiam, temperantia omnem libidinem; in via pugnant contra vitia, in patria gaudent de victoria.

Quaestio de bonis corporis, 1. in gene an in co poribus glorificat futura sit potentia contradictionis.

150. 2. De *bonis corporis* 1. *in genere* quaeritur, *an in corporum glorificatorum materia futura sit potentia ad aliam formam et proinde etiam potentia contradictionis ad esse et non esse?* Thomas 4. sent. dist. 44. q. 2. art. 1. respondet, *potentiam contradictionis ligatam fore in vita aeterna.* At si *ligata tantum et restricta*, metuendum forte fuerit, ne tandem in actum prorumpat. Rectius ergo statuitur, in corporum glorificatorum materia potentiam illam contradictionis *penitus abolendam.* Quodsi namque forma coeli ob sui nobilitatem ac dignitatem appetitum materiae ita exsatiat, ut aliam formam neutiquam admittat, utique etiam de forma corporum glorificatorum, quae *coelestia* apostolus vocat, idem omnino statuendum. Adde, quod appetitus ille, quem philosophus materiae tribuit, nequaquam intelligendus sit *active* eo sensu, quasi expulsionem prioris formae ipsa semper meditetur, nec contenta sit illa forma, qua informatur, sed quod forma priore per causas exterius in materiam agentes expulsa novam haud invita admittat, ut Scaliger ostendit. Jam vero corpora glorificata futura sunt *impassibilia*, utique ergo externarum causarum impetus in ea nil quidquam juris vel potestatis obtinebit.

2. In spec 1. de cla tate. 1. An be torum co pora futu sint dia phana.

151. 2. *In specie*, et quidem 1. *de claritate* quaeritur 1) *an beatorum corpora non solum futura sint exterius clara et splendida, sed etiam interius diaphana, visui glorificato pervia ac transparentia, ut omnia etiam intima viscera oculis intuentium pateant?* Affirmant Augustinus libr. 22. de civ. Dei cap. 30. Gregorius in comm. Job. 28. ad illa verba: Non adaequabitur illi aurum aut vitrum, Anshelmus in elucidario, Thomas in addit. q. 85. art. 1. ad 2. negat vero Bonaventura 4. sentent. distinct. 49. q. 1. Sed prior sententia *gloriae creatoris* ac *felicitati beatorum* magis congruit. 2) *An lux glorificatorum corporum a luce solis specie distinguatur?* Negat Thomas in addit. q. 85. art. 2. ad 1. *Gloriae claritas*, inquit, *erit alterius generis quam claritas naturae quantum ad speciei causam, sed non quantum ad speciem, unde sicut claritas naturae ratione speciei suae est proportionata visui, ita claritas gloriosa.* Posset pro hac Thomae sententia urgeri, quod Christus, Daniel et Paulus claritatem sanctorum conferant *splendori solis et stellarum.* Quidam addunt hoc argumentum: *Difficile est excogitare lucem corpoream diversam specie ab hac luce, quam cernimus, sicut difficile excogitare candorem aliquem corporeum diversum specie ab eo, quem videmus.* Sed idem

2. An lu corporu glorificat rum a lu solis spe distingue tur.

Thomas 3. sent. dist. 16. art. 1. ad 4. rectius contrarium statuit. *Gloriosi corporis qualitas*, inquit, *visum non corrumpit, sed demulcet, et hoc contingit, quia est alterius generis quam claritas naturalis.* Probatur haec sententia tali argumento: Claritas *naturalis et supernaturalis*, *terrena et coelestis* toto genere differunt. Jam vero glorificatorum corporum claritas erit supernaturalis et coelestis. Ergo
XX. 502. a naturali et terrena gloria toto genere distans. Qualis corporum glorificatorum est status et conditio, talis etiam claritas. Jam vero status glorificatorum corporum non est physicus et terrenus, sed hyperphysicus et coelestis. Ergo etiam talis erit eorum claritas, quae Apoc. 21, v. 23. vocatur *claritas Domini*, 1. Tim. 6, v. 16. *lux inaccessa.* Chrysostomus epist. 5. ad Theodor. lapsum: *Omnia ibi dies, splendor et lux erunt, lux non quae nunc est, sed plane alia, quae hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lychni. Oculus non vidit, quid praeparaverit Deus se diligentibus* Esa. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9. jam vero naturalem et terrenam claritatem oculus vidit. Qualis gloria angelum nativitatis Dominicae praeconem circumfulsit Luc. 2, v. 9. in qua claritate Elias et Moyses in transfiguratione Christi apparuerunt Matth. 17, v. 2. Luc. 9, v. 31. talis etiam beatorum erit claritas. Atqui illa non fuit naturalis et vulgaris, sed tota genere diversa. Christi facies in transfiguratione dicitur fulsisse *instar solis* Matth. 17, v. 2. ergo fuit tantum similis claritas solaribus radiis, non autem ejusdem cum ea generis. Jam vero corpora glorificata erunt Christi corpori

3. An claritas glorificati corporis oculos intuentium offendat.

conformia Phil. 3, v. 21. 3) *An claritas glorificati corporis oculos intuentium offendat?* Respondemus: Oculos nondum glorificatos offendit, ut patet ex visionibus angelorum et manifestationibus divinis. Augustinus lib. 22. de civ. Dei cap. 19: *Claritas in Christi corpore, cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse quam defuisse credenda est, non enim eam ferret humanus atque infirmus adspectus.* Ratio pendet ex improportione oculorum nondum glorificatorum et claritatis coelestis ac supernaturalis, itemque ex tenebris peccatorum in corpore mortali et corruptibili adhuc haerentibus. Sed glorificatos oculos claritas illa non solum non offendit, sed etiam maximopere delectat. Thomas 3. sent. dist. 16: *Claritas corporis gloriosi quamvis excedat claritatem solis, tamen sua natura non offendit visum, sed demulcet.*

4. An possit corpus glorificatum se subtrahere a conspectu hominis nondum glorificati.

4) *An possit corpus glorificatum se subtrahere a conspectu hominis nondum glorificati et in tenebris latere?* Quidam negant argumento eo, quod splendor corporis glorificati tenebras dispellat ac proinde latere et visum effugere minime possit. Sed Thomas additam. q. 85. art. 2. ad 3. rectius affirmat. Est enim in potestate corporis glorificati videri et non videri ab hominibus nondum glorificatis, ut patet exemplo Christi post resurrectionem suam ex libera οἰκονομίᾳ quibuscunque voluit sese manifestantis ac quibuscunque voluit conspectum sui negantis. Atqui inquis, *si fulgor est essentialis proprietas corporis glorificati, non erit voluntati beati subjectus, ut juxta ejus imperium vel videatur, vel non videatur.* Responderi potest; hoc fieri per aliquam potestatem supernaturalem beato divinitus concessam, ut apparet ex eorum, qui cum Christo resurrexerant, exemplo, qui *civitatem sanctam ingressi* non omnibus promiscue sed *multis*, quibus scilicet voluerunt, dicuntur *apparuisse* Matth. 27, v. 53.

2. De impassibilitate. 1. an in corpore glorificato sint qualitates quatuor elementorum. XX. 503.

152. 2. De *impassibilitate* quaeritur, 1. *an in corpore glorificato sint qualitates quatuor elementorum?* Respondemus: Ratione essentiae erunt vera corpora, ideoque etiam mixta et elementares qualitates habentia, interim ad perfectissimam harmoniam reductae non pugnabunt invicem nec subjecto interitum molientur. Quodsi enim in corpore primi hominis tam exactam qualitatum harmoniam divina potentia ac sapientia constituere potuit, ut nullum moriendi periculum ei immineret, si in concreata integritate permansisset; quanto magis in corpore spirituali et glorificato idem locum habebit? Nec tamen sequitur, *qualitates illas fore otiosas*, quia etsi nihil acturae sint *in genere causae efficientis*, non tamen carebunt *effectis suis formalibus.* Illud quidam sic efferunt. Qualitates elementares considerantur dupliciter, 1) *ratione actus primi*, unde habent hoc, quod sunt et a se invicem variant; 2) *ratione actus secundi*, quo se mutuo invadunt et hostiliter impugnant. Priori modo erunt in corporibus glorificatis, posteriori vero minime.

2. An calor nativus agat in humidum radicale.

2. *An calor nativus agat in humidum radicale?* Minime vero, quia cibo et potu beatis non erit opus, ac si talis actio locum haberet, plenaria ἀφθαρσία a corporibus glorificatis exsularet.

3. Unde corporis impassibilitas in beatis.

3. *Unde illa corporis impassibilitas in beatis?* Thomas additam. q. 82. art. 1. causam statuit in plenario animae in corpus dominio. *Omnis*, inquit, *passio fit per victoriam agentis super patiens. Impossibile est autem, quod aliquid dominetur super patiens, nisi in quantum debilitatur dominium formae propriae super materiam patientis. Corpus autem humanum et quidquid in eo est, erit perfecte subjectum animae rationali, sicut anima perfecte subjecta erit Deo, et ideo in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispositionem illam, qua perficitur ab anima, et ita corpora erunt impassibilia.* Sed rectius statuitur, impassibilitatem fore peculiarem aliquam et supernaturalem corporis glorificati proprietatem divinitus ei concessam et subjective eidem inhaerentem.

4. An corpus glorificatum possit vulnerari?

4. *An corpus glorificatum possit vulnerari?* Respondent quidam ex Scholasticis, nullos fore gladios, a quibus beatorum corporibus immineat periculum. Rectius dicitur, per dotem *impassibilitatis* ab omni interna et externa laesione beatos immunes fore. Si coelum, quod tamen corpus naturale, ab externis passionibus creditur liberum, quanto magis per supernaturalem *impassibilitatis* proprietatem glorificato corpori hoc praestari poterit?

3. De agilitate. 1. An a corpore glorificato

153. 3. De *agilitate* quaeritur, 1. *an a glorificato corpore pondus sive gravitas sit auferenda?* Quidam ex Scholasticis, ut Scotus et Paludanus, negant, quia corpori humano naturale est esse ponderosum, cum

auferenda gravitas?

constet non solum ex elementis *levibus*, igne et aëre, sed etiam *gravibus*, aqua scilicet et terra. Sed plerique ex veteribus affirmant. Chrysostomus homil. 41. in 1. Corinth.: *Eodem corpore sed aliter comparato resurgemus, corruptionis indiciis scilicet et illa, quae sensu comprehendi potest, crassitudine in coelestem quendam fulgorem mutatis.* Augustinus libr. 22. de civ. Dei cap. 11: *Itane Deus terreno corpori grave pondus auferre non poterit, ut in eodem elemento habitet vivificatum corpus, in quo vo-*
XX. 504. *luerit vivificatus spiritus?* in enchirid. c. 91: *Resurgent sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit.* Illud certum est, si quid ponderis in corpore glorificato mansurum, eo potentiae motrici nullum oblatum iri impedimentum, quo minus in momento illud moveri possit, quocunque velit; erit enim corpus spirituale, id est spiritui perfectissime obediens.

2. An beati possint se movere in instanti?

2. *An beati possint se movere in instanti medio non pertransito?* Negat Thomas in addit. q. 84. art. 3. cum corpus glorificatum moveatur in tempore quamvis imperceptibili propter brevitatem. Sed probatur nobis modestia Augustini l. 22. de civ. Dei cap. 30. sic scribentis: *Qui motus talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tempus ibi non erit amplius* Apoc. 10, v. 6. ergo etiam poterunt in instanti sese movere. Confer ea, quae disputant Scholastici de motu angelorum, illis enim beati similes erunt.

4. De subtilitate, unde ea originem trahat in corporibus glorificatis?

154. 4. De *subtilitate* quaeritur, *unde ea originem trahat in corporibus glorificatis?* Thomas itidem ad animae imperium confugit. *Prima,* ait in addit. q. 83. art. 1. *subjectio, qua corpus animae subjicitur, est ad participandum esse specificum, prout subjicitur sibi, ut materia formae, et deinde subjicitur ei ad alia opera animae, prout anima est motor. Et ita prima ratio spiritualitatis in corpore est ex subtilitate et deinde ex agilitate et aliis proprietatibus corporis gloriosi.* Sed rectius dicitur, *subtilitatem* itidem esse peculiarem et supernaturalem aliquam corporis glorificati proprietatem divinitus ei concessam et subjective eidem inhaerentem, quae ad plenam et perfectam beatitudinem totius compositi requiritur.

Quaestio de bonis externis, an beatorum corpora vestibus induenda?

155. 2. De bonis *externis* quaeritur, *an beatorum corpora vestibus induenda?* In Apocalypsi tribuuntur beatis *stolae candidae* cap. 3, v. 18. cap. 4, v. 4. cap. 7, v. 13. cap. 19, v. 8. etc. sed hoc *parabolice* ac *mystice* accipiendum de beatorum munditie, puritate, laetitia et perpetua festivitate. Neque enim beatorum corpora indigebunt vestimentis. 1) Adamus in statu innocentiae nullis utebatur vestibus, sed post lapsum demum eas quaesivit; quanto minus beati vestimentis indigebunt. 2) Vestibus utimur ad prohibendas aëris injurias. Atqui *in novo coelo ac nova terra* nullae metuendae erunt aëris injuriae. Ver ibi perpetuum est. 3) Vestibus utimur ob verecundiam ad tegendas partes corporis illas, quas natura voluit esse tectas. Atqui sublata penitus ex omnibus corporibus membris prava concupiscentia non erit necessarium partes illas tegere. 4) Vestibus utimur ad decorem. Jam vero corpora beatorum erunt fulgida, splendida, formosissima, ergo non indigebunt adsciticio quodam decore. Anshelmus in elucidario: *Beati nudi erunt, sed omni decore fulgebunt et non plus de illis membris quam nunc de gratiosis oculis erubescent.* Quidam ex Scholasticis statuunt, *beatos habituros vestes, non quidem ex auro vel serico sed ex luce.* At haec non est vestis proprie dicta, sed metaphorica et analogica, sicut etiam de Deo dicitur Psalm. 104, v. 2: *Laudem et* XX. 505.
gloriam induisti, amictus lumine sicut vestimento. Posset haec opinio confirmari ex eo, quod angeli apparent in *vestibus candidis ac fulgentibus,* jam vero beati erunt ἰσάγγελοι. Sed vestibus illis usi sunt eodem fine, quo corpora ad tempus assumserunt, videlicet ob ministerium hominibus praestandum, ut ab illis conspici possent, quibus nuda corpora ostendere noluerunt, et ut naturae suae puritatem symbolice ipsis praefigurarent.

Antithes. 1. Judaeorum recentiorum.

156. Antithesis. 1. *Judaei recentiores* vitae aeternae gaudia in corporalibus voluptatibus, cibo, potu, venere etc. collocant, quibus merito opponuntur tum *diserta Scripturae dicta.* Rom. 14, v. 17: *Regnum Dei non est esca et potus, sed justitia, pax et gaudium in Spiritu sancto.* Matth. 22, v. 30: *In resurrectione non nubent nec nuptui dabuntur, sed sunt sicut angeli in coelo.* Apoc. 7, v. 16: *Non esurient nec sitient amplius* etc. quorum auctoritatem si velint elidere, addendum Dei promissum Gen. 15, v. 1. Abrahamo factum: *Ego ero merces tua magna valde;* tum *veterum rabbinorum pronuntiata.* Josephus Albo Soriensis in l. articul. fidei serm. 4. c. 30: *Seculum futurum est seculum post mortem, cum anima separata est a corpore, in quo neque comedunt, neque bibunt, neque Veneri operantur.* Weidnerus in loc. fid. praecip. tract. 2. p. 236. adducit dictum rabbini Moysis. *Est,* inquit, *communis determinatio apud Hebraeos, prout rabbinus Moyses dicit, quod in alia vita non est cibus, nec potus, nec actus venereus, aut aliae voluptates temporales, sed justi delectabuntur ex splendore divinae gratiae et participatione sempiternae gloriae.* Galatinus l. 12. de arcan. c. 6: *Messiam ipsum futurum justorum mercedem ac praemium, id prisci quoque thalmudistae apertissime tradiderunt. Nam in libro, qui seder olam, i. e. ordo mundi, dicitur, sic ad verbum legitur: Scriptum est Dan. 2. novit quid in tenebris est et lux cum eo habitat. Novit, inquit, quid in tenebris est, haec est perpetua impiorum poena in gehenna, et lux cum eo habitat, haec est donatio mercedis justorum in futuro seculo. Quod autem haec lux, quae est futurum justorum praemium sive merces, sit Messias ipse, in beresith ketanna, i. e. in expositione libri Geneseos minori, manifeste habetur, cum super illud Gen. 1. in principio creavit Deus etc. sic dicitur: Dixit rabbinus Abba: Scriptum est Dan. 2. et lux cum eo est, haec lux est rex Messias. Confirmatur haec thalmudistarum sententia ex Gen. 15. ne timeas Abraham,*

ego ero scutum tuum et merces tua magna valde. Ea propter ipse dixit Joh. 10. ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet. Pascua, aeternae scilicet beatitudinis, inveniet in me, supple intus et foris. Intus per claram divinitatis visionem perfectamque fruitionem; foris per gloriosae humanitatis intuitionem. Quod vero in Scripturis beatitudo aeterna comparatur *convivio ac nuptiis* Esa. 25, v. 6. cap. 65, v. 13. Matth. 8, v. 11. Luc. 22, v. 30. Apoc. 19, v. 9. id intelligendum juxta vulgatam regulam, quod sancti Dei homines gaudia futuri seculi μυστικῶς καὶ παραβολικῶς describant verbis praesentis seculi, sicut beneficia novi testamenti prophetae describunt verbis ex cultu et consuetudine veteris testamenti desumtis. Si τῷ ῥητῷ praecise hic velimus insistere, consequens foret, Christum fore mensae, cui beati assident, et laetitiae coelestis administrum.
XX. 506. Luc. 12, v. 37. Potest hoc contra Judaeos probari ex Prov. 9, v. 2. ubi sapientia describitur hoc modo, quod *miscuerit vinum et mensam apposuerit.* Ea vero in sensu literali et proprio accepta sapientiae convenire nequeunt, quippe cujus natura spiritualis est; cibi ergo ac potus nomine intelligitur non alimonia corporalis sed Dei notitia, sincerus amor et gaudium ex divina praesentia in aeterna vita profluens, quibus bonis anima non minus satiabitur, quam corpus in hac vita cibo ac potu satiari et oblectari consuevit, sic enim exponitur Psalm. 36, v. 9: *Inebriabuntur ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos.* Adde, quod res ipsa ostendat, nec cibi, nec potus, nec generationis usum in vita aeterna futurum, quia enim corpora erunt *spiritualia* et non amplius animalia, ideo de substantia eorum nihil deteretur, quod reparatione per cibum ac potum indigeat; quia erunt *immortalia*, ideo per generationem non erunt alii in locum praecedentium surrogandi. Otto Frisingensis libr. 8. chronicor. c. 35: *Non credendum est, animas exutas corpore vel post resurrectionem spiritualia corpora, angelicis spiritibus puritate ac dignitate non inferiores, rebus exterioribus, sicut in hac vita, delectari. Proinde sicubi sacra Scriptura, floridis et virentibus campis, amoenis locis, garritu avium, odoriferis rebus, utpote cinnamomo et balsamo, sensus eorum refici et affici dicit, spiritualiter hoc potius quam carnaliter accipiendum videtur. Quamvis et propter simplices, qui lacte, non solido cibo alendi sunt, quorum sensus nondum exercitati spiritualem jucunditatem comprehendere nequeunt, haec frequenter et a quibusdam doctoribus ponantur, ut sic per visibilia ad invisibilia cognoscenda et inquirenda mittantur.*

2. Mahumeti. 157. 2. *Mahumetus* in Corano et Zuna, libris apud ipsius sectatores fidei authenticae et indubitatae, *splendidissima palatia, regales epulas, choreas et virginum amplexus* beatis in paradiso pollicetur ac talem post resurrectionem beatorum vitam fingit, qua *dulcissimis aquis, salutifero potu, pomis multimodis, fructibus variis, decentissimis atque mundissimis mulieribus, annulis aureis, vestibus sericis, lectis aulaeatis etc.* beati fruantur. In lib. 1. Corani a Salom. Sweigero editi c. 13. p. 70. Mahometus sic describit paradisum, quod *ex smaragdis et hyacinthis totus sit exstructus, quod fontes mellis, lactis et vini in eo fluant, quod unius diei spatium mille annos exaequet* etc. *quod incolae paradisi utantur vestibus omnis generis coloribus, excepto atro, tinctis, quod omnes sint in statura Adae et forma Christi; quod primum epulum in paradisum adventantibus exhiberi solitum paretur ex hepate piscis Albehut vel Alimpeput dicti, cibo admodum dulci ac delicato, quod abundent carnibus omnis generis sola porcina excepta;* p. 72. *quod concubinarum et scortorum innumerabilis copia cuique praesto sit futura.* lib. 2. c. 28. p. 173: *Fideles habitabunt in paradiso in medio amoenissimorum fontium, ornati erunt annulis et torquibus aureis, induti serico* etc. lib. 3. c. 19. p. 213: *Beati in paradiso voluptatibus omnigenis circumfluent, fruentur pulcherrimarum feminarum consortio, quarum oculi sunt lucidi et ovis magnitudine respondent.* c. 20. p. 215. *Vescentur pomis variis, bibent suavissimos syrupos, conjuges habebunt pulcherrimas, quae oculos suos non alio quam in ipsos dirigent.* c. 25. p. 225. *Palatia erunt tecta argento, in cubilibus erunt lectuli aurei.* c. 26. p. 227. *Vestibus induentur auro intertextis, bibent ex fon-* XX. 507. *tibus dulcissimis, consuescent cum virginibus, quarum oculi lucidissime fulgent, supercilia autem sunt nigricantia.* c. 37. p. 238. *tapetiis insidebunt aureis, fruentur consortio virginum maritis intactarum.* c. 58. p. 254. *bibent ex poculo, quod formatum ex canfora, habitabunt sub umbrosis arboribus, vescentur pretiosissimis fructibus, bibent ex poculis argenteis et crystallinis.* c. 60. p. 256. *abundabunt palmis ac vitibus, cohabitabunt ipsis virgines oculis lucidissimis et amplissimis ac mammis compressis ac rotundis ornatae* etc. Hujus generis plura in Corano ubivis occurrunt, de quibus haud injuria sic pronuntiat Gersonius part. 4. serm. de omnib. sanctis q. 1: *Paradisus Saracenorum, qui consistit in comedendo, bibendo, luxuriando, potius ad mutas bestias, quam ad homines spectat.* Avicenna quidem in metaph. scribit, *sermones illos esse metaphoricos, quod non potuerint exprimi*, ut opinatur, *voluptates honestae alterius vitae praesertim rudibus hominibus nisi vocabulis delectationum vulgarium, quae in hoc mundo percipiuntur.* Sed hujus glossae nullum in textu exstat vestigium.

158. 3. *Chiliastae*, *Cerinthiani*, *Nepotiani* etc. 3. Chiliastarum. regnum Christi in his terris mille annos in corporeis voluptatibus duraturum docebant, de quibus in tract. de consumm. seculi §. 67. et seqq. 4. *Ori-* 4. Origenis *genes* hom. 11. in Num. putat, *in vita futura quosdam homines non Deum, sed angelos tantum visuros esse, et Deum homines alios aliis angelis subjecturum esse.* Idem l. 1. περὶ ἀρχῶν c. 9. *perpetuum quendam felicitatis et miseriae circulum* confingit, cui opponimus illud Augustini l. 22. de civ. Dei cap. 20: *Quid ea beatitudine fallacius, ubi nos futuros miseros aut in tanta veritatis luce nesciamus, aut in*

5. Methodii. *summa felicitatis arce timeamus?* 5. *Methodius* serm. de resurrect. videtur sentire, *beatos post resurrectionem non in coelis, sed in paradiso futuros. Oportet enim*, inquit, *in propria sui habitus figura unumquodque creatum manere, ut omnia omnibus sint impleta, coeli angelis, throni potestatibus, lumina ministris, diviniores loci et pura lumina ipsis Seraphin, qui assistunt magno senatui universa*
6. Pepuzianorum. *continenti, mundus hominibus.* 6. *Pepuziani* vitam aeternam et Hierusalem coelestem in hac vita constituebant. Pepuzam enim, locum quendam superioris Phrygiae, *coelestem* dixerunt esse *civitatem* et Hierusalem, de qua prophetae vaticinati sint, de qua Hebr. 12, v. 22. et Apoc. 21, v. 2. ad quam nobis omnibus sit adspirandum. Epiphanius haeres. 49.
7. Aeternalium. Augustinus de haeres. c. 27. 7. *Aeternales* referente Augustino de haeres. c. 67. ex Philastrio, *mundum hunc etiam post resurrectionem mortuorum in eodem statu, in quo nunc est, docuerunt esse mansurum, neque ita esse mutandum, ut sit coelum novum et*
8. Pelagianorum. *terra nova, sicut sancta Scriptura promittit.* 8. *Pelagiani ac Coelestiani* somniabant, *vitam aeternam esse extra regnum et paradisum Dei.* Augustinus de haeres. c. 88: *Pelagiani, quorum sectatores Coelestiani, parvulis, quos sine ullo peccati originalis vinculo nasci dicunt, etiamsi non baptizentur, promittunt extra regnum quidem Dei, sed tamen aeternam et beatam quandam vitam suam.* Idem lib. 3.
XX. 508. de anim. et ejus orig. c. 14: *Vincentius Victor dixit, aliquas mansiones esse extra regnum Dei earum,*
9. Joviniani. *quas Dominus dixit esse in domo Patris sui.* 9. *Jovinianus* docebat, *in regno coelorum par fore omnium*
10. Armeniorum. *praemium*, Hieronymus lib. 2. adv. Jovinian. 10. *Armenii* docuerunt, quod *homines mediocriter mali post judicium non sint ituri in paradisum coelestem, sed mansuri in terra, et quod bonorum animae ducendae sint in terram et sicut aves super arbores volaturae*, Guido de Armeniis.

11. Pontificiorum. 159. 11. *Pontificii* 1. *ratione essentialis beatitudinis alios aliis beatiores fore asserunt.* Gregorius de Valentia tom. 1. comm. in Thom. p. 235: *Ex fide est illa assertio, alios majorem beatitudinem accepturos quam alios, atque adeo posse Deum magis ac minus perfecte videri intellectu creato pro diversitate luminis gloriae, quod quisque majus vel minus participabit juxta proportionem caritatis, quam habuerit in hac vita.* Becanus part. 1. theol. schol. c. 9. q. 9: *Non omnes aeque beati sunt, quia non omnes beati aeque perfecte vident divinam essentiam, et ratio est, quia merita sunt inaequalia.* Idem in append. tract. de purgat. Calvinist. c. 5. p. 79: *Sicut non omnes habuerunt aequalia merita, sic non omnes habent aequale praemium, quod in essentiali beatitudine consistit, i. e. non omnes aeque clare et perfecte Deum vident, et consequenter, non omnes aeque intense eum amant, nec aequale gaudium de illo viso et amato percipiunt.* Contra vero Scriptura sacra omnibus vere piis *unam beatitudinem, unam vitam aeternam, unum essentiale praemium*, Dei scilicet visionem, promittit Luc. 20, v. 36. 1. Cor. 15, v. 28. 1. Joh. 3, v. 2. etc. ac omnem imperfectionem ab omnibus beatis removet 1. Cor. 13, v. 10. Gradus quidem gloriae distinctos fore docet, sed unam omnibus beatitudinem tribuit, quae per fidem ex Christi merito, non autem per propria merita piis obtingit. Augustinus lib. de s. virginit. cap. 26: *Quia ipsa vita aeterna pariter erit omnibus sanctis, aequalis denarius omnibus attributus est.* Gregorius lib. 4. moral. c. 31: *Una cunctis erit beatitudo laetitiae, quamvis non una sit omnibus sublimitas vitae.* Bernhardus serm. de tripl. gen. bonor.: *Angelorum et hominum unum erit gaudium, unum colloquium, unum convivium, erit communis omnium potentia, sapientia, pax, justitia et intelligentia.* Ipse Vega Pontificius fulgore veritatis compulsus libr. 10. de justif. c. 7. sic scribit: *Gloria coelestis, quoad substantiam suam, quae est visio Dei aeterna, absque relatione ad opera datur. At gradus gloriae pro diversa proportione gratiae infusae confertur.*

160. 2. Fingunt certas quasdam *aureolas vel laureolas*, quarum alias *virginibus*, alias *martyribus*, De aureolis.
alias *doctoribus* imponendas statuunt. Nomen ipsum *aureolae* petitum esse statuunt ex cap. 25. Exod. v. 26. ubi coronam auream mensae instar limbi additam vulgatus interpres vocat *aureolam.* Ut enim mensa tabernaculi habebat duplicem coronam, alteram *interrasilem*, alteram *auream;* sic multos ex beatis dicunt duplicem accepturos coronam, alteram *magnam ac praeclaram*, id est beatitudinem essentialem, quam vocant *coronam auream*, alteram *minorem*, quae est praemium accidentale, quam vocant *aureolam.* Ejusmodi aureolas tres statuunt, quarum unam *martyribus*, alteram *virginibus*, tertiam *docto-* XX. 509.
ribus assignant. Martyrum aureolam probare conantur ex Apoc. 2, v. 17: *Vincenti dabo manna absconditum et dabo illi calculum candidum.* cap. 3, v. 21: *Qui vicerit, faciam eum sedere mecum in throno meo.* cap. 7, v. 14: *Laverunt stolas suas in sanguine Agni, ideo sunt in conspectu Agni.* Virginum aureolam petunt ex Esa. 56, v. 5: *Dabo eunuchis in domo mea et in muris meis locum* etc. Apoc. 14, v. 4: *Sequuntur Agnum, quocunque ierit.* Doctorum aureolam probant ex Dan. 12, v. 3: *Qui ad justitiam erudierunt multos, fulgebunt quasi stellae.* Sir. 24, v. 31: *Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.* Thomas in addit. q. 96. art. 11. ternarium aureolarum numerum deducit ex hoc fundamento. *Aureola est praemium privilegiatum respondens privilegiatae victoriae. Sunt autem tres victoriae privilegiatae in tribus pugnis, quae cuilibet homini adversus tres hostes imminent, ideoque tres etiam sunt aureolae. Est homini pugna adversus carnem, in hac victoriam privilegiatam virgines reportant; est pugna adversus mundum, i. e. adversus persecutores mundanos, in hac praecipuam victoriam martyres obtinent; est pugna adversus diabolum, in hac singularem triumphum doctores ferunt, qui non solum in se, sed etiam in aliis hunc hostem deterrimum docendo*

superant. Jacob. Bayus professor Lovaniensis in instit. relig. Christ. lib. 1. c. 373. p. 428. edit. Colon. an. 1620. numeri ternarii rationem petit ex virtutibus, quibus contra istum tricipitem Cerberum pugnatur. *Virtutes enim illae sunt potentia rationalis, cui respondet doctrina; irascibilis, cui martyrium; et demum concupiscibilis circa delectabilia versans, cui virginitas respondet, quibus tribus virtutibus eminenter Christo doctori justitiae, virgini ac martyri assimilamur.* Si quaeras, *an aureola illa animae an corporis bonum sit?* respondent, illam *praecipue* inesse animae, quia est gaudium, quod ex operibus illis percipitur, quibus aureola tribuitur, nimirum ex martyrio, ex virginitate, ex doctrina aliis tradita. Eandem tamen etiam in corpore apparituram. Quemadmodum enim ex gaudio essentialis praemii, quod est *aurea*, redundat quidam decor in corpore, qui est in gloria corporis; ita ex gaudio accidentalis praemii, quod est *aureola*, resultare aliquem in corpore decorem. Si quaeras, *quis tandem sit ille corporis decor?* respondet Scotus 4. sent. dist. 49. q. 5. art. 2. *aureolas esse coronas, ita ut in capite martyris corona cernatur rubra, in capite virginis candida, in capite doctoris viridis;* addit, *martyres etiam fortassis in manibus gestaturos palmas, virgines alba lilia, doctores virides ramos incorruptibiles.* **Lorinus in 1. Petr. 4: *Sicut designabatur utcunque martyris aureola per coronam, qua coronabatur altare thymiamatis Exod. 30, 3. virginis, qua arca Exod. 25, v. 11. sic doctoris per eam, qua panes propositionis Exod. 25, v. 30. doctrina enim panis est.*** Paludanus 4. sent. dist. 41. addit, *fore in corpore quandam decentiam et pulchritudinem singularem repraesentativam aureolae, praedicatori in ore, virginibus in illa parte, Martyribus in cicatribus vel aliis partibus corporis secundum genus martyrii.* Si quaeras, *quaenam sit praecipua aureola?* respondent, *primum locum obtinere aureolam martyrum, secundum sibi vendicare aureolam virginum, tertium doctorum, quia pugna ac victoria martyrum pugnas virginum doctorumque difficultates superat; certamen vero virginum superare cer-*
XX. 510. *tamen doctorum;* interim addunt, *aureolam doctoris superare aureolam virginis, si longo tempore docuit magnasque in docendo difficultates superavit.* Si quaeras, *an etiam Christo tribuenda sit aureola?* respondent negando. Cum enim aureola diminutionem participationemque gaudii designet et in Christo sit omnium plenitudo gaudiorum, ideo non esse ipsi tribuendas aureolas, sed eminentiorem quandam omnium virtutum et praemiorum perfectionem, cum ipse *germinet virgines, roboret martyres, doctores illuminet,* ac per ipsum plenissima de carnis infirmitate, mundo ac diabolo victoria obtineatur. Richardus tamen 4. sent. dist. 49. art. 5. q. 5. distinguit. *Aureola,* inquit, *potest dupliciter considerari, vel secundum id, quod est, vel sub ratione, qua militi datur a principe. Primo modo est in Christo perfectissime triplex aureola, quia perfectissime fuit virgo, doctor et martyr; sed secundo modo non competit ei aureola.* Si quaeras, *an etiam angelis debeatur aureola?* respondet Richardus 4. sent. distinct. 49. art. 5. q. 6. non deberi, cum in ipsis non sit pugna, sed virginitas est eis connaturalis, martyrium ipsos pati est impossibile. *De aureola martyrum* in specie disputant, *quod ad eam tria requirantur, poena, causa et voluntas; quod non debeatur obedientibus, etiamsi per obedientiam propria voluntas mactetur; nec pauperibus, quamvis mundo moriantur; nec poenitentibus, quamvis crucifigant suam carnem; nec Beatae virgini, quamvis plus doluerit quam martyr; nec Dominico, qui martyrium sitiebat; nec Johanni Evangelistae, qui calicem passionis voluntarie bibit; nec pueris in camino ignis, quia non ex passionibus obierunt; nec Lucretiae, quae se illicite interfecit; nec Simsoni, quia martyrium est circa mortem ab alio illatam. Si martyr aliquis ex mortuis suscitetur et iterum a persecutoribus occidatur,* quod b. Sebastiano obtigisse memorant, *illum duas aureolas habiturum* statuunt. *In infantibus Bethleemiticis propter Christum ab Herode interfectis rationem aureolae non esse completam* asserunt, quia *fuit mors propter Christum quidem suscepta, non tamen electa, illos vero, qui cruce signati in bello hostium Christi pugnando pereunt, aureolas sortiri arbitrantur, cum non se sed Christum et ecclesiam defendendo moriantur.* De *aureola virginum, quod competat ea b. Virgini, quia quamvis in ea non fuerit resistentia carnis, tamen in ea fuit plenum dominium rationis super carnem; Abeli eam sperandam esse* negant, *quia habuit propositum ducendi uxorem, si vixisset.* De *virginibus per vim oppressis* statuunt, *si ex post facto consentiant et finaliter poeniteant, aureolam eas recuperare. Danieli et sociis ejus* itidem hanc aureolam negant, *cum tunc non fuerit tempus virginitatis.* De *aureola doctorum* disputant, *quod non competat nisi actu praedicantibus de his, quae pertinent ad salutem; advocatis, medicis, quin theologis physicam docentibus* deberi negant, *nisi prout utantur ad declarationem theologis captivantes omnem intellectum sub fidei obsequium. Mulieribus* praecise eam derogant, cum illis praedicare non liceat. Plura de aureolis, si lubet, vide apud Altensteigium in lexico theol. in verbo Aureola, in compend. theol. verit. libr. 7. cap. 30. apud Gregorium de Valentia tom. 4. comm. in Thom. disp. 11. q. 5. punct. 2. p. 2327. Barradium in harm. evang. libr. 10. c. 3. p. 616. etc.

161. Nos haud inviti concedimus, fore in vita aeterna *gloriae gradus* ac Deum ex gratia non solum temporalibus sed etiam coelestibus ac aeternis praemiis piorum labores et passiones, quas propter Chri- XX. 511.
stum sustinuerunt, remuneraturum, interim figmentum Pontificium de aureolis probare non possumus. 1. *ob fundamenti conditionem,* quod est doctrina de operibus supererogationis. Fingunt enim, *posse hominem renatum legem Dei perfecte implere et hac obedientia legi praestita vitam aeternam ex merito obtinere; eos vero, qui non contenti sunt obedientia legi praestita, sed insuper etiam evangelica*

consilia perfectionis implent et opera supererogationis faciunt, peculiarem aliquam aureolam in coelo promereri. Aureola, inquit Bayus d. l. *de illorum in praemio recte intelligi potest, qui generalia Scripturae sanctae mandata spontanea vitae perfectioris electione transscendunt, ideoque specialem prae ceteris fidelibus retributionem voluntariae oblationis exspectant.* Ostendimus vero suo loco, figmentum hoc esse Pharisaicum multis doctrinae Christianae articulis e diametro oppositum. 2. *Ob temerariam decisionem.* Esai. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9: *Oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis adscendit, quid Deus praeparaverit se diligentibus.* Paulus 2. Cor. 12, v. 4. in sua ἁρπαγῇ audivit ἄῤῥητα ῥήματα, quae ergo haec est temeritas tam praecise et exacte determinare velle, quae martyribus, quae virginibus, quae doctoribus exspectanda sit aureola? Quae pro stabilienda martyrum aureola ex Apocalypsi proferuntur, omnes vere pios concernunt, quia omnibus omnino contra diabolum et ipsius squamas et organa, contra peccatum, carnem et mundum est perpetuo in hac vita pugnandum. *Sine ferro martyres esse possumus, si patientiam fideliter custodiverimus*, dicunt pii veteres, unde triplex spirituale martyrium constituunt, *tolerantiam adversorum*, *compassionem afflictorum et dilectionem inimicorum*, juxta Gregorium; vel *parcitatem in ubertate, largitatem in paupertate et castitatem in juventute*, juxta Bernhardum. Virginum aureola an ex Esaia et Apocalypsi probari possit, ex genuina dictorum adductorum explicatione patebit, quam vide in tract. de evang. §. 93. et 101. Repetimus h. l. illud Augustini aureolum libr. de s. virg. cap. 18: *Melior est in Scriptura Dei veritas quam in cujusquam mente aut carne virginitas.* Ex Dan. 12, v. 3. recte probatur, docentibus peculiare aliquod praemium exspectandum, sed quale illud sit, in hac vita definiri exacte nequit, ne videamur *sapere velle* ὑπὲρ ὃ γέγραπται, *ultra id quod scriptum est* 1. Corinth. 4, v. 6. Hieronymus in comm. Prov. 12. *simplicem idiotam bona operantem etiam praefert ei, qui clarus eruditione Scripturarum, vel etiam doctoris functus officio pane indiget dilectionis.* Chrysostomus homil. 5. in 2. Thessal. 3. pie scribit: *Quisque vestrum, si volet, doctor est, si non alterius tamen sui ipsius.*

162. 3. De coelestibus beatorum gaudiis, exercitiis et habitaculis terrenas, carnales et pueriles cogitationes fovent. Cassanaeus part. 3. praefat. catal. glor. mund. considerat. 1: Duodecim principales sedes sunt in paradiso, videlicet sedes ipsius Trinitatis et Deitatis, sedes Filii respectu humanitatis, sedes b. Mariae virginis et novem aliae sedes novem ordinum. Ex Bernhardino tom. 8. operum Brentii pag. 890. de exercitiis et choreis beatorum in coelo talis affertur discursus: *Quid facient beati in coelo empyreo? quale exercitium habebunt? eruntne ibi choreae et saltationes? alius quidem respondet, quod in gloria non erunt tales gesticulationes.* Sed Bernhardinus diversum sentit, *non moveant te*, in-

quiens, *dicta illius doctoris. Verosimilius enim est,* XX. 512.
quod illic fiant choreae et saltationes. Omnia enim, quae ad choream sufficiunt et requiruntur, ibi inveniuntur. Ad choream enim duodecim requiruntur. 1) *Locus spatiosus, qui datur in coelo;* 2. *locus speciosus sive delectabilis, tale etiam est coelum, siquidem vilissima ejus pars tam est speciosa, ut prae ea mundus hic visibilis sit veluti stabulum;* 3) *locus luminosus, coelum autem empyreum tanti est splendoris, ut si omnes firmamenti stellae haberent lucem, nihil esset in comparatione luciditatis istius;* 4) *locus firmus, haec firmitas etiam in coelo juxta Job. 37: Tu forsitan cum eo fabricatus es coelos, qui solidissimi quasi aere fusi sunt;* 5) *jucunditas, quae in coelo erit ex visione summi Dei;* 6) *tranquillitas, quae erit ex possessione Dei, juxta Esai. 32: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis;* 7) *satietas, quia ante prandium non fit chorea;* 8) *ebrietas; utraque erit in coelo, Psalm. 36: Inebriabuntur ab ubertate domus tuae etc.* 9) *corporis formositas, turpis enim quisquis est, dedecorat choream, sicut musca pulmentum avenarium, in coelo autem erunt beati sicut angeli Dei Matth. 22.* 10) *vigorositas corporis, quae aderit 1. Cor. 15: Resurgit in incorruptione;* 11) *corporis levitas, quae itidem aderit Rom. 8: Creatura liberabitur in libertatem gloriae filiorum Dei;* 12) *corporis ornatus, quem habebunt sancti, Phil. 3: Configurabit corpus nostrum humile corpori suo glorioso.* Ne quis vero existimet, aniles illas fabulas ab otiosis monachis confictas a recentioribus Pontificiis repudiari, ideo jubemus expendere ea, quae scribit Barradius libr. 10. comm. in conc. evang. cap. 3. *Numquid*, inquit, *nihil in coelo praeter coeli immensam illam latitudinem longitudinemque apparebit? Numquid beati in coelo, velut in agro oves, erunt simul in eodem loco omnes? Numquid immensi coeli empyrei loca quam plurima vacua erunt et deserta? Non videtur hoc decorum. Crediderim ergo, ampla admirabiliaque esse in ipso coelo palatia amplaque alia aedificia ex incorruptibili materia ipsisque margaritis pretiosiore fabricata. Forte etiam prata amoenissima, nemora similiaque alia, quae beatorum oculis ipsa varietate offerant oblectationem et civitatem illam coelestem exornent. Habebunt beati mansiones, ut ex evangelico constat, cur non palatia alia aliis superiora, quibus non concludantur, sed decorentur et alii ab aliis separentur pro dignitate ac distinguantur? Hujus opinionis fuit olim primarius doctor academiae Eborensis Ferdinandus Perez. Favet illi Scotus, qui in 4. sentent. distinct. 49. q. 4. artic. 7. concedit, beatos a beatis visitari et per aliorum mansiones discurrere etc. Favet item Cajetanus part. 3. q. 57. artic. 5. ubi sic ait: Divina sapientia disposuit coeli empyrei unam partem quasi solium et reliquas in ordine ad illam superiores vel inferiores. Et sic Christus secundum corpus in parte illa solii stans ita suprema parte supremoque loco residere dicitur, et reliquae creaturae beatae hinc et inde inferiores partes tenent.* Et postea: *Intra*

ipsum coelum empyreum ad convexum usque beatorum palatia admirabiliter summi artificis manu constructa sunt ordineque ita disposita, ut alia sint inferiora, alia superiora, et alia aliis sint pulchriora ac pretiosiora. In celsissimo coeli loco palatium summi regis Christi est, quod omnem superat admirationem; eo inferius Deiparae Virginis palatium alterum, quale tantae reginae dignitas poscit; ordine sequuntur alia pene infinita tam angelis quam hominibus attributa. Habent enim angeli quoque peculiares sedes atque palatia, quibus alii ab aliis sejungantur loco. Tandem concludit, *palatia illa*
XX. 513. *fuisse fabricata, quando coelum est conditum; homines vocari ad palatia per lapsum angelorum evacuata, Christi palatium ab initio orbis usque ad Christi adscensionem fuisse desertum etc.* Confer ea, quae de limbo infantum a regno coelorum et inferno localiter distincto disputant, quaeque Bellarminus libr. 2. de purgat. cap. 7. habet de *prato quodam florentissimo, lucidissimo, odorato, amoeno, in quo degant animae, quae nihil patiantur, sed tamen ibi maneant, quia nondum idoneae sint divinae visioni* etc. et apparebit, Elysios poëtarum campos a Pontificiis postliminio in ecclesiam reduci.

12. Calvinianorum. 163. 12. Ex Calvinianis 1. quidam negant, *beatos ipsam Dei essentiam intuitive ac perfecte in vita aeterna visuros*, ut ostendimus superius §. 133. 2. Quidam negant, *gloriae in vita aeterna futuros gradus*, ut vidimus §. 120. 3. Plerique omnes de beatorum gaudiis, exercitiis et habitaculis *ἐπίγεια φρονοῦσι*. Coelum enim definiunt *locum aliquem certum corporeum supra omnes coelos visibiles constitutum, mansionibus amplissimis distinctum, in quibus localiter sedeatur et ambuletur.* Bullingerus in tractatu de verb. coenae: *Dextra Dei in Scripturis non tantum accipitur pro immensa Dei potentia, sed et pro loco in coelis certo, in quo Christus cum electis versetur.* Idem in comm. Joh. 14. *mansiones in domo Patris coelestis*, de quibus Joh. 14, v. 1. *corporali modo* in coelo distinctas esse autumat ac mirificas de distinctis illis cellulis speculationes proponit. Danaeus in resp. ad Frischl. *Christi naturam humanam in coelo ut in amplissima quadam et vere regia aula liberrime versari cum sanctis et angelis et nunc hic nunc illic oberrare, cum illis obambulare in oriente, occidente, meridie, septentrione, supra vel infra nos, ante vel pone, semper autem in nullo nisi in uno aliquo certo coeli loco.* Beza tom. 1. operum p. 590. *illinc* (ex loco illo Dei et beatorum), *non autem ex ubiquitario coelo* dicit *esse missum a Patre Filium et in eosdem illos coelos resumtum, ubi gloria et honore coronaretur.* Zanchius lib. 2. de nat. Dei c. 6. p. 139. *coelum, in quod Christus adscendit,* vocat *corporale, sed tamen alterius generis quam sit terra et coeli isti adspectabiles.* Neostadius in admon. de libr. concord. p. 88. et 268: *Coelum est domicilium beatum Dei, sanctorum angelorum et hominum, in quo visibiliter et localiter versatur Christus supra et extra omnes coelos et mundum hunc adspectabilem.* Sohnius disp. de creatione tom. 1. oper. p. 114: *Tertia coeli regio a sideribus ad aquas illas superiores patet, quae est sedes beatorum spirituum et hominum.* Martinius in collect. spicar. pag. 94: *Coelum est spatium, in quo multae sunt mansiones, est ergo locus. In coelesti vita etiam est successio temporis.* Nos libenter concedimus, coelum beatorum esse certum aliquod *ποῦ* a *τῷ ποῦ* damnatorum distinctum, sed negamus, per *locum corporeum* esse definiendum aut sedes et *mansiones corporeas* illi adscribendas, cum illius quidditatem et qualitatem in hujus vitae caligine penetrare non possimus. Augustinus libr. de fid. et symb. c. 6: *Non est nostrae fragilitatis coelorum secreta discutere.* Hieronymus in epist. Eph. c. 5: *Est et in ecclesia stultiloquium, si quis coelum putet fornicis more curvatum, Esaiae, quem non intelligit, sermone deceptus, solium quoque in coelis positum et super eo sedere Deum, et in ritum imperatoris stare angelos in circuitu, qui verbis jubentis obtemperent et ad diversa mittantur officia.* Saniores sunt hac in parte quidam ex ipsis adversariis. Calvinus XI. 514.
in comm. Eph. 4: *Haec de adscensu Christi super omnes coelos ita dicuntur, non quod proprie locus sit extra mundum, sed quia de regno Christi non nisi nostro more captuque loqui possumus.* Martinus Bucerus: *Cum coeli, ad quos Christus adscendit, sint supra omnes coelos, equidem non ausim illos definire nisi Scripturae verbis, non nostrae rationis praedicamentis. Scripturae autem illos non nisi majestate et virtute definiunt, non locorum intercapedinibus, clareque attestantur, eos in cor hominis non adscendisse.* Marloratus in cap. 27. Matth.: *Coelum, in quod Dominus noster adscendit, invisibilis Patris gloria est et inaccessa divinitatis lux.* Confer dicta superius §. 35. et dicenda inferius §. 170.

164. 4. De dotibus glorificati corporis nimis tenuiter et exiliter sentiunt. 1. *Invisibilitatem διαῤῥήδην* negant. Theophilus Mosanus anno 1620. dissertationem edidit *de visibilitate corporis Christi*, in qua probare conatur, *corpus Christi* (quod non solum est glorificatum sed etiam *Λόγῳ* personaliter unitum) *non posse non videri, ubicunque praesens adest.* p. 12. rejicit distinctionem inter visibilitatem *ratione actus primi et secundi.* Beza in annot. 1. Cor. 15. et Pezelius cont. Hunn. p. 153. disputant, *non esse vera corpora, quae actu non cernantur.* 2. *Illocalitatem* non minus oppugnant. Oecolampadius in Job. p. 109. *inquietos fratres* vocat *eos, qui corpora resurgentium in variis locis esse contendunt eodem momento, quia faciunt, ea esse absque dimensionibus, et non sinunt esse corpora.* lib. 2. comment. in Daniel. cap. 12: *Sunt, qui ita de resurrectione et Christi et nostra loquuntur, ut non appareat, quomodo veritatem corporis relinquant, cui et locum et tempus esse nolunt* etc. Sic ergo juxta Oecolampadium in vita aeterna non solum erit locus sed etiam tempus. Petrus Martyr class. 3. loc. comm. cap. 15. art. 59: *Nusquam vel sacrae literae, vel patres veteres, vel*

Scholastici attribuerunt vel carni Christi, vel aliis sanctis excitatis absolutionem a loco, quare mirum est, quibusdam hominibus nostrae aetatis illud commentum adeo placuisse. art. 65: *Nec tantum erit idem corpus in resurrectione cum eo, quod nunc habemus, verum etiam locum occupabit, nec simul ac eodem tempore in pluribus locis esse poterit, quod natura corporum et praesertim humanorum hoc non ferat. Cum enim suis partibus, membris et lineamentis descripta et finita sint, oportet ut certis locis contineantur. Et nihilominus reperiuntur aliqui tam procaces et intemperantes, qui ut suam tueantur opinionem vel ubiquitatis, vel praesentiae realis atque substantialis corporis et sanguinis Christi in sacra coena, poscere a nobis audent, ut sibi prolixius et quidem ex divinis literis corpus esse non posse absque loco nec eodem tempore ac simul exsistere posse in diversis locis demonstremus* etc. *Audienda est vox naturae, quae Deum ipsum habet auctorem, ea verò statuit, haec fieri non posse.* art. 66: *Loca etiam spectant ad aeternam felicitatem in regno Dei. Dixit enim Christus discipulis suis, cum de suo discessu eos commonefaceret: Vado parare vobis locum.* Gualtherus homil. 93. in 1. Cor.: *Nimium ridiculi sunt, qui ex hoc loco occasionem arripiunt contendendi de corpore quodam spirituali, quod natura sua neque palpabile sit, neque visibile, neque loco certo contineatur.* Scharpius in cursu theol. loc. 20. col. 1172: *Locus et motus localis tribuitur corporibus in coelo* Joh. 14, v. 2. cap. 17, v. 24. Apoc. 14, v. 4. etc. 3. Dotem *agi-*
15. *litatis ac subtilitatis* itidem minus recte explicant, negant enim, *Christum resurrexisse clauso sepulcro,* negant, ipsum *ad discipulos ingressum clausis januis* etc. Zwinglius part. 1. resp. ad confess. Luth. p. 465. negat, quod *corpus Christi glorificatum monumenti lapidem obsignatum transierit, ac lapidem sepulcralem angeli opera devolutum fuisse* asserit, *sicut crassus praetor rubris indutus caligis eo modo, quo Christus monumento exivit, egredi posset.*

he- ae .e em po- ap ita-

165. 13. *Luthero et nostrarum ecclesiarum doctoribus* Pontificii tribuunt, quod ipsi quoque in hac doctrinae coelestis parte a veritatis tramite aberraverint, et quidem dupliciter, 1. *felicitatem vitae aeternae in corporeis deliciis quaerendo.* Probant ex eo, quod Lutherus in colloquiis ad mensam habitis fol. 454. et 455. sic loquatur: *Deus novam terram creabit et novum coelum, quin et nova creabit animalcula et catellos, quorum cutis erit aurea et pili de lapidibus pretiosis. Non devorabunt se mutuo animalia, ut sunt bufones, serpentes et id genus alia, quae hic venenata sunt et nocere solent propter originale peccatum, tum vero nobis non solùm innocua erunt, sed et amicabilia et grata, ut cum iis animi causa lusuri simus.* Et postea: *Ibi formicae, ciniphes et omnia foetida et male olentia animalia merae deliciae erunt et optimum odorem spirabunt.* Idem in comm. 1. Petr. 4: *Hic quaeri potest, an credentes in coelis vel in terris agent; textus hic sonat, quod in terra vivemus, ita ut coelum et terra novus erit paradisus, in quo Deus habitabit. Nam Deus non solum in coelis sed omni loco habitat, propterea etiam erunt, ubi Deus erit.* Respondemus: cur non addunt etiam epistolam, quam de gaudiis paradisi ad filiolum suum Lutherus exaravit? Imitatur vir Dei stylum Scripturae et de statu futuri seculi, qui in cor hominis non adscendit, per quandam συγκατάβασιν loquitur verbis hujus seculi, quod ecclesiae doctoribus usitatum esse ex Ottone Frisingensi §. 156. audivimus. 2. *Gradus gloriae in vita aeterna abolendo.* Becanus part. 1. theol. schol. cap. 9. q. 9: *Jovinianus docuit, omnes beatos in praemio aequales esse, eundem errorem secutus est Lutherus, cum dixit, omnes esse pares Beatae Virgini in sanctitate et meritis coram Deo, inde enim sequitur, esse etiam pares in praemio.* Descripsit hoc, uti solet, ex Bellarmino libr. 4. de notis eccl. c. 9. §. Jovinian. Respondemus: distinguendum inter *regenerationem ac renovationem,* inter *gratiam et dona per gratiam,* inter articulum *justificationis et bonorum operum.* Respectu gratiae, justificationis et regenerationis omnes sancti sunt aequales, quia meritum Christi, quod fide amplectuntur eodemque coram Deo justificantur, aequaliter ad omnes spectat; sed in respectu renovationis, donorum per gratiam et bonorum operum est inter ipsos sanctos magna inaequalitas; inde etiam *beatitudo essentialis* erit aequalis, interim *praemia accidentalia* et bona accessoria erunt inaequalia. Hanc distinctionem et explicationem tradit ipse Lutherus in post. eccles. dom. II. Epiphan. in explicat. epist. Rom. 12: *Quantumvis inter se corporis membra omnia imparia sint et officiis atque dignitate plurimum distent, in eo tamen paria sunt, quod ejusdem corporis membra pariter exsistunt, neque potest oculus plus juris in corpore sibi vendicare quam contemtissimum quodque membrum, neque plus suum esse corpus affirmare quam* IX. 516.
cujuslibet alterius. Ita habet res Christianorum, qualescunque sint, sive firmi fide, sive infirmi, sive consummati moribus, sive morbis gravati, tantundem quilibet in Christo et Christianismo possidet, quantum alii, unde equidem non minus possum de Christo gloriari, quam Divus Petrus aut Virgo Deipara. Perplacet sane, Petrum nobilius esse in Christi corpore membrum, quam sim ego, at ille rursus me non contemnit, quod sim humilis et abjectus, quandoquidem ejusdem corporis membrum. Agnoscit ipse Bellarminus, hanc esse nostram sententiam, unde libr. 3. de justif. c. 16. scribit: *Cum dicunt protestantes, omnes sanctos aeque justos esse coram Deo, loquuntur de justitia imputativa, concedunt autem, Deum remunerari justos juxta opera eorum, sed propter opera, i. e. ex meritis operum, negant.* Idem judicium esto de dictis Sarcerii, Georgii Majoris et Spangenbergii, quae Jodocus Coccius tom. 2. thesauri l. 10. art. 9. nobis objicit. Ita namque mentem suam clarissime exponit Georgius Major evang. domin. Septuag. pag. 345: *Quod ad principale et ad summum et ad ultimum bonum et praemium attinet, nihilo plus accipit Moyses, Elias, Paulus, Baptista*

An gradus gloriae negaverit.

et ceteri praestantissimi viri, quam accipit Zachaeus, mulier peccatrix, Lazarus et alii etc.

CAPUT VI.

DE FINE VITAE AETERNAE.

Finis vitae aeternae.

166. Egimus hactenus de *causa efficiente, materia et forma* vitae aeternae, restat, ut ad ejusdem *finem* accessum faciamus. Finis vitae aeternae docendi causa duplex statui potest, *principalis ac summus* Dei, proximus ac *intermedius* piorum glorificatio, (diversimode tamen accepta, ut ex sequentibus patebit.) Quando enim benignissimus Pater coelestis animas piorum post mortem in coelestem gloriam transfert Luc. 16, v. 22. easdemque in die judicii corporibus restitutas per Christum in coelestis regni possessionem vocat Matth. 25, v. 34. tunc non solum pios in Christum perseveranter ac finaliter credentes glorificat Rom. 8, v. 30. hoc est coelestem gloriam ipsis confert et hac ratione labores et passiones omnes, quas in hac vita propter ipsum sustinuerunt, plus quam largissime iisdem compensat vers. 18. sed etiam se ipsum glorificat, hoc est gloriam suam manifestat, unde vita aeterna vocatur *gloria Dei* Rom. 5, v. 2. *aeterna Dei gloria* 1. Petr. 5, v. 10. Manifestat autem 1. *gloriam immensae misericordiae, bonitatis ac benignitatis*, quod sit summum bonum sui maxime diffusivum ac communicativum. Neque enim coelesti felicitate solus perfrui voluit, sed etiam creaturas rationales ejusdem participes facere, quas proinde ad imaginem suam creavit. Nec angelos solum, sed etiam homines beatitudinis suae certo modo, qui in creaturas cadere potest, voluit esse consortes; nec solum primos homines ad sui imaginem ac proinde etiam ad aeternam felicitatem et gloriam condidit, sed eosdem etiam cum omnibus posteris in peccatum prolapsos per Christum redemit, ut ad coelestis regni possessionem, cujus jure per lapsum privati erant, iterum adspirare possent Quae
XX. 517. omnia evidentissima divinae gratiae et misericordiae sunt τεκμήρια. Eph. 1, v. 3: *Benedixit nobis in omni benedictione spirituali in coelestibus*, v. 4. *sicut elegit nos in ipso ante jacta mundi fundamenta*, vers. 6. *in laudem gloriae gratiae*, id est gloriosae gratiae, ut ipsius gratia ab omnibus collaudetur et glorificetur. cap. 2, v. 5: *Gratia estis salvati*. v. 6. *Consedere nos fecit in coelestibus in Christo Jesu*, v. 7. *ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae, τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐν χρηστότητι ἐφ᾽ ὑμᾶς ἐν Χριστῷ*, v. 8. *gratia enim estis salvati*. Tit. 3, v. 5: *Secundum misericordiam suam salvos nos fecit*. 1. Petr. 1, v. 3: *Secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam*, v. 4. *in hereditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem, conservatam in coelis*. 1. Joh. 4, v. 9: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum*. 2. *Gloriam fidelitatis ac veritatis*. Deus in verbo evangelii credentibus in Christum spiritualia ac coelestia beneficia offert seque in plenariam aeternae hereditatis possessionem eosdem introducturum pollicetur; quando igitur haec paterna promissa ipso opere complet, fidelitatem ac veritatem suam demonstrat. 1. Cor. 1, v. 8: *Confirmabit vos Deus usque in finem sine crimine in die Domini nostri Jesu Christi*. v. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati estis*. cap. 10, v. 13: *Fidelis est Deus, qui non sinit vos tentari supra id, quod potestis sufferre*. 1. Thess. 5, v. 24: *Fidelis est, qui vocavit vos, qui etiam faciet*. 2. Thess. 3, v. 3: *Fidelis est Dominus, qui confirmabit vos et custodiet a malo*. 1. Petr. 5, v. 10: *Deus omnis gratiae, qui vocavit vos in aeternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, καταρτίσει, στηρίξει, σθενώσει, θεμελιώσει*. 3. *Gloriam omnipotentiae*. Quos Deus in vita aeterna glorificabit, illos ab aeterno in Christo ad salutem elegit, Rom. 8, v. 30. Eph. 1, v. 6. Hoc Dei consilium ac decretum diabolus per sua organa intervertere et summum hunc thesaurum salutis credentibus eripere modis omnibus annititur; quando igitur Deus actu in vita aeterna pios glorificat, potentiam suam manifestat. 2. Timoth. 1, v. 12: *Scio, cui credidi, et certus sum, quod is possit depositum meum conservare usque ad diem illum*. 1. Petr. 1, v. 5: *Virtute Dei custodimini per fidem ad salutem*. 4. *Gloriam sapientiae*. Deus ab aeterno sapientissimum fecit decretum de homine ad imaginem suam ac proinde etiam ad beatam immortalitatem creando, ac quia praevidit, hominem satanicis fraudibus deceptum in peccata prolapsurum, ideo ab aeterno fecit decretum de redemtione generis humani per Christum mediatorem, de offerendis ejus beneficiis in verbo evangelii omnibus hominibus, de salvandis et glorificandis illis omnibus, quotquot verbum evangelii audiunt, fidem per Spiritus sancti efficaciam ex eo concipiunt et in fide ad finem usque vitae perseverant. Quando igitur Deus hoc sapientissimum decretum ultimo glorificationis actu complet, sapientiam suam ipso facto demonstrat. Eph. 3, v. 9: *Illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo*, v. 10. *ut innotescat nunc principatibus et potestatibus in coelestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei*. 5. *Gloriam justitiae*. Quos Deus in vita aeterna glorificabit, illos in hac vita cruci subjicit, *ut conformes fiant imagini filii sui* Rom. 8, v. 29. *ut per multas tribulationes ingrediantur in regnum coelorum* Act. 14, v. 22. *ut sint consortes, συγκοινωνοί, in tribulatione et regno* Apoc 1, v. 9. XX. 518
Quando igitur Deus pios ex omnibus calamitatibus liberatos in coelestem gloriam transfert et glorificato Christi corpori ipsorum corpora conformia efficit, contra vero diabolum et omnes piorum hostes debitis poenis afficit, justitiam suam ipso opere demonstrat. 2. Thess. 1, v. 5: *Sustinetis persecutiones ac tribulationes in exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini regno Dei, pro quo et patimini*, v. 6. *siquidem justum est apud Deum retribuere tribu-*

lationem iis, qui vos tribulant, v. 7. *vobis autem, qui tribulationem sustinetis, requiem nobiscum in revelatione Domini Jesu de coelo* 2. Timoth. 4, v. 8: *Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in die illa.* Haec divinae benignitatis, veritatis, potentiae, sapientiae et justitiae meditatio omnibus beatis erit aeterna divinae laudis ac glorificationis materia, ut sic quemadmodum Deus *erit omnia in omnibus* 1. Cor. 15, v. 28. *per coelestis gloriae collationem*, ita quoque sit omnia in omnibus, *per divinae gloriae celebrationem*, 2. Thess. 1, v. 10: *Cum venerit glorificari in sanctis suis et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt.* Tunc omnes beati laeti et exsultabundi exclamabunt: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini, in civitate Dei nostri* Psalm. 48, v. 9. tunc ad coelestem Salomonem Christum quilibet beatus dicet: *Verus est sermo, quem audivi in terra* (peregrinationis meae) *de rebus tuis et de sapientia tua, et non credebam* (plene et perfecte), *donec ipse veni et vidi oculis meis et probavi, quod media pars mihi non fuerit nuntiata, major est sapientia et bonum quam rumor, quem audivi. Beati servi tui, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam* 1. Reg. 10, v. 6. 7. et 8. Sic ergo finis vitae aeternae *respectu Dei est*, ut suam gratiam erga electos re ipsa comprobet ac fructus τοῦ λύτρου a Christo praestiti ipsis conferat; *respectu electorum*, ut beneficia Dei perfecte cognoscant, percipiant ac celebrent; ut perfectam imaginis divinae restitutionem ac renovationem recipiant ac omnium aerumnarum et laborum remunerationem largissimam accipiant.

CAPUT VII.

DE OBJECTO VITAE AETERNAE.

ietum ? ae ae. 167. *Objectum vitae aeternae* proprium et adaequatum sunt 1. *angeli*, qui in concreta integritate stabiles permansere et in sancta erga Deum obedientia perstitere; 2. *homines finaliter et perseveranter in Christum credentes*, ut superius §. 45. ex multis Scripturae dictis manifestum fecimus. Notandum vero circa objectum vitae aeternae respectu generis humani consideratum, 1. *paucos ex genere humano dici salvandos.* Sane si electi *in se et absolute* considerentur, numerus eorum est satis amplus. Apoc. 7, v. 9: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, stantes ante thronum et in conspectu Agni amicti stolis albis et palmae in manibus eorum.* Sed si *comparate*, facta scilicet collatione cum coetu damnatorum, considerentur, sunt et dicuntur pauci; absque ulla igitur contradictione

, 519. Scriptura asserit, *multos ab oriente et occidente venturos et cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo in regno coelorum accubituros* Matth. 8, v. 11. *et paucos esse, qui salvantur* Luc. 13, v. 23. *portam esse angustam et viam arctam, quae deducit ad vitam, et paucos esse, qui inveniunt eam* Matth. 7, v. 14. Luc. 13, v. 24. *multos esse vocatos, paucos vero electos* Matth. 20, v. 16. cap. 22, v. 14. Causa illius paucitatis non quaerenda in absoluto quodam reprobationis decreto, quo Deus maximam humani generis partem absoluto quodam et omnium causarum respectum antegresso odio a se rejecerit et aeternis flammis adjudicarit, sed in propria hominum pereuntium culpa, quia scilicet media salutis repudiant, *Spiritui sancto resistunt, consilium Dei spernunt ac se ipsos vita aeterna indignos judicant*, Actor. 7, v. 51. Luc. 7, v. 30. Act. 13, v. 46. *Angusta est salutis porta*, quia ostium est solus Christus Joh. 10, v. 7. a maxima hominum parte spretus et contemtus; quia haec porta est rationi humanae penitus ignota; quia homines nolunt deponere sarcinam et pondus peccatorum sibi adhaerentium, ut per hanc portam ingredi possint; quia verae pietatis semita est carni nostrae ingrata, veteri homini videtur laboriosa ac difficilis; quia ingressuros hanc portam et viam oportet abnegare se ipsos, affectibus vitiosis resistere, crucem suscipere, carnem cum suis concupiscentiis crucifigere; denique quia multi suis confidunt operibus ac per propria merita ingredi quaerunt etc. Prosper in sent. August. epigr. 191:

Arcta via est, verae quae ducit ad atria vitae,
Nec recipit carnis gaudia mentis iter.
Amplis incedit spatiis terrena voluptas,
Angusto virtus limite celsa petit.

2. Salutem hominibus vere et perseveranter in Christum credentibus offerri et conferri *sine ullo gentis externae conditionis ac sexus respectu.* Prius constat ex his dictis, Matth. 8, v. 11. Luc. 13, v. 29: *Multi venient ab oriente et occidente et cum Abrahamo recumbent in regno coelorum.* Act. 10, v. 34: *Deus non est acceptor personarum*, v. 35. *sed in omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, carus est illi.* Rom. 2, v. 10: *Gloria et honor et pax omni operanti bonum, Judaeo primum et Graeco*, v. 11. *non enim personarum acceptio est apud Deum.* Gal. 3, v. 28: *Non est Judaeus nec Graecus, nec est servus nec liber.* Col. 3, v. 11: *Non est gentilis et Judaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus.* Apoc. 7, v. 9: *Vidi turbam ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis* etc. Posterius patet ex Gal. 3, v. 28: *In Christo non est masculus nec femina.* 1. Petr 3, v. 7. mulieres vocantur *coheredes gratiae vitae*, id est vitae aeternae, quae ex gratia credentibus in Christum datur. 3. *Finaliter in Christum credentes et omnes et solos fieri salvos.* Reciprocae igitur sunt propositiones. Vere et finaliter in Christum credentes salvantur, et quotquot salvantur, illi vere et finaliter in Christum credunt. Vicissim increduli damnantur et quotquot damnantur, non credunt in nomen unigeniti Filii Dei, Joh. 3, v. 16. Marc. 16, v. 16. etc. Quia enim vitam aeternam dedit nobis in Christo 1. Joh. 5, v. 12. ideo etiam qui fide Christum amplectitur, vitam habet, *qui vero incredulus est Filio, super ipsum manet ira Dei* Joh. 3, v. 36. Proinde ut ἀδύνατον est, absque Dei misericordia XX. 520.

quemquam salvari; ita quoque ἀδύνατον est, extra Christum fide apprehensum quemquam salvari, quia vitam aeternam non nisi in Christo per Christum et propter Christum Deus donare constituit, in Christo autem nemo esse potest nisi per fidem. Vicissim sicut ἀδύνατον est, quemquam salvari absque vera in Christum fide; ita quoque ἀδύνατον est, aliquem vere et finaliter in Christum credentem damnari, quia vita aeterna est in Christo, qua de re alibi plenius agitur. 4. *Vere et finaliter in Christum credentes in sacris literis describi tum a priori, tum a posteriori.* A priori dupliciter, 1) *per electionem ab aeterno in Christo factam.* Quotquot enim in tempore vere, finaliter ac perseveranter in Christum credunt, illi et omnes et soli ab aeterno ad vitam sunt electi. Hinc profluunt illa Scripturae oracula Act. 13, v. 48: *Crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam aeternam.* Eph. 1, v. 3: *Benedixit nos Deus omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo*, v. 4. *sicut elegit nos in ipso ante jacta mundi fundamenta.* Apoc. 21, v. 27: *Non intrabit in coelestem Hierosolymam aliquid coinquinatum aut abominationem faciens et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitae*, id est sed illi soli, qui scripti sunt in libro vitae sive qui sunt electi, quia particula εἰ μή hoc loco non tam *exclusive* quam *adversative* usurpatur, quo modo apud Hebraeos אִם לֹא ac כִּי אִם interdum usurpantur, confer Genes. 24, v. 38. 2. Reg. 5, v. 17. Esa. 59, v. 2. et ex Novo Testamento Matth. 12, v. 4. Luc. 4, v. 27. Joh. 5, v. 19. cap. 17, v. 12. etc. Huc referri possunt omnia Scripturae dicta, quae testantur, electos et omnes et solos salvari. Dan. 12, v. 1: *Salvabitur omnis populus, qui inventus fuerit scriptus in libro*, scilicet vitae per aeternam electionem. Matth. 24, v. 24: *Seducerentur, si fieri posset, electi.* Joh. 10, v. 28: *Oves meas nemo rapiet ex manibus meis.* Rom. 8, v. 29. et 30: *Quos praescivit, eos etiam praedestinavit et glorificavit.* Rom. 11, v. 7: *Electio assecuta est.* 2. Tim. 2, v. 19: *Firmum stat fundamentum Dei, Dominus novit, qui sunt sui*, unde electi sic describuntur, quod *maneant in domo Domini* Psalm. 23, v. 6. quod *inhabitent in atriis Domini* Psalm. 65, v. 5. quod *in atriis domus Dei virebunt* Psalm. 92, v. 14. etc. 2) *Per veram ad Deum conversionem ac poenitentiam.* Vera enim fides non habet locum in corde impoenitente, sed ejus anteambulo est contritio peccatorum agnitionem et eorundem detestationem complectens, ad quam accedens vera in Christum fides σωτήριον καὶ ἀμεταμέλητον poenitentiam ac salutarem ad Deum conversionem absolvit. Hinc profluunt illa Scripturae oracula, in quibus vere ad Deum conversis ac poenitentibus vita aeterna promittitur. Esa. 45, v. 22: *Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terrae.* Ezech. 18, v. 23. cap. 33, v. 11: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Luc. 13, v. 3. et 5: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Ergo a contrario sensu per veram poenitentiam poenae temporales et ernae averti possunt. Act. 11, v. 18: *Ergo et gentibus poenitentiam Deus dedit ad vitam.* cap. 26. v. 18: *Mitto te aperire oculos hominum, ut convertantur a tenebris ad lucem et de potestate Satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum et sortem inter sanctos.* A posteriori describuntur credentes per vitae emendationem ac studium bonorum operum. Vera enim fides non est otiosa, sed exserit se per fructus, qui sunt duplicis generis, quia per veram poenitentiam et fidem *declinamus a malo et facimus bonum* Psalm. 34, v. 15. *quiescimus perverse* XX. 521
agere et incipimus benefacere Esai. 1, v. 16. et 17. Bona opera juxta duas legis divinae tabulas vel juxta triplicem objectorum seriem distingui possunt, quia vera fides efficax est per *caritatem erga Deum et proximum* Gal. 5, v. 6. atque efficit, ut vivamus εὐσεβῶς *respectu Dei*, σωφρόνως *respectu nostri*, δικαίως *respectu proximi* Tit. 2, v. 12. Hinc profluunt illa Scripturae oracula, in quibus vita aeterna promittitur tum *in genere* pie viventibus ac bona operantibus, Prov. 11, v. 30: *Fructus justi lignum vitae.* Matth. 7, v. 21: *Qui facit voluntatem Patris coelestis, intrabit in regnum coelorum.* Rom. 2, v. 10: *Gloria et honor et pax omni operanti bonum.* Gal. 6, v. 8: *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.* 1. Tim. 6, v. 18: *Divitibus praecipe bene agere, divites fieri in operibus bonis* etc. v. 19. *thesaurizare sibi fundamentum bonum, ut apprehendant vitam aeternam;* tum *in specie* Deum invocantibus, Joel. 2, v. 32. Act. 2, v. 21. Rom. 10, v. 13: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit;* verbum confitentibus, Matth. 10, v. 32: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego illum coram Patre meo, qui in coelis est.* Rom. 10, v. 10: *Ore fit confessio ad salutem;* proximo benefacientibus, Psalm. 41, v. 1: *Beatus, qui intelligit super egenum.* Matth. 25, v. 35: *Possidete regnum, esurivi enim et dedistis mihi cibum.* Luc. 14, v. 12: *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, coecos, et beatus eris* etc. *retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.* Gal. 6, v. 9: *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficienter.* v. 10. *Ergo cum tempus habemus, operemur bonum erga omnes.* Ceterum quia in via hujus vitae piis multa obveniunt adversa, quae patienter toleranda, ideo crucem patienti et aequo animo ferentibus tribuitur vita aeterna. Act. 14, v. 22: *Per multas tribulationes* etc. Rom. 8, v. 17: *Heredes sumus, si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* 2. Cor. 4, v. 17: *Momentaneum et leve tribulationis nostrae aeternum pondus gloriae parit.* 2. Tim. 2, v. 12: *Si sustinebimus, et conregnabimus.* Apoc. 1, v. 9: *Particeps in tribulatione et regno;* quia adversus carnem, mundum ac Satanam ipsis pugnandum, ideo vincentibus promittitur corona vitae et gloriae, 2. Tim. 2, v. 5: *Qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.* cap. 4, v. 7: *Bonum certamen certavi, nunc reposita est mihi corona justitiae.* Apoc. 2, v. 7: *Vincenti dabo edere de ligno vitae.* v. 11. *Qui vicerit, non laedetur a morte secunda.* v. 17. *Vincenti dabo manna abscon-*

ditum. v. 26. *Qui vicerit, dabo illi potestatem super gentes.* Apoc. 3, v. 5: *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis.* v. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* v. 21. *Qui vicerit, ei dabo sedere mecum in throno meo.* Apoc. 21, 7: *Qui vicerit, hereditabit haec omnia;* denique quia non sufficit in via Domini incipere, sed oportet, ut accedat perseverantia, quae sola coronatur, ideo perseverantibus vita aeterna adscribitur, Matth. 24, v. 13: *Qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit.* Rom. 2, v. 7: *Qui per tolerantiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt vitam aeternam.* Apoc. 2, v. 10: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae.* Quamvis vero salvandi a studio bonorum operum describantur, nequaquam tamen statuendum, quod bona opera sint causa salutis meritoria, sed distinguendum inter *subjecti*, i. e. salvandorum, *descriptionem et causam salutis*, ut superius §. 46. plenius monuimus.

. 522. thesis genis. 168. Antithesis. 1. *Origenes* hom. 10. in Lev. disputat, *eos, qui crediderunt quidem, sed nihil emendationis adhibuerunt, salvari quidem, sed non sine infamiae nota.* Idem *damnatos tandem liberandos et coelestis gloriae participes reddendos* opinatus est, ut ostendimus tract. de inferno §. 62. 2. Ex *Pontificiis* quidam gentilibus vera in Christum fide destitutis salutem tribuunt. Monachus quidam Franciscanus Tridenti in concilio anno 1552. pro suggestu docuit, *gentiles etiam sine cognitione Christi salvatos fuisse*, referente Sleidano libr. 23. Idem placuit Andradio Payvae in defens. conc. Trid. Theobaldo Tammero, Galeoto Martio, Isengrino in expos. evang. dom. Septuag. Joh. Bapt. Ficklero in lib. cui titul. Rettung der Concilien pag. 75. Erasmo in praef. Tuscul. Ludovico Vivi, Ambr. Catharino in com. 1. Tim. 4. Pererio disp. 18. in c. 1. Rom. 3. Idem dogma placuit quibusdam *Calvinianis*. Zwinglius in expos. fid. p. 159. Numam, Aristidem, Socratem etc. inter beatos coelites collocat, cujus patrocinium suscepit Rudolph. Gualterus ipsius gener in apol. edita anno 1545. Bullingerus istum Zwinglii foetum praefatione quadam ornavit, in qua eum vocat *cygneam cantionem. Horrendum* illud *Zwinglii effatum* (uti Bucerus in data ad ipsum epistola recte appellitat) partim defendere, partim excusare conantur Embdenses in commonef. de libro. Hunn. p. 416. Sohnius in exeg. Aug. conf. tom. 2. p. 828. Tossanus in scripto cont. Marbach. Pareus in iren. p. 245. Pelargus in comp. theol. correcto p. 289. sed argutiis perquam frivolis, uti demonstratum fuit disp. 6. de glor. Dei th. 25. Argumenta huic profanae opinioni opponenda exposuimus in praelect. de Deo tract. 1. c. 5. Huc referendus etiam alter Calvinianorum error, quo *infantibus etiam baptizatis fidem prorsus derogant*, ex quo consequens est, aut omnes omnino infantes damnari, aut quosdam homines sine fide in Christum salvari, quorum utrumque Scripturis e diametro adversatur. Calvinus l. 4. instit. c. 16. §. 20: *Parvuli baptizantur in futuram fidem.* Sibrandus Lubertus in comm. ad 99 errores Vorstii p. 780. scribit, *Deum decrevisse aliquot infantes servare, qui quamdiu in hoc mundo peregrinantur, neque crediderunt, neque credunt, neque credituri sunt.* Piscator in c. 19. Matth. observ. 11: *Infantum potest esse regnum coelorum, etiamsi nondum credant, dummodo sint electi.* Item *fidem in Scriptura nuspiam requiri nisi ab adultis.* Confer tract. de bapt. §. 225. etc. 4. Franciscus Puccius Filidin. anno 1592. scriptum edidit, *de Christi Servatoris efficacitate in omnibus ac singulis hominibus, quatenus homines sunt*, in quo inter cetera opinionum portenta etiam ethnicis extra ecclesiam coelum promittit, cui venenato scripto solidam refutationem opposuit Lucas Osiander. 5. Photinianos hanc amplecti hypothesin, *quod quilibet in sua religione, quamcunque etiam amplexus fuerit, salvari possit, sive sit Judaeus, sive Turca, sive Anabaptista, sive Arianus, sive Christianus*, ostendit Georg. Zarnovecius Polonus in praefat. scripti cujusdam Polonici Antisociniani a Conrado Nubero Dantiscano in Latinum sermonem conversi et Dantisci ann. 1607. editi. Confer praelect. de Socinianismo in cap. de harm. Calv. et Photinianorum.

(Margin: Ponti- ficiorum. — Calvi- nianorum. — 4. Franscisci Puc. — 5. Photinianorum. — XX. 528.)

CAPUT VIII.

DE SUBJECTO VITAE AETERNAE.

169. *Subjectum* beatitudinis est primo quidem *anima* cujusque pii a corpore per mortem separata, postea vero *totum compositum*, postquam scilicet in die judicii eadem fuerit corpori resuscitato divinitus unita et in consortium coelestis gaudii traducta. Causae, propter quas *etiam corpora* piorum Deus voluerit esse praemiorum aeternorum una cum animabus consortia, ut et *dotes glorificatorum corporum* exposuimus superius. Dionysius in eccl. hierarch. c. 7: *Casta sanctarum animarum corpora, cum quibus una et vitae mortalis iter egerunt et simul descripta sunt simulque certarunt, pro sacris sudoribus suis in animarum immutabili secundum divinam vitam firmitate ac sede resurrectionem quoque una recipient propriam. Inserta enim animabus sanctis, quibus in hac vita juncta fuerant, ut Christi effecta membra divinam atque immortalem beatamque recipient requiem.* Subjectum beatitudinis.

CAPUT IX.

DE ADJUNCTIS VITAE AETERNAE.

170. *Adjuncta* vitae aeternae docendi causa statui possunt *tempus et locus* ἀκυρολόγως sic dicta, Adjuncta vitae aeternae.
proprie enim loquendo vitae aeternae nec tempus, nec locus inferioris hujus hemisphaerii et praesentis duntaxat seculi accidentia competunt. De *tempore* Tempus.
vitae aeternae tam *inchoationis* quam *durationis* respectu diximus superius. *Loci* nomine intelligimus Locus, ubi agitur de coelo empyreo.
illud ποῦ beatorum, in quo una cum angelis et omnibus electis coelestium bonorum participes reddentur, quod a ποῦ damnatorum distinctum esse concedimus, interim addimus, nec quidditatem, nec qualitatem,

nec situm ejusdem in hac naturae caligine a nobis penetrari vel explicari posse. Scholastici plerique et eos secuti Jesuitae ac Calviniani disputant *de coelo empyreo, quod sit lucidissimum et amplissimum domicilium adspectabiles coelos proxime cingens et ambiens, in quo beati localiter obambulent et bonis divinitus sibi concessis perfruantur.* ** Comp. theol. verit. l. 2. c. 4: *Coelum empyreum est beatorum spirituum habitaculum et specialiter sedes Dei vocatur.* Becanus de purgat. Calvinist. in append. c. 1. n. 3. p. 44: *Henoch et Elias non sunt mortui sed vivi, nec in coelum empyreum, quod beatorum sedes est, sed in alium locum translati.* Lampadius cens. ubiq. pag. 76: *Hic probandum nobis incumbere videtur, paradisum supra firmamentum esse constitutum. Cum autem longum esset patrum sententias excutere, magistrum sententiarum audiamus* lib. 2. dist. 2. etc. Martinius in confess. brevi p. 36: *Christus occupavit coelum ut locum, coelum suscepit Christum ut locatum, Christus suscipitur a coelo ut loco et*
XX. 524. *regio palatio.* ** Brulifer 2. sent. dist. 2. q. 7. tres ponit persuasiones, propter quas coelum empyreum statuatur. *Persuadet* (inquit) *ad hoc ratio finis triplex. Una est perfectio universi, altera propter motum firmamenti, tertia principalis propter habitationem hominis beati.* Petrus Martyr in dial. de pantach.: *Ultra firmamentum, quod octavum orbem nostri faciunt, est regio felicissima, ubi corpus Christi degit et sancti sua loca, suas sedes et mansiones cum habent, tum post resurrectionem sunt habituri.* Ursinus in comp. doct. Christ. p. 345: *Locus beatorum est spatium illud immensum, lucidissimum, gloriosum, extra et supra totum hunc mundum et coelum spectabile, in quo Deus se patefecit beatis angelis et hominibus.* Sohnius disp. de creat. tom. 1. operum p. 114: *Tertia coeli pars seu regio est sedes beatorum spirituum et hominum, quae a sideribus ad aquas illas superiores patet.* Martinius in incis. p. 36: *Locus coeli est proxime supra firmamentum.* Sed huic temerariae assertioni opponimus sequentia fundamenta, 1. *cognitionis denegationem.* Esa. 64, v. 4. 1. Cor. 2, v. 9: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit, quid praeparaverit Deus se diligentibus.* Atqui si coelum beatorum esset locus visibili firmamento proxime incumbens, facili negotio in cor hominis adscendere posset, quid Deus amicis suis praeparaverit. Non est quod excipiant, *de statu duntaxat beatitudinis, non autem de situ coeli, in quo beatitudinis participes reddemur, apostolum loqui*, utrumque enim simul complectitur ac utriusque cognitionem exactam nobis in hac vita denegat. Situs ad ipsum statum pertinet et est illius quaedam circumstantia. Quemadmodum ex eo, quod nescimus statum primi hominis ante lapsum, recte infertur, quod situm terreni paradisi ignoremus, si de accurata notitia sermo sit; ita quoque ex eo, quod statum vitae aeternae nescire dicimur, recte concluditur, quod situm coelestis illius paradisi nesciamus. 2. *Apostoli moderationem.* Paulus cum in tertium coelum raperetur, *nescivit, an ipsius anima esset in corpore an extra corpus* 2. Cor. 12, v. 3. Atqui si coelum beatorum determinate et praecise esset proxime supra firmamentum, facile scire potuisset, animam suam tunc fuisse extra corpus. Idem in hoc suo raptu dicit, *se audivisse ἄῤῥητα, quae non liceat homini eloqui* v. 4. ergo non judicavit, de statu ac situ coelestis vitae pronuntiandum esse ex ratione humana, sed ex revelatione divina. 3. *Salvatoris assertionem. Angeli infantum*, hoc est destinati ac deputati ministerio infantum, *in coelis semper vident faciem Patris, qui in coelis est* Matth. 18, v. 10. Atqui si coelum definitur loco quodam corporeo a terris remotissimo, visibile firmamentum proxime ambiente, quomodo angeli pusillis in terra inservientes vident faciem Patris in coelo? Non caret peculiari emphasi, quod Christus τὸ *in coelis* bis repetit dicens, *angelos in coelis videre faciem Patris, qui in coelis est.* Utique ergo angeli sunt in coelo, quando in terris ministeria sua peragunt, et Deus est in coelo, quando in terra praesens est. 4. *Inferni oppositionem.* Scriptura ut coelum verbis locum superiorem significantibus, ita infernum verbis locum inferiorem exprimentibus ratione nostri captus describit. Jam vero ex illa inferni descriptione colligi non potest nec debet, quod infernus sit in centro terrae, ut in tract. proxime praeced. §. 86. ostendimus. Ergo etiam ex illis coeli descriptionibus colligi nequit, quod coelum sit supra firmamentum XX. 525.
proxime eidem incumbens. 5. *Visibilium coelorum conflagrationem.* 2. Petr. 3, v. 7. *οἱ νῦν οὐρανοί, coeli qui nunc sunt, reservantur igni in diem judicii.* v. 10. *in die Domini coeli magno fragore transibunt.* v. 12. *coeli igne solventur.* Atqui si coelum beatorum proxime incumbit firmamento, metuendum, ne fulcro illo subruto etiam ipsum collabatur, neve ex ignis vehementia immodicum calorem contrahat. Coeli creati omnes in die judicii *transibunt ac peribunt* Psalm. 102. v. 27. Apoc. 20, v. 11. cap. 21, v. 1. *expectamus autem novos coelos ac terram novam, in quibus justitia habitat* Esa. 65, v. 17. 2. Petr. 3, v. 13. Apoc. 21, v. 1. Ergo juxta Spiritus sancti definitionem coelum beatorum est novum coelum, plenum justitia, majestate et gloria. 6. *Absurdorum consecutionem.* Si coelum beatorum est corporeum aliquod domicilium proxime firmamentum ambiens, dubitandum erit, an Christus sit supra nos, vel infra nos, vel ad latus, propter rotunditatem machinae coelestis; melioris conditionis erunt aves, quippe beatorum coelo propiores quam pii homines; beati, qui in una coeli extremitate mansionem suam habent, ad alios in altera extremitate habitantes raro ac tarde commeabunt propter maximam utriusque distantiam, ac si Christus in una coeli extremitate versetur, reliquis beatis in altera parte opposita degentibus suavissimo ipsius conspectu et colloquio carendum erit, et quae sunt hujus generis alia, quae ex puerili illa de coelo beatorum cogitatione colligi possunt. Si coelum beatorum, in quo Christus visibiliter et localiter juxta adversariorum hypothesin

versatur, imo eodem concluditur. est ultra et supra omnes orbes coelestes, quomodo Stephanus intentis in coelum oculis per tantum intervallum *Jesum stantem a dextris Dei videre* potuit? Actor. 7, v. 55. 7. *Ipsorum adversariorum confessionem.* Biel 2. sent. dist. 14. q. un. artic. 3: *Coelum empyreum non videtur positum nisi auctoritate Strabi, Bedae et Basilii*, et Thomas part. 1. q. 66. art. 3: *Habeant Strabus, Beda, Basilius rationes, sed non sunt multum cogentes.*

171. Quae in contrarium afferuntur, facilem habent explicationem, modo observentur ea, quae de τῷ πού damnatorum diximus in tractat. de inferno §. 85. *Scriptura,* inquiunt, *coelum beatorum definit per locum superiorem, dicit, illud esse sursum, describit per varias mansiones, vocat domum Dei, thronum Dei, civitatem habentem fundamentum, patriam sanctorum, tertium coelum respectu aërei et aetherei, coelum coelorum, quia est supra omnes coelos, altum, altissimum, excelsum, e coelo in terram asserit descendi et a terra in coelum adscendi, Enoch, Elias et Christus adscendentes in coelum localiter e terra sunt sublati, prophetae, Johannes Baptista, Stephanus, Petrus viderunt coelos apertos et introspexerunt in beatam coeli empyrei lucem, quae est supra visibiles coelos* etc. Ad haec et similia, quae magno numero cumulare solent, respondemus, 1. nos haud invitos concedere, quod beatum illud πού, in quo Deus gloriam suam angelis et beatis hominibus communicat, non sit ubique, sed a τῷ πού damnatorum re vera distinctum; interim addimus, non posse praecise et certo definiri in hujus vitae caligine, quae sit illius quidditas, qualitas vel situs. 2. Quando coelum beatorum describitur per nomina *domus, tabernaculi, paradisi, domicilii, civitatis* etc. tum ejusmodi descriptiones μεταφορικῶς ac μυστικῶς
IX. 526. sunt accipiendae, quia est domus ἀχειροποίητος 2. Cor. 5, v. 1. est paradisus non corporeus et terrenus, sed spiritualis et coelestis, nisi etiam ex descriptione gaudiorum coelestium per *convivia et nuptias* quis colligere velit, in cibo et potu futurae vitae beatitudinem consistere, ac corporales *gemmas, aurum, margaritas* in coelesti Hierosolyma somniare. 3. Sicut prophetae veteris testamenti describunt regnum Messiae in novo testamento futurum vocabulis ex usu Mosaicarum ceremoniarum desumtis, nec tamen ex eo licet inferre, ritus Mosaicos in novo testamento adhuc duraturos; sic prophetae et apostoli tam *statum* quam *situm* coelestis Hierosolymae describunt verbis ex usu et consuetudine hujus seculi petitis, nec tamen ex eo licet colligere, coelum beatorum fore locum aliquem corporeum, tabernaculum et domicilium materiale etc. Nimirum Deus nobis condescendens ἀνθρωπίνως loquitur, quae sunt θεοπρεπῶς et οὐρανοπρεπῶς intelligenda. 4. Ipsi Deo Scriptura *locum* aliquem superiorem tribuit eumque in peculiaribus manifestationibus suis *descendere* asserit, Genes. 11, v. 5. Esa. 26, v. 21. Oseae. 5, v. 15. Mich. 1, v. 3. nemo tamen propterea corporeum aliquem locum Deo tribuere debet, nemo ex eo inferre debet, Deum descendere locum mutando ac ratione essentiae suae antea ab illo remotum fuisse. Athanasius in orat. contra gregales Sabellii: *Is qui dicit coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum, non pro loco domicilii coelum adsortitur Domino et hominibus terram, sed excellentiam Dei magnificentiamque oculis subjicit.* Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte tom. 4. col. 1144: *Si in coelis tamquam superioribus mundi partibus locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aves, quarum vita est Deo vicinior.* Et postea: *Convertimur in precibus nostris ad orientem, unde coelum surgit, non tanquam ibi sit Deus et quasi ceteras mundi partes deseruerit, qui ubique praesens est non locorum spatiis, sed majestate potentiae* etc. Idem lib. 1. de serm. Dom. in monte: *Non hic coelos dici puto superiores partes hujus visibilis mundi. Non enim merces nostra, quae inconclusa et aeterna esse debet, in rebus volubilibus et temporalibus collocanda est, sed in coelis dictum puto in spiritualibus firmamentis, ubi sempiterna habitat justitia.* lib. 2 de pecc. orig. contra Pelag. et Coelest. c. 23: *Quot sint coeli, in quorum tertium raptum se testatur apostolus, scire volentium impudens est inquisitio, cum apostolus salva fide ipse nesciat.* 5. Verbis locum significantibus Scriptura rei statum describere conveuit, ut superius aliquot exemplis confirmavimus. Augustinus lib. 83. quaest. q. 29: *Ea quae sursum sunt, sapere jubemur, spiritualia scilicet, quae non locis et partibus hujus mundi sursum esse intelligenda sunt, sed merito excellentiae suae.* 6. Coelum beatorum Scriptura respectu nostri *sursum* esse asserit, sed quod sit spatium aliquod corporeum coelos adspectabiles circulariter et undiquaque ambiens, illud vero nuspiam innuit. 7. Quid per *tertium coelum,* in quod sese raptum esse apostolus memorat, intelligendum sit, exposuimus superius §. 8.

CAPUT X. XX. 527.

DE COGNATIS ET PUGNANTIBUS VITAE AETERNAE.

172. *Cognata* vitae aeternae sunt 1. *beneficia corporalia*, quae Deus in hac vita omnibus hominibus confert. ut per illa ad futurae vitae desiderium omnes invitet. Act. 17, v. 25: *Dat omnibus vitam et inspirationem et omnia*, v. 27. *ut quaerant Deum.* Augustinus in enarr. Psalm. 85: *Bona cogitate et considerate, fratres, quae dat Deus peccatoribus, et hinc intelligite, quid servet suis servis. Peccatoribus blasphemantibus eum quotidie dat coelum et terram, dat fontes, fructus, salutem, filios, copias, ubertatem. Haec omnia bona non dat nisi Deus. Qui talia peccatoribus dat, quid eum putas servare fidelibus suis? Hocne de illo sentiendum est, quia qui talia malis dat, nihil servat bonis? imo vero servat non terram sed coelum. Vilius forte aliquid dico, cum dico coelum,* **Cognata vitae aeternae.**

sed se ipsum, qui fecit coelum. Pulchrum est coelum, sed pulchrior est fabricator coeli etc. Idem l. 22. de civ. Dei c. 21: *De donis Dei, quae in hac vita aerumnosissima bonis malisque largitur, ipso adjuvante conjiciamus, ut possumus, quantum sit illud, quod nondum experti utique digne eloqui non valemus.* Exclamemus igitur ad corporalium illorum beneficiorum intuitum: O Domine, si tanta facis in carcere, quanta facies in palatio; si tanta bona confers in vestibulo, quanta servas in atrio! 2. Cumprimis vero *beneficia illa spiritualia*, quae per verbum evangelii Deus in hac vita nobis confert, quae sunt remissio peccatorum, justificatio, adoptio, Spiritus sancti donatio, illuminatio, renovatio, sanctificatio etc. illa enim sunt veluti *primitiae* quaedam coelestis hereditatis, quae nobis post hanc vitam reservatur. 3. *Tranquillitas conscientiae*, de qua Bernhardus de inter. Dom. c. 22. col. 1210: *Futurae beatitudinis non utilius remedium nec certius testimonium bona conscientia.* Isidorus lib. 3. de summo bono c. 16: *Qui mundum oderunt nec eum sequuntur, internae tranquillitatis quiete fruentes futurae pacis requiem, quam illic exspectant, hic quodammodo habere jam inchoant.* 4. Cumprimis vero illud *πρόγευσμα* ac *προπότισμα futurae beatitudinis*, quod Spiritus sanctus in cordibus credentium etiam in hac vita operatur, Hebr. 6, v. 4. Lutherus tom. 4. in Genes. c. 45. p. 143: *Qualis nunc laetitia est, quando Deus vel exiguam guttulam consolationis per verbum exhibet afflictis et tentatis. Longe igitur majus et inenarrabile gaudium erit, ubi Deus omnis consolationis revelabit totumque se effundet nobis in vita aeterna. Pugnantia* sunt 1. *Epicurea securitas* eorum, qui vitam aeternam negant; 2. *haeretica pravitas* eorum, qui *ὀρθοδοξίαν* hujus articuli corrumpunt; 3. *extrema damnatorum miseria et infelicitas.*

XX. 528.

CAPUT XI.

DE USU HUJUS ARTICULI.

Usus. 1. Theoreticus. 1. Didascalicus.

173. *Usus* hujus articuli est 1. *theoreticus*, 2. *practicus*. Theoreticus est 1) *διδασκαλικός*, 2) *ἐλεγκτικός*. *Didascalicus* usus in eo consistit, ut doctrinam de vita aeterna et sempiternis beatorum gaudiis ex verbo Dei summo studio addiscamus et fidem nostram adversus mundi irrisiones et carnis nostrae dubitationes solida hujus articuli cognitione probe muniamus; *elencticus*, ut Epicureorum et empaectarum vitam aeternam negantium furores detestemur ac corruptelas eorum, qui orthodoxam hujus articuli doctrinam pervertunt, armis ex Spiritus sancti officina petitis fortiter debellemus, Epicureis et atheis occinentes illud Cypriani contra Demetrian.: *In aeternam poenam sero tandem credent, qui in aeternam vitam credere noluerunt. Practicus* usus est vel *generalis*, vel *specialis*. *Generalis*, ut hujus novissimi omnibus vere piis et perseveranter in Christum credentibus promissi perpetuo memores a visibilibus ad invisibilia, a praesentibus ad futura, a momentaneis ad aeterna, a terrenis ad coelestia, a corporalibus ad spiritualia, ab humanis ad divina oculos et animos nostros convertamus ac piorum veterum exemplo articulum de bonis et gaudiis vitae aeternae quotidiana meditatione nobis familiarem reddamus. Neque enim fine eo doctrina de coelo beatorum et vita aeterna in sacris literis nobis proponitur, ut simus tantum *theoretici* de loco coeli, de visione beatifica, de proprietatibus corporum glorificatorum etc. nude et otiose disputantes vel etiam contendentes; sed ut simus etiam *practici* ac promissa vitae aeternae gaudia singulis diebus, imo horis, imo momentis expendentes viam, quae ad vitam illam nos ducit, arcte teneamus et ab omnibus, quae remoram nobis injicere vel ab ingressu in vitam aeternam revocare possunt, studiose caveamus. 2. Corinth. 4, v. 18. vere pii ab apostolo sic describuntur, quod non *considerent τὰ βλεπόμενα*, sed *τὰ μὴ βλεπόμενα*. Quidam veterum, quibus uteretur in quotidiano studio libris, interrogatus, pie respondit, *se evolvere quotidie librum aliquem, cujus tria folia, rubrum, nigrum et candidum;* in rubro *passionem Dominicam*, in nigro *damnatorum supplicia*, in candido *beatorum gaudia* se legere ac meditari, ex quo studio uberiorem referat fructum, quam si omnes philosophorum libros evolvat.

2. Elencticus. (margin, beside "muniamus; elencticus")

2. Practicus. 1. Generalis. (margin, beside "credere noluerunt. Practicus")

174. Usus practicus *specialis* est vel *παιδευτικός*, vel *παραμυθητικός*. *Παιδευτικός* est vel *ἐπανορθωτικός* vel *παραινετικός*. *Ἐπανορθωτικός, correctorius*, usus in eo consistit, ut meditatio aeternorum bonorum revocet nos ab omnibus peccatis contra conscientiam ac frenum carni nostrae injiciat, ne ejusdem pravis concupiscentiis indulgeamus. In coelestem Hierosolymam *non intrabit aliquid coinquinatum et faciens abominationem et mendacium* Apoc. 21, v. 27. quodsi ergo eam ingredi desideramus, necesse est, ut ab immunditie et sordibus peccatorum nobis caveamus. *Foris*, extra coelestem Hierosolymam, *sunt canes et venefici et scortatores et homicidae et idololatrae et omnis, qui amat et facit mendacium* Apoc. 22, v. 15. Quodsi ergo nolumus excludi a supernae civitatis consortio, cavendum erit, ne simus in hoc atro peccatorum catalogo. Enumeratis carnis operibus subjungit apostolus Gal. 5, v. 21: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, ac 1. Cor. 6, v. 9. et 10. inquit: *Nec fornicatores, nec idololatrae, nec adulteri, nec molles, nec masculorum concubitores, nec fures, nec avari, nec ebriosi, nec maledici, nec rapaces regnum Dei possidebunt.* Quodsi ergo regni coelestis cupimus aliquando esse participes, sedulo cavendum est, ne carnis opera faciendo horum peccatorum reddamur consortes. *Exite de medio eorum*, ait Dominus Esa. 52, v. 11. 2. Cor. 6, v. 17. *et separemini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos in filios et heredes meos.* Quodsi ergo Dei filii et aeternae vitae heredes esse cupimus, necesse est, ut spirituali peccatorum fuga a mundo nos separemus. *Cum Christo, humilitatis magistro, non adscendit in coe-*

2. Spe[cialis] 1. Inf[orma]torius. 1. Cor[recto]rius. (margin, beside §174)

XX. 52[8] (margin, beside "In coelestem Hierosolymam")

lum superbia, nec cum bonitatis auctore malitia, nec cum pacis amico discordia, nec cum filio virginis libido et luxuria, non adscendunt vitia post virtutum parentem nec peccata post justum, nec infirmitates ire possunt post medicum, ait Eusebius Emissenus hom. de Christi adscens.

Exhortorius. 175. Usus παραινετικός in eo consistit, ut bonorum et gaudiorum aeternorum meditatio in nobis excitet 1. *mundi et terrenorum contemtum.* Quisquis enim futura bona sperat, praesentium facile obliviscitur; qui coelestia amat, terrenorum fastidio facile corripitur. Phil. 3, v. 14: *Quae retro sunt obliviscens ad ea, quae ante sunt, me ipsum extendens praefixum persequor scopum ad brabeum supernae vocationis Dei in Christo Jesu.* v. 19. *Eorum, qui ἐπίγεια φρονοῦσι, finis est interitus.* Qui biberit de fluvio paradisi, cujus gutta major est oceano, in illo sitis mundi penitus exstinguitur. Quemadmodum si quis aurum pictum vel imaginem auri in aqua, ipso auro neglecto, captaret, merito rideretur; sic simili vel etiam majori stultitia laborant, qui evanida hujus vitae commoda aeternis bonis anteferunt. Chrysostomus epist. 5. ad Theod. laps.: *Si Petrus, qui vidit obscuram quandam imaginem futurorum, omnia continuo rejecit ab animo propter voluptatem inditam animae a tali adspectu, quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quando regiis cubiculis adapertis contueri licebit ipsum regem, non per aenigma nec per speculum, sed a facie ad faciem?* Idem: *Quod est somnium unius diei per omnem vitam, i. e. fructus rerum praesentium comparatus ad statum futurorum bonorum?* Idem: *Vere non habet super terram, quod amet, qui donum coeleste in veritate gustaverit.* Augustinus libr. 3. de lib. arbitr. c. 28: *Tanta est pulchritudo justitiae, tanta jucunditas lucis aeternae, h. e. incommutabilis veritatis atque sapientiae, ut etsi non liceret in ea amplius manere quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitae pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. Non enim falso aut pravo affectu dictum est: Quia melior est unus dies in*
C. 530. *atriis tuis super millia.* Fulgentius epist. 6. c. 4: *Si qui temporalium et mutabilium amore contemto in illius dilectionem transeunt, in ipso erunt pleni, in quo nihil indigetur; in eo securi, in quo nihil metuitur; in eo vere semperque gloriosi, cujus vera et sempiterna gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur. Quis non illius vitae desiderio praesentem vitam despiciat? Quis non illius abundantiae delectamento divitias temporis labentis exhorreat? Quis non illius regni dilectione omnia terrena regna contemnat? Illam ergo vitam tunc accipiemus, si huic nos vitae mortuos aestimemus, et illas divitias tunc possidebimus, si hic pauperes spiritu vivemus.* Gregorius hom. 37. in evang.: *Si consideremus, quae et quanta sunt, quae nobis promittuntur in coelis, vilescunt animo omnia, quae habentur in terris. Terrena namque substantiae supernae felicitati comparata pondus est, non subsidium; temporalis vita aeternae vitae comparata, mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis quid est aliud quam quaedam prolixitas mortis?* etc. Bona hujus vitae transitoria sunt ac momentanea, futurae vero aeterna; gaudia hujus vitae amaritudinibus contaminantur, sed futurae sunt plena, perfecta et incontaminata. Quisquis igitur futurae vitae bona et gaudia serio credit et sperat, praesentia facile repudiat. 2. *Coelestium desiderium.* Quisquis summam vitae aeternae felicitatem et felicitatis illius aeternitatem considerat, in illius corde desiderium ejusdem per Spiritum sanctum accenditur. Eph. 1, v. 18. orat apostolus, ut Deus piis *det Spiritum sapientiae et revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos mentis, ut sciant, quae sit spes vocationis ejus et quae divitiae gloriae hereditatis ejus in sanctis.* Phil. 3, v. 20: *Nostrum πολίτευμα est in coelis, unde etiam Salvatorem Christum exspectamus.* Col. 3, v. 2: *Quae sursum sunt, sapite, non quae sunt supra terram. Ubi est thesaurus noster, ibi etiam est cor nostrum* Matth. 6, v. 21. Jam vero thesaurus aeternorum ac verorum bonorum in coelis nobis paratus est. Ergo etiam eo extendi debet cordis nostri desiderium. Bernhardus de meditat. c. 4: *Quae nos angit vesania, vitiorum sitire absynthium, hujus mundi sequi naufragium, vitae labentis pati infortunium, impiae tyrannidis ferre dominium, et non magis convolare ad sanctorum felicitatem, ad angelorum societatem, ad solennitatem supernae laetitiae et ad jucunditatem contemplativae vitae!* Stephanus *videns Dei gloriam* et mente atque oculis futurae vitae bona et gaudia praelibans, coelestia unice desiderare incipit exclamans: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum* Act. 7, v. 55. et 59. O anima, o caro mea, illam vitam amplexari debes, ubi est vita sine morte, ubi juventus sine senectute, ubi gaudium sine tristitia, ubi regnum sine commutatione. Adscende ergo eo per desiderium, non enim sumus mundi incolae, sed advenae; amatrix sis vitae non fugientis sed permanentis, non transitoriae sed aeternae. Si te delectat sapientia, ibi de ipso fonte sapientiae bibitur et nihil rerum utilium ac necessariarum ignoratur; ibi ipsa lux incommutabilis veritatis a facie ad faciem conspicienda exhibebitur. Si te delectat pacata tranquillitas et ab omnibus miseriis et adversis libera felicitas; ibi erit vita jucundissima et quietissima, sine moerore, sine indigentia, sine infirmitate, sine molestia. Si te delectat harmoniae jucunditas; ibi angelorum hymni audiuntur, ibi beatorum citharae resonant, ibi suavissimus angelorum et hominum auditur concentus. Si te delectat cibi potusve suavi- XX. 531.
tas; ibi *inebriabuntur beati ab ubertate domus Dei et torrente voluptatis potabuntur* Psalm. 36, v. 9. ibi comeditur *de ligno vitae, quod est in paradiso Dei* Apoc. 2, v. 7. ac bibitur *de fluvio aquae vivae splendido tanquam crystallo procedente de sede Dei et Agni* Apoc. 22, v. 1. ibi Agnus *deducit beatos ad fontes aquae vivae* Apoc. 7, v. 17. Si te delectat proborum et honoratorum societas ac fami-

liaritas; ibi omnes beati erunt honoratissimi et sanctissimi nostrique amantissimi, ibi omnes erunt reges et sacerdotes, omnes erunt sapientissimi, nobilissimi opulentissimi etc. Si te delectat honesta occupatio; ibi perpetua beatorum occupatio erit Dei collaudatio. Si te delectat honor et gloria; ibi nullus erit amplius servus, sed omnes erunt liberi, omnes erunt filii et amici Dei. Si te delectant pulchra palatia; ibi meris gemmis et margaritis coelestis Hierosolyma refulgebit, ibi in domo Dei mansiones sunt multae. Si te delectat vestium splendor; ibi omnes induentur stolis albis, ibi vestimento immortalitatis, claritatis et puritatis omnes amicientur. Quidquid boni in hac vita optare, quidquid gaudii desiderare poteris, illud omne cumulatissime ibi erit, quin imo talia ac tanta ibi erunt bona, qualia et quanta non potes animo complecti vel efformare. *O veritas, caritas, aeternitas! o beata et beatifica Trinitas! ad te mea misera trinitas* (intellectus, voluntas et affectus) *miserabiliter suspirat, quia infeliciter a te exsulat,* Bernhardus serm. 11. in Cant. col. 519. 3. *Bonorum operum studium.* Quamvis vita aeterna sit gratuitum *Dei donum in Christo* per fidem apprehenso Roman. 6, v. 23. tamen vera et salvifica fides non est otiosa, sed per caritatem et studium bonorum operum sese exserit. Quisquis igitur in plenariam coelestium bonorum possessionem immitti desiderat, in via Domini ambulet et in stadio bonorum operum currat, ut brabeum aeternae vitae accipiat, 1. Cor. 9, v. 24. Huc pertinent cohortationes apostolicae 2. Cor. 7, v. 1: *Habentes has promissiones* (quod Deus in filios et heredes nos sit suscepturus), *mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini.* 2. Petr. 1, v. 10: *Satagite, ut vocationem et electionem vestram firmam faciatis. Haec enim facientes non labemini,* v. 11. *sic enim abundanter subministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.* 2. Petr. 3, v. 13: *Novos coelos et novam terram secundum promissa ejus exspectamus,* v. 14. *propter quod, carissimi, haec exspectantes satagite immaculati et inculpati inveniri in pace.* 1. Joh. 3, v. 2: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicut est,* v. 3. *et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est.* Apoc. 22, v. 14: *Beati, qui faciunt mandata ejus, ut sit potestas eorum in ligno vitae et per portas intrent in civitatem.* Sicut ad hanc vitam in utero matris praeparamur ac formamur; sic ad futuram in hoc seculo per inchoatam Dei agnitionem, fidem ac dilectionem nos oportet praeparari. Chrysostomus epist. 5. ad Theod. laps.: *Dic obsecro, si quis te in theatrum induceret, ubi magna multitudo hominum sederet amicta stolis aureis et in medio omnium ostenderet alium quendam adornatum eximie gemmis, regio vestitu insignem, coronam habentem in capite, deinde polliceatur, te assumturum in numerum eorum, an non omnia faceres, quae ipse jusserit?* Augustinus in Psalm. 93: *Ecce, quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam ad*
XX. 532. *accipiendos thesauros sempiternos, siliquam laboris ad requiem incredibilem* etc. serm. 64. de verb. Dom. c. 2: *Amemus vitam aeternam, ex eo noverimus, quantum pro vita aeterna laborare debeamus, cum videmus, homines amatores praesentis vitae temporalis atque finiendae sic pro illa laborare, ut quando venerit metus mortis, quidquid possunt, faciant, non ut auferant, sed ut differant mortem. Quantum laborat homo, quando mors imminet, fugiendo, latendo, quidquid habet dando et se redimendo, cruciatus molestiasque sustinendo, medicos adhibendo et quidquid aliud homo potest* etc. Si pondus honoris momentanei, pecuniae gloriolaeque mox evanescentis vehementer ad laborem hominum corda velut stateras inclinat, aeternum gloriae pondus, si cordi imponatur, non inclinabit?

176. 2. *Παραμυθητικός* sive *consolatorius* usus 2. Consolatorius.
1) *respectu nostri* in eo consistit, ut in quibusvis persecutionibus et adversis, adeoque in ipsa morte ac martyrio patientes simus, cogitantes, *passiones hujus vitae non esse condignas ad futuram gloriam, quae in nobis revelabitur* Rom. 8, v. 18. *quod in praesenti est momentaneum leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operari.* 2. Cor. 4, v. 17. *si commortui fuerimus, nos cum ipso victuros, si tolerabimus, cum ipso regnaturos* 2. Tim. 2, v. 11. et 12. *consortes in tribulatione fore etiam consortes in regno* Apoc. 1, v. 9. Si omnes hujus vitae passiones cum futura gloria comparentur, nihil erunt aliud quam guttula absynthii comparata ad mare suavissimi mellis. Macarius Aegyptius hom. 25: *Πρὸς τὸ δόμα, ὃ μέλλουσι κληρονομεῖν* (*οἱ εὐσεβεῖς*), *τοῦτο ἄν τις εἴποι, εἰ ἕκαστος, ἀφ᾽ οὗ ἐκτίσθη ὁ Ἀδὰμ ἕως τῆς συντελείας τοῦ κόσμου, ἐπολέμει πρὸς τὸν Σατανᾶν, ὑπέμεινε τὰς θλίψεις, οὐδὲν μέγα ἐποίει πρὸς τὴν δόξαν, ἣν μέλλει κληρονομεῖν.* Chrysostomus epist. 5. ad Theod. lapsum: *Tantumne bonorum a nobis submovebimus, ut declinemus exigui temporis laborem? Quodsi quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen esset. Praeterea gehennam tormentaque omnia convenit sustinere, ut videre queas Christum venientem in gloria sua et conscribi ordini sanctorum.* Augustinus in medit. c. 22: *Hujus rei gratia Scripturarum sanctarum amoena prata ingredior, viridissimas sententiarum herbas exarando carpo, legendo comedo, frequentando rumino atque congregando tandem in alta memoriae sede repono; ut tali modo tua dulcedine gustata minus istius miserrimae vitae amaritudines sentiam.* Gregorius lib. 7. moral. c. 7: *Certe cum mens, patriae felicis quanta sit dulcedo, considerat, pro ea, praesentis vitae amaritudines ferventer amat.* Adrianus Martyr cum esset miles florenti aetate viginti octo annorum videretque tantam Christianorum martyrum in tormentis pro Christi fide tolerandis constantiam, interrogavit eos: *Quid pro tantis poenis expectatis? quid est, quod vos tanta tormenta superare compellit?* ipsique responderent: *Speramus bona illa, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se!* Adrianus voce ea permotus curavit, se illico inscribi catalogo Christianorum, durumque mar-

tyrium alacer subiit inspectante et incitante eum Natalia uxore, sub Diocletiano anno Domini 306. Ecquis enim non solum mortem non horreret, sed etiam cupide desideraret, si vere et ex animo crederet, eam esse εἴσοδον ad vitam vere vitalem et
XX. 533. felicem, nullis seculorum terminis finiendam? Gregorius Nyssenus lib. de dormit.: *Soli infideles solent videndi spem praesenti vita circumscribere atque idcirco mortem pro calamitate ducunt, quoniam id, quod nobis persuasum est, non sperant. Nos vero, qui magno resurrectionis ex mortuis fidejussori, ipsi Domino, credidimus, indubitatam spem bonorum habemus.* Confer, quae in cap. de forma beatitudinis dicta sunt superius. 2) *Respectu nostrorum*, ut mitigetur tristitia, quam ex eorum obitu concepimus; quia enim mors piorum est janua ad veram vitam, ideo non tam dolere quam de hac felicitate ipsis gratulari convenit. Vide Gregorium Nyssenum orat. de dormient. p. 164.

CAPUT XII.

DEFINITIONEM VITAE AETERNAE CONTINET.

177. Ex hisce omnibus talis potest colligi vitae aeternae definitio: *Vita aeterna est felicissimus ac beatissimus ille status, quo Deus ex immensa misericordia propter Christum Mediatorem, perseverante fide apprehensum, pios post hanc vitam beabit, ut primum quidem animae eorum a corporibus separatae, postmodum vero eaedem in die resurrectionis glorificatis corporibus redunitae, ab omnibus miseriis, doloribus et malis liberatae, cum Christo, angelis sanctis et omnibus electis in sempiterna laetitia, gloria et felicitate vivant, perfecta Dei cognitione, perfecta sanctitate et justitia ornatae Deum a facie ad faciem sine fine videant, sine fastidio ament ac sine defatigatione glorificent.* Ad quam beatitudinem perducat nos Christus Jesus fidei et vitae ἀρχηγός in secula benedictus. Amen.

CARMINA ET RHYTHMI

DE VITAE AETERNAE FELICITATE.

Augustinus vel quicunque alius auctor in libr. meditat. cap. 26:

Ad perennis vitae fontem mens sitivit arida.
Claustra carnis praesto frangi clausa quaerit anima.
Gliscit, ambit, eluctatur exsul frui patria.
Dum pressuris ac aerumnis se gemit obnoxiam;
Quam amisit, dum deliquit, contemplatur gloriam.
Praesens malum auget boni perditi memoriam.
Nam quis promat, summae pacis quanta sit laetitia?
Ubi vivis margaritis surgunt aedificia,
XX. 534. Auro celsa micant tecta, radiant triclinia.
Solis gemmis pretiosis haec structura nectitur,
Auro mundo tanquam vitro urbis via sternitur.
Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur.
Hiems horrens, aestas torrens illic nunquam saeviunt;
Flos perennium rosarum ver agit perpetuum,
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum.
Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt;
Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum,
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.
Luna non alternat vices, sol vel cursus siderum;
Agnus est felicis urbis lumen inocciduum;
Tempus et nox desunt ei, fert diem continuum.
Nam et sancti quique velut sol praeclarus rutilant.
Post triumphum coronati mutuo conjubilant
Et prostrati pugnas hostis jam securi numerant.
Omni labe defaecati bella carnis nesciunt;
Caro facta spiritalis mens et unum sentiunt;
Pace multa perfruentes scandala non perferent.
Mutabilibus exuti repetunt originem
Veritatis et praesentem contemplantur speciem;
Fontis hinc vivi vitalem hauriunt dulcedinem.
Inde statum semper idem exeuntes capiunt;
Clari, vividi, jucundi nullis peccant casibus;
Absunt morbi semper, sanis senectus juvenibus.
Hinc perenne tenent esse, nam transire transiit;
Inde vivent, vigent, florent; corruptela corruit;
Immortalitatis vigor mortis jus absorbuit.
Qui scientem cuncta sciunt, quid nescire hi queunt?
Nam et pectoris arcana penetrant alterutrum;
Unum volunt, unum nolunt, unitas est mentium.
Licet cuiquam sit diversum pro labore meritum,
Caritas hoc facit suum, quod dum amat alterum,
Proprium fit singulorum, fit commune omnium.
Ubi corpus, illic jure congregantur aquilae,
Quo cum angelis et sanctae recreentur animae;
Uno pane vivunt cives uniusque patriae.
Avidi et semper pleni, quod habent, desiderant,
Non satietas fastidit neque fames cruciat;
Inhiantes semper edunt et edentes inhiant.
Novas semper harmonias vox meloda concrepat,
Et in jubilum prolata mulcent aures organa,
Digna, per quem sunt victores, regi dant praeconia.
Felix, coeli quae praesentem regem cernit anima
Et sub sede spectat alta orbis volvi machinam, XX. 535.
Solem, lunam et globosa cum planetis sidera.
Christe, palma bellatorum, hoc in municipium
Introduc me, da soluto militare cingulum,
Fac consortem donativi beatorum civium.
Probes vires inexhausto laborantis proelio,
Nec quietem post procinctum deneges emerito,
Teque merear potiri, sine fine praemio.

Paulinus Nolanus natal. Felicis 8:

Omnes quisque suo radiabunt lumine sancti,
Dissimili fulgore pares, nec judice Christo
Alter in alterius meriti dispendia crescent.
Christus erit cunctis regnum, lux, vita, corona.
Cernite distinctos actus, sed honore jugatos
Testamentorum Veterisque Novique magistros,

In quibus una dedit geminas sapientia leges
Atque ita virtutes varias par gloria pensat.

Alcimus Avitus lib. 2. de peccat. origin.:

Angelicae qualis narratur gloria vitae
Sidereas habitare domos, qualemque redemtis
Spondet reddendam mortis post tempora Christus;
Queis neque conjugium curae, nec foedere turpi
Miscuerit calidos carnalis copula sexus.;
Quando aberit gemitus, luctus, metus, ira, voluptas,
Fraus, dolor atque dolus, moeror, discordia, livor,
Nullus egens, nullus cupiens, sed pace sub una (ſi.
Sufficiet cunctis sanctorum gloria Christus.

Franco Affligeniensis de gratia Dei tom. ult.

Luctus ibi nullus resonat, quia nec dolor ullus,
Nil ibi, quod pigeat, taedeat aut pudeat.
Non ibi peccatum, quod possidet hic dominatum,
Quod fervens vitio non ea sit regio.
Cunctis invisa mors ipsa nec est ibi visa,
Nec metuenda tibi vita perennis ibi.
Non opus est aratris illic, aut imbribus atris,
Semina qui foveant, arida ne pereant.
Omnibus est unus panis, mirabile munus,
Quem semper comedas, nec comedens minuas.
Mirum, sed verum, facies illic nova rerum,
Qui vere cibus est, panis ibi Deus est.
Anxietas, pestis, morbus, languor procul estis,
Terrigenas premitis, coelicolas fugitis.
Qualis ibi vestis sit, adest sacra pagina testis,
Christo vestitur, qui lavacro abluitur.

Bernhardus de medit. cap. 4.

Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas,
Gaudia, laetitiae, dulcedo, vita perennis,
Gloria, laus, requies, amor et concordia dulcis.

Joh. Baptista Mantuanus libr. 5. Sylvar.

Est requies illic, illic aeterna voluptas,
Perpetuus splendor, gaudia, risus, amor.
XX. 536. *Quotquot erunt animas et quot nos ante fuerunt,*
Accipient laeto magna theatra sinu.
Fas erit hic nostrae vultus agnoscere gentis
Atque dare alternis mutua verba sonis.
Hic cum fratre soror, nati cum patribus ibunt,
Vespera nec festos finiet ulla dies.
Quos modo miramur, regione videbimus illa,
Et veteres inter suscipiemur avos.
Praemia terrenae mentes terrena sequantur,
Regna manent alio nos meliora loco.

Wilhelmus Alardus Decad. 7. od. 1. p. 175.

Certa ibi est quies,
Quieta ibi est securitas,
Secura ibi est tranquillitas,
Tranquilla ibi est felicitas,
Felix ibi est suavitas,
Suavis ibi est jucunditas,
Jucunda ibi est serenitas,
Serena ibi est solennitas,
Solennis ibi est festivitas,
Festiva ibi est aeternitas.
Ibi nec est defectio,
Sed optima est refectio;
Ibi nec est deformitas,
Sed omnium conformitas;
Ibi nec est iniquitas,
Sed una semper aequitas,
Ibi nec ignorantia,
Sed omnium scientia;
Ibi nec indigentia,
Sed omnium affluentia;
Ibi nec est crudelitas,
Amica sed fidelitas,
Ibi nec est fugacitas,
Aevi sed est perennitas;
Ibi nec est rapacitas,
Sed est opima largitas.
Ibi nec est malignitas,
Sed summa ibi est benignitas.
Ibi nec est molestia,
Ibi nec est angustia,
Ibi nec est corruptio,
Ibi nec est destructio,
Ibi nec est inanitas,
Ibi nec est immanitas,
Ibi nec est impuritas,
Ibi nec est obscuritas.
Ibi nec ulla duritas,
Ibi nec imbecillitas,
Ibi nec est acerbitas,
Sed expedita faustitas
Et praeparata dignitas
Et imputata sanctitas
Et absoluta castitas,
Amica liberalitas,
Et absque nube amoenitas
Et absque nocte claritas
Et absque felle caritas
Et absque labe puritas
Et absque lite veritas
Et absque peste sanitas
Et absque fine hereditas
Et absque morte aeternitas.
Ibi beata Trinitas
In unitate, Numine
Triuno, adimplet omnia.

FINIS.

CONSPECTUS NONI TOMI.

FINIS NONI TOMI.

Altenburgi, ex typographeo aulico. (Stephan Geibel & Co.)

~~SEP 1 0 2003~~

FEB 1 0 2007